Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/antiquitatesit03mura

The Institute of Mediaeval Studies
LIBRARY
Toronto

ANTIQUITATES
ITALICÆ
MEDII ÆVI.
TOMUS TERTIUS.

ARNALDO FORNI EDITORE
BOLOGNA

Proprietà letteraria e artistica riservata

Tiratura limitata a 200 esemplari

ANTIQUITATES
ITALICÆ
MEDII ÆVI,
SIVE
DISSERTATIONES

De Moribus, Ritibus, Religione, Regimine, Magiſtratibus, Legibus, Studiis Literarum, Artibus, Lingua, Militia, Nummis, Principibus, Libertate, Servitute, Fœderibus, aliiſque faciem & mores Italici Populi referentibus poſt declinationem Rom. Imp. ad Annum uſque MD.

OMNIA ILLUSTRANTUR, ET CONFIRMANTUR

INGENTI COPIA DIPLOMATUM ET CHARTARUM VETERUM

Nunc primùm ex Archivis Italiæ depromtarum,

ADDITIS ETIAM

NUMMIS, CHRONICIS, ALIISQUE MONUMENTIS NUMQUAM ANTEA EDITIS.

AUCTORE

LUDOVICO ANTONIO MURATORIO
SERENISSIMI DUCIS MUTINÆ BIBLIOTHECÆ PRÆFECTO.

PALATINIS MEDIOL. SOCIIS
EDITIONEM CURANTIBUS.

TOMUS TERTIUS.



MEDIOLANI, MDCCXL.

EX TYPOGRAPHIA SOCIETATIS PALATINÆ
IN REGIA CURIA.
SUPERIORUM FACULTATE.

The Institute of Mediaeval Studies
LIBRARY
Toronto
MAR 1 1968
29461

SERENISSIMO PRINCIPI
XAVERIO AUGUSTO ALBERTO,
POTENTISSIMI POLONIAE REGIS,
E T
ELECTORIS SAXONICI
AUGUSTI III.
FILIO SECUNDOGENITO.

MAgnificentiſſimo Patri tuo Regi Tomum I. Operis hujus ; amabiliſſimo Fratri tuo majori natu alterum ſacravi ; Tertium nunc Tibi , SERENISSIME PRINCEPS , animo venerabundo oblatum volo. Quod enim obſequium ſummum erga univerſam Regiam Familiam veſtram profiteor, qua feliciorem, moribuſque ſuaviſſimis magis ornatam nemo oſtendat , hoc ſingulis tanti Regis Filiis peculiari aliquo munuſculo ſignificare, ſtatutum mihi fuit. Equidem novi, Te quoque Literarum amore teneri, Te in variis Linguis addiſcendis impigrum eſſe, tuique ingenii atque elegantiae non unum ſpecimen jam dediſſe in Schola, in Dramatis intra penetralia Regiae domus recitandis, in colloquiis etiam ex improviſo oblatis. At ſimul compertum habeo , Celſitudinem tuam in arma ferventius ferri , timpanorum fragore , militarium ordinum ac certaminum aſpectu prae ceteris ſpectaculis delectari . Ejuſmodi ſane oblectamenta , meâ quoque ſententiâ , quamquam hominis a belli ſpecie omnino averſi , tantum Principem decent , immo in Te maxime commendanda ſunt . Nam quum Nobilibus quibuſvis conſentaneum ſit gloriam ſibi ab armis comparare, quanto magis idem ſtudium in Regum Principumque Filiis laudetur , quos ad regendos exercitus in tutelam Patriae , in reliquorum exemplum , ſublimior natalium dignitas atque majeſtas educaſſe videtur ?

Unum tamen , eximie PRINCEPS, negligendum tibi non eſſe, qui bellicarum rerum peritiores ſunt, jamdiu ſenſere . Utique

DG
443
N9

vel ſine Literis quoſdam novimus celebres exercituum ductores evaſiſſe, & ex victoriis multis grande ſibi nomen peperiſſe. Attamen exploratum ſimul eſt, facilius ad hujuſmodi laudem progreſſos fuiſſe Imperatores militiae, quos Literae ornabant, & Hiſtoria humanae vitae Magiſtra documentis ſuis imbuit. Neque enim ſatis eſt ad recte regendum bellum noſſe, quibus modis inſtruantur acies, caſtra locentur, arces expugnentur, & qua ratione modò ad defendendum, modò ad offendendum arma tractentur. Juvat etiam perſpecta habere ſtratagemata varia, quibus inclyti Duces in bello ſunt uſi, quid conſilii ceptum in ſubitis caſibus fuerit, quibus artibus conſilia hoſtium deprehenſa, ſeditiones compreſſae, animus militibus additus, & ſexcenta ejuſmodi alia, quae non a vulgaribus Militaris diſciplinae Libris, ſed ab Hiſtoricis, ac celeberrimorum Ducum Vitis petenda ſunt. Praeterea culturam Ingenii, Morum ſcientiam, & partem quamdam Mathematices Imperatorium munus expoſcit, ut cetera mittam. Quamobrem ſi in ejuſmodi quoque ſtudia, ut arbitror, Celſitudo tua excurrit, Tibi certe ad militarem gloriam facilis expedituſque erit greſſus. Et potiſſimum quod Pietate eximiâ, ſummoque Religionis amore & cultu acta tua, moreſque moderaris: qua virtute ſi quiſquam careat, quei quæſo Deum ſibi in bello propitium polliceatur? Itaque, SERENISSIME PRINCEPS, non incongruum duxi, Tibi quoque offerre Antiquitates haſce Italicas, quas & Germanas ſimul appellare non injuriâ quiſquam poſſit, poſtquam a tot Saeculis Italia a Germanicis Auguſtis pendet, noſtraque publica negotia cum veſtris commixta ſunt. Hinc Tibi facile erit intelligere, quales utriuſque Regni Principibus mores olim fuerint, & ſeligere quae iis temporibus probanda aut improbanda fuerint, ut in uſum tuum meliora cum laude convertas. Perge interea nobiliſſimam indolem tuam exemplis tot Majorum tuorum, & praeſertim Paternae Virtutis, diligentius in dies excolere; ſimulque memineris, ſi ad veram Gloriam, quod perſuaſum habeo, anhelas, hanc ab uno amore & profeſſione Virtutum eſſe expectandam. Qualecumque vero ſit hoc Opus meum, erit excelſae humanitatis tuae, illud benigno vultu excipere, veluti perenne obſequii erga Te mei pignus.

SERENISSIME PRINCEPS

CELSITUDINIS TUAE

Mutinae XV. Kal. Septembr. Ann. MDCCXL.

Humillimus, addictiſs. & obſequentiſs. famulus
Ludovicus Antonius Muratorius.

ELENCHUS
TOMI TERTII.

DISSERTATIO XXXIV.

De Diplomatis & Chartis antiquis dubiis aut falſis. pag. 1.

DISSERTATIO XXXV.

De Sigillis Medii Ævi. pag. 83.

DISSERTATIO XXXVI.

De Emphyteuſibus, Precariis, & Laicorum Decimis. pag. 141.

HISTORIÆ ROMANÆ Fragmenta ab Anno Chriſti MCCCXXVII. uſque ad MCCCLIV. Neapolitana, ſive Romana Dialecto ſcripta, Auctore Anonymo, nunc primùm edita ex MSto Codice Romano. In his habetur *Vita Nicolai Laurentii* (ſive *DI COLA DI RIENZO*) Tribuni Romanorum, antea evulgata: in commodum Lectorum omnia Latio donavit *Petrus Hercules Gherardus* Mutinenſis. Hebraicæ & Græcæ Linguæ in Patrio Lycæo Profeſſor. pag. 247.

DISSERTATIO XXXVII.

De Hoſpitalibus Peregrinorum, Infirmorum, Infantium Expoſitorum &c. pag. 551.

DISSERTATIO XXXVIII.

De Judiciis Dei, ſive Experimentis veterum, ad ſcrutandum Hominum Crimen, ſive Innocentiam. pag. *609*.

DISSERTATIO XXXIX.

De Duello, ejuſque origine, ac uſu. pag. *631*.

DISSERTATIO XL.

De Rhytmica veterum Poëſi, & origine Italicæ Poëſeos. pag. *661*.

DISSERTATIO XLI.

De Nominibus, & Agnominibus Antiquorum. pag. 715.

DISSERTATIO XLII.

De Cognominum origine. pag. 7*69*.

DISSERTATIO XLIII.

De Literarum ſtatu, neglectu, & cultura in Italia poſt Barbaros in eam invectos uſque ad Annum Chriſti Milleſimum Centeſimum. pag. 807.

DISSERTATIO XLIV.

De Literarum Fortuna in Italia poſt Annum Chriſti MC., & de Academiarum, ſive Gymnaſiorum erectione. pag. 881.

EXCERPTA e Chartis Archivi Piſani Archiepiſcopii ab Anno Chriſti DCCXX. uſque ad Annum MCXCIX. nunc primùm edita. pag. *999*.

HISTORIA *Belli Forojulienſis* nunc primùm edita, conſcripta à *Johanne Notario* quondam Aylini *de Maniaco*, Auctore Synchrono, ab Anno Chriſti MCCCLXVI. uſque ad MCCCLXXXVIII. pag. 1187.

DE DIPLOMATIS
ET CHARTIS ANTIQUIS
DUBIIS AUT FALSIS.

DISSERTATIO
TRIGESIMAQUARTA.



DE DIPLOMATIS ET CHARTIS ANTIQUIS DUBIIS AUT FALSIS.

DISSERTATIO TRIGESIMAQUARTA.

QUàm manca ſit, & quàm raris Hiſtoricorum monumẽtis Italica Eruditio nitatur, ex quo nobiliſſimæ hujus Provinciæ frenum, declinante Romano Imperio, ab exteris & barbaricis gentibus arreptum eſt, jam norunt Eruditi, & ego non ſemel expoſtulavi. Quod unice poſſumus, ex antiquis Archivis, in quibus multæ latent Chartæ veteres, hoc eſt rudera venerandæ antiquitatis, ſubſidium poſcimus; atque inde reapſe corradere docti Viri cœperunt poſtremis hiſce Sæculis, quidquid forte relictum eſt ad delineandam aliqua ex parte faciem infelicium illorum temporum. Verùm & Archiva & Chartæ ipſæ ſiniſtris nonnumquam fatis obnoxia fuiſſe deprehenduntur: illa expilata, iſtæ plerumque germanæ & authenticæ, ſed cum falſis, ut in re etiam Nummaria, & in Inſcriptionibus interdum, ne dicam ſæpe, accidit, commixtæ. Diſcernere autem, quæ legitima,
A quæ ſpuria ſint veterum Inſtrumenta atque Diplomata, res non levis neque facilis negotii eſt. Nam etſi quædam occurrant, in quibus vel tyronis Critici oculus impoſturam animadvertere poteſt, alia tamen ſunt, tanta arte ingenioque conficta, & quidem ante multa Sæcula, ut in iis dijudicandis aqua hæreat ipſis etiam Criticorum acutiſſimis. Primus autem omnium ad Artem Diplomaticam, hoc eſt, ad examen ac ſcientiam veterum tabularum, viam ſtravit ætate noſtrâ Cl. V. Daniel Papebrochius e Societate Jeſu. Tum eximius Vir Johannes Mabillonius e Congregatione Sancti Mauri, celebratiſſimo Opere *de Re Diplomatica* argumentum hoc mirifice ornavit, ac pæne exhauſit. Exci-
B tatis deinde controverſiis ac diverſis animorum ſtudiis, in eâdem arenâ certarunt doctiſſimi Viri, Georgius Hickeſius in Anglia, Bartholomæus Germonius e Societate Jeſu, ac Theodoricus Ruinartius Benedictinus in Gallia, & Juſtus Fontaninius in Italia. Doctiſſimus quoque vir Scipio Maſſejus Marchio, Veronenſium decus, editis Anno MDCCXXVII. multis antiquis Papyris, varia lumina antiquariæ huic Arti addidit, & plura etiam in poſterum ſperare nos facit. Denique de Diplomatica Germanorum egregie nuper egit Clariſſimus P. Godefridus Abbas Gottwicenſis in Tomo I. Chronici Gottwicenſis, cujus continuatio in deſideriis eſt univerſæ Reipublicæ Literariæ. Hiſtoriam Criticæ

ticæ Diplomaticæ nobis dedit ante paucos annos in Germania Jo. Petrus Ludewig in Præfat. ad Reliquias MStorum & Diplomatum; luculentius deinde in Italia Cl. V. Gaſpar Berettus, Benedictini Ordinis grande ornamentum, in Differt. ad Cenſuram ſuæ Tab. Chorogr. Æquum ſane foret, ut heic mihi ſilentium indicerem, atque inſalutatum dimitterem argumentum, in quo expoliendo adeo utilem hactenus operam tot Eruditi Viri poſuerunt, ut vix quidquam ſpicilegii reliquum eſſe videatur. Attamen quum propoſita mihi eruditio Sæculorum rudium, aliquid & heic a me petat, paucula adnotabo, quorum fortaſſis erit aliquis uſus in ejuſmodi provinciam ingreſſuris.

Itaque primo ſtatuendum eſt, nullum Sæculum, nullum Regnum literis utens olim in Europa exſtitiſſe, quod immune ſe ab impoſtoribus jactare potuerit. Immo ne ultima quidem Sæcula, atque ipſa noſtra ætas, abominando hoc hominum genere caruit. Exempla afferre & ſupervacaneum Eruditis, & moleſtum quibuſdam Ineruditis foret. Sed longe commodius atque in promtu olim fuit Falſariis adulterinos ſuos fœtus procudere, atque audacter in publicum effundere, quòd ſpem impoſturæ numquam detegendæ faceret ignorantia Literarum, & præſertim imperitia Criticæ Artis, qua univerſi ferme eorum Sæculorum homines laborabant. Poterant inſulſa, & undique falſitatem ſpirantia Diplomata confingi: hæc bona gens eodem obſequio, parique credulitate excipiebat, ac firmiſſima & authentica monumenta. Duûm autem generum fuere, qui illegitimis hiſce mercibus delectati ſunt. Primi bona fide agebant, nihilque falſi ſuſpicantes, facile ſibi patiebantur obtrudi Chartas, quas figuli nequam effingebant captandi lucri aut gratiæ cauſsâ. Ad hæc interdum conſentiebant & ipſi in ejuſmodi fraudem, qui eam ſibi utilem fore ſentiebant, nil ſceleris aut improbitatis ſibi tribuendum rati, quòd Chartæ illæ plerumque ad vera jura tuenda fabricarentur, & nemini detrimento futuræ eſſent: quod potiſſimùm uſu olim venit, quoties deperditis antiquis Privilegiis, Diplomatis, aut Inſtrumentis, breviorem ad ea reſarcienda viam cenſuere, nova alia tamquam vetera ſupponere. Non is certe ſum, qui ejuſmodi fraudem, quamquam in nullius detrimentum excogitatam, dealbare velim. Illud tamen pronuntio, improbum animi affectum ab iis aliqua ex parte abfuiſſe videri, qui ſibi hæc licere putabant, pro juſtâ ſuarum rerum tutelâ, & numquam in alienam injuriam convertendâ. Itaque non rarò contingebat, ut irruentibus in Italiam barbaris, aut inteſtinis bellis flagrantibus, aut ex aliis etiam cauſſis, Tabularia comburerentur, aut Chartæ aliò aſportarentur: quod præcipue accidit ineunte Sæculo Chriſti Decimo, quum ferociſſima Hungrorum gens variis irruptionibus Langobardiam fere univerſam afflixit. Gallia quoque & Germania ex diuturnis Nortmannorum incurſionibus graviori etiam patuerunt malorum Iliadi. Tunc ergo religioſi viri, ne ex ejuſmodi Diplomatum, aliarumque membranarum jactura aliquid ſibi incommodi crearetur, neve improbis aditus aperiretur ad eorum bona ac jura invadenda, legitimum eligebant præſidium, nempe Regis aut Imperatoris literas impetrare, quibus in poſterum proſpiceretur ſuis juribus, ſi quando in diſcrimen adducerentur. Hujus moris exempla duo nunc proferam, nempe gemina Diplomata Berengarii I. Italiæ Regis, præter alia, quæ in hoc eodem Opere occurrent. Primum decerpſi e Collectaneis MStis Peregrini Priſciani in Eſtenſi Bibliotheca adſervatis.

Privilegium a Berengario I. Italiæ Rege conceſſum Egilulfo Epiſcopo Mantuano, ejuſque Eccleſiæ, Anno Chriſti 894.

In nomine Domini Jeſu Chriſti Dei eterni. Berengarius *divina favente clementia* Rex. *Si in ſacratis omnipotenti Deo locis, a quibuslibet deſolatis, recuperationis augmentum pro ſavore largimur, id nobis, & ad Regni noſtri ſtabilimentum, atque ad eterne remunerationis emolumentum credimus abſque dubio profuturum. Quapropter omnium Sancte Dei Eccleſie, noſtrorumque, preſentium ſcilicet ac futurorum, noverit induſtria,* Ingilfredum Comitem, *cariſſimum fidelem noſtrum, magnitudini noſtre ſignificaſſe, quod pro peccatis Mantuanæ Sedis* Eccleſia cum Preceptis & Cartarum firmitatibus, quarum ſcriptionibus res & familias ſibi collatas hactenus meruit obtinere, combuſta videatur, *flagitantem & poſtulantem, ut ad plenitudinis reſtaurationem hoc noſtre miſerationis Preceptum* Egilulfo *venerabili* Epiſcopo *ejuſdem* Mantuanenſis Eccleſie *concedere dignaremur. Cujus precibus libenter acquieſcentes, & quoniam dignum eſt, ne res Eccleſiarum Dei a quibuslibet depraventur, aut ab earum ditione contra legem auferantur, decrevimus ita fieri. Concedentes igitur confirmamus ſupraſcripto Mantuanenſi Epiſcopatui omnes res, quas uſque modo de donis Regum ſeu Imperatorum predeceſſorum noſtrorum, ceterorumque hominum conceſſionibus, traditionibus, offerſionibus pro ſuarum remediis animarum, comparationibus quoque, commutationibus Libellorum, & qualiumcumque legalium Cartarum conſcriptionibus, ſeu emphiothecariis, vel emphiteoſi ipſe ſanctus locus obtinuit quocumque modo, cum d mibus & edificiis, Eccleſiis Baptiſmalibus &c.* (*)

Signum Domni Berengariiglorioſiſſimi Regis.

Datum XI. Kalendas Decembris, Anno Incarnationis Domini DCCCXCIV. Domni autem Berengarii . . . . (reliqua deſiderantur.)


Ughellio in Italiæ Sacræ Tom. primo, inter Epiſcopos Mantuanos recenſetur ad Annum DCCCLIX. *Johannes Eginulphus*, qui per multos annos Eccleſiam illam rexiſſe dicitur. Tum in eorumdem Epiſcoporum catalogo ad Annum DCCCCXXXIII. ſuccedit *Manaſſes*. Mihi veriſimile eſt, Ughellium duos Epiſcopos in unum confudiſſe, & *Johannem* ab *Eginulfo* diverſum fuiſſe, qui poſtremus non alius fuerit quam *Egilulfus* in hoc Diplomate commemoratus,

(*) Quæ ſequuntur, eiſdem verbis repetita habentur in Diplomate Ottonis Tertii Anno DCCCCXCVII. quod in hoc Opere evulgavi. De Caſtris tamen nulla heic mentio fit.


ratus, vivens Anno DCCCXCIV. quo etiam Anno hinc habes, pro Berengario fortunam ſtetiſſe, atque ejus poteſtatem ope Arnulphi Germaniæ Regis adauctam fuiſſe, depreſſo A Widone Auguſto. Alterum ejuſdem Berengarii Præceptum acceptum refero Cremonenſis Reipublicæ Archivo, ubi autographum adſervatum vidi atque exſcripſi.

Berengarii I. Italiæ Regis Diploma, quo Privilegiorum deperditorum jacturam reparat Monaſterio Placentino Sanctæ Reſurrectionis, ſive Sancti Sixti, eique omnia bona & jura confirmat, Anno 905. ſeu potius 906.

IN nomine omnipotentis Dei æterni. Berengarius *divina ordinante clementia* Rex. *Si ſacris & venerabilibus locis ſublevamen noſtre auctoritatis impendimus, & ad divinum miniſterium exequendum opem ferimus, ab ipſo, pro cujus amore id agimus, eterne remunerationis premium conſequi nequaquam ambigimus. Quapropter omnium fidelium Sancte Dei Eccleſie, noſtrorumque, preſentium ſcilicet ac futurorum, noverit induſtria, qualiter per interventum* Berctile *dilectiſſime* Conjugis *& conſortis Regni noſtri*, Adelberga *venerabilis* Abbatiſſa Monaſterii ſancte Reſurrectionis Placentine *ſitum, quod olim* Angilberga *glorioſa* Imperatrix *a ſolo conſtruxit, lacrimabiliter noſtram adiit majeſtatem*, eo quod per irruptionem Paganorum, & incuria quorundam hominum quedam Precepta & Inſtrumenta Cartarum ipſius ſancti loci dudum deperiiſſent. *Super quibus noſtram humiliter deprecata eſt pietatem, quatinus ob amorem Dei, animeque noſtre mercedem, eidem ſancto Cenobio* pro eiſdem Cartarum ac Preceptorum inſtrumentis *hoc noſtre Regie auctoritatis & confirmationis Preceptum fieri juberemus. Nos vero tam predicte noſtre Conjugis, quamque & ipſius venerabilis Abbatiſſe Adelberge, ratam extimantes petitionem, pro Dei ac ſancte illius Eccleſie amore, pro remedio quoque anime* Domni Hludovici *glorioſiſſimi* Imperatoris *noſtri anteceſſoris, ſeu pro ſtabilitate Regni noſtri a Deo nobis collati, hoc noſtre Regalis auctoritatis Precepto cenſemus atque ſancimus, quatinus predicta Eccleſia ſancte Reſurrectionis Monaſterii omnia jura ad eandem pertinentia, res ſcilicet mobiles & im-* B *mobiles ſeu mancipia cum Aldionibus & Aldianis, vel quicquid juſte & legaliter poſſidere viſa eſt, tum ea, que a nobis & ab anteceſſoribus noſtris per Precepta ibidem largita ſunt, quam alia omnia ſive per Cartulas donationis, offerſionis, comparationis, commutationis, ſeu quicquid ad eundem Monaſterium Angilberga glorioſa Imperatrix,* filiaque ſua Hyrmengardis *in alimoniis Monacarum ibidem Deo famulantium contulerunt: ſpecialiter quidem Cortem Vardiſtalle juxta Heridanum poſitam in Comitatu Regienſe, cum omnibus appenditiis ſuis mobilibus & immobilibus, ſeu quidquid ad eumdem Monaſterium pertinuit, vel pertinere videtur juſte & legaliter, omnia & ex omnibus eidem* C *ſancto loco concedimus & confirmamus, & ut deinceps quiete poſſideat ſancimus, nullius hominis perſona moleſtiam inferente. Sed ita firmiter per hoc noſtrum Preceptum cuncta ſua poſſideat*, tamquam eadem Cartarum & Preceptorum inſtrumenta non fuiſſent amiſſa atque deleta. *Et ſi quocumque tempore contentio aliqua orta fuerit, aut fortaſſe quiſquam ex rebus ipſius Monaſterii ſubtrahere aliquid queſiverit, volumus & cenſemus, ut noſtra cuncta preſentia res & predia, ſeu cunctas poſſeſſiones juſte & legaliter ſibi vindicet. Contra quod noſtre conceſſionis & largitionis Preceptum ſi quis inſurgere temptaverit, ſciat ſe compoſiturum auri optimi Libras centum, medietatem Camere noſtre* D *& medietatem ſupraſcripto Monaſterio. Quod ut verius ab omnibus credatur, manu propria ſubtus roboratum anulo noſtro juſſimus ſignari*

Signum Domni  *Berengarii ſereniſſimi Regis.*

Ambroſius Cancellarius ad vicem Ardingi Epiſcopi & Archicancellarii recognovi.



Datum XV. Kalendas Julii, Anno Dominice Incarnationis DCCCCV. Domni vero Berengarii ſereniſſimi Regis XVIII. Indictione Nona.

Actum Olonna in Chriſti nomine feliciter, Amen.

Auto-

Autographum appellavi Diploma iſtud, utpote quod omnes gereret germanæ antiquitatis notas, immo Regali adhuc Sigillo, eoque intacto, muniretur: quæ res omnium efficaciſſimum eſſe ſolet indicium authenticæ Chartæ. Nihilominus animadvertas velim, *Indictionem Nonam* conjungi heic cum *Anno a Chriſti Incarnatione DCCCCV.* ac die *XV. Kalendas Julii*, quum tamen eo ipſo Anno ſecundùm vulgarem Epocham & uſum procederet *Indictio Octava*. Propterea quum *Indictio Nona* diſerte ſcriptum ibi ſit, aut Ambroſio Cancellario, ejuſve amanuenſi, aut mihi deſcribenti exciderit unitas in Anno, atque ibi reſtituendum arbitror *Annus DCCCCVI.* Verùm non omnes legitimam conſectabantur viam conſulendi per Principem Chartis ſuis deperditis. Erant, qui ſine dolo malo amplectebantur olim oblatas ſibi ab aliis Chartas ſpurias, aut ſcienter ac datâ operâ novas in locum veterum ſubſtituebant. Sed & alii fuere, in quibus perverſa conſilia ſuſpicari liceat, quod apertis òculis fraudulentas falſaſque pararent membranas, aut ſibi ab aliis conſcribendas curarent, ut aut male parta confictis iis titulis tuerentur, aut ementitum decus inde ſibi procurarent. Numquam enim deſiderati ſunt, qui ſuæ gentis, qui ſui cœtus atque collegii, qui denique Familiæ ſuæ, ſuorumque Majorum originem, prærogativas, nobilitatem, aliaſque dotes amplificatas ultra æquum concupierint, ſibique religioni minime duxerint, confictis etiam tabulis Populo perſuadere, quod veris præſtare non poterant. Ita & alios ad infelix idem ſtudium excitavit lucri, & alienas res invadendi, aut malè parta conſervandi cupiditas: a qua labe ne noſtra quidem Sæcula immunia præſtare quiſquam audebit. Multæ quidem pœnæ olim Falſariis indictæ fuere, & inter Leges Langobardicas Guidonis Auguſti, & veteres formulas ibi a me editas Part. II. Tom. I. Rer Italicarum, cum Notarii doloſi, tum falſis Chartis utentes, damnantur. Quod ſi Charta quæpiam ſpuria ante Judices delata vitium ſuum prodebat, perforabatur, aut lacerabatur, ne in hominum commercium umquam poſtea remigraret. Vide Part. II. Tomi II. Rer. Italicar. pag. 508 nobile Placitum Romæ habitum Anno Chriſti DCCCCXCVIII. pro controverſia inter Monachos Farfenſes & Presbyteros Sancti Euſtathii. Falſam Chartam produxere Presbyteri. Tunc *tenente Domno Abbate ipſam Chartam in manu, juſſu Domni Leonis tulit Leo Arcarius ſanctæ Apoſtolicæ Sedis cultrum, & ſignum ſanctæ Crucis in ea, abſcindendo per medium, fecit, & reliquit in manu Domni Abbatis in conſpectu omnium ibidem reſidentium* &c. Verùm ejuſmodi Leges erant ad inſtar telæ, quam aranea ſtruit, quæ muſcas quidem & culices facile capit, a volucrum verò pennis & alis nullo negotio diſrumpitur. Itaque minores e Populo Lex & pœna interdum feriebat, ſi quando falſa procudere, aut falſis uti in privatis litibus deprehendebantur: majores verò immunitate omnimoda heic fruebantur. Ac præcipue nemini creare moleſtiam mos fuit, ubi non lucri, ſed gloriæ tantùm cauſſâ impoſturis indulgebant. Nunc audiamus Fontaninium, qui in Vindiciis antiquor. Diplomat. pag. 58. contendit: *Diplomata ſpuria ex antiquitus confictis nulli ſupereſſe*; cujus ſententiæ rationem hanc adfert, nempe *multis pœnis in Falſarios variis temporibus animadverſum, qua vigilantiâ & rigore Chartæ ſuppoſiti-* A *tiæ obliteratæ & expunctæ fuerunt*. Hæc plane mira. Sed mirandum magis, contendiſſe illum, ut ſententiam adeo enormem nobis perſuaderet. Et profectò opus eſt homini, alioqui doctiſſimo, qui hæc pronuntiavit, ut nulla umquam patuerint Archiva. Tam enim certum eſt, quàm quod certiſſimum, ex iis pauca eſſe, quæ non aliquas ſuppoſiticias tabulas in ſinu ſuo placide teneant atque confoveant. Celebris hac in re, & Eruditorum calculo probata eſt aſſertio Clariſs. Mabillonii, omnium graviſſimi teſtis, Lib. 3 Cap. 6. de Re Diplomaticâ, *Collegia prope nulla, pauciſſimas Eccleſias, aut Familias immunes eſſe ab hac ſpuriorum Inſtrumentorum labe*. Idem quoque confirmavit doctiſſimus P. B Germonius e Societate Jeſu, qui ejuſmodi argumentum pertractavit. Idem & ego experientiâ pluries didici. Plurima enim Italicarum Urbium Archiva ingreſſus, innumeras quidem Chartas reperi & evolvi, germanam originem procul dubio præferentes, at ſimul furfuris aliquid multis in locis commixtum animadverti. Potuiſſem ſane ex hiſce apocryphis multa colligere; ſed certa dumtaxat monumenta venanti nil plerumque conſilii & otii ſuperfuit ad has etiam adulterinas merces mihi parandas.

Neque alicui ſubrepat, Archivi cujuſquam tantam eſſe poſſe auctoritatem, ut quæcumque inde Chartæ prodeunt, aut ibi adſervantur, C legitimitatis minime dubiæ ſigillum ſecum adferant. Nullum hercle Tabularium tam inſigni Privilegio fruitur, quidquid Leguleji ſomniantes ſcribant. Neque ipſa marmora, aut æreæ tabulæ, quibus interdum inſcripta viſuntur veterum monumenta, & characteribus quidem vetuſtatem præ ſe ferentibus, certos nos facere ſemper queunt, germanos ibi fœtus comprehendi. Teſtis Theodoſianum Diploma, de quo mihi infra ſermo erit, marmore inſculptum: teſtis Edictum ſpurium Deſiderii Regis Langobardorum Viterbii in marmorea tabula exaratum, quod fruſtra temporibus noſtris Annii Viterbienſis ſucceſſores dealbandum ſibi ſuſceperunt: teſtis denique Diploma Caroli D Magni, quod in calce Diſſertationis XXI. *de Italiæ Statu* commemoravi, quamquam Turrigius nos moneat Part. 2. pag. 239. *delle ſacre Grotte Vaticane*, ejus fragmenta in pariete Monaſterii Romani Sanctorum Vincentii & Anaſtaſii ſuo ævo ſuperfuiſſe. Atque idem Turrigius ille eſt, qui pag. 503. ejuſdem Libri, Diploma, ſi ſuperis placet, Caroli Magni eductum e Tabulario Capituli Canonicorum ſacratiſſimæ Baſilicæ Vaticanæ, evulgavit, cujus quidem & ipſe vitia ſubolfecit, nunc autem nemo eſt inter Eruditos, qui inſulſam illic impoſturam continuo non agnoſcat. Ceterum quæ Leges & regulæ præſto futuræ ſint nobis ad diſtinguenda vera Diplomata a falſis, e E ſupra laudati Mabillonii & Hickeſii Libris unicuique petere licebit. Mihi in præſentia id unum propoſitum eſt, ut aliquid innuam de falſis, interpolatis, ac dubiis Chartis, quod fortaſſe minoribus ingeniis uſui aliquando eſſe poſſit. Jam Part. II. Tom. I. Rer. Italicar. indicavi, quot Diplomata aperte ſuppoſiticia in Chronico ſuo protulerit vetuſtus Auctor Chronici Sancti Vincentii ad Vulturnum: quot etiam dubiæ fidei ſigna in aliis ſubluceant, illic oſtendi, ut & Part II Tom. II. in Chronico Farfenſi. Longe plura habes in Italia Sacra; neque enim Ughellio ſat Criticæ, aut profectò non ſat diligentiæ ſemper fuit ad ſecernenda legitima

mo-

monumenta a ſpuriis. Ex his autem ſe nobis offerunt, quæ continuo impoſturam produnt: tam longe abſcedunt eorum formulæ a temporum & perſonarum ſtilo, ac moribus, & cum Hiſtoriæ certæ monumentis digladiantur. Huc referas Vitelliani, ſeu Vitaliani Papæ Decretum ab eodem Ughellio editum Tomo I. in Catalogo Epiſcopor. Ferrarienſ. in quo Pontifex ille Epiſcopatum Ferrarienſem inſtituiſſe dicitur, & Marinum Civitati illi præfeciſſe Epiſcopum, accedente etiam conſenſu Imperatoris, ubi leges quoque intueare, quibus regenda in poſterum erat Ferrariæ Civitas. Inſulſa adeo ac inepta eſt ea rerum & verborum farrago, ut in oculos omnium inſcitia ac infantia Falſarii incurrat. Alterum non diſſimile ad eamdem Civitatem ſpectans exerere mihi nunc placet, quod Peregrinus Priſcianus Ferrarienſis in ſuos Annales Ferrarienſes MStos intulit, & eſt etiam mihi in membrana, vetuſtos characteres imitante, quæ primigenium illius exemplar fortaſſe fuerit.

Hadriani I. Papæ Bulla conficta, qua Johannem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalem inſtituit Epiſcopum Ferrarienſem, Anno 780.

In *nomine Dei omnipotentis Patris & Filii & Spiritus Sancti*. Pontificatus Domni noſtri Adriani *ſummi Pontificis & univerſalis* Pape *in Apoſtolatu* Anno Nono, Domno noſtro Carolo Imperatore Auguſto Anno Tertio, *Die Nono Menſis Marcii*, Indictione Decima, *Roma Lateranenſis*. *Cum in principio omnipotens Dominus celum & terram crearet, & valde bona omnia eſſe cernens, hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam condidit atque formavit, & omnia ſuo uſui tradidit atque donavit &c. Quapropter ego Adrianus divina adveniente gratia ſummus Epiſcopus hujus univerſalis Sancte Romane & Lateranenſis Eccleſie, que mater eſt omnium Eccleſiarum, in omnium ampliſſima Sede ad regendum & gubernandum divino imminente auxilio prepoſitus ſum omnes Eccleſias in ſingulis regionibus conſtitutas. Condolens itaque de confuſione & annullatione unius noſtri Epiſcopii, quod noſtri Predeceſſores infra Ducatum Ferrarie, in quadam ſcilicet noſtra majori Maſſa Babilonia, que vocatur Ferraria, ad honorem Dei omnipotentis & beatiſſimi Georgii Martiris ſui, conſtituerunt & conſecraverunt; & ſicut ipſi in illius Eccleſie filie ſue conſecratione titulo donationis cum aliis undecim Maſſis dederunt & tradiderunt; ita & nos de recuperatione atque inventione predicte ovis congratulantes atque gaudentes, & de manu rapacis ac ſacrilegi* Deſiderii Regis Langobardorum per ſummam victoriam potentiſſimi Caroli Regis divina auxiliante potentia arripientes; *illamque prefatam Eccleſiam filiam ſancte noſtre Romane Eccleſie cum Populo ſuo reconciliantes: Johannem hujus ſancte noſtre univerſalis Eccleſie Cardinalem in Epiſcopale offitium conſecramus, & in predicto Epiſcopio ad regendum atque gubernandum gregem ſibi commiſſum eum preponimus, ut aliquam ovem de ejus cura lupus non poſſit arripere. Igitur ſicut jam ſupra audivimus, dignum & juſtum eſſe, filium de patris vel matris hereditate partem habere, ita & nos de hereditate hujus noſtre ampliſſime Sedis, ſcilicet Romane atque Lateranenſis Eccleſie, matris omnium Eccleſiarum, in ſupradictam donationem & dotem in hanc ſanctam Eccleſiam beati Georgii filiam ſuam, per hoc noſtrum Preceptum cum benedictione emancipamus, donamus, atque in perpetuum tradimus ad poſſidendum, Maſſam videlicet illam Babiloniam, que vocatur Ferraria, cum duodecim fundoris ſuis, cui alias undecim minores noſtras Maſſas cum obedientia atque ſervitute ſubjugamus. Ideſt Maſſa & Ripa Puliarolus cum duodecim fundoris ſuis, & Maſſam Conſtanciacum cum duodecim fundoris ſuis &c. te Johannem Epiſcopum Ferrarienſem, tuoſque ſucceſſores ipſius Epiſcopii, veſtramque Parochiam in noſtro jure & dominio ac privilegio, & noſtre ſancte Romane Eccleſie beati Petri, cujus eſt jus, ſemper tenemus, ut ſit ſub noſtra electione, ordinatione, atque conſecratione &c. Hanc prefatam majorem Maſſam Babiloniam, que vocatur Ferraria, aliaſque omnes minores Maſſas, & totum & integrum noſtrum Comitatum Ferrarienſem, in cura & protectione atque defenſione juſtiſſimi atque victorioſiſſimi Caroli Auguſti Imperatoris ponimus, ut protegat & defendat a prefato Dei inimico, & Sancti Apoſtoli Petri adverſario atque ſacrilego Rege Deſiderio, ut ultra confines de predicto noſtro Comitatu Ferrarie nemo tranſire auſus ſit, neque invadere preſumat ullo modo. Quod predicti fines & termini ſunt ab Oriente ab una parte fluminis Padi altera noſtra Maſſa Fiſcalia & Veteraria. A Veteraria tranſiens flumen Sandali uſque Bocilletum: per Bocilletum tranſiens flumen Gaibana per Ludriam circumdans Villam Mannam & Madrariam pervenit uſque Maletum. A Maleto pergens juxta Argerem Aſianum per paludes & piſcarias uſque Vitricam: & tranſiens Vitricam venit uſque Foſſam Buranam; & per Foſſam Buranam exiens in Padum deſcendit ad Occidentem uſque ad Ulmum Formoſam, quod certa finis eſt inter Romaniam & Longobardiam. Ab altera autem Fluminis parte ſimiliter ab Oriente Callis de Fine, que finis eſt inter noſtrum Comitatum Ferrarie & alterum noſtrum Comitatum Comaclenſem, extendens ſe per paludes & piſcarias uſque ad Foſſatum de Silvule, circumdans Maſſam Corneti & Lognanum, que de noſtro Comitatu Ferrarie eſt; deſcendens inde in Occidentem per paludes & piſcarias uſque Flumen Tartari, & per ipſum Flumen Tartari exiens uſque in Flumen Padi &c. Si qua autem perſona magna vel parva, ſive Rex, ſive Dux, ſive Marchio, ſive Comes, Vicecomes, Caſtaldio, aut aliqua de noſtris Succeſſoribus univerſalis perſona contra hoc noſtrum Privilegium & preceptum inſurgerit, aut ſi ejus violator extiterit &c. ſit daturus & compoſiturus ſancte noſtre Romane Eccleſie beati Petri auri optimi Libras centum, & a liminibus Sancte Eccleſie ſit ſegregatus, & a noſtra univerſali atque ampliſſima Sede Apoſtolica ſit excomunicatus, & ſub anathema noſtre indignationis & Sanctorum omnium*

nium

nium Conciliorum in perpetuum eum maledicentes manere precipimus, atque cenſuimus, & hec noſtri Precepti pagina in ſuo ſemper maneat vigore atque firmitate.

Qui ſtilum ac formulas Pontificiarum Bullarum circiter ea tempora aliquantulum novit, nihil cunctatur in agnoſcenda informi & apocrypha hujus Bullæ origine atque ſtructura. Sed ne id quidem conſiderare opus eſt. Ad detrahendam impoſtori larvam tantummodo animadverte, quàm patenter is in Chronologiam impegerit. *Annus Nonus* Hadriani I. cum *Indictione Decima* minime conſentit; is enim decurrebat *Anno Chriſti DCCLXXX.* Indictio verò Decima *Anno DCCLXXXVII.* Et quod rem abſolvit; Hadriano I. vivente, Carolus Magnus numquam fuit *Imperator Auguſtus*, eoque minus *Annus Tertius* illius Imperii, ſcilicet Annus Epochæ Vulgaris DCCCIII. conjungi poteſt cum *Anno Nono* ejuſdem Hadriani, qui Anno DCCXCV. ad plures abierat. Mitto reliqua. Neque hæc tantùm ſuppoſiticia monumenta occurrunt in Hiſtoria Ferrarienſis Eccleſiæ, ſed & alia, quæ commemorare nihil attinet. Cur verò, & quo tempore emerſerint ejuſmodi figmenta, opinari nunc mihi liceat. Tunc enim falſæ Chartarum merces potiſſimum emergere conſueverunt, quum aliqua controverſia fervebat, neque ullæ ſuccurrebant tabulæ, ſive quod deperditæ, ſive quod numquam conſcriptæ fuiſſent, quibus pro jure ſuo, poſſeſſioneque ſua certantes propugnare poſſent. Compertum habemus, inter Hadrianum IV. Papam & Fridericum I. Auguſtum Anno MCLIX. de ditione Ferrariæ lites fuiſſe excitatas. Petebat enim Pontifex, teſte Radevico Lib. 2. de Geſt. Friderici I. Cap. 30. ut ſibi *poſſeſſiones Eccleſiæ Romanæ reſtituerentur*, & *tributa Ferrariæ*, *Maſſæ*, *Ficoroli* &c. Eâ tamen occaſione nequaquam prodiiſſe Chartas illas illegitimas cenſeo, quum Eccleſiam Romanam minime deficerent meliores tituli ac pergamenæ in ſuum ſubſidium tunc proferendæ. Quare mihi videtur ſimilius, cauſſam hiſce confingendis dediſſe controverſias non ſemel agitatas inter Archiepiſcopos Ravennates, & Epiſcopos Ferrarienſes. Quippe a compluribus Sæculis Ferrarienſis Eccleſia ab uno ſummo Pontifice pendet, neque Ravennatem Metropolitam agnoſcit. Paucos etiam ante annos ſub Benedicto XIII. Pont. Maximo, eadem cauſſa Romæ recruduit, & pro Ferrarienſi ſententia ſtetit, ita ut denique ſub Clemente XII. Pontifice Maximo *Archiepiſcopatus* honore Ferrarienſis Eccleſia fuerit decorata, adnitente inprimis Eminentiſſimo Cardinali Rufo, antea Epiſcopo, inde Archiepiſcopo, ejuſdem Urbis. Itaque poſt Annum MC. aut MCC. quum hac de re, ut conjicere fas eſt, Eccleſiæ Ferrarienſis privilegium in controverſiam adduceretur, neque ad manum eſſent vetuſtæ exemtionis Bullæ, quas tempus, aut alii caſus abſumſerant, aliquis adfuit, qui ratus nihil ſe veritati & æquo adverſaturum, Chartas ſuo ingenio confinxit, quibus jus Ferrarienſium minime fictum, ſed verum ac certum, protegeretur. Hæc mihi hujuſmodi Chartarum origo fuiſſe videtur. Hiſce honor olim fuit, & nemini in mentem veniebat illas arceſſere falſi. At noſtra ætas acutioribus oculis utens, fieri nequit, quin ſupinam impoſtoris ignorantiam deprehendat. Neque verò immunis ab id genus figmentis celeberrima ipſa Ravennas Eccleſia abiit. Splendidiſſimas Literas Gregorii Magni Papæ Hieronymus Rubeus Lib. 4. Hiſtor. Ravennat. exeruit, *ex vetuſtiſſimis monumentis Bibliothecæ Urſianæ depromtas*, quibus Anno Chriſti DXCV. ſanctiſſimus Pontifex confirmavit *Mariniano Ravennati Archiepiſcopo quæcumque ab Cæſaribus accepiſſet*. Eaſdem haſce Literas veluti gemmas amplexus Ughellius in Tomum 2. Italiæ ſuæ ſacræ intulit. Uſus & iis Ciampinius in Catalogo Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Bibliothecariorum. Sed mirum eſt, quei Rubeus, præclarus ac judicioſus cetera Scriptor, ejuſmodi Literarum figmentum neutiquam animadverterit. Marinianum Gregorius Magnus *Confratrem Filiumque cariſſimum* appellat. Alienum iſtud eſt a conſuetudine Sancti Gregorii & Eccleſiæ Romanæ. *Innocentem Innocentium Patrem* pſeudo-Gregorius iſte nominat. At hiſce luſibus ſuas Chartas minime ornabat, ſeu inficiebat, graviſſimus, & numquam ſatis laudandus, Romanæ Eccleſiæ Paſtor verus Gregorius. *Civitates*, *Caſtella*, *Villas* Eccleſiæ Ravennati conceſſas confirmari illic videas, quum tamen nullæ tunc Civitates, nulla fortaſſe Caſtella in ditione forent Ravennatium Antiſtitum. *Placita & diſtrictiones* ibi memorantur, quæ redolent poſteriorum Sæculorum loquelam. Notæ Chronologicæ ſuùm omnino vitium produnt, quum *Indictione*, & Annis Mauricii Auguſti careant. Sed quod apertiſſime impoſturam prodit, præcipitur ibi, *ut nullus Dux*, *Marchio*, *Comes* &c. aliquam *prædationem aut contrarietatem faciat*. Atqui *Marchionum* nomen Sæculo tantùm IX. erupit, uti in Diſſertat. VI. *de Marchionibus* oſtendi: quei ergo in Gregorii Magni Literis Sæculo Chriſti VI. audiatur? Redeo ad Ferrarienſem Chartam. Quæ in illam nuper adnotavi, Lectorem continuo, vel me tacente, perducent ad agnoſcendum, quo in pretio habenda ſit altera ſimilis Charta, conjungens *Annum Quartum ejuſdem Hadriani I. Papæ* cum *Anno Quarto Imperii Caroli Magni Imperatoris*. En ipſam ex antiqua pergamena deſcriptam.

Charta ſpuria, per quam Cæſarius Conſul & Dux Monaſterio Sublacenſi multa offert, Anno 775.

IN *nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti*, imperante Adriano *piiſſimo* Papa Anno Quarto, Imperii *piiſſimi* Karoli Magni Imperatoris, imperii ejus Anno Quarto, *Indictione Prima, Menſe Auguſto, die XXI. Domino ſancto merito & venerabili Monaſterio Sancti Benedicti Confeſſoris & Sancte Scolaſtice, quod ſitum eſt in Sublaco, in quo eſt* Domnus Stephanus, *divina protegente gratia humilis* Abbas, *& in eodem Monaſterio tibi tuiſque ſucceſſoribus introëuntibus, & in eodem venerabili Monaſterio in ſervitio in perpetuum permanentibus, perpetuam in Domino ſalutem. Semper etenim conſiderare oportet fidelis Chriſtianus, qualiter reddere Domino vota, & ex ſuis ſervitores gratanter offerre debent. Nam ex hoc perpetuali facto ac perenne migraſſe ſeculo lucis cum indulgentia melius opperiamur anime noſtre largitatis. Quapropter ego* Ceſarius *eminentiſſimus* Conſul & Dux, filius quondam Pipini *bone memorie* Veſtararii, *& ſi aliquis de res mea proprietatis ſub divini judicii obteſtatione in eodem venerabili Monaſterio pro remedium anime mee & veniam delictorum meorum, & remedium anime predicti genitori meo in perpetuum largior atque offero, ita ſane, ut nulla unquam aliqua magna parvaque perſona exinde alienare preſumat, ſed ſemper in uſum & ſalarium in ſupradicto Monaſterio ſervitorum ejuſdem ſemper ſit detinendum, ad laudem & gloriam omnipotentis Domini, qui dignatus eſt per magnam miſericordiam ſuam Filium ſuum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum per uterum Dei Genitricis ſemperque Virginis Marie Domine noſtre venire in Mundum, ut ſalvaret genus humanum per ſanctam ſuam Nativitatem & Reſurrectionem, & vivificaret univerſum Mundum per gloriam ſancti nominis ſui: ita & per beatos Apoſtolos ſuos totum illuminare Mundum in tenebris poſitum per Sanctum Spiritum, qui effuſus eſt in Orbem terrarum, & per ſacroſancti Baptiſmatis undas divinitatis bonis terra repleta eſt, ut omnis caro converſa cognoſceret Creatorem ſuum. Ita ergo ego Ceſarius eminentiſſimus Conſul & Dux, filius quondam Pipini bone memorie Veſtararii, per remedium anime mee & cunctis parentibus meis vivorum & mortuorum, a preſenti die dono, concedo, trado & inrevocabiliter largior atque offero ex propria mea ſubſtantia, nullo mihi penitus cogente neque contradicente, aut vim faciente, ſed propria ex ſpontaneaque mea bona voluntate, vobis & per vos in cuncta Congregatione ſervorum Domini, qui in ſupradicto venerabili Monaſterio manere noſcuntur, in perpetuum permanenda concedimus & donamus in uſum & ſalarium veſtrum. Ideſt Fluvio Majore in integro, ſicut a Lacu exit & venit uſque in aquam, que cognominatur Ferrata, cum ripis ex utraque parte & aquimolis & piſcarias ſuas habentem, una cum cunctis aquis, que in toto Sublaciano territorio modò reperte ſunt, in nominato Monaſterio concedimus & donamus detinendum, ita ut per nullius ingenium vel argumentum aliqua magna parvaque perſona in qualibet aqua in ipſis partibus audeat aliquem aquemolum dedicare, ſi non eſt per conſenſum Abbati, qui ibidem pro tempore fuerit. Item concedo vobis Colonia, qui vocatur Seminaria, cum omnia pertinentia & adjacentia ſua in integrum una cum montibus & collibus, plagis & appendicibus ſuis, ſilvis, ſalectibus habentem, cum lacis, fontibus & rivis aque, cum edificiis, parietinis attiguis, adjunctis, adjacentibuſque ſuis, cum pantanis, cultis & incultis, una cum Monte, qui vocatur Aguſta, ſeu Monte, qui dicitur Cervaria, ſimulque fundum, qui vocatur Aprunio, cum omnibus adjacentiis & pertinentiis ſuis.*

A

Nec non & fundum Tuczanello cum ſuis omnibus pertinentiis vel adjacentiis. Fundum Lenanu cum omnibus ſuis pertinentiis. Fundum Paternum in integrum, & locum, qui vocatur Fiſtula in integrum. Similiterque Fundum Teſtine in integrum cum omnibus ſuis pertinentiis. B *Fundum Farviciano. Fundum Cantcrano cum Monte, qui vocatur Serra Sancti Pauli in integrum. Porro & Monte, qui vocatur Auricula, omnibuſque pertinentiis vel adjacentiis ſuis. Fundum qui vocatur Aguzzanu cum Eccleſia Sancti Georgii, una cum aqua, que dicitur Frigida ſeu Timida. Itemque & donamus vobis Montem, qui vocatur Saſſa ſeu Arſula, ſive quibus aliis vocabulis nuncupantur, cum omnibus finibus, terminiſque earum, cum fundis & caſalibus, cum ſuis omnibuſque earum pertinentiis. Similiterque & Montem, qui vocatur Flautina, omnia in integrum habentem cum fundis & caſalibus, cum terris, campis, montibus & collibus,* C *plagis & appendicibus, decurrentem uſque in aqua de Ferrata. Fundum in integro qui vocatur Rubianu. Fundum Marana cum Monte, qui vocatur Cruſo, cum omnia pertinentia & adjacentia ſua. Pariterque fundum, qui vocatur Anticulum, & fundum Marmora in integrum, omnia ſibi invicem coherentes, juris omnia ſancte Romane Eccleſie, ſicuti quondam Pipino bone memorie Veſtarario genitori meo per precepti pagina da ſancta Romana Eccleſia cunctis omnibus immobilibus locis detentus fuit, & nobis in ereditatem largivit, & mox ut meis quiete uſque nunc detinui manibus, ita pro omnipotentis Dei amore, mercedeque anime mee in ipſo venerabili ac pio Loco concedo* D *atque largior, quia ut ſcio, utilem & congruum anime cognoſcimus eſſe. Unde & eodem precepto Pontificali, ſeu & ab amatis quibuſdam noſtris conſortibus accepta habuimus, una cum hanc donationis cartulam inſimul vobis eas contradidimus. Que ſupraſcripta omnia cum immobilibus locis, ſinguliſque ſibi generaliter & in integro pertinentibus, ut ſuperius legitur, a preſenti die & uſque in finem ſeculi jam dicta loca in uſu & ſalario jam fati Monaſterii habeatis, teneatis, poſſideatis, veſtro jure vindicetis ac defendatis, utendo, fruendo, poſſidendo; at vendere, vel quovis modo alienare deſuper ſcripta loca nullus ex vobis vel veſtris ſucceſſoribus Abbatibus audeat, per quamlibet ſeriem* E *ſcripturarum. Et ſi quelibet cartula exinde apparuerit, omni ſublata contrarietate, vacua ſit & inanis, & ut dictum eſt, in utilitate jam dicti Monaſterii permaneat in perpetuum. Et ſi neceſſe fuerit ſtare me una cum heredibus meis & defendere, promitto vobis veſtriſque ſucceſſoribus, aliquam ſi aliquando habeatis exinde queſtionem aut calumniam, in omni tempore ab omni*

ni inſurgenti perſona, in quo & juratus dico per Dominum omnipotentem, ſancteque Sedis Apoſtolice Principis, a Deo coronato Domnus Karolus Magnus & pacifico Imperatore, ſeu ſalutem Urbis Rome, & Apoſtolici Domni Adriani ſummo Pontifici & univerſali Pape, hec omnia, que preſens ac die preſenti donamus, eartulam ſeriem textus eloquitur, inviolabiliter conſervare atque adimplere promitto. Si enim, quod abſit & quoquo tempore, ſi ego vel eredibus aut conſanguineis meis contra vobis veſtriſque ſucceſſoribus, aut ſi contra hanc a die preſenti donationis cartulam, quam ſponte fieri rogavi, agere aut cauſare vel letigare preſumpſero, & vobis defendere noluero; tunc non ſolum perjurii reatum incurram, verum etiam daturum me promitto una cum heredibus meis vobis veſtriſque ſucceſſoribus ante omne litis initium pene nomen auri cocti Libras decem, & poſt penam abſolutionis manente hanc a die preſenti donationis cartula ſeriem in ſuam nihilominus maneadfirmitatem. Quam ſcribendam rogavi Adrianum Scriniarium & Tabellio Urbis Rome, in qua & nos ſubter manu propria ſubſcripſimus, teſteſque ſubſcribere rogavi, & vobis eam tradidi in Menſe & Indictione ſupraſcripta Prima.

Ceſarius *eminentiſſimus* Conſul & Dux, *in hac a die preſenti Cartula deſuper ſcripta omnibus immobilibus locis facta a me in Stephano Presbitero & Monacho atque Abbati venerabili Monaſterio Sancti Benedicti & Sancte Scolaſtice, quod ponitur in Sublaco, ſicut ſuperius legitur, manu propria ſubſcripſi, & teſtes ſubſcribere rogavi.*

Georgius *in Dei nomine* Conſul, *in hac a*

A *die preſenti donationis Cartula de ſupraſcriptis omnibus immobilibus locis facta a Ceſario Conſule in Stephanus eximius Abbas, ſicut ſuperius legitur, rogatus ab eo teſtis ſubſcripſi & traditam vidi.*

Ego Marinus *in Dei nomine* Conſul & Dux, *in hac a die preſenti donationis Cartula de ſupraſcriptis immobilibus locis facta a Ceſario Conſul & Dux, rogatus ab eo teſtis ſubſcripſi & traditam vidi.*

Nycolao *eminentiſſimo* Conſul, *in hac a die preſenti donationis Cartula de ſupraſcriptis immobilibus locis, ſicut ſuperius legitur, facta a Caeſario in prefato Monaſterio, rogatus ab eo teſtis ſubſcripſi ac tradita vidi.*

B *Ego Adrianus Scriniario ſancte Romane Eccleſie, Scriptor hujus Cartule poſt teſtium ſubſcriptiones & traditiones, ut ſuperius legitur, complevi & abſolvi.*

Quare ſpuriam appellarim hujuſmodi Chartam, jam intellexiſti. Neque id mirum; nam, uti conſtat, ex Chronico Sublacenſi, quod in hoc Opere edendum curavi, Leo IX. Sanctus Pontifex Sublacum profectus, *Sublacenſes ad ſe convocavit in Monaſterio, quorum & requirens monumenta Chartarum, notavit Falſiſſima, & Magna Parte ante ſe igne cremari fecit.* Hactenus temen producta exempla poſt ſe reliquit figmentum omnino ridendum, quod in antiqua pergamena exaratum ſub oculis meis, C dum hæc ſcribo, exiſtit. Hinc potiſſimum intelligas, quouſque ignorantia ſimul atque audacia impoſtorum olim proceſſerit, & quanta eorum foret infantia, qui ſibi vel in meridie ab iis imponi patiebantur.

Laurentiæ, ſi ſuperis placet, Aquilejenſis Reginæ, Ataulfi filiæ, donatio facta Cathedrali Eccleſiæ Civitatis Novæ, ſive Æmonienſis, Anno Chriſti 163.

IN *Chriſti nomine. Amen. Hoc eſt tranſcriptum cujuſdam Originalis & authentici Privilegii ſeu Cartæ, cujus tenor præpoſito ſigno Crucis, ut in eo noſcitur, eſt talis.*

✠ *In nomine Domini, Anno ejuſdem Nativitatis Centeſimo Sexageſimo Tertio, Indictione Prima, die primo intrante Aprili, Quinta Perſecutio. Antoninus frater Marcus ejus imperavit, qui plus debet admirari quàm laudari. Ab infantia neque de gaudio, neque de triſtitia mutavit vultum. Iſte fuit veriſſimus Philoſophus. Tempore illius Perſecutio facta eſt in Chriſtianos in Aſia & Gallia. Tunc Mortalitas diſſipavit Italiam, ut pauci homines remanerent. Qui repente mortuus eſt; imperante verò Anno ejus Sexto, Indictione Quarta, die verò a Domino coronato Menſe Novembri Vigeſimo, auditionem & intellectum & ſcientiam, quod Deus in plures ſenſum fecit, in corde miſit, & mihi* Laurencie Ataulfi filie de Civitate Aquilegienſis Regine, *quod mortalis homo in ſeculum nihil proficeret, ſed ſicut ipſe Dominus dixit:* Relinquite que poſſidetis in terra, ut poſſitis venire in cœlis, *ad hoc dictum placuit, & bene exinde complacuit, quod ego peccatris Laurencia Ataulfi Aquilegienſis filia, nomine donationis, & pro anima mea, do & dono omnes res meas, quod viſa ſum habere in Civitate Nova, & alias in provincia Iſtrie. In primis tertiam partem Civitatis predicte temporalem, & planis totis ad campum Frondini per Cremonalem uſque ad viam, que percurrit ad Caſtrum Sancti Georgii, & ab alia parte uſque ad viam, que percurrit Humagi, & totas Salinas prope Civitatem; & deinde per terminos uſque ad Lavarellam, & uſque ad Quietum, ac deinde per terminos, que vadit per viam ſupra Vallem Ferrarie, & uſque ad Petram Fitam: & a Petra Fita uſque in Valle Staga; & poſt hec uſque ad Lavare de Morſiano & Quieto, uſque ad Salinas de Fontanigle. Et quod viſa ſum habere in Caſtro Sancti Georgii intus & foris, & Vallem Briſani, omnia per circuitum litus maris, cum omnibus ſuis piſcationibus uſque ad Flumen, & per ripam uſque ad Aimem, & a Batizano uſque ad Caſtrum Vene & uſque Sdregnam, & totum Montem & Vallis per circuitum Gradigne, & uſque ad aquam Dragugne. Omnia hec ſupradicta uſque ad Arborem Aureum, & uſque ad Pontem Cadori. Et totum Caſtrum Humagi cum totis ſuis pertinenciis, & Muglam Cornetis, in omnibus & per omnia dono & trado ad preſenciam in Domum Sancte Marie Civitatis Nove Eccleſie ad luminaria beate Marie Virginis, terras, vineas, prata, paſcua, rivas & inrivas, ſilvas, glandarias, pomifructiferas & infructiferas, omnia & in omnibus, que de parentibus meis habeo, a Capriano uſque Balbadones, & uſque in via publica; & ab alio latere uſque Deleto, quod vadit per territorium uſque Vartiniolam, & includendo Monaſterium Sancti Stephani intus, quod eſt prope viam, que dicitur Carpana, & uſque Aurelia, ut diximus, omnia & in omnibus ſint in*

in Domum beate Marie Virginis uſque ad Caſtrum Sancti Georgii : Manſiones , quod habere viſa ſum , que eſt pedes decem prope Ciſternam & prope Portas Decem & prope Turrim beate Marie , quod vadit ad Murum publicum , ſicut ſuperius diximus , omnia & in omnibus dono & trado pro redemtione anime mee Domui Eccleſie beate Virginis Marie Civitatis Nove . Et ſi ego Laurencia Regina Ataulfi Aquilegienſis filia ſupraſcripta , aut aliquis de ſucceſſoribus meis vel de heredibus meis , ſive aliquis , quod Deus fieri non permittat , contra hanc Cartam donationis ire temptaverit , primitus incurrat judicium Dei omnipotentis , & in die vindicte portionem . . . . habeat, ut proditor nequiſſimus Juda , & in hoc Seculo in ſancte Eccleſie Civitatis Nove compoſiturus ſe ſciat boni auri Libras centum.

Ego Paris Advocatus ſancte Aquilegenſis Eccleſie , rogatus a predicta Laurencia Regina Ataulfi memorati filia , & de voluntate Domini mei Helari, Dei gratia ſancte Sedis Aquilegenſis Patriarcha , in hanc Cartam donationis ad confirmationem eternam manu ſancte Crucis expreſſi . In hoc verò teſtes interfuerunt Loancius Tribunus, Berlandus Juſtus, Jubarius Conſtancius , Marinus fideliſſimi teſtes . Et hec omnia ſupradicta predicta Domina Laurencia Regina Ataulfi memorati filia dedit & donavit jure proprio in temporalibus Eccleſie predicte.

Scripſi ego Aldicarius Subdiaconus & Tabellio predicti Domni Pii Pape ſancte Eccleſie Romane hanc Chartam donationis pro predicta Laurencia ſcripſi feliciter complevi . Amen .

Centeſimo Sexageſimo Quinto , Indictione III. Pontificatus Anni noſtri III. Pius ſervus ſervorum Dei , natione Italus , & patre Rufino fratre Paſtoris , de Civitate Aquilegie , ad audientiam & preces Domni Helari Aquilegenſis Patriarche , & de voluntate Domine Laurencie Regine , auctoritate Petri & Pauli Apoſtolorum & noſtrá , omnia hec ſupraſcripta confirmamus .

Et ego Jacobus quondam Guiti Civitatenſis Auſtrie Clericus Beneficiatus in Eccleſia Aquilegienſi, publicus Imperiali auctoritate Notarius , hoc tranſcriptum cum dicto ejus originali & authentico Privilegio ſeu Charta donationis , ſcripta Anno Nativitatis Domini CLXIII. Indictione I. die I. intrante Aprili , per Aldicarium Subdiaconum & Tabellionem prefati Domini Pii Pape, continente etiam confirmationem per eumdem Dominum Papam factam CLXV. Indictione III. Pontificatus ejuſdem Domini Pape Anno III. ac duobus Sigillis cereis pendentibus , uno ad cordulam canapis, altero ad cordulam de ſerico rubeo pendentibus communito , una cum infraſcriptis Philippino, Lancellotto , & Johannino Notariis , cum infraſcriptis Domnis Vicedecano , Canonicis , & Capitulo Aquilegienſi , pro tribunali ſedentibus , diligenter & fideliter auſcultavi . Et quia ipſum tranſcriptum cum eodem originali & authentico ſuo in omnibus concordare inveni , de mandato dictorum Dominorum Vicedecani , Canonicorum , & Capituli , hujuſmodi tranſcripto auctoritatem Patriarchalis Sedis Aquilegenſis , qua funguntur , ipſa Sede vacante , interponentium & decretum , in fidem & teſtimonium ejuſdem tranſcripti me ſubſcripſi , ſigno meo appoſito conſueto.

Et ego Lancellottus quondam Domini Johannis de Cucanea Archidiaconus Carnee , publicus Imperiali auctoritate Notarius , hoc tranſcriptum cum dicto ejus originali & authentico Pri-
A *vilegio ſeu Carta donationis ſcripta Anno Nativitatis Domini CLXIII. Indictione I. die I. intrante Aprili per Aldicarium Subdiaconum & Tabellionem præfati Domini Pii Pape, continente &c.* ut ſupra legitur .

Et ego Johanninus quondam Domini Donati de Merlis de Cremona , Manſionarius Eccleſie Aquilegenſis, publicus Imperiali auctoritate Notarius, hoc tranſcriptum cum dicto Originali & authentico Privilegio ſeu Carta donationis, ſcripta Anno Nativitatis Domini CLXIII. Indictione I. die I. intrante Aprili , per Aldicarium Subdiaconum & Tabellionem præfati Domini Pii Pape , continente etiam confirmationem per eumdem Dominum Papam factam CLXV. Indictione
B *III. Pontificatus &c.* ut ſuperius habetur.

Ego Philippinus quondam Domini Leonis de Fara de Mediolano , publicus Imperiali auctoritate Notarius , predictum originale & authenticum Privilegium ſive Cartam Donationis ſcriptam Anno Nativitatis Domini CLXIII. Indictione I. die I. intrante Aprili , per dictum quondam Dominum Aldicarium Subdiaconum & Tabellionem ſancte recordationis prefati Domini Pii Pape , continente etiam confirmationem per eumdem Dominum Papam factam CLXV. Indictione III. Pontificatus ipſius Domini Pape Anno III. vidi & diligenter inſpexi , non abolitum , non abraſum, nec in aliqua ſui parte ſuſpectum, cum ſigno Crucis eidem prepoſito , duobus Sigil-
C *lis cereis pendentibus communitum , uno ad cordulam canapis , in cujus circumferentiis ab uno latere apparere videbatur hec litera:* PATRIARCHA AQVILEGIENSIS, *& in medio erat imago cujuſdam Pontificis in Pontificalibus ſedentis, in manu dextra baculum Paſtoralem tenentis , in ſiniſtra autem quemdam librum apertum , dicto verò Sigillo læſo & rupto ab una parte ipſius propter vetuſtatem , ut videbatur , ejuſdem : preſenſque tranſcriptum ex dicto ejus originali & authentico ſumtum, pro ut in ipſo inveni , de verbo ad verbum , nil addens vel minuens, quod ſenſum mutet vel variet intellectum, fideliter tranſcripſi , & diligenti ipſius tranſcripti ad predictum Originale ſuum collatione facta*
D *per ſupraſcriptos Jacobum , Lancellottum , & Johanninum ac me Notarios, coram venerabilibus Dominis Franciſco de la Turre Vicedecano, Ambroſio Conrado, & Beltramello de la Turre, Guillielmo de Aquilegia , Jacobo de Marano , Mattheo de Padua , & me Philippino de Fara , Canonicis Eccleſie Aquilegienſis pro tribunali ſedentibus , facientibus Capitulum hac parte , & tamquam Capitulo dicte Eccleſie , quum non eſſent alii Canonici ejuſdem Eccleſie apud eam principaliter reſidentes , eorum Decano in remotis agente . Et quia reperi tranſcriptum hujuſmodi cum dicto originali ſuo in omnibus concordare, ipſum tranſcriptum, ut ei, ſicut dicto ejus originali & authentico, adhibeatur de cetero ple-*
E *na fides , de mandato dictorum Dominorum Vicedecani , Canonicorum & Capituli , ad inſtantiam & requiſitionem reverendi in Chriſto Patris Domini Fratris* Johannis *Dei gratia* Epiſcopi *prefate* Civitatis Nove , *huic tranſcripto auctoritatem Patriarchalis Sedis Aquilegienſis , qua funguntur , ipſa Sede vacante , interponentium & decretum , in hanc publicam formam redegi rogatus , ſigno meo appoſito conſueto , & dicti Capituli Sigilli pendentis munimine roboravi , Anno Nativitatis Domini Milleſimo Trecenteſimo Quinquageſimo, Indictione III. die IX. Menſis Julii, preſentibus premiſſis Notariis ſupraſcriptis , & providis viris Presbiteris Jaco-*

bo de Florentia & Henrico de Padua ac Simonino de Aquilegia, Manſionariis dicte Eccleſie Aquilegienſis, aliiſque pluribus teſtibus ad hec vocatis & rogatis.

Illud nunc moneo, ſæpe minus difficultatis occurrere in dignoſcenda ingenuitate aut figmento archetyporum, quàm apographorum. In iis enim characterum, monogrammatis, ſigilli, aliarumque notarum facies, accuſare aut abſolvere Chartam poteſt. In apographis verò de his judicium ſæpe certum ferri nequit, atque unice inſpiciendum eſt, Chronologia-ne, formulæ, ac Hiſtoria recte ſe habeant, an aliquo alio vitio laborent. At heic adeo evidenter enormis ſtultitia ac inſcitia impoſtoris ſe prodit, ut plane ſit hoſpes in ejuſmodi ſtudiis, qui e veſtigio falſitatem non ſentiat. Fidem, inquies, inſtrumento faciunt Notarii quatuor Ut lubet. Iſtâ ego de cauſsâ prolixam illorum catervam ſervatã heic volui, ut minus periti addiſcant, quid de hujuſmodi præſidiis ſperandum ſit. Ne centum, ne mille quidem Tabelliones dealbare Æthiopem tam horridum poſſunt. Dum Sæcula ignorantiæ fluebant, fortaſſe pompa hæc Notariorum affirmantium & comprobantium Chartam uti legitimam, imperitis fucum faciebat. Certe ab ejuſmodi periculo Sæculum noſtrum abeſt, quoties agitur de tabulis, pice tam nigrâ fucatis. Has autem in nullius incommodum atque injuriam excogitatas opinari fas eſt. Quæ verò nunc mihi memorandæ ſunt, ſuſpicione minime carent, quin præter gloriæ augmentum, in lucri etiam captandi ſpem olim confictæ fuerint. Infra, hoc eſt in Diſſertatione XLIV. *de Literarum fortuna*, commemoranda mihi erit opinio veterum, fortaſſis etiam & aliquot viventium Bononiæ Civium, qui Academiam ſive Gymnaſium ſuum a Theodoſio minore Auguſto ante Annos Mille & Trecentos inſtitutum fuiſſe cenſuerunt. Porro illam a doctiſſimis viris antea exſibilatam, ego quoque nullo vel minimo veritatis fundamento nixam pronuntiavi. Nam etſi obſequio ac bona voluntate in florentiſſimam illam Urbem, & egregios Cives nemini concedam, aſſentationis tamen notam cum Veritatis diſpendio ſive contemtu, honeſto homine indignam, a ſcriptis meis arcendam ſemper curavi. Accedit, quod neminem æquius quàm Mutinenſem hominem decet, in ejuſmodi opinionem palam inſurgere, quando Bononienſes olim eamdem ita foverint & amplificarint, ut in ipſorum Mutinenſium perniciem converterint. Quod quei acciderit, Lector nunc a me accipiat, ſimulque intelligat, quem in uſum anteactis temporibus cederet, confingendis Chartis operam dare. Ut Bononienſi Gymnaſio (quod Sæculo Chriſti XI. primùm inſtitutum fuiſſe dicam infra in Diſſertatione XLIV.) uberior nominis & auctoritatis fama conciliaretur, neſcio cujus in mentem ſubiit, referre illius originem ad Theodoſii II. & Sancti Petronii Epiſcopi tempora. Quum verò nullus eſſet, neque eſſe poſſet tantæ rei authenticus teſtis, Charta conficta nullo labore fuit, quæ magnificam & vetuſtiſſimam Academiæ illius inſtitutionem credulæ genti ſuaderet, immo perſuaderet. Nihil attinet dicere, quanta exultatione ac plauſu, veluti res ſacra, glorioſum illud monumentum exceptum fuerit, & ubique celebratum, ac literis commendatum. Quantum conjecturæ ferunt, ejuſmodi commentum prodiit Sæculo tantùm XIII. Sed bone Deus! quàm ineptus ac ridendus artifex ad Bononienſium decus augendum acceſſit! Duplex Theodoſiani Privilegii exemplum habemus. Alterum Ughellius promulgavit Tomo 2. Ital Sacr. in Catalogo Archiepiſcopor. Bononienſ. *quod exſtat*, ut ejus verbis utar, *in marmorea tabula inciſum apud Eccleſiam Sancti Petronii, tametſi apud cordatos viros, rerumque antiquarum peritos claudicare videatur*. Quid claudicare? Legant Eruditi: eorum oculos continuo feriet patentiſſimus impoſturæ aſpectus, uſque adeo ut ſuſpicari quis poſſit, conficta hæc potius de induſtria fuiſſe ut Bononienſium Academia, aut nimia illorum credulitas exteris deridenda propinaretur. Sed alterum ego proferam Theodoſiani Diplomatis plane diverſum exemplum. Atque hoc revera illud ipſum fuiſſe arbitror, quod primùm procuſum eſt atque oblatum Reipublicæ Bononienſi, quæ illud in marmorea tabula inſcribi, ſtatuique in inſigni Baſilica juſſit, ubi hactenus viſitur.

Diploma ſuppoſiticium Theodoſii minoris Auguſti, per quod Gymnaſium Bononienſe inſtitutum ab eo fertur, Anno Chriſti 433.

Theodoſius Dei gratia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus in Imperium conſtitutus ab Honorio patruo ſuo, qui per potentiam Imperium acquiſivit Gothorum, Archadiæque, Libiæ, & Aſſiriæ, atque Parthiæ, & Indiarum, & Tarſiæ Dux & Princeps, & Perſiæ, & Babiloniæ magnæ, & Egipti, & Macedoniæ, Caramaniæ, Vallachiæ, & Ruſſiæ, Armeniæ, & Ethyopiæ, Sclavaniæ, & Africæ, & Siciliæ Rex. Omnibus Studentibus & ſtudere volentibus in Civitate Bononiæ ſalutem. Scientiarum felici gloria mundum omni tempore gubernante noſtræ majeſtatis clementia, Phyloſophorum ac Poëtarum, omniumque Facultatum & Liberalium Artium errando deſſ[l]entium per diverſa, eorum preces humillimas decrevimus exaudire quacunque parte Mundi noſtri Imperii Civitatem aptam Studio conſtruere debeamus, in qua Philoſophi, act Poëtæ, & Periti Legum, & omnium Liberalium Artium & Facultatum omnium Scolaribus Scientias affectantibus debeant liquide promulgare cum ingenti ſtudio doctrina ſtudentibus tribuendo. Unde a nobis pleniſſima deliberatione habita per ſpatium XXV. Menſium ab ejuſdem Philoſophis ac Poëtis & Peritis, Civitatem Bononiæ, quæ in quadrivio quatuor Provinciarum permanet, ſcilicet Liguriæ, ſeu Lombardiæ, Marchiæ Veronenſis, Romandiolæ, Tuſciæ, ad perhenne Studium ordinamus, quam hodierna die in antea noſtrorum ſecretorum armarium reputamus. Ad hæc autem peragenda & firmanda in Romana Urbe, in Concilio ſiquidem Generali, omniumque Prælatorum Eccleſiæ exiſtentium, & omnium Chriſtianorum Regibus convocatis per Summum Pontificem Celeſtinum, ſuper Studium & Studentibus ſpecialiter in Civitate Bononiæ memorata per Papales Literas Chriſtianis omnibus admonitis confirmavimus, quod incorruptum & inviolatum ſemper in ipſa Civitate

vitate Bononiæ debeat permanere cum Con- A *ſtitutionibus Studii, & Studentibus infraſcriptis Civitatis ejuſdem lectis & approbatis in Concilio memorato in Romana noſtra excellentiſſima Civitate die IX. intrante Madio. Noſtra autem Imperialis majeſtas diſcedens a Civitate Romana, & dirigens greſſus noſtros uſque in Civitatem Bononiæ ſupradictam, quam die Primo Junii intrante noſtris propriis manibus, omniumque robore Scientiarum reædificavimus, præmunitam muris, & jam validis circumdatam, & cum munitionibus Turrium & vallorum uſque ad ſecundam diem Julii perfecimus, & effectui fecimus prædicta omnia demandari, ut prædiximus. Si quis autem Cauſidicus ſive Judex ſententiam aliquam tulerit, niſi in noſtra* B *Civitate Bononiæ ſupradicta per quinquennium ſtuduerit, ipſam ſententiam vel ſententias anichilamus, irritamus, & volumus eſſe nullam & nullius momenti vel valoris. Et ſi quis ad Magiſtratus dignitatem pervenerit, & Librum ab Archydiacono Majoris Eccleſiæ Bononiæ non ſuſceperit Magiſtralem, quamquam a Peritis cujuslibet Facultatis fuerit approbatus, ab ipſa dignitate & dominio privamus. Et quod ſi quis Scolarem aliquem in terra vel in aqua offenderit, ad Studium Bononiæ veniendo, ſeu redeundo a Studio, modo aliquo vel ingenio in perſona vel rebus, capite puniatur a Præſule Civitatis vel Caſtri vel Villæ vel Curiæ aut Loci, ubi deliquerit malefactor. Quod ſi Præſul vel Do-* C *minus vel Poteſtas aliquorum prædictorum locorum facere deſierit, penam eamdem patiatur omnino. Civitati autem noſtræ Bononiæ & Diſtrictui ejus volumus providere. Sicut ab Orientali parte currit Sanubium ſive Senſum de Alpibus nivoſis in Vallibus Padi, & in ipſa aqua Padi; & ſicut a Meridionali parte hoc protenduntur uſque ad Alpes Scalarum; & ſicut a Meridionali parte currit Leo de Alpibus in Scoltennam; & ſicut Scoltenna ſeu Panarium defluit in Padum; & ſicut a Septemtrionali parte vel ab Aquilone parte decurrit Padus uſque ad Badalenum; præcipimus, volumus, & jubemus, de Diſtrictu Bononiæ permanere. Hoc tamen ſalvo, quod ſi Ferrariola, quæ eſt de Ducatu Comaclenſi, ultra* D *Padum pertranſire voluerit, eis hinc ad duos annos proximos peremptorie liceat pertranſire, & Civitatem ædificare; ita tamen, quod in ipſa aqua Padi non liceat eis aliquod ædificium lapideum attentare, ſed ſolùm iter præbeant ſecurum per aquas Padi, & in Vallibus earumdem, ſine aliqua datione muneris euntibus omnibus & redeuntibus per Civitatem & loca predicta omni tempore ob reverentiam Crucifixi, & propter Imperii celſitudinem cognoſcendam, ad quem pertinet redditus Padi fluminis & aquarum. Et hoc ad poſtulationem ſummi Pontificis Celeſtini: alioquin ſub juriſdictione & protectione Rectoris & Communis Bononiæ debeat permanere. Firmiter ſtatuentes, ut nullus Rex, Princeps, Dux,* E *vel Marchio, Comes, nulla Civitas, nullum Commune, nulla denique perſona Secularis vel Eccleſiaſtica, alta vel humilis, dictam noſtram Civitatem Bononiæ nec ſuos Cives vel Comitatinos, nec aliquos alios, qui ſub ejus protectione ſint vel fuerint, in aliquo & has noſtras conſtitutiones prædictas, in rebus vel perſonis audeat perturbare, nec modo aliquo moleſtare. Quod ſi facere præſumpſerint, in ultionem ſuæ temeritatis, Libras decem mille auri puriſſimi pena componat, quotieſcumque præſumpſerit contraire, dimidium Imperiali Camaræ, reliquum Civitati Bononiæ integre perſolvatur, & in munitionem Civitatis ejuſdem pecuniam prædictam volumus devenire. Ad cujus æternam in poſterum evidentiam præſentem paginam conſcribi inde juſſimus, & Sigillum noſtrum impendentes fecimus auri puriſſimi munitione roborari. Anno Domini CCCCXXXIII.*

Temporis eſſem prodigus, immo & erudito Lectori injurius, ſi vel unum verbum impenderem ad oſtendendam Diplomatis falſitatem, quippe quæ apertiſſime in oculos omnium, nemine etiam indicante, incurrat. Non improbata quidem videtur ſolemnis hæc impoſtura Sigonio noſtro in Hiſtoria Bononienſi. At mihi juſta ſuſpicandi cauſa eſt, Operi illi poſt ejus mortem edito laciniam ab aliquo aſſutam fuiſſe. Vide quæ dixi in ejuſdem Sigonii Vitâ, ejus Operibus in noviſſimâ Mediolanenſi editione præpoſitâ. Neque ultra de Bononienſi Gymnaſio. Illud potius animadvertendum, ab impoſtore, cui in promtu erat quidquid lubebat in ſuæ Civitatis commodum apponere ac venditare, Bononienſium fines ad Occidentem deſignatos fuiſſe, *ſicut Scoltenna ſeu Panarium defluit in Padum*, ita ut fluvium hunc nebulo inter Bononienſes & Mutinenſes limitem ſtatuerit. Sed hæc ſententia adverſantia ſibi habet omnia antiquitatis monumenta, ex quibus conſtat, Nonantulam, Bazanum, Montem Bellium, atque alia Caſtra ultra Scultennam ſita, ad Mutinenſem agrum vel antiquis temporibus ſpectaſſe; verique ſimile videri, Mutinenſium ditionem ad Lavinum fluvium, aut ſaltem ad Samodiam olim ſeſe protendiſſe, ut erudite opinatus eſt Cl. V. Don Gaſpar Berettus Benedictinus in Diſſertatione, quam præpoſui Tomo X. Rer. Italicarum. Vide præterea quæ hanc in rem ego diſſerui in Diſſert. XXI. de *antiquo Italiæ ſtatu*. Verùm Bononienſis Populi nihil intererat in antiquorum monumenta inquirere. Ut jus ſibi tribuerent in univerſum agrum Mutinenſium ultra Scultennam poſitum, ſat ipſis fuit commenticium conſulere & exerere Theodoſianum Privilegium. Et quod mirere, eo uno freti nihil intentatum reliquere, ut ſuos fines uſque ad Scultennam proferrent, atque expilarent Mutinenſium Rempublicam. Id præcipue tentatum eſt Sæculo Chriſti Tertiodecimo, quo Bononienſium potentia, fortunam ſecundam experta, multa ſibi in Flaminia ſubdiderat, & paria quoque finitimis Mutinenſibus minitabatur. Theodoſianum Diploma tunc ubique ſonabat, animoſque Populo addebat, ut quidquid Mutinenſi Reipublicæ reliquum erat ultra Scultennam, armatâ vi eriperetur. Univerſum enim agrum illum, uti ſomniabant, junior Theodoſius Bononienſi tribuerat. Itaque Plebiſcitum efformatum, & in marmore etiam fuit inſcriptum, per quod ſinguli novi Prætores jurejurando pollicerentur, ſe in Mutinenſes exercitum educturos, donec antiquum Urbi ſuæ agrum uſque ad Scultennam reſtituerent. Tum Anno MCCLXXII. conclamatum eſt in Mutinenſes ipſos. Sed quum Hieremiarum factio Mutinenſibus amica obſiſteret, dejectus eſt ille lapis, & reſciſſum iniquum decretum. Hinc autem odia inteſtina ac inimicitiæ ſuccreverunt inter Lambertacios & Hieremias, eo animorum furore, ut bellum civile Anno MCCLXXIV. exarſerit, & coacti fuerint Lambertacii fugâ ſalutem quærere: quam contentionem cum cædes multæ, tum declinatio Bononienſis potentiæ ſubſequuta eſt. Et quoniam Ghirardaccium, alioſque Bononienſium rerum Scriptores heic monumenta defi-

deficiunt, Sigonius noſter in Libris de Regno Italiæ Lectori conſulendus eſt, cui perſpectiora fuere illorum temporum geſta. Mihi interea Ricobaldum Ferrarienſem, Auctorem Synchronum, editum Tomo IX. Rer. Italicar. teſtem hujus rei advocare placet. *Anno Chriſti MCCLXXII.* (ita ille ſcribit) *ſeditio magna Bononiæ, quum una partium ſecundùm decretum ſuum, quod in petra ſcripſerant, exercitum vellent ducere in Mutinenſes* &c. *& altera pertinaciter prohiberet: obtinuit tamdem pars Hieremiarum, & egit, ut petra illa, quæ decretum continebat, de muro evulſa confringeretur omnino*. Sed quidnam quæſo edicebat illud Decretum ? Rem accipe, cujus memoria adhuc ſervatur in antiquiſſimo membranaceo Regeſto Reipublicæ Mutinenſis, his verbis exarata.

Reperitur in Libro Reformationum Domini Bertholi quondam Dominici Notarii ad Reformationes Conſiliorum Communis Bononiæ in primis ſex Menſibus regiminis Domini Luchini de Gatiluxiis Poteſtatis Bononiæ & Ymolæ, in hunc modum ſub Anno Domini Milleſimo Septuageſimo Secundo, Indictione XV.

IN NOMINE DOMINI AMEN.

CONSILIUM INFRASCRIPTORUM SAPIENTUM, VIDELICET DOMINI UBERTINI UGETHI DOCTORIS LEGUM, DOMINI BONRECUPRI &c. DOMINI BONROMEI DOCTORIS LEGUM, HABITUM ET DECRETUM IN PALATIO COMMUNIS BONONIÆ IN CAMERA DOMINI LUCHETI DE GATTELUXIIS POTESTATIS BONONIÆ, DIE MARTIS XXVI. APRILIS SUPER EO VIDELICET: CUM IN QUADAM REFORMATIONE SEU ORDINATIONE POPULI, NATA EX PRIVILEGIO (*) DOMINI IMPERATORIS THEODOXII, OCCASIONE TERRITORII ET TERRARUM POSITARUM CITRA SCULTENNAM ET PANARIUM, CONTINEATVR, QUOD DOMINUS POTESTAS TENEATUR GENERALEM EXERCITUM FACERE CONTRA PRÆDICTA LOCA ET TERRAS RESISTENTES COMMUNIS BONONIÆ, SI EXPEDIERIT, HINC AD KALENDAS MADII: LECTA EIS DILIGENTER IPSA REFORMATIONE ET ORDINAMENTO, AN PRÆDICTUS DOMINUS POTESTAS TENEATUR PRÆDICTUM EXERCITUM FACERE PRÆCISE, CUM IBI SIT ILLUD VERBUM, SI EXPEDIERIT; ET AN EXPEDIAT, VEL FIERI DEBEANT, QVÆ IN IPSA REFORMATIONE CONTINENTUR &c.

Conſenſere Sapientes, Decretum illud obnoxium eſſe interpretationi, neque opus eſſe, ut Prætor exercitum eâ de cauſsâ inſtrueret, quum tunc minime expediret. In altero Bononienſium Decreto, quod emiſſum eſt die ſecundâ Maji eodem Anno MCCLXXII. hæc itidem leguntur: *In Reformatione Conſilii & Maſſæ Populi, facto partito per Dominum Capitaneum, placuit toti Conſilio & Maſſæ Populi, quod omnes Reformationes & ordinamenta facta occaſione terrarum & locorum & juriſdictionum poſitarum citra Panarium & Scultennam* (qui idem eſt fluvius ſub duobus nominibus) *& omnes proceſſus, condempnationes & bana, factæ & datæ contra Commune & perſonas Mutinæ & diſtrictus, caſſentur, & removeantur in totum de Libris Communis & Populi Bononiæ. Et quod Lapis, qui eſt ſculpitus & poſitus in muro Palatii occaſione dictorum ordinamentorum, removeatur & tollatur, ita quod inde nulla memoria per hoc de prædictis habeatur* &c. Denique ſuccedit aliud Decretum die V. Junii Anno eodem MCCLXXII. in quo præcedentia confirmantur, & denuo abolentur proceſſus facti *occaſione territorii prædicti citra Panarium & Scultennam pro juriſdictione Communis Bononiæ amplianda*. In mentem alicui cadere poſſit, quempiam ex Sapientibus ad clavum Reipublicæ Bononienſis tunc adhibitis, deprehensâ patenti falſitate Diplomatis Theodoſiani, quo uno nitebatur tantus ille animorum motus contra Mutinenſes, auctorem fuiſſe collegis ſuis, ne iniquum adeo bellum finitimo Populo inferretur. At ego politicis tantùm de cauſſis tunc immutata fuiſſe reor Bononienſium conſilia. Neque enim ut Legum Scientiâ, ita & Eruditione & Critices arte, tunc excellebant Felſinei Doctores: immo illos infantes in ea, uti & reliquos ferme ejus ætatis arbitrari licet. Quare nemo inter eos confederit, cui vel minima dubitatio ſuborta fuerit de ingenuitate illius Privilegii, quum illud etiam, ut vidimus, in marmore inſculptum, ac omnium oculis expoſitum voluerint.

Neque peritiores doctioreſque fuere iiſdem temporibus Mutinenſes: quod altero exemplo confirmatum volo. Sæculo, ut videtur, eodem agitata eſt lis inter quemdam Nobilem Mutinenſem e Petrazana gente, cui commendata erat Eccleſia Sancti Michaëlis de Zena, & alios. Protulit ille Diploma Caroli Craſſi Regis, poſtea Imperatoris, cujus ſubſidio victor in cauſſa evaſit. Hoc ipſum accipe, ex Archivo Communis Mutinæ eductum.

(*) Hæc diligenter animadvertenda ſunt.

Diploma

Diploma interpolatum Caroli Craſſi Germaniæ & Italiæ Regis pro Eccleſia Sancti Michaëlis de Zena. Anno Chr. 880.

IN nomine ſancte & individue Trinitatis . Karolus divina favente clementia Rex . Si fidelium noſtrorum petitionibus pio affectu conſulimus , morem predeceſſorum noſtrorum ſequimur & eos alacriores in noſtrum reddimus ſervitium . Igitur omnium fidelium noſtrorum ſancte Dei Eccleſie tam preſentium ſcilicet & futurorum comperiat ſolertia , quod Allinus vir venerabilis Prior Eccleſie Sancti Michaëlis de Zena in Comitatu noſtro Mutinenſi una con Fratribus ſui Ordinis numero trigintaſeptem , obtulit obtutibus noſtris duo Precepta , in uno quorum continebatur inter cetera , qualiter Dive memorie Karolomannus Rex germanus noſter conceſſerat & perdonaverat eidem Eccleſie Sancti Michaëlis Curtem ipſam de Zena jacentem infra limites ſuos cum omnibus rebus , & familiis , albergis , albergariis , toloneis , molendinis , aquis , & rivis ad eam pertinentibus vel aſpicientibus . In alio quoque Precepto legebatur inter reliqua , quatenus idem Frater noſter corroboraverat & confirmaverat Capellas in ipſa Curte de Zena in honorem Sancte Marie , & Sancti Jacobi dedicatas , cum adjacentiis & pertinentiis ſuis ſecundum firmitates , quas quondam Intendericus . . . . . . Vaſſallus ſuus auctoritate ſua pernominaverat , ſuper quibus rebus ſuperius ſcriptis petierunt noſtram Excellentiam idem Allinus , & Fratres , ut morem predeceſſorum noſtrorum ſequentes , predictam Curtem & Capellas noſtro de novo corroboraremus edicto . Cujus petitionibus aures noſtre clementie accommodantes , juſſimus eidem Priori & Fratribus fidelibus noſtris hoc noſtrum conſcribi Preceptum , per quod corroboramus , & in perpetuum concedimus predicte Eccleſie Sancti Michaëlis Curtem , que dicitur Zena , cum dictis Capellis limitatam & terminatam per Canale ſuorum molendinorum de Zena , quod fluit ſancte Abbatie Nonantulane , cujus eſt aqua dicti Canalis , & ab eo Canale eundo per viam Cantoni , que mediat Curtem Wilzacheram , Curtem Brochi a preſenti Curte de Zena uſque in Scultennam , & per littus Scultenne prope campos Cruciferorum Templi Sancti Johannis , & ab ipſa via Cantoni , que incipit in Scultenna , & tendit ad Canale predictum de Zena uſque ad Stratam Claudiam , deſcendendo per predictam Stratam verſus Scultennam ad Domos Capitaneorum Pontis , & Cruciferorum dicti Templi Sancti Johannis viâ mediante , cum omnibus rebus , familiis , domibus , albergis , & albergariis , toloneis , & molendinis , aquis , aquarum uſibus , ſilvis , terris cultis , pratis & nemoribus , & omnibus adjacentiis & pertinentiis ſuis in predicta Curte de Zena jacentibus . Quam Curtem libere teneat , ut tenet , poſſideat , ut poſſidet , & faciat quidquid tam ipſe Prior , quam quicumque alius nomine predicte Eccleſie Sancti Michaëlis decreverit ex noſtra pleniſſima largitate : non per hoc tamen prejudicium inferentes ſancte Eccleſie Mutinenſi , decimis , & honorantiis colligendis in ipſa Curte & rebus dicti Prioratus . Precipientes ergo precipimus , & interdicentes interdicimus , ut nullus Dux , Comes , Baro , vel ulla omnino tam magna , quam parva perſona , contra hoc noſtre confirmationis & conceſſionis preceptum ire , minuere , vel quoquo A *modo violare preſumat ; ſed liceat eidem Priori & Fratribus , vel qui in ipſa Eccleſia Sancti Michaëlis preerit , noſtris & futuris temporibus ſupraſcriptam Curtem ſic diſtinctam & limitatam , & res omnes in ea conſiſtentes , quiete ſemper habere & retinere , prout habet & retinet , abſque contradictione . Si quis vero , quod minime credimus , hanc noſtram confirmationem vel conceſſionem irrumpere ex parte vel in toto tentaverit , ſciat ſe compoſiturum triginta libras auri puriſſimi , medietatem Palatio noſtro , & medietatem ipſi Eccleſie , vel qui preerit , quibus violentia illata fuerit . Et ut hec noſtra conceſſio vel confirmatio verius certiuſque ab omnibus credatur , & diligentius obſervetur , manu propria ſubter* B *firmavimus , & anulo noſtro ſigillari juſſimus . Datum ibi VI. Idus Januarii Anno Incarnationis Domini DCCCLXXX. Indictione XIII. Anno vero Regni Sereniſſimi Regis Karoli in Francia Quarto , in Italia Primo , in Dei nomine feliciter . Amen . Inquirinus Notarius ad vicem Liutardi Archicancellarii piiſſimi regis recognovit & ſignavit .*

Signum  *Domni*

Karoli *Sereniſſimi Regis.*

Nemo , ut puto , tunc in dubium revocavit C originem Diplomatis hujus , & præcipue quod hæc deſumta ſint ex autographo aliquo, aut ſaltem ex ſincero quopiam exemplo ejuſdem Regis , additis tantummodo finibus pro voluntate Interpolatoris . At hæc ipſa Interpolatio nunc facile innoteſcat animadvertenti , mentionem in Diplomate factam *Cruciferorum Templi Sancti Johannis* , quorum nomen atque inſtitutum tantummodo poſt Annum Ch. 1100. initium habuit , neque componi umquam poteſt cum Anno 880. Nullus dubito, quin complures ejuſmodi fraudes veterum nonnullorum malitia pepererit , aliorum vero ignorantia nullo negotio veluti monumenta fidei certæ exceperit.

Interea animadverterit Lector, quid momenti D una falſa ac putidiſſima membrana olim habuerit . Ævo noſtro , quo ejuſmodi ludibria deſiere , & Falſarii , ſi quando emergunt , privatorum tantummodo lites conturbant , aut aliquam Nobilium Familiam dum ornandam ſuſcipiunt , graviſſime deturpant : nos ridemus ineptas & ſpurias veterum Chartas , ac ſuppoſiticia Regum Diplomata . Sed aliis oculis hæc ipſa Majores noſtri intuebantur , ſine hæſitatione falſa pro veris amplexi ; atque inde conſequi conſuevere ingentia commoda ſive incommoda , prout ad ejuſmodi Chartas accedebat potentia utentium , ac impotentia adverſariorum . Certe non incaſſum commenta illa fabricabantur , aut ab aliis fabricata excipiebantur . Quo tempore primùm audita fuerit opi- E nio , Conſtantinum Magnum immensâ donatione effudiſſe Regna in ſinum Eccleſiæ Romanæ, incertum eſt . Mihi a vero minime alienum videtur , alicui Oratori excidiſſe , fortaſſe Sæculo VIII. dum Romani Pontificis prærogativas , utique certas & plurimas , exaggeraret , ideo Conſtantinum receſſiſſe in Orientem , ut libera .

A libera Roma ſummo Chriſti Vicario maneret : quod Sæculo præſertim XI. tempore Sancti Leonis IX. Papæ ferebatur. Arripuit indocta gens, immo & docta, magnificum effatum : cujus etiam rei veſtigium ſublucet in Epiſtola 49. Hadriani I. Papæ ad Carolum Magnum. Ibi enim dicitur in Codice Carolino, *per Conſtantini largitatem ſancta Dei Catholica & Apoſtolica Romana Eccleſia elevata & exaltata, cui & Poteſtatem in his Heſperiæ partibus largiri dignatus eſt*. Quæ verba indicare videntur, jam tum adhibitam fuiſſe mentionem ampliſſimæ Conſtantinianæ donationis, ut Francorum Reges Pippinus & Carolus liberaliores ſeſe exhiberent erga Romanam Eccleſiam. Succeſ-B ſit poſtea Sæculo fortaſſe Decimo, qui ut gratiam iniret Romanæ Curiæ, tabulas Donationis ipſius numquam antea viſas ſibi licere confingere putavit, eaſque Romanis Pontificibus obtrudere. In Diplomate Ottonis III. Auguſti, quod Cardinalis Baronius ad Annum MCXCI. publici juris fecit, auctor figmenti fuiſſe dicitur *Johannes Diaconus cognomento Digitorum mutius*, ſeu mutilus. At quum idem Baronius, Pagius, & alii Diploma illud, quamquam ex Vaticano Archivo depromtum, falſi arguerint (quam quæſtionem attingere mihi non eſt animus) judicium hac de re ſuſpendamus oportet. Illud dumtaxat exploratum eſt, donationem ac Diploma Conſtantini, quæ tamen ævo noſtro undique falſitate ſcatere nemo C Eruditorum non ſentit, ſanctum olim fuiſſe, atque unanimi conſenſu ac obſequio ſuſceptum, in ſcænam ſæpe rediiſſe, ut Romanæ Eccleſiæ temporalia jura aut augerentur, aut ſaltem confirmarentur. Præter cetera vide, quæ pag. 637. Part. II. Tomi II. Rer. Italicar. habet Farfenſe Chronicon de hujuſmodi Donationis uſu, ſive abuſu.

Liceat & mihi dicere, ſuſpicandi locum eſſe, immo & pro certo habendi, non aliam fuiſſe originem Donationi Ludovici Pii, quæ non ſecus ac Conſtantiniana plurimum ſonat in Eccleſiaſtica Hiſtoria. Rationes, cur aut plane confictum, aut ſaltem interpolatum illud Diploma Eruditi Viri cenſuerint, nihil eſt, quod D ego in præſentia proſequar, quando id jam præſtiti in Pleniori Expoſitione Jur. Cæſareor. & Eſtenſ. in Civitatem Comacli. Præterire tamen non poſſum, eſſe minime incongruum opinari, confictum fuiſſe Diploma illud poſt dimidium Sæculi Chriſti XI. Quum enim grave nimis ac perncioſum Romanæ Eccleſiæ deprehenderetur, quod ſine Auguſtorum conſenſu Pontificem a multis temporibus conſecrare minime fas eſſet; & rurſus Nortmanni Apuliam, Calabriam, ac Siciliam continuatis progreſſibus, & barbárico more ſibi ſubderent : quæ duo acrium diſcordiarum ſemina fuere inter Pontifices Romanos, Imperatores, & Nort-E mannorum gentem; non leve beneficium Eccleſiæ Romanæ aliquis ſe delaturum arbitratus fuit, ſi Diploma cuderet, quo Ludovicus Pius renuntiaſſe juri, ſive conſuetudini Cæſarum in conſecratione Pontificis, ſimulque *Corſicam*, *Sardiniam*, *& Siciliam ſub integritate* Romanæ Eccleſiæ contuliſſe videretur. Quis enim umquam ſibi perſuadeat, Ludovicum Principem religione & pietate celebrem largitum fuiſſe alteri *Siciliam*, in quam nullum ei jus erat, & quæ tunc Imperatori Græco, & quidem amico, parebat? Et præcipue quum in ſubſequentibus Diplomatis Ottonis I. & Henrici I. qualia ab Eminentiſſimo Baronio proferuntur, tantummodo conceditur *patrimonium Siciliæ*, *ſi Deus noſtris illud tradiderit manibus*. Tunc enim jugo ſervitutis Saraceni Inſulam illam premebant. Paria dicenda occurrunt de veterum Auguſtorum jure, ſive more in confirmatione novi Pontificis : nam is poſt tempora, quibus Diploma illud datum dicitur, atque ultra duo Sæcula perduravit, nemine contra clamante, ſublatam ejuſmodi conſuetudinem fuiſſe a Ludovico Pio. Plura non adfero; atque hæc ipſa adferens longe profectò abſum a ſuſpicandis malis artibus in Romanæ Eccleſiæ Proceribus, quaſi iis conſentientibus aut imperantibus concinnata fuerint ejuſmodi commenta. Gregorii VII. aliorumque illius ævi Pontificum probitas & ſpectatiſſima virtus aditum præcludunt cuicumque lævæ opinioni. Illud ergo accidiſſe æquius credendum eſt, quod contingere adhuc cernimus Nobilibus viris aut Principibus, quos inveniendi Majores ſuos in remotioribus Sæculis urit cupído. Accedunt impoſtores, & ſpecioſa figmenta illorum votis conſona deferunt. Hæc utique accipiuntur, & ad inſtar gemmarum ſervantur; ſed bonâ fide, ac ſine dolo malo accipiuntur, quæ alii malâ tantùm fide obtulerunt. Idem Romæ acciderit. Neque aliter ſentiendum puto de Bononienſibus, aliiſque hactenus commemoratis, quibus olim fucus factum fuerit, quod eorum temporum ignorantia ab hiſce fraudibus ſatis ſibi cavere non poſſet.

Atqui olim non defuere Falſarii tam acuti ingenii, tantæque induſtriæ, ut in confingendis præcedentium Sæculorum monumentis neque contra Chronologiam, neque contra Hiſtoricam eruditionem, aut Notariorum formulas quidquam peccarent; & probe imitari noſſent veterum characteres & notas, aut eorum tantummodo apographa confingere. Si quando eorum fœtus occurrunt (neque enim quiſquam neget, quin talia efformari potuerint, & ex iis aliqua ſupereſſe poſſint), fruſtra interdum Artis Criticæ ſubſidia adhibentur ad falſas ejuſmodi merces a veris ſecernendas. Ad hæc alia prodeunt quandoque Diplomata ac Inſtrumenta, quæ undique legitimos natales præferunt, & nihilo ſecius quum nævis quibuſdam interſpergantur, dubium animum in judicando de eorum ingenuitate relinquunt. Equidem non uno in loco offendi antiqua Diplomata, autographi ſpeciem exhibentia, iiſdem quippe characteribus conſcripta, quæ in certiſſimis membranis ſe nobis offerunt; ubi etiam intuebar notas Cancellarii conſuetas, & excurſiones calami (neque enim Cifras, aut notas arcanas appellare audeo) ſub Sigillo cereo apponi ſolitas, & locum Sigilli deperditi, hoc eſt ſciſſuram pergamenæ in formam crucis. Verùm ab his ipſis Diplomatis animadvertebam aut abeſſe Monogramma Imperatoris ſive Regis; aut ſciſſura ipſa membranæ ita conjuncta & compoſita cernebatur, atque adeo expolita, nihilque uncturæ retinens (cujus veſtigia fere ſemper cera appoſita & compreſſa inferre conſuevit) ut Sigillum numquam collocatum illic non injuriâ ſuſpicarer. Hæc ergo, aliaque minutiora, quæ ſine Chartarum ipſarum inſpectione congrue explicari nequeunt, me eò interdum rapiebant, ut quando etiam abſtinerem ab iis inter apocrypha amandandis, ſaltem de earum fide plurimùm dubitarem. Nam quod eſt ad notas Chronologicas rite aut perperam compoſitas, & ad Hiſtoriam perſonis recte aut ſecus accommodatam, atque ad formulas pro temporum

porum more aut contra uſurpatas: in aliquibus Chartis meridiano Sole clarius deprehenduntur errores ac vitia, quæ numquam componere cum veritate poſſis, ac proinde falſitatis notam continuo iis inurere iniquum minime eſt. Ejus generis habeto famoſum Lindavienſis Parthenonis Diploma, quamquam Sigillo ſincero, aliiſque legitimis notis munitum videri cuiquam poſſit: cui theta nigrum præfixit eruditâ cenſurâ vir magni inter Germanos nominis Hermannus Conringius, ſecum in eâdem ſententiâ concordem habens celeberrimum Mabillonium. Et quamquam adductâ ad ſupremum tribunal controverſiâ, patroni non defuerint pro ipſo Diplomate propugnantes, contra tamen ſtabit Eruditorum judicium. Atque in eam rem legendæ proſtant Anonymi cujuſdam *Vindiciæ Hiſtoricæ* pro *Conringii cenſura*, editæ Anno MDCC. Lindaugiæ. Eodem jure agebam ego adversùs Diploma Lotharii I. Auguſti, adſervatum inter alia bonæ notæ in Aſceterii cujuſdam Tabulario. Membranæ antiquitas, characterum forma, aliaque aderant, quæ ſinceritatem & vetuſtatem Privilegii ſuaderent. Sed Monogramma deſiderabatur, & præter alia ſuppoſitionis indicia, Notæ iſtæ Diploma claudebant: *Data VII. Kalendas Julias, Anno Chriſto propitio Domni Hlotharii Domni Hlotharii* (ita) *glorioſiſſimi Auguſti in Francia II. in Italia XIIII. Indictione XII. Actum Papiæ Palatio Regio*. Periculum fac, an concordiam inire poſſis inter haſce Notas & Epochas Regni & Imperii, quæ in aliis ſinceris Lotharii Diplomatis occurrunt. Fruſtra, ut puto, facies. Quare uti ficticium Diploma illud in ſuis tenebris dimiſi. Ceterum fieri poteſt, ut unica interdum formula dicendi, aut unum vocabulum ſatis ſit ad dignoſcendam alicujus Chartæ falſitatem. Lectori propoſitum heic volo exemplum unum.

Ludovici Pii Auguſti Diploma, confirmantis Frodoino Abbati Monaſterii Novalicienſis Teſtamentum Abbonis Fundatoris, aliaque jura ejuſdem Monaſterii. Anno Ch. 814.

IN *nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Dei æterni.* Ludovicus *divina ordinante Providentia* Imperator Auguſtus. *Imperialem celſitudinem decet Præceſſorum noſtrorum pie facta non ſolum inviolabiliter conſervare, ſed etiam cenſuræ ſuæ auctoritate confirmare. Idcirco notum eſſe volumus omnibus fidelibus Sanctæ Dei Eccleſiæ, & noſtris, præſentibus & futuris, quia vir venerabilis* Frodoinus Abbas in Monaſterio, *quod dicitur* Novalicius, *quod eſt conſtructum in honore Sancti Petri Principis Apoſtolorum, in Valle ſcilicet, cujus vocabulum eſt Seuſina, detulit obtulit obtutibus noſtris Teſtamentum a quondam viro religioſo, Dominoque devoto* Abbone *factum de præfato Monaſterio, & a* Domino Genitore noſtro Carolo *glorioſiſſimo* Imperatore *renovatum atque confirmatum, in quo continebatur, qualiter præfatus* Abbo Patricius *ipſum locum ſupranominatum cum omnibus rebus ſuis, ob amorem videlicet patriæ Cæleſtis & beatæ vitæ, Petro beatiſſimo Apoſtolorum obtulit Principi, nec non cunctis deſtructoribus, diſſipatoribus temerariis, divina quippe cenſura, & æternum ſuplicium, atque divinum anathema, qui unquam in tempore auſi fuerint, ſeducti atque cupiditate, tantæ devotionis contraire conſcriptum atque firmitatem, unde ipſa caſa Dei, & Monachi ibidem ſic religione ſanctæ devotionis Chriſto Domino famulantes, ſeu Pauperes Chriſti & Peregrini euntes & redeuntes montibus, ſupplementum habere debent propter ſuorum mercedem; qui ipſam donationem facere & confirmare ſolicite ſtatuerunt. Petiitque præfatus Abbas Celſitudini noſtræ, ut ipſum Teſtamentum a Domino noſtro Genitore confirmatum & roboratum, etiam noſtris roboremus auctoritatibus. Nos verò divinam conſiderantes miſericordiam & æternam remunerationem pro benefactis, petitioni ejus libenter præbuimus aſſenſum, & hanc noſtræ auctoritatis confirmationem fieri decrevimus. Per quam præcipiendo jubemus, ut quidquid ſupradictus religioſus Abbo Deo vero, beatiſſimoque contulit Petro, & Dominus Genitor noſter auctoritates ob cæleſtem aulam confirmavit; deinceps abſque ullius injuſta invaſione, interpellatione, atque inquietudine jam fatus Frodoinus Abbas & ejus Succeſſores teneant atque poſſideant in æternum libere, omnia ſcilicet Regalia ex iis omnibus, quæ ad preſens poſſident, & quæ in antea adquirere poterint,* Forum, Omicidium, Aſſaſſinium *in noſtro Imperio perpetratum media Civitate, publicam Stratam a prædicta Civitate uſque ad Fontanam Vercineſcam, & cetera alia, quæ ad nos, ſive ad noſtros ſubditos ſpectabant. Volumus etiam, atque ſpecialiter per hos apices noſtros jubemus, ut ubicumque res de ſupra nominatæ Monaſterio conjacent, per fideles noſtros ſtudioſe defendantur & tueantur, ſicut noſtra ſpecialis cauſa, quia ut multis notum eſt, a bonæ memoriæ* Pipino Avo noſtro, *ſimulque glorioſo Rege excellentiſſimo Genitore noſtro Carolo per donationem ſcripturæ verè traditæ fuerunt. Et ut hæc auctoritas firmior habeatur, & diuturnis temporibus conſervetur, manu propria decrevimus roborari, ac de ſigillo noſtro juſſimus ſigillari.*

Anno Primo, Chriſto propicio Imperii noſtri, Indictione Septima.

Actum in Aquiſgranæ Palatio Regio in Dei nomine feliciter. Amen.

Vidiſti conceſſum a Ludovico Pio Abbati Novalicienſi *Forum, Omicidium, Aſſaſſinium in noſtro Imperio perpetratum media Civitate.* Ajo, ſi revera in Archetypo legeretur *Aſſaſſinium*, nihil amplius exigeretur ad omnem adimendam fidem eidem Cartæ. Nam *Aſſaſſini* & *Aſſaſſinium* voces ſunt, quæ tantummodo poſt Hieroſolymam a Chriſtianis Anno Chr. 1099. receptam audiri cœptæ ſunt in Oriente, atque ad nos permearunt. Sed fortaſſis in Apographum male conſutum rejiciendum eſt ejuſmodi vocabulum, uti & alia, quæ ſubſequuntur numquam nobis concoquenda, ſcilicet *in noſtro Imperio perpetratum media Civitate*, ut alia omittam, quum certe in reliquis colorem legitimi fœtus Diploma ipſum præferat. Vide alterum Diploma Caroli M. eidem Frodoino Abbati Novalicienſi conceſſum Tom. IV. Italiæ Sacræ Ughellii in Catalogo Epiſcop. Taurinen. Spu-

Spurium fœtum ſine dubitatione agnoſces. Non ſemel vero animadverti ſpecimina mera antiquorum Diplomatum, deſtituta Anno, aliiſque authenticis Notis, & nihilominus eodem charactere, quo germana Diplomata, tam in literis initialibus oblongis, quàm in ſubſequentibus quadratis, conſcripta. Quid rei hoc eſt? Ab Imperiali Cancellariâ & hæc quamquam inſomnia, prodiiſſe dicamus; ſed profectò arceri ſuſpicio nequit, fuiſſe olim, qui probe noſſent imitari ſcripturam ab Imperialibus Cancellariis uſurpatam. Quæ pauca tamen dicta in eum tantummodo finem velim, ut circumſpectos cautoſque in hac Arte minus peritos faciam, non ut ſuſpiciones creem contra Diplomata incorruptæ fidei, quæ innumera adhuc exſtant, & plurima ego quoque ſub oculis habui, atque in hoc Opere evulgavi. Si enim exorbitans eſt Illuſtriſſimi Fontaninii opinio, qui omnem ſpuriarum Chartarum atque Diplomatum ſegetem ex Archivis Europæis eliminare voluit: abſurdior ſine comparatione dicenda foret, ac minime ferenda eorum opinio, qui cunctas veterum Chartas aut ad commenta amandaret, aut ſuſpicione falſi aſpergeret. Heic autem locus etiam eſſe poteſt, immo debet, ſapientiſſimo Apoſtoli conſilio ſcribenti I. Theſſalonicenſ. Cap. V. verſ. 21. *Omnia probate: quod bonum eſt, tenete*. Ideſt omnia accurate prius expendite & conſiderate: tum quod bonum ac verum eſt, amplectamini; quod pravum ac falſum, rejicite. Quandoque enim ſi non adjungenda, neque neganda eſt Chartis fides. Judicium ſuſpendere tunc juvat. Exempli cauſâ, ſi qua memorentur aut occurrant Diplomata (rariſſime autem occurrent) ſcripta *literis aureis*, tunc continenda ſententia eſt. Non quod ego negare auſim, quin germana quoque extitiſſe potuerint, & ſupereſſe adhuc poſſint Diplomata aureis characteribus exarata. Ariperti Langobardorum Regis donationem Eccleſiæ Romanæ factam Paullus Warnefridi *aureis exaratam literis* prodit. Attamen ſi, quæ ejuſmodi tabulæ ab antiquis commemorantur, aut adhuc exſtare dicuntur, nobis inſpicere, diligenterque ſcrutari liceret, aliqua fortaſſe in inluſtris hiſce membranis deprehendi poſſent, quæ earum pretium aut minuerent, aut omnino dejicerent. Ex his unum tantummodo objectum eſt mihi inter tot alia, quæ vidi, pro inſigni Monaſterio editum, ipſumque commenticium deprehendi. Ita nemo Eruditorum neget, quin inter tabulas infectæ originis amandandum ſit Privilegium a Leone III. Papa & Carolo Magno Auguſto, conceſſum *per paginam æream exauratam* Monaſterio Trium Fontium ad Aquas Salvias, quod Ughellius veluti gemmam evulgavit Tomo I. Italiæ Sacræ in Epiſcop. Oſtienſibus. Neque hactenus ego adductus ſum ad adjungendam fidem Puricellio, viro alioquin de literis bene merito, & magnæ apud me exiſtimationis, quum in Monument. Baſilicæ Ambroſian. pag. 282. commemorans Diploma Hugonis & Lotharii Italiæ Regum, ait, illius *archetypum aureis literis conſcriptum* fuiſſe *in corio piſcis*. Et quod mirandum mihi viſum fuit, infra addit: *Archetypum illud contulimus cum aliis Imperatorum Regumque Diplomatibus apud nos authenticis, & hactenus in medium productis, eaque pariter viſa nobis fuerunt in corio piſcis, & aureis literis conſcripta; perinde ac ſi hac ipſâ prærogativâ conſcribi ea olim honoris gratiâ ſolerent*. Acceſſi & ego ad inviſendum Archivum profectò inſi-

A gne Monaſterii Ambroſiani; at nihil ſupellectilis tam raræ oculis meis ſeſe obtulit, quale certe fuiſſet multiplex *corium piſcis*, & quidem *aureis literis* ſcriptum, atque in illo uno Tabulario adſervatum. Conſiderandum etiam erit cultoribus Hiſtoriæ naturalis, an piſcibus ſit corium, atque ejus naturæ, ut in membranæ figuram, conſiſtentiam, & uſum redigi poſſit.

Præcipue verò eſt nobis ſuſpenſo pede procedendum, ubi magnifica quædam remotioris antiquitatis primordia ac Privilegia, & Donationes Caſtellorum & Urbium, in Chartis alicujus Eccleſiæ, Cœnobii, aut Familiæ comperimus. Nam ſunt, quibus humile primo initium contigit; progreſſis autem ſenſim, & longo B temporis tractu ad ſublimem fortunam elatis, in mentem cecidit cupiditas nobilioris originis. Neque interdum deſunt, qui ſuis votis, quando per vera nequeunt, per ficta ſuccurrant. In Spicilegii Opere ſumme commendando pag. 319. Tom. 3. noviſſimæ editionis protulit Dacherius Privilegium a Pippino Francorum Rege conceſſum Monaſterio Figiacenſi, quod *in pago Caturcino* antea conſtructum dicitur, ubi *Caſtrum Strimolum* eidem Cœnobio *ad munimentum & tuitionem* ab anteceſſoribus Regibus donatum confirmat, multaſque Villas & Eccleſias & Caſtella ipſe addit, *immunitatis prærogativam per duo milliaria circa ipſam Eccleſiam extendens*. Datum dicitur Diploma *VI.* C *Idus Novembris, Anno ab Incarnatione Domini DCCLV. Indictione Nona*. Sed quum Annus Regni Pippini heic deſideretur, & Epocha Chriſtiana uſurpetur, quam longe ſerius Francorum Reges in ſua Præcepta invexere, hoc unum, ut alia præteream, ſatis eſt ad inurendam Diplomati illi falſitatis aut interpolationis notam. Privilegium quoque Corbejenſi Cœnobio a Benedicto III. Papa Anno Chriſti DCCCLV. ut creditur, conceſſum, atque editum ab eodem Dacherio Tom. 3. pag. 343. noviſ. edition. ſuſpicionem falſi mihi ingeſſiſſet, niſi Mabillonius V. Cl. authentico exemplari in Charta Ægyptiaca reperto, Dacherianæ editionis errores quoſdam abſterſiſſet. Ni- D mirum verboſior quippe mihi ultra morem ibi videbatur Romanus Pontifex. Quod ſi Lotharius Anno eodem DCCCLV. *quarto*, aut *ſexto Kalendas Octobris* finem vivendi fecit, & aliquot etiam ante mortem diebus Imperio ſeſe abdicarat, quei (dicebam ego) ad *Nonas Octubrias* nondum in Italia innotuerat ejus obitus, aut ſaltem abdicatio? Ad hæc Anni Pontificatus Benedicti Papæ ibi non leguntur, quos tamen apponere in more fuit. Mitto alia Dacherianæ editionis ſphalmata, ut hoc unum adjiciam. Scilicet decerni illic Abbatem *ab omni Epiſcopali liberum dominatione*, *Chriſtum tantummodo Judicem* habiturum, *cui redditurus eſt de creditis ſibi ovibus rationem*. Ace- E phalus ergo fuerit Corbejenſis Abbas, quum ne ipſi quidem Romanæ Eccleſiæ ſubjectum Monaſterium illud dicatur. Sed quoniam aliter viſum eſt Mabillonio, cui ſupra ceteros in hiſce deferendum puto, mihi etiam ſilentium imperavi, atque ulteriori examini parco. Congeſſit etiam ſupra memoratus Vindex Cenſuræ Corringianæ diverſa Diplomata ſuppoſititia ævo Carolino tributa; alia quoque ejuſdem ſurfuris indicavit nuper celebratus Mabillonius in Annalibus Benedictinis, eâ ſinceritate ac amore veritatis, quam in quovis honeſto Scriptore nemo noſtrûm eſt, qui non expoſcit & laudet. Sed & heic uno exemplo utamur. Inter eximia Ita-

Italiæ Monaſteria numerandum certe Patavinum Sanctæ Juſtinæ, fateatur unuſquiſque, idque multis nominibus. Ejus inſtitutor, ſive amplificator, dicitur *Opilio*, quem *nobilem Civem Patavinum*, *itidemque Patricium Romanum* Scardeonius appellat Lib. 3. Claſs. 13. Antiquitat. Patavin. Ughellius autem in Ital. Sacr. Tomo quincto, Opilionis, *Viri Conſularis*, ut is ait, ætatem ad Sæculum Chriſti Quinctum refert, & quaſi eum noſſet de viſu, *Aetii viri clariſſimi filium* nuncupat, cujus virtute Alaricus atque Attila barbari Reges repreſſi fuere. Cavaccio in Hiſtor. Cœnobii Sanctæ Juſtinæ eadem opinio antea placuit. Contra Urſatus in Hiſtor. Patavin. Lib. 2. eum vixiſſe tradit Anno Chriſti DXXIV. improbatque lapidem illius memoriæ poſitum a Benedictinis, in quo ſub Hadriano Auguſto circiter Annum Chriſti CXXV. Opilionis hujus Vita collocata fuit. En ut facile gratiſſima ſomnia ſibi cudunt homines, qui non quod verum, ſed quod ſibi dulce eſt, imaginatione tantum concipiunt. Mabillonius ſupra memoratus in Annalib. Benedictin. ad Annum DCCCLXX. in originem inſignis illius Monaſterii inquirens, Opilionis & ipſe meminit. Tum addit, in Archivo ejus Cœnobii haberi inſtrumentum ejuſdem viri, conditum *Imperante piiſſimo Auguſto Conſtantino, a Deo coronato pacifico magno Imperatore, Anno Quintodecimo, ſub die Menſis Junii, Indictione Prima*. Subdit ille, conſtare, *non hoc de Conſtantino Magno, ut quidam volunt*, ſed de alio Conſtantino intelligendum; *idque facile definiri poſſet, ſi integrum Inſtrumentum haberemus*. At quando ipſum Anno MDCCXXX. editum fuit Venetiis curâ doctiſſimi viri D. Angeli Calogierà Monachi Camaldulenſis, Tom. 3. Opuſcul. in Diſſertatione poſtuma Cl. V. Benedicti Bachinii, illud idem huc inferendum cenſui, in ſpem ductus, ex illius aſpectu Eruditis commodiorem viam ad judicium de eo ferendum ſterni poſſe. Heic autem agitur de pergamenâ perantiquis ſane characteribus, ut videtur, ante multa Sæcula ſignatâ, nihil tamen autographi præferente. Eo autem libentius in hanc rem inquirendum puto, quod Juſtus Fontaninius in Præfatione ad Commentar. de Sancta Columba, Anno MDCCXXVI. grandi, ut omnia ſua conſuevit, animo ſententiam heic protulit, & quid nobis ſentiendum ſit, auctoritate ſuâ uſus, imperavit. Itaque eam Chartam accipe.

Opilio Patricius Romanorum Monaſterio Patavino Sanctæ Juſtinæ magnificam donationem facit, Anno 793.

IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. Imperante piiſſimo Auguſto Conſtantino, a Deo coronato, pacifico magno Imperatore Anno Quintodecimo, ſub die Menſis Junii, Indictione Prima. Domino ſancto & merito, ac ter beatiſſimo, ſeu & venerabili Monaſterio Sanctæ Juſtinæ Virginis & Martiris, ubi Corpus Sanctæ Juſtinæ, & Sanctorum Proſdocimi, & multa Corpora aliorum Sanctorum requieſcunt, conſtructo foris Urbe Patavienſi, ubi multas res a bonis hominibus delegata ſunt. Ego quidem in Dei Omnipotentis nomine Opilio Patricius Romanorum *dono in predicto Monaſterio pro oblatione & illuminatione, ſeu pro eterna remuneratione anime mee, & de quondam parentorum meorum preſens preſentis ſalute: magni donacionum ſanctarum Scripturarum nos racio promovet, ea ſemper conſiderare, atque diſponere, que pro animabus ac meritis regni celeſtis retribucione merear promereri. Credimus nos ſine dubio in Evangelica leccio promoveri ſubſequentibus lecionibus, & hoc ſeculo centuplum, & in futuro vite eterne eſſe participes. Qua de re ego ſupraſcripto Opilio, bono animo ac ſpontanea voluntate, nullus me penitus cogente neque compellente aut ſuadente vel vim inferente, ſed meis propriis deliberacioni arbitrium, ideo dans dono, cedo, trado, & transfero atque tranſacio, & da meo jure, meoque dominio, meiſque heredibus & ſucceſſoribus alieno & tranſcribo atque ſubduco in jure & dominio ſupraſcripto Monaſterio perpetuum permanendas, eo quod habere & detinere viſo ſum in Comitato Bolonienſe, qualiter mihi advenit per coqumque modum, vel ubi, aut undique mihi adveniſſet. Hoc ſunt fundoras, que vocatur Kaſinius cum caſis maſſariciis, vel omnibus rebus ad ſe pertinentibus: ideſt Caſale, que per vocabula ſunt Sitiliano, Monteclo, Vindemiolum, Marcio, & Arucias, cum Caſale Paulinis, Rotariorum, Saturiorum, Vico Fraxineto, Quingentula, Columbiano, Granariolo, & Villa Magna, cum caſis & maſſariciis, & cum omnibus ſuorum pertinenciis ad eiſdem locis pertinentibus in integrum. Et Capella una cum area ſua, & cum omnibus ſuorum pertinenciis infra Civitate Bolonienſis, que conſtructa eſt in honorem Sancte Juſtine Virginis & Martiris. Alia fundora Sociorum, Piſcianus, Marianus, Gabianus, Julianus, & fundum Micauri, quod eſt ſupra Naves Caſales, cui vocabulum eſt Mimianus, hoc eſt Liliolis, quod eſt inter Miſiano & Columbiano, cum omnibus pertinenciis ſuis. Item fundo in alio loco Satioſum alio fundo Micauri, quod eſt ſub ripa de Barbiano & Gabiano inter Clodia & Strata. Alia vero fundora, que eſt in Vico Romanulo, & fundum Ortis, cum omnibus ſuorum pertinentiis in integrum, cum Caſis, Curtis, ortis, areis. De foris vero tam terris aratoriis ſeu vigris, vineis, cum areis ſuarum, tam terris arabilis, & gerbis, campis, pratis, paſcuis, ſilvis, ac ſtallareis, rivis, rupinis, ac paludibus, coltis & incoltis, diviſis & indiviſis, una cum finibus & omnibus acceſſionibus & uſibus aquarum, aquarumque ductibus, & cum omni jure, adjacentiis & pertinenciis earum rerum, per locas & vocabulas ad eaſdem fundoras & Capella & Caſas, & omnibus rebus, qualiter ſuperius legitur, in integrum ab hac die in eodem venerabili Monaſterio beatiſſime Sancte Juſtine, & Sancti Proſdocimi, & aliorum multorum Corpora Sanctorum in perpetuum permanendas, pro eo, ſicut dixi, pro remedio anime mee, & de quondam parentorum meorum; & ab odierno die nunquam liceat mihi ſupraſcripto donatore, neque meis heredibus vel ſucceſſoribus ullo unquam in tempore nullamque moleſtiam generare a pars predicto Monaſterio de is omnibus, que ſuperius legitur ex parte, vel ex totum nunquam contendo aut invado vel inoccupo, neque agentibus quid deſidero, audeo, nec per me, neque per meis heredibus vel ſucceſſoribus, neque per mea ſubmiſſa vel ſubmittanda perſona majoris vel minoris, propinquis vel extraneis, & nec ad eundem judicium, & nec ad ſupplicandum*

Principibus neque per Eccleſia interpellacione, aut per Regalem vel Imperiali Mageſtate vel poteſtate, neque per ullo modo, nullaque racione contrare, quod abſit; & auferre voluntatem, quia Legibus cautum eſt, ut quod ſemel in ſancto ac venerabili Monaſterio donatum vel conceſſum fuit, nullo modo revocetur. Unde pro majori firmitate, & ſi quo tempore quepiam perſona hominum ſurrexerit, que ad pars ſupradicto Monaſterio calumpniam generare voluerit, ego ſupraſcripto Opilio donatore cum meis heredibus a pars predicto Monaſterio ipſas res ab omni perſona hominum ſtare, & contra omnes auctoriare promitto. Quod ſi, quod abſit & avertat divina potencia, & omnia, qualiter ſuperius legitur, non obſervavero vel adimplevero, & contra hec ire vel agere aut contendere voluero, atteſtacione confirmo, quia daturo me eſſe promitto ego ſupraſcripto Donatore una cum meos heredes vel ſucceſſores a parte predicto Monaſterio ante omnis litis inicium pena auri optimi Libras trex; & poſt pena ſolucionem ad hanc paginam donacionis in ſua firmitate permaneat.

A

Quam vero paginam in Dei nomine Aneſtaſius Tabellius de Civitate Roma ſcribenda rogavi, & ſubter manu mea propria firmavi, teſtibuſque a me rogatis obtuli ſubſcribenda, eorumque preſencia tradidi ſub die Menſis Junii, Indictione Prima.

B

Ego Opilio glorioſus Imperialis Patricius Romanorum *in ac donacionis Cartula a me facta manu mea ſubſcripſi.*

C

Ego Jordanus in ac Cartula rogatus teſtis manu mea ſubſcripſi.

Ego Armeniacus rogatus teſtis manu mea ſubſcripſi.

Ego Tribunus Blandinonus rogatus teſtis manu mea ſubſcripſi.

Ego Leopardus rogatus teſtis manu mea ſubſcripſi.

Ego Baſilius rogatus teſtis manu mea ſubſcripſi.

Ego Barbato domeſtico numeri Armeniaci rogatus teſtis manu mea ſubſcripſi.

Sed quis iſte *Opilio glorioſus Imperialis Patricius Romanorum?* Si Clariſſimum Fontaninium percontamur, is reſpondeat: *Mi troverei molto diſpoſto a darlo per un' Eſarco di Ravenna*, quòd is titulus proprius & conſuetus foret Seculo Chriſti Octavo Ravennatibus Exarchis. Tum poſt pauca, nullis aliis tabulis fretus, in hanc ſententiam intrepide deſcendit: *Fu* CERTAMENTE *Eſarco di Ravenna ſotto Coſtantino Copronimo, e dovrà collocarſi tra Paolo ed Eutichio, il quale fu l'ultimo Eſarco di quella Città*. Ut hanc opinionem nobis perſuadeat, ſubdit: *Biſogna, che Opilione foſſe per qualche tempo ſurrogato a Paolo*. Quum vero ſucceſſiſſet Eutychius, *biſogna pure, che il medeſimo Opilione, benchè fuori di carica, non deponeſſe il primo ſuo titolo di Patricius Romanorum*. Verùm hæc ut ſummâ facilitate excogitata fuere, ita pari excidunt. Plura ego in hanc rem olim ſcripſeram; & quamquam dum hæc ad prœlum pararem, hanc molem Critico ariete penitus dejecerit vir doctiſſimus P. D. Gaſpar Berettus Monachus Benedectinus in Diſſertat. Chorographica, Tomo X. Rer. Italicar. editâ, attamen in ipſam rurſus invadere juvat. Prius ergo oſtendendum erat Clariſſimo Fontaninio, *Opilionem Patricium Romanorum* floruiſſe Anno Chriſti DCCXXXIII. ac deinde conjecturis ſuis locus eſſe potuiſſet. Mirum ſane videatur, obtrudi heic nobis Exarchum nemini antea notum, & qui neque ſe *Exarchum* appellat: idque ex una Charta, cujus fides ſaltem dubia; eique inædificare tot alia meditamenta, in quibus etiam veri ſimilitudinem deſideres. Nam ex Inſcriptione, quam adfert Rubeus Lib. 4. Hiſtor. Ravennat. *Eutychius Exarchus & Patricius* Italiam rexiſſe deprehenditur Anno Chriſti DCCXXXI. Ibi hæc verba:

GUVERNANTE ITALIAM

DOMNO EUTYCHIO EXCELL. PATRICIO ET EXARCHO

III. KAL. FEB. IND. XIV.

Is ergo Anno DCCXXXIII. *Patricius Romanorum*, & non *Opilio*. Neque Opilioni fas fuiſſet, eum ſibi titulum tribuere depoſito Magiſtratu, quum alter eo ipſo munere fungeretur. Neque veri ſimile eſt, Opilionem, ſi in fide Græci Imperatoris ſtetit, ac Romæ tabulas haſce ſcribendas juſſit (quod indicare videtur Notarius, hoc eſt *Aneſtaſius Tabellius de Civitate Roma*) tantam bonorum copiam effudiſſe in Monaſterium conditum Patavii, hoc eſt in Civitate ſubjectâ Langobardis Regibus, Græci nominis & Imperii hoſtibus, & continua bella Exarchatui moventibus. Quod ſi Opilio, ut ſuo arbitrio ſibi fingit prælaudatus Fontaninius, Patavium ſeſe receperat, ab Imperatoribus Græcis deficiens; eâque in Urbe Charta conſcripta fuit: ritibus eorum temporum adverſatur, Chartam ſignari *Conſtantino a Deo coronato pacifico magno Imperatore*, quum *Regnante Rege Liutprando* fuiſſet ſignanda. Immo abhorret etiam a vero, unum *Conſtantinum* Copronymum in ea pergamena memorari, quum Leo Iſaurus Imperator ejus pater adhuc imperaret, & utriuſque nomina ſignarentur a Notariis. Quare videat Ancyranus Præſul, quàm bene

D

ei ſedeat, Opilionem ſine dubitatione (CERTAMENTE) obtrudere nobis Exarchum Ravennæ, atque edicere, ut ejus nomen (non aliunde nobis notum niſi e Chartâ ſaltem dubiâ) inferamus in catalogum Exarchorum. *Queſto Eſarco Opilione ha da porſi tra Paolo ed Eutichio nella ſerie degli Eſarchi*. Ita ille. At quando ipſe nihil dubitavit, confictam affirmare Inſcriptionem marmore inſculptam, quæ *Opilioni* ipſi poſita, & ſpeciem vetuſtatis gerens, adhuc viſitur in clauſtris Patavini Monaſterii: Eruditis etiam licebit in poſterum de ipſius Chartæ antiquitate ac legitimitate dubitare. Certe ſupra laudatus Bacchinius, quum & ipſe periculum feciſſet, an ad Annum Chriſti DCCXXXIII. referri poſſet hujuſmodi Charta ſub Conſtantino Copronymo, tot difficultates obvias habuit, ut abjectâ illâ conjecturâ, in hanc alteram deſcenderit, videlicet Anno Chriſti DCCXCIII. ſub Conſtantino filio Leonis & Irenes eam Chartam fuiſſe exaratam. Sed pergent Eruditi arbitrari veluti rem a ſimilitudine alienam, eo Anno *Opilionem glorioſum Imperialem Patricium Romanorum* fuiſſe, aut appellatum fuiſſe, quum conſtet, eo titulo ac mu-

E

nere

A nere inſignitum fuiſſe Carolum Magnum Francorum Regem , neque appareat , tum Romæ quemquam exercitui Imperatorum Græcorum hoc titulo præfuiſſe . Quod ſi dicas , *Barbatum domeſticum numeri Armeniaci* , inter teſtes ſubſcribentem , præfuiſſe cohorti ſeu legioni militum Armenorum ; reſpondebunt , muneris hujus mentionem bonum certe colorem ſeræ antiquitatis præferre ; at difficile credi poſſe, tunc Auguſtorum Græcorum legiones Romæ conſediſſe . Timuiſſet ſibi ab eis Pontifex , quum iniquo animo tuliſſent Græci , Exarchatum Ravennatem non redditum ſibi a Regibus Francis fuiſſe , ſed dono datum Pontifici Romano . Neque Romanorum Patriciatum B Carolus Magnus accepiſſet, ſi Romæ adhuc Græcorum exercitus dominatus fuiſſet . Neque idem Carolus tam facile Romam , nondum Imperator , profectus fuiſſet , ſi Græcorum copiæ illam muniiſſent . Eidem verò licèt dumtaxat Patricio *Populus Romanus fidem & ſubjectionem jurabat* , ut habet Eginhardus in Annalibus ad Annum DCCXCVI. Præterea videtur aliena a temporibus iis formula illa : *nec ſupplicandum Principibus , neque per Eccleſia interpellacione , aut per Regalem , vel Imperiali mageſtate vel poteſtate* &c. Vide Diſſertationem VI. *de Marchionibus* , in qua Chartam Piſtorienſem produxi Anno MIV. exaratam . Ibi hæc formula, quæ potius mores Sæculi X. & XI. ſapit. Hiſce adde , ſcatere nimiis erroribus Chartam , & carere loco , ubi fuerit ſcripta, aliaque ibi occurrere vitia, quæ in unum quidem apographi ſcriptorem rejicere poſſis, ſed non deſinant dubitationem ingerere vetuſti cujuſpiam figmenti; ac præcipue quum non apographum , ſed primitivam Chartam appellandam illam contendere alii poſſint . Nam quod Bacchinius *evidens* mendum in iis verbis invenit : *Domino ſancto ac merito ac ter beatiſſimo ſeu & venerabili Monaſterio Sancte Juſtine* , quaſi illic nomen Abbatis omiſſum fuerit , cui ab Opilione facta fuit donatio : mihi nullum faceſſit negotium, quippe hæc eadem formula mihi viſa eſt in aliis antiquis Chartis , ſine controverſia legitimis . Illud potius augere ſuſpiciones poteſt adversùs Chartam Opilionis , quod ex ipſius Bacchinii ſchedis didici , nempe in eodem Tabulario Patavini Monaſterii Bullam adſervari Gregorii Papæ , antiquis & ipſam temporibus ſcriptam , & characteribus præcedentis donationis ſcripturæ perquam ſimilibus . Immo ejuſdem Bullæ bina ſeu autographa, ſeu apographa illic haberi , in quorum uno plura leguntur quàm in altero . Ego deſcriptam ex Bacchinianis Schedis ampliorem membranam dabo , uncis claudens, quæ in altera minime leguntur.

Gregorii IV. Papæ Bulla, qua Monaſterio Patavino Sanctæ Juſtinæ omnia illius bona & privilegia confirmat , Anno 828.

C ✠ G*Regorius ſervus ſervorum Dei Epiſcopus* Miloni *reverentiſſimo* Abbati Monaſterii Sancte Juſtine *Virginis & Martiris Chriſti*, *& Sancti Proſdocimi Chriſti Confeſſoris*, ſitum foris Civitate Patavi , *in quo ipſorum , & aliorum plurimorum Sanctorum Corpora requieſcunt , tuiſque ſucceſſoribus in perpetuum. Quia juſte & racionabiliter veſtra humilitas noſtro Apoſtolatui humiliter poſtulaſtis, quatinus pro Dei amore , animeque noſtre remedio , per preſentis noſtri Privilegii auctoritatem, quàmque per auctoritatem Domni Lotharii Imperatoris Auguſti , ſpiritualis in Chriſto dilectiſſimi filii noſtri, concederemus & confirmaremus ſcilicet omnes res & proprietates predicti Monaſterii , cujus Eccleſiam* D Opilius Patricius Romanorum *fundavit , ibique ejus corpuſculum in pace requieſcit , in atrio ejuſdem Eccleſie ſupra duas columpnas, qui etiam multa tribuit dona in eodem Monaſterio. Ideoque per preſentem Privilegium confirmamus & corroboramus & ipſum Monaſterium cum omnibus ſuis pertinentibus , tam intus Civitate Patavi conſiſtentibus , quamque foris , ſeu in ſluvio Rodolone Molendina quatuor (& Eccleſiam Sancti Angeli, cum ejuſdem Villa, cum Decimis & Quartis , atque Eccleſiam Sancti Danielis Martiris, & Eccleſiam Sancte Juliane Virginis & Martiris Chriſti , atque Eccleſiam Sancti Mattei Apoſtoli) & Villa , que* E *vocatur Macerata, integra cum ſervis & ancillis (cum decimis & quartis , & Villa , que vocatur Runco, cum omnibus ſuis pertinentiis, cum decimis & quartis.) Seu Cella Sancti Martini in Monteſilice cum Curte ſua (& Eccleſiam Sancti Salvatoris , & Eccleſiam Sancti Thome Apoſtoli cum omnibus ſuis rebus,) atque Tribianum, atque Pernumium , ſeu Monte Gutuli, atque in Saccum, & Lignarium (cum ejuſdem Eccleſia in honore Sancti Blaſii edificata , cum decimis & quartis , & Eccleſiam Sancti Michaëlis in honorem dedicata, & aliam Eccleſiam ſimiliter in honore Sancti Michaëlis in Villa, que vocatur Bruzolo, edificata. Atque Eccleſiam Sancti Nicolai in Villa , que vocatur Flumiſello, edificata:) ſicque in territurio Vicentino Caſtrum Sancti Galli (cum Eccleſia Sancti Blaſii & Sancti Galli , cum decimis & quartis ejuſdem Caſtri, ſeu totam decimam & quartam,) & Villa, que vocatur Maxone, (ſeu totam decimam & quartam Ville , que vocatur Rovolone, & Eccleſiam) Sancti Georgii in Rovelone ; & omnes alias res , cum ſervis & ancillis , atque cum decimis , ubique perſiſtunt: (nec non Eccleſiam in honorem Sancte Juſtine Virginis & Martiris Chriſti in Villa, que vocatur Corriza, edificatam:) atque in territorio Bononia tam infra Civitatem quàm foris Civitate , ſeu in Saltu Plano vocato , quantaſcunque Opilius Patricius Romanorum in ipſo Monaſterio emiſit . Quaſque a jure predicti Monaſterii ſub penſione nomine detinuit, & quantaſcunque* Flavius Ildebrandus *excellentiſſimus* Rex *a jure ipſius Monaſterii detinuit, ſub penſionis nomine ſimiliter, vel per quodcumque modum detinere viſus eſt is in eodem territurio Bononienſium . Monaſterium unum in honore Sancte Juſtine dedicatum , ſitum infra Civitate Bononia, cum area ſua, & cum omni domo culto ſuo tam in ipſa Civitate, quamque foris, cum caſis , domibus , edificiis , & cum omnibus ſibi pertinentibus in integrum. Item Fundum Trecenta, & Sadrianum, & Nuncianum, ſeu Pulianum, & Silbamunda, & Valle de Lanbris, ſeu Veterana, & Fraxenito, & Memoriola, & alia Memoriola nova, ſeu Uncia-*

cianum, & Vicoarucias, ſeu Carpenetulo, & Soldenicus, & Judicoſus pertinentibus, ſeu Fundum Caſſinium, & alio Muſianus, & in loco Paretes untias ſex, ſeu Saxorias, & Mauriano, & Caſtiliello, & Vallefrigida, & in fundo Rutilianis, terra culta & ſterpeta inſimul juges triginta, & in Caſale Sociorii terra juges decem, & in fundo Veterana Caſale, qui vocatur Granariolo, & Fundum Sitilianum, & Centumpaulinis, & in fundo Trimano, ſeu Quinquagintula deſerta, & Praxeletulo, ſeu Piſſiano . . . . . (& Gavinho, & Barbiano, ſeu Filiolis,) & Gabiano qui vocatur Vicocecorum, & fundo Columbiano, & Granariolo, & Villamagna, cum caſis & maſſariciis & omnibus ſibi pertinentibus, & fundum Quingentula, & Sacioſo, & Julianus, ſeu Omicarini, qui eſt ſupra Naves, & Caſale qui vocatur Laurentiacus, atque Caſale, cui vocabulum eſt Numianus, hoc eſt Siliſis inter Miſianum & Columbianum. Item fundo in alio loco Socioſo, & alio fundo Micauri, qui eſt ſuper ripa de Barbiano, & Gabiano, inter Claudia & Strata. Area verò que eſt in Vico Romanulo, & fundo ortus in integrum, & fundo Sitiriano, & Monticlo, & Vindemiolo, ſeu Marcio, & Arucias, cum Caſale Paulinis, & Rotarioro, ſeu Saturioro, & Vico Fraxenito. Ipſas omnes ſupraſcriptas res cum ſervis & ancillis, cum ſilbis & molendinis, aquarumque decurſibus, uſibus ac juribus, ac omnibus pertinentibus, ſibique ſubjacentibus, ubicunque conſiſtunt, in integrum. Jubemus itaque, ut nullus Dux vel Comes aut alia quevis perſona in ſupraſcriptis rebus predicti Monaſterii Sancte Juſtine liceat ingredi ſive per hoſpitalitatem, aut per quemcumque modum, neque aliquam violentiam facere preſumat, ſed potius ſub beati Petri Principis Apoſtolorum predeteſtatione tam deſervientes quam reſidentes ac ipſas res ſalvi & inleſi perſiſtant, abſque omnium hominum remota controverſia. Nam ſi quiſpiam contra hujus noſtri Privilegii auctoritatem violator repertus fuerit, ſciat ſe in iram beati Petri Principis Apoſtolorum, & omnium predeceſſorum noſtrorum, atque ſub graviſſima indignatione predicti dilectiſſimi filii noſtri Domni Lotharii Imperatoris Auguſti, & noſtram caſurum, & ſub anathematis vinculo dampnaturum. Inſuper, niſi a malo reſipuerit, ſciat ſe compoſiturum auri optimi mulctam Mancoſeos duo millia, medietatem noſtro ſacro Palatio, & medietatem ſupraſcripto Monaſterio. Qui verò pro intuitu cuſtos & obſervator in omnibus extiterit, benedictionis graciam, vitamque eternam cum omnibus Sanctis ſine fine mereatur habere in ſecula ſeculorum. Amen.

Scripta per manus Gregorii Protoſcrinniarii, Patriarchio Lateranenſi.

Datum Rome XII. Kalendas Julias, Anno ejuſdem Sedis Primo, & Domno Lothario Secundo, Indictione Octava

BENE VALETE

Memoratur heic *Gabiano inter Claudia & Strata*, idque in agro Bononienſi. Neſcio an quidquam rei hoc habeat cum *Via Claudia*, quo nomine a multis Sæculis appellatur Regia Via, quæ per Mutinam ducit ad Placentinos. In præcedenti Charta legitur *inter Clodia & Strata*. Hæc obiter. Quod heic me excruciat, cogor aperte dicere, tot vitia convenire in hujus Bullæ textum, ut illam nemo uti legitimam mercem ſit facile ſuſcepturus. Nam præter diſſonantiam inter duo illa unius Bullæ exempla deprehenſam, præter affectatam mentionem Sepulcri, in quo depoſitus dicitur *Opilius*, ſive *Opilio Patricius Romanorum*, & præter alia, quæ perſequi non eſt animus: inter Chronologicas Notas intoleranda pugna conſurgit, quam tollere ne acutiſſimus quidem poſſit. Anno DCCCXXVIII. Menſe Junio decurrebat *Annus Primus* Gregorii IV. Papæ. In eum Annum minime cadit *Indictio Octava*, ſed quidem *Sexta*. Et rurſus ſcripta hæc dicuntur *Anno Domno Lothario*, pro *Domni Lotharii*, *Secundo*, quæ vitioſa formula Apoſtolicæ Sedis Cancellariam non bene olet, quum ibi Latinæ Linguæ atque Grammaticæ honor aliquis ſemper habitus fuerit. Præterea extra omnem controverſiam eſt, Lotharium I coronam ac nomen Imperialis dignitatis Romæ accepiſſe Anno DCCCXXIII. Ergo Annus Secundus ejus Imperii in Annum Primum Gregorii IV. ſive in Annum Chriſti DCCCXXVIII. nequaquam convenit. Adde, nullam mentionem fieri Ludovici Pii Auguſti imperantis cum filio. In aliis Chartis ejus nomen præterire minime mos fuit. Fortaſſis etiam abhorret ab eorum temporum conſuetudine multa *duorum millium Mancuſorum auri optimi*, cujus medietas perſolvenda erat *noſtro ſacro Palatio*, quum de Monaſterio ageretur extra fines Pontificiæ ditionis poſito, & poſſidente tot alios fundos, minime in Bononienſi agro comprehenſos. Hæc & alia, quæ abire inſalutata volo, apud me hujus etiam Bullæ fidem ſaltem dubiam faciunt. Neque tamen inficias ierim, quin Patavini inſignis Monaſterii antiqua potuerit eſſe origo, eique multa conceſſiſſe potuerit *Opilio* aliquis, uti certe *Abbo* quidam Monaſterii Novalicienſis conditor fecit. Sed fieri etiam potuit, ut quemadmodum progreſſu temporis Novalicienſes Monachi loco ſuo, ac fundatori ſplendorem addituri, Abbonem illum *Patricii* titulo ſponte ornarint, ita & ſuum Opilionem pari dignitate auxerint Monachi Patavini. Vide, quæ attuli ad Chronicon Novalicienſe Part II. Tomi II Rer. Italicarum. Ughellius etiam Tom. 4. Italiæ Sacr. in Catalog. Epiſcopor. Taurin. ut ſupra monui, Diploma Caroli Magni refert, ad idem Novalicienſe Cœnobium ſpectans, ubi ejuſdem *Abbonis Patricii* mentio occurrit. Sed & in eo fœtu putidam impoſturam e veſtigio agnoſcas. Denique Urſatus in Hiſtor. Patavinâ, & Ughellius Tom. V. Ital. ſacr. Literas protulere Gauslini Epiſcopi Patavini, ſcriptas Anno DCCCCLXX. ſeu potius ſecundùm vulgarem Epocham DCCCCLXXI. e quibus conſtare videtur, exſtitiſſe quidem antea *Eccleſiam Beatæ Juſtinæ*, eique *Xenodochium* (tunc deſolatum) fuiſſe ſubjunctum, ſed nullâ præcedentis *Monaſterii* mentione factâ. Immo Gauslinus diſertis verbis proteſtatur, ſe a Deo impulſum, *ut ob ipſius amorem, Sanctorumque omnium, nec non & Beatæ Juſtinæ Martyris, Beatique Proſdocimi Confeſſoris Cœnobium ædificarem Monachis*. Vide etiam Literas Burchardi Epiſcopi Patavini, idem teſtantes infra in Diſſertatione XXXVI. *de Precariis*. Quare niſi certiora monumenta adferantur, eo ſolùm tempore Monaſterium illud conditum fuiſſe, credere par eſt. Quibus etiam temporibus Veneti, Mutinenſes, Regienſes, Parmenſes, aliique


Populi

Populi Monaſteria in ſuis Urbibus excitarunt.

Atque hæc facile ſuccurrant homini in eruditione antiquorum temporum minime hoſpiti, quoties Diplomata & Chartæ ſe ei offerunt, quæ patentibus atque enormibus vitiis ſcatent. Quod crucem amatori veritatis figere poſſit, eumque conjicere in multas ambages, illud eſt, veteres tabulas reperiri, in quibus etſi nihil deſideretur, quod archetypum non ſapiat, nævi tamen quidam apparent, qui continere judicium noſtrum cogunt. Profectò inficias non ierim, quin adhuc in tanta germanorum Diplomatum copia, nonnulla ſuperſint, in quæ ob incuriam Cancellarii, ſive Amanuenſis, quo Cancellarius eſt uſus, errores nonnulli irrepſerint, & præcipue in Notis Chronologicis. Horum ſane cauſsâ minime proſcribenda ſunt veneranda illa antiquitatis rudera, ſi alia concurrant authentica ſigna ſinceritatis. In inſigni & antiquiſſimo Aſceterio ſacrarum Virginum Sanctæ A Mariæ Theodotæ, nunc *della Poſterla*, Ticini, multa mihi oblata ſunt egregia Diplomata ex humanitate nobilium illarum Sanctimonialium. Erant autem ex iis, quæ dubitationem aliquam mihi ingerebant, quod Indictio Annis Chriſtianæ Æræ non ſatis interdum reſpondere videretur. Verùm ubi rem accuratius penſitabam, & nihil deeſſe animadvertebam eorum, quæ archetypum conſtituunt, illud tamdem experientiâ melius aſſequebar, quod antea non ignorabam: nempe non raro nobis dubitandum eſſe, non de verbis, aut ſententiis, aut monumentis antiquorum, ſed de imperitia ac inſcitia noſtra. Quum enim mores, & opiniones, & Linguam veterum nonnumquam parum perſpecta B habeamus, nos extemplo in Auctorum aut Librariorum culpam rejicimus, quæ uni ignorantiæ noſtræ ſunt tribuenda. Exemplis rem confirmabo. Ecce unum ex Diplomatis in eodem Parthenone adſervatis.

Guidonis Imperatoris Diploma, quo omnia bona & jura confirmat Monaſterio Ticinenſi Sanctæ Mariæ Theodotæ, Anno 892. ſive 891.

I*N nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis.* Wido *divina favente clementia* Imperator Auguſtus. *Si circa Servos & Ancillas Dei munificentiam noſtræ benignitatis intulerimus, credimus hoc ad animæ noſtræ ſalutem efficaciter pertinere. Igitur omnium fidelium ſanctæ Dei Eccleſiæ, noſtrorumque cognoſcat induſtria, qualiter quædam Dei ancilla* Aſia quondam Abbatiſſam Monaſterii Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, quod nuncupatur Theodotæ, ſitum Urbe Ticinenſi, *pro diverſis utilitatibus ejuſdem Monaſterii expetiit Præcepta ad anteceſſore noſtro* Hlothario Imperatore *de quadam terra, muroque juxta Monaſterium ipſum, quod Urbis ipſius terminum includebat, ut ipſe tam Monaſterii ſeptum muniret, quàm Urbis fines uſque ad publicam Viam includeret. Conceſſit etiam, ut res omnes, quaſcumque Monaſterium idem longo tempore poſſedit, aut poſtea juſte ac legaliter tam emptione, donatione, quàm fidelium oblatione adquiſivit, ac deinceps ſimiliter juſte & legaliter acquirere potuerit, tranquillo jure poſſideat. Et ut nullus Reipublicæ Miniſter, aut aliquis ex Judiciaria poteſtate præſumeret, homines ejuſdem Monaſterii liberos aut ſervos inquietare, vel loca ad cauſas audiendas, vel freda exigenda, vel tributa, aut manſiones, vel paratas faciendas, nec fidejuſſores tollendos, aut homines ejuſdem Eccleſie tam ingenuos quam ſervos ſuper terram ipſius commanentes diſtringendos, nec ullas redibitiones aut inlicitas occaſiones requirendas, & quicquid exinde Fiſco noſtro ſperare poterat, in eodem Monaſterio ſolemni & perpetua ſecuritate conceſſit. Dedit etiam licentiam de Silva Carbonaria materiamen ad reparationem ipſius Monaſterii ſuſcipere, ac ligna ad uſum ignis habere, ſecundùm temporis opportunitatem; & quando neceſſitas imminet, navem illius per Ticinenſem Portum diſcurrere liceat abſque alicujus controverſia. Et commutationes rerum omnes, quas prædicta Aſia fecit, maneant inconvulſæ. Et ut liceat eidem Cœnobio ſecundùm regulam Sancti Benedicti de propria Congregatione Abbatiſſam eligere. Et ſint res ejus ſub Imperiali immunitate defenſæ. Et ſi neceſſitas evenerit de rebus & familiis ipſius, per inquiſicionem Imperialem rei veritas adprobetur. Nos vero precibus* Helbunci Archicancellarii noſtri, & Riſindæ ipſius Monaſterii *religioſe* Abbatiſſæ, *atque Congregationis ejus, ſtimulati, ob animæ noſtræ mercedem pie conſi*C*derantes hæc omnia, ſicut ad Anteceſſore noſtro conceſſa ſunt, inconvulſe concedimus ac firmamus eidem venerabili loco perfruendum ſollemni jure ſtatuimus poſſidenda, & ſub noſtra tuitione ſecure ac ſinceriter perſeverent. Inſuper concedimus in prefato Monaſterio pro mercede animæ noſtre vadum unum in Pado ad piſcandum, ubi nominatur Caputlacti, habentem terminum ſuperiorem in Cocuzo Gepidaſco: inde percurrit ad eum locum, ubi Agonia influit in Padum. Concedimus etiam in prædicto venerabili Monaſterio Inſulas juxta prædictam piſcationem ex utraque parte Padi, quidquid antiquo tempore eidem Monaſterium ſeu moderno obtinuit, vel Padus invaſit, aut in futurum inruperit de pro*D*priis ipſius Monaſterii rebus, ſine Nebiaſco uſque in fluvium Agonia: deinde ipſe finis deſcendit in Padum, & a termino, quod vocatur Grindalado, percurrit in Melum Inſitum: deinde ad portum Caputlacti, quantùm eidem Monaſterium præterito tempore optinuit ſuo jure, & nunc obtinere videtur; ſeu quod* Chuinipert Rex *inibi per ſuum contulit Preceptum. Precipientes ergo jubemus, ut nemo fidelium noſtrorum parti predicti Monaſterii de his omnibus, quæ ſupra a nobis conceſſa ſunt, quolibet tempore ullam præſumat inferre moleſtiam aut contrarietatem, ſed ſub omni integritate, ſicut a nobis conceſſa ſunt, & hac auctoritate noſtrâ condonata ſunt, perenniter ibidem ad utilitatem* E *Monaſterii ſine diminutione permaneant. Si quis autem contra hujus noſtri Præcepti ſecuritatem violentiam eidem Monaſterio temptaverit inferre, componat auri optimi Libras viginti, medietatem Palatio noſtro, reliquam medietatem parti ejuſdem Monaſteril. Et ut hæc noſtra auctoritas pleniorem optineat vigorem, & a fidelibus noſtris diligentius obſervetur, manu propria ſubter firmavimus, & Bulla noſtra ſigillari juſſimus.*

Signum  *Domni Widonis ſereniſſimi Auguſti.*


Hel-

Helbuncus Archicancellarius jubente Domno Widone Imperatore recognovi & ſubſcripſi.

Data V. Kalendas Auguſti, Anno Incarnationis Domini DCCCXCII. Regnante Domno Widone *in Italia Anno Regni ejus IIII. Imperii Primo, Indictione VIIII.*

Actum Papia, in Dei nomine feliciter. Amen.

Ad calcem Diplomatis in medio pendet Bulla plumbea Imperialis.



Duplex ibi membrana vetuſtiſſima idem Privilegium mihi exhibuit. Speciem autographi altera præferebat, eamque unicam opinatus ego jam deſcripſeram. Sed quum nulla Sigilli umquam appoſiti veſtigia ſupereſſent, quid certo decernerem de Charta illa minime ſuccurrebat. Subinde verò alteram detexi, hoc eſt ſincerum ejuſdem Diplomatis archetypum, cui præter cetera ſigna fidem faciebat Bulla plumbea adhuc per chordulam e pergamena pendens: quem uſum animadvertas velim; neque enim ſemper cerea Sigilla adhibita ſunt in Auguſtorum & Regum Diplomatis. Habes Diplomatis hujus ſpecimen ære inciſum Tomo II. Rer. Italicar. curâ nobilis & doctiſſimi Comitis Donati Silvæ Mediolanenſis, qui & ipſe poſt me in illud incurrit. Chronologicas Notas nunc perpendamus. Ibi *Indictio VIIII.* conjungitur cum die *V. Kalendas Auguſti*, & *Anno Primo Imperii* Guidonis, & *Anno Incarnationis Domini DCCCXCII.* Atqui in reliquis Italiæ locis eo Annò in curſu erat *Indictio X.* Quid heic dicendum? Aut alius a noſtro Annus uſurpatus fuit, aut alia a vulgari Indictione (quod tamen quei fieri potuerit, non aſſequor) in hoc Diplomate occurrit. Utique fuerunt olim, & ſunt adhuc in Italia Populi, ac præcipue Florentini, qui ſerius quàm nos Annum novum a die XXV. Martii ineunt, ac propterea Annum *ab Incarnatione* appellant: quod ſedulo perſpiciendum, utpote indicium diſcriminis non levis ab altera formula, noſtris temporibus fere ubique uſitata, ſcilicet *a Nativitate*, ſive ut rectius Regienſes & alii ſcribunt, *a Circumciſione*, hoc eſt a Kalendis Januarii. Aliquibus autem, & præſertim Piſanis novus Annus *ab Incarnatione* novem menſibus antevertebat vulgarem Annum noſtrum *a Nativitate*. Fuerunt etiam, ac præſertim apud veteres Germanos, qui Annum revera a die XXV. Decembris numerare incipiebant. Igitur agnoſcere opus eſt, Annum in Ticinenſi Diplomate a Guidone Auguſto adhibitum, & *ab Incarnatione* numeratum, nequaquam eſſe vulgarem noſtrum *DCCCXCII.* ſed quidem *DCCCXCI.* cui revera convenit *Indictio IX.* In Diſſertatione III. *de Roman. Imperator.* jam oſtendi, Guidonem renuntiatum fuiſſe Auguſtum, ac Romanâ Coronâ donatum ante Kalendas Majas Anni DCCCXCI. Ergo & heic ille idem Annus deſignatur, cujus Menſe Julio numerabatur adhuc *Annus Primus Imperii*, uti & *Indictio IX.* Juvat heic alias indicare Chartas, e quibus certiores de primo Anno Epochæ ejuſdem Auguſti ſiamus. In Tabulario Archiepiſcopii Lucenſis non unam

A vidi ſcriptam *Anno I. Guidonis Imperatoris* die X. Julii, aut die XXI. Auguſti, *Indictione VIIII.* aut die IX. & XI. Septembris, *Indictione X.* quum ibi Kalendis illius Menſis Indictio nova naſceretur. Iſtæ ad Annum DCCCXCI. pertinent. Sunt & aliæ exaratæ *Anno II. Guidonis Imperatoris Auguſti* die XVIII. Auguſti, *Indictione X.* aut die XVI. Novembris *Indictione XI.* Hæ ſpectant ad Annum DCCCXCII. Neque deſunt aliæ ſcriptæ *Anno III.* die XXVIII. Februarii, aut XXX. Aprilis, aut XV. Maji &c. *Indictione XI.* Iſtæ referendæ ad Annum DCCCXCIII. E quibus tamdem agnoſcimus, Guidoni ante Martium Menſem, immo & ante diem XXVIII. Februarii collatum fuiſſe diade-
B ma Romanum. Idque contigerit oportet poſt diem V. Octobris Anni DCCCXC. ſiquidem eo die Lucenſem Chartam ſcriptam vidi *Anno III. poſt mortem Karoli Imperatoris, Indictione IX.* hoc eſt, nemine imperante. Quare ut in memorata nuper Diſſertatione *de Roman. Imperator.* oſtendi, & hinc diſcere poſſumus, Guidonem ineunte Anno DCCCXCI. ſolium Auguſtorum conſcendiſſe per ſacram unctionem Romani Pontificis Stephani V. Sed quid ultra moror? Vide Diſſertationem XXX. *de Mercat.* ubi Diploma dedi ſcriptum Anno DCCCXCI. *Nono Kalendas Martii, Imperii die Prima.* In Archivo Cathedralis Parmenſis legitur alterum ſimile Diploma, quod editum jam fuit ab
C Ughellio Tomo 2. pag. 191. Ital. Sacr. ſed non ſatis emendate. Ego ex autographo Notas Chronologicas dabo, quæ ita efferuntur: *Data IX. Kalendas Martii, Indictione IX. Anno Incarnationis Domini DCCCXCI. Regnante Domno Widone in Italia Anno Regni ejus III. Imperii illius die Prima. Actum Roma in Dei nomine feliciter. Amen.* Adhuc ibi viſitur Sigillum plumbeum pendens: quod rarum eſt, ut nuper monui. In antica parte eſt caput coronatum Imperatoris, ſcutum & lanceam geſtantis cum literis WIDO IMPERATOR AGV. ideſt *Auguſtus*: in poſtica verò Corona laurea cum literis RENOVATIO REGNI FRANC. ideſt *Francorum*. Non Annum dumtaxat, ſed ipſum
D diem habemus, quo delata eſt Widoni Imperialis Corona, ita ut nullus heic controverſiæ locus ſupereſſe poſſit. Quare intelligas, Sigonium concivem meum rectè ſtatuiſſe hunc ipſum diem primum Coronationis Guidonis Auguſti Lib. 6. de Regno Italiæ. Atque cum his conſonant Literæ Stephani V. Papæ a Campio Tomo I Hiſt. Eccleſ. Placentin. pag. 472. productæ, & ſcriptæ *IV. Kalendas Martias imperante Domno piiſſimo Auguſto* Wido &c. *Imperato-*

re


re Anno I. Indictione Nona. Cum his quoque conſentire videas alias tabulas Lucæ conſcriptas: *Anno III. Guidonis Imperatoris Pridie Kalendas Martias, Indictione XI.* hoc eſt Anno DCCCXCIII. Nam & hinc elucet, ante Martium Menſem Anni DCCCXCI. evectum fuiſſe Guidonem ad Imperiale ſolium. Hiſce poſtremo junge Chartam ab Ughellio productam Tomo quincto in Appendice ad Epiſcop. Apruntin. cum his notis: *Guido Imperator Auguſtus Anno Imperii ejus Quarto, ſed regnante Lamberto filio ejus Imperatore Tertio, ſed & Tertia die Menſe Maji per Indictione Duodecima*: hoc eſt Anno Chriſti DCCCXCIV. ex qua etiam agnoſcimus, Lambertum Guidonis filium Anno DCCCXCII. renuntiatum fuiſſe Auguſtum. Et quidem aut Martio decurrente, aut certe ante Majum ſubſequentem. Nam altera Charta Aprutina exarata fuit *in Anno Quinto Lamberti Imperatoris, Menſe Martio, per Indictione XV.* Hoc eſt Anno Chriſti DCCCXCVII. Hiſce adde Chartam a Florentinio in Vitâ Comitiſſæ Matildis Lib. 3. indicatam, atque exaratam *Anno Imperii Domni Lamberti Sexto, Quarto die Menſis Martii, Ind. XV.* Si utraque Charta vitio caret, uno e tribus primis diebus Martii Anno 892. collatum fuerit nomen ac diadema Auguſtale Lamberto. Sed quum in nullum ex iis diebus Dominica inciderit: quo tempore Imperatorum & Regum inauguratio fieri conſuevit, vitium aliquod in alterutra ſuſpicor. Vide etiam Diſſertationem ſupra memoratam III. *de Roman. Imperator.* ubi inquiſitio facta eſt de Epocha ejuſdem Guidonis Auguſti.

Tenebræ nobis obviam factæ in Diplomate ejuſdem Guidonis, ſupra a me producto, jam in oculos noſtros incurrerunt. Et ſane diverſa illa ratio inchoandi Anni multum incommodi olim peperit, & adhuc parere poteſt ad dignoſcendum natalem certum antiquorum Diplomatum. Immo vix intelligo, cur in mentem venerit Guidoni Imperatori, ſive ejus Cancellariis, recedere ab uſitata Æra communi, quam uſurpaverant aliquot præcedentes Auguſti, & Succeſſoribus etiam placuiſſe, compertum habemus. Quod plus eſt, ne Ticinenſi quidem in Urbe alius erat ritus, quum tot ibi ſcripta Cæſarum Privilegia exſtent, *Annum Domini a Nativitate*, præ ſe ferentia. Quod tamen animadvertas, Anni *Dominicæ Incarnationis*, familiares in vetuſtis Chartis, ſæpe Annum noſtrum a

A Nativitate, ſive *a Circumciſione*, deſignabant: quod a conjuncta *Indictione* manifeſtum fieri ſolet. Solet, inquam; & hoc enim meminiſſe juvat, offuſas nobis fuiſſe alias tenebras a diverſo Indictionis uſu. Nimirum fuerunt aliquando Romani Pontifices, Cæſares, & Populi Italici, qui Indictionis exordium modo a Kalendis Januarii, modo a Kalendis Septembris, immo & a die XXIV. Septembris ſumſere. Virginius Valſecchius Benedictinus, in Academia Piſana Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Profeſſor, vir ob eruditionem ſuam, Libroſque editos clariſſimus, in Epiſtola de Veter. Piſan. Civitat. Conſtitutis ad Cl. V. Guidonem Grandium Camaldulenſem Abbatem, ſcripſerat in hæc verba:
B *Utebantur etiam tum Piſani Indictione Romanâ ſeu Pontificiâ, quæ incipit a Calendis Januarii, non verò Conſtantinopolitanâ, neque Conſtantinianâ, quarum altera incipit a Calendis Septembris, altera a die XXIV. ejuſdem Menſis.* Cujus rei teſtes duas attulit Chartas Piſanas Sæculi XII. Verùm is poſtea per Literas certiorem me fecit, ſibi diligentius in eamdem rem fuiſſe inquiſitum, ſeque in aliis Chartis bene multis deprehendiſſe, Piſanos olim *Conſtantinianâ Indictione* uſos. quæ videlicet ſuum init curſum a die XXIV. Septembris, quamquam non deſint Chartæ Romanâ Indictione ſignatæ. Hæc ille ad me ſolicitus veritatis amator. Fuit ergo apud Carolinos Imperatores etiam in uſu Indictio
C Pontificia, cui initium dabant Kalendæ Januarii: ſed & ab iis adhibitam Conſtantinopolitanam, a Kalendis Septembris deductam, exempla demonſtrant. Quæ varietas ad ſtatuendum Annum certum quorumdam Diplomatum plurimas interdum ambages nobis creat, noſque facile ducit ad capiendum unum Annum pro altero, uti doctis etiam Viris quandoque accidit. Cointium, Papebrochium, Mabillonium, Pagium, alioſque Eruditiſſimos Viros hæc eadem veterum inconſtantia non ſemel exercuit. Neque fortaſſe mihi properanti ſatis cavi, quin aliquando ex hac ipſa cauſſa male poſiti ſint calculi in indicandis Diplomatum Annis. Profectò crebrius invenias uſitatam apud antiquiores Auguſtos Indictionem Romanam, quæ noſtris
D quoque temporibus viget; ſed poſt Sæculum IX. fere ſemper ab Auguſtis uſurpata eſt Indictio Græcorum. In hanc rem habeto bina exempla e duobus archetypis depromta, quæ adſervata vidi apud Sanctimoniales ſupra laudati Parthenonis Ticinenſis *de Poſterla*.

Caroli Craſſi Imperatoris Privilegium conceſſum Monaſterio Sanctæ Mariæ Theodotæ Ticinenſis, Anno 881.

IN *nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis*. Karolus *divina favente clementia* Imperator Auguſtus. *Noverit igitur omnium fidelium noſtrorum, preſentium videlicet & futurorum induſtriæ: quia* Liutwardus *venerabilis ſanctæ* Vercellenſis Eccleſiæ Epiſcopus *adiit celſitudinem noſtram, poſtulans, ut quoddam immunitatis Præceptum cuidam feminæ nomine* Richſuindæ Abbatiſſæ Monaſterii Sanctæ Mariæ Dei Genitricis, quod dicitur Theodotæ, ſitum in Urbe Ticinenſi, *pro diverſis utilitatibus ejuſdem Monaſterii fieri juberemus. Nos vero ejus petitiones rationabiles fieri conſpicientes, hoc immunitatis Præceptum præfatæ Abbatiſſæ conſcribere juſſimus. Per quod omnino determinantes jubemus, ut eadem Abbatiſſa degens ſub regula Sancti Benedicti id Monaſterium cum omnibus adjacentiis jure & legaliter adquiſitis uſque in finem vitæ ſuæ teneat atque poſſideat. Inſuper ergo omnes res quoſcumque Monaſterium idem longo tempore poſſedit aut poſſidet juſte & legaliter tam emptione, donatione, quàm fidelium oblatione adquiſivit, ac deinceps juſte & legaliter adquirere potuerit tranquillo jure, per hoc noſtræ auctoritatis Præceptum teneat. Et ut nullus Reipublicæ Miniſter, aut aliquis ex Judiciaria poteſtate preſumere & homines ejuſdem Monaſterii liberos aut ſervos inquietare, vel loca ad cauſas audiendas vel freda exigenda vel tributa & manſiones vel paratas faciendas, nec fidejuſſores tollendos, aut homines ejuſdem Eccleſiæ tam ingenuos quam ſervos ſuper terram ipſius commanentes diſtringendos, nec ullas redibitiones aut illicitas occaſiones requirendas. Et quicquid exinde Fiſco noſtro ſperare poterat in eodem Sancto Monaſterio ſollempni, & perpetua ſecuritate concedimus. Damus etiam licentiam de Silva noſtra Carbonaria materiamen ad reparationem ipſius Monaſterii ſuſcipere, ac ligna ad uſum ipſius habere, ſecundùm temporis opportunitatem. Et quandoque neceſſitas imminet, navem illius per Padi vel Ticini Portum abſque ripatico ſine alicujus controverſia diſcurrere liceat. Et commutationes rerum omnium, quas ejuſdem Monaſterii Abbatiſſæ pridem fuerunt, maneant inconvulſæ. Concedimus etiam in eodem Cœnobio, ut juxta normam regulæ Sancti Benedicti, cum neceſſitas pulſaverit, de propria Congregatione licentiam eligendi habeant Abbatiſſam ſemper quidem ſub Regis immunitate defenſæ. Quin etiam Regia ſancimus auctoritate, ut cum neceſſitas evenerit de rebus & familiis ipſius Monaſterii, per inquiſicionem Regalem rei veritas approbetur. Inſuper dedimus in prefato Monaſterio pro mercede animæ noſtræ vadum unum in Pado ad piſcandum, ubi nominatur Caputlacti, habentem terminum ſuperiorem loc . . . . . . Gebidaſco; inde percurrit ad eum locum, ubi Agonia influit in Padum. Concedimus etiam in prædicto venerabili Monaſterio inſulas juxta prædictam piſcationem ex utraque parte Padi, quidquid antiquo tempore idem Monaſterium ſeu moderno vel Padus invaſit, aut in futurum inruerit de propriis ipſius Monaſterii rebus, fine Nebiaſco uſque ad fluvium Agonia, deinde ipſe finis deſcendit in Padum . . . . Caputlacti, quantum idem Monaſterium preterito tempore obtinuit ſuo jure, & obtinere videtur, ſeu quod* Hludowicus Imperator *per ſuum contulit Præceptum. Præcipientes ergo jubemus, ut nemo fidelium noſtrorum parti prædicti Monaſterii de his omnibus, qui ſupra nobis conceſſa ſunt, quolibet tempore ullam præſumat inferre moleſtiam aut contrarietatem. Sed ſub omni integritate ſicut a nobis conceſſum fuit, & hac auctoritate noſtra condonata ſint perhenniter ibidem ad utilitatem Monaſterii ſine diminutione permaneant. Si quis autem contra hujus noſtri Præcepti ſecuritatem violentiam eidem Monaſterio temptaverit inferre, componat auri optimi Libras triginta, medietatem Palatio noſtro, & reliquam medietatem parti ejuſdem Monaſterii. Et ut hæc auctoritas noſtræ confirmationis atque conceſſionis inviolabiliter permaneat, & ad futura tempora verius credatur, manu propria ſubter firmavimus, & anuli noſtri impreſſione juſſimus ſigillari.*

Signum  *Domni Karoli Imperatoris*

Locus ✠ Sigilli cerei deperditi.

Wido *Notarius ad vicem* Luitwardi *Archicancellarii recognovi & ſubſcripſi.*


Data II. Nonas Decembris, Anno Incarnationis Domini DCCCLXXXI. Indictione XIV. *Anno verò Imperii piiſſimi Imperatoris Karoli Primo.*

Actum ad Mediolanum, in Dei nomine feliciter. Amen.

Ejuſdem

Ejuſdem Karoli Craſſi Imperatoris Diploma, quo omnia bona & jura confirmat Monaſterio Ticinenſi Monialium Sanctæ Mariæ Theodotæ, Anno 881.

IN *nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis*. Karolus *divina favente clementia* Imperator Auguſtus. *Noverit igitur omnium fidelium noſtrorum, preſentium videlicet ac futurorum induſtria, quia* Liutwardus *venerabilis ſanctæ* Vercellenſis Eccleſiæ Epiſcopus *adiit celſitudinem noſtram, poſtulans, ut quoddam immunitatis Præceptum cuidam feminæ, nomine* Rihſindæ Abbatiſſæ Monaſterii Sanctæ Mariæ Dei Genitricis, quod dicitur Theodotæ, ſitum in A Urbe Ticinenſi *&c. ob amorem Dei, Deique Genitricis Mariæ, necnon & venerabilem petitionem dilecti* fidelis noſtri Liutwardi, *concedimus atque confirmamus, liceatque eidem ſanctæ Congregationi perpetualiter, quiete ac ſecuriter ſine ulla moleſtia & inquietudine pro nobis ac Conjuge noſtra divinam exorare clementiam. Si quis vero, quod abſit, infra ditionem Regni nobis a Deo dati conſiſtens, contra hoc immunitatis &c.*

Signum  *Domni Karoli Imperatoris*

Sigillum cereum.



Wido Notarius ad vicem Liutwardi Archicancellarii recognovi & ſubſcripſi.


Data II. Nonas Decembris, Anno Incarnationis Domini DCCCLXXXI. Indictione XIIII. *Anno verò Imperii piiſſimi Imperatoris Karoli Primo.*

Actum ad Mediolanum, in Dei nomine feliciter. Amen.

Anno DCCCLXXX. decurrebat Kalendis Januarii *Indictio XIV.* Quum ergo eam quoque ſignatam reperiamus *II. Nonas Decembris* ejuſdem Anni, conſequens eſt, integrum Annum B cum ipſa fuiſſe conjunctum. Hiſce adde tertium Diploma authenticum in ejuſdem Aſceterii Ticinenſis Archivo adſervatum.

Confirmatio Privilegiorum facta ab Arnolfo Italiæ Rege Monaſterio Monialium Ticinenſium Sanctæ Mariæ Theodotæ, Anno 895.

IN *nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis*. Arnolfus *divina favente clementia* Rex. *Noverint omnes fideles noſtri preſentes atque futuri, quia* Adalpero *ſanctæ* Auguſtenſis Eccleſiæ Epiſcopus *adiit celſitudinem noſtram, poſtulans, ut quoddam immunitatis Præceptum cuidam feminæ nomine* Ribſindæ Abbatiſſæ Monaſterii Sanctæ Mariæ Dei Genitricis, quod dicitur Theodotæ, ſitum in Urbe Ticinenſi, *pro diverſis utilitatibus ejuſdem Monaſterii fieri juberemus. Nos verò ejus petitiones rationabiles fieri conſpicientes, hoc immunitatis Præceptum præfatæ Abbatiſſæ conſcribere juſſimus, per quod omnino determinantes jubemus, ut eadem Abbatiſſa degens ſub regula Sancti Benedicti, id* C *Monaſterium cum omnibus adjacentiis jure & legaliter adquiſitis uſque in finem vitæ ſuæ teneat atque poſſideat &c. Hæc vero omnia, quæ prelibavimus, & quæcumque antecеſſores noſtri feliciſſimi Imperatores,* Lotharius *videlicet, &* Hludowicus, *necnon bonæ memoriæ* Karlomannus Genitor noſter *per Præcepta immunitatis, atque illorum confirmationis eidem Sancto loco contulerunt, pleniter atque ſecuriter, ſalva omni juſtitia ejuſdem Monaſterii per preſentem auctoritatem noſtram, ob amorem Dei, Deique Genitricis Mariæ, nec non venerabilem petitionem dilecti fideliſſimi Adalpero, concedimus atque confirmamus &c.*

Signum Domni Arnolfi  *invictiſſimi Regis.*

Sigillum cereum corroſum



Wiching Cancellarius ad vicem Theotmari Archicappellani recognovi & ſubſcripſi.


Data Kalendarum Decembrium die, Anno Incarnationis Domini DCCCXCV. Indictione XIII. *Anno Regni Arnolfi Regis VIII.*

Actum Papiæ, in Dei nomine feliciter. Amen.

In hoc Diplomate *Indictio XIII.* conjuncta cum *Kalendis Decembribus Anni DCCCXCV.* totum Annum rexiſſe dignoſcitur. Doctiſſimus Pagius in Critic. Baronian. ad Annum DCCCXCVI. alterum Arnulphi Regis in Italiam adventum narrans, hæc ſcribit: *Arnulphus Germaniæ Rex anno ſuperiori a Formoſo Papa in Italiam vocatus, currenti illuc pervenit.* Sigonium meum noluit heic audire Pagius, quum tamen is, accuratius ſane, ſcripſerit, Arnulphum Anno DCCCXCV. *in Italiam Octobri Menſe iter ſuſcepiſſe, & Lunæ Natalicia celebraſſe.* En ipſum habemus eodem Anno Ticini *Kalendis Decembribus* Privilegia concedentem. Neque defuere, qui Sæculo etiam ſubſequente Indictione Pontificiâ ſua Diplomata ſignarunt. Rem exemplo uno confirmatam eo, quod mihi ſuppeditavit inſigne Tabularium Capituli Canonicorum Parmenſium.

Præceptum Rodulphi Italiæ Regis, quo Canonicis Eccleſiæ Parmenſis confirmat omnia illorum jura & bona, Anno 922.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Rodulfus *gratia favente divina* Rex. *Omnium fidelium ſanctæ Dei Eccleſiæ, noſtrorumque, præſentium ſcilicet & futurorum comperiat ſollicitudo, quia venientibus nobis in Civitatem Parmam, Canonici ipſius ſanctæ Parmenſis Eccleſiæ per* Adalbertum *inclitum* Marchionem, *dilectum fidelem noſtrum petierunt noſtram clementiam, quatenus Præcepta deceſſorum noſtrorum in ipſa Canonica de illorum rebus & familiis emiſſa, quæ in repentino incendio cremata noſcuntur, nos denuo eaſdem res & familias ipſis Canonicis noſtro confirmaremus edicto. Quorum petitionibus pro affectu conſulentes, & eorum erga nos devotionem attendentes juſſimus illis hoc noſtrum fieri Præceptum, per quod ipſos Canonicos, & eandem Canonicam de ipſis rebus & familiis noſtra Regali auctoritate inveſtimus, ſicut a noſtris Prædeceſſoribus inveſtiti fuerant. Et præcipue eos ex rebus illis inveſtimus, quæ da parte quondam* Wibodi Epiſcopi, *& Vulgundæ Deo dicatæ, traditæ & conceſſæ illis fuerunt, & ſicut ab ipſis* Wibodo *& Wulgunda ipſæ res poſſeſſæ, & in illorum dominio tenuerant: nec non etiam res illas, quas* Berta *dignæ memoriæ Comitiſſa, &* Wifredus *filius ejus* Comes, *& ceteri Deum timentes homines in prædicta Canonica contradiderunt, præcipientes per hoc noſtræ auctoritatis regale Præceptum tam eadem Præcepta, quamque univerſa ..... omneſque res mobiles & immobiles, ſervos & ancillas, Aldiones & Aldianas, & omnia, quæ a principio inſtitutionis ejus a fidelibus quibuſque animabus inibi collata ſunt, & quæcumque in poſterum per fideles animas adeptura eſt, confirmamus, concedimus atque roboramus, tenere, poſſidere, ac perfrui jure perpetuo ſine qualibet inquietudine. Et quoniam quædam ipſius Canonice munimina improviſo incendii periculo periere, ſtatuimus, ut de rebus ſuis tamquam pars noſtra publica per vicinos inquiſitum habeant, aut per ſacramenta eas defendant. Similiter eodem modo concedimus & confirmamus præfatis Canonicis, morem Prædeceſſorum noſtrorum ſequentes, ut nemo fidelium noſtrorum, vel illorum homines, aut quiſquam de Parte Publica in illorum manſiones vel proprietates per vim introire, aut quicquam auferre, vel de Manſis eorum aliquam redibitionem exigere, aut illorum homines diſtringere quoquo modo præſumat: ſed volumus & jubemus, ut a ſuis Patronis diſtricti juſtitiam faciant & adimpleant. Si quis igitur hoc noſtræ auctoritatis & confirmationis & conceſſionis Præceptum infringere vel violare, aut in ſupradictis rebus ſe intromittere temtaverit, ſciat ſe compoſiturum auri optimi Libras centum, medietatem Cameræ noſtræ, & medietatem prædictis Canonicis, ſuiſque ſucceſſoribus. Quod ut verius credatur, diligentiuſque ab omnibus obſervetur, manu propria roborantes, ex anulo noſtro juſſimus inſigniri.*

Signum manus  *Domni Rodulfi ſereniſſimi Regis.*

Locus ✠ Sigilli cerei deperditi.

Manno Cancellarius ad vicem Giſelberti Archicancellarii recognovi & ſubſcripſi.

Data VI. Idus Decembris, Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXXII. *Domni verò Ruodulfi piiſſimi Regis in Italia I. in Burgundia XII.* Indictione X.

Actum Papiæ, in Dei nomine feliciter. Amen.

Videmus heic *Indictionem Decimam* concurrere cum *Anno DCCCCXXII.* & die *VI. Idus Decembris.* Quum autem hæc Indictio præcedentes Menſes occuparit, neque immutata fuerit Menſe Septembri; reliquum eſt, ut a Kalendis Januarii, Pontificio more, illius initium ſit arceſſendum. Nunc ab altero ejuſdem Regis Diplomate quei me expediam, ne ego quidem in promtu habeo. Illud olim deſcripſi ex Archivo inſignis Capituli Canonicorum Patavii.

Con-

Confirmatio Privilegiorum & jurium Eccleſiæ Patavinæ facta a Rodulfo Italiæ Rege Sibichoni ejuſdem Eccleſiæ Epiſcopo, Anno 924.

IN nomine Domini Dei æterni. Rodulfus *divina favente clementia* Rex. *Si anteceſſorum noſtrorum, Regum videlicet ſive Imperatorum, Eccleſiaſtice conceſſa Privilegia, etiam noſtræ largitatis auctoritate roboramus, plurimum nobis ad æternam remunerationem, Regnique ſtabilitatem prodeſſe confidimus. Ideoque omnium fidelium ſanctæ Dei Eccleſiæ, præſentium ſcilicet & futurorum, noverit univerſitas,* Adelbertum *venerabilem* Bergamenſem Epiſcopum *noſtram exoraſſe clementiam, quatenus pro Dei amore Præceptum auctoritatis atque emunitatis noſtræ ſanctæ* Patavenſi *Eccleſiæ,* & Sibichoni ejuſdem Sedis Epiſcopo, *ſuiſque ſucceſſoribus fieri juberemus, per quod omnia Præcepta ac Privilegia anteceſſorum noſtrorum, Imperatorum videlicet atque Regum inviolata permaneant. Quorum petitionibus juſtis & rationabilibus adquieſcentes, hoc Præceptum auctoritatis atque emunitatis noſtræ circa ipſa ſancta loca fieri decrevimus, per quod jubemus atque præcipimus, ut omnia Præcepta ac Privilegia anteceſſorum noſtrorum Imperatorum videlicet atque Regum inviolata permaneant: & ut nullus* A *ex judiciaria poteſtate in Eccleſias, Cortes, loca, vel agros, ſeu reliquas poſſeſſiones ruſticas ſive urbanas ad partem ipſius Eccleſiæ confirmantes, ſive eas, quas moderno tempore per donationes Imperatorum vel Ducum vel ceterorum fidelium ſanctæ Dei Eccleſiæ, nec non de comparationibus & commutationibus vel de quolibet adtractu juſte & rationabiliter ad predictam Sedem ſanctæ Patavenſis Eccleſiæ in quibuslibet pagis & territoriis infra dictionem Regni noſtri juſte & legaliter poſſident, vel quæ deinceps divina pietas voluerit augeri Rectoribus ejuſdem Eccleſiæ, ullam moleſtiam vel inquietudinem facere præſumat; ſed liceat eis ſub noſtræ emunitatis tuitione ac defenſione quieto ordine tenere* B *ac poſſidere. Confirmamus preterea Precepta, quæ a* Berengario Imperatore *conceſſa fuerunt predicto Epiſcopo in Valle Feltrenſe, ſeu in Comitatu Vicentino, & in ceteris locis. Inſuper concedimus in integrum prædicto Sibichoni Epiſcopo, ſuiſque ſucceſſoribus totum Epiſcopatum, ſicut a* Petro Epiſcopo avunculo junioris Petri *fuit detentum atque poſſeſſum. Si quis igitur, quod fieri non credimus &c.*

Signum Domni Rodulfi (ſimile præcedenti) *ſereniſſimi Regis.*

Locus Sigilli ✠ cerei deperditi.

Manno Cancellarius ad vicem Beati Epiſcopi Archicancellarii recognovi & ſubſcripſi.

Data Pridie Idus Novembris, Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXXIV. *Domni vero Rodulfi piiſſimi Regis in Italia III.* Indictione XIIII.

Actum Veronæ, in Chriſti nomine feliciter. Amen.

Cum præcedente concordat Privilegium iſtud, *Annum III.* Regni Rodulphi Burgundiæ ac Italiæ Regis præferens, eumque jungens cum *Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXXIV.* Sed quis heic, rogo, locus *Indictioni XIIII.* quum eo Anno flueret *Indictio XII.* & Novembri Menſe in curſu foret *XIII.* cœpta Kalendis Septembris? Præ oculis Diploma ipſum habui: C in eo ſigna omnia ad ſincerum & archetypum monumentum ſpectantia deprehendiſſe mihi videbar. Igitur aut ego unitatem præ feſtinatione addidi, aut Scribæ Regio ipſum ſphalma tribuendum eſt, aut de fide tabularum eſt dubitandum. Hiſce accedat alterum Privilegium, in Archivo ſupralaudati Capituli Parmenſis adſervatum.

Donatio Eccleſiæ Parmenſi facta ab Hugone & Lothario Italiæ Regibus, omnium, quæ Vulgunda ante poſſederat, & Bertæ Matri ipſius Regis Hugonis contulerat, Anno 936.

IN nomine Domini Dei æterni. Hugo & Lotharius *gratia Dei* Reges. *Regalis dignitas ad hoc de die in diem in melius proficiſcitur, ſi ſanctarum Dei Eccleſiarum curam & ſolicitudinem gerit, & ..... ſtabilire curat, quatinus illi, qui Deo perpetualiter ſervire & miniſtrare debent, nullam habeant indigentiam. Ideoque nos in Dei nomine* Hugo & Lotharius Reges, *ipſarum Eccleſiarum, Deo annuente, ſecundùm qualitatem temporis curam gerentes, de proprietatibus noſtris a parentibus noſtris nobis per ſucceſſionem advenientibus, Deo omnipotenti & glorioſæ Virginis Mariæ Matris ſuæ* D *famulari & obedire cupientes, ſanctam Parmenſem Eccleſiam, quæ in ipſius honore fundata eſt, ex ipſa noſtra propria hereditate ditare ſtuduimus, quatinus nobis, parentibus noſtris ad remedium proficiat ſempiternum. Idcirco prout juſte & legaliter poſſumus, donamus prædictæ Sanctæ Parmenſis Eccleſiæ in honore jam dictæ Sanctæ Mariæ conſtructæ, & venerabili* Epiſcopo Sigifredo *fideli noſtro, ſuiſque ſucceſſoribus & Canonicis ibi cottidianum ſervitium Deo & Sanctæ Mariæ exhibentibus omnem proprietatem illam, quæ fuit quondam Vulgundæ, quæ Aza vocabatur, quam adquiſivit ipſa de* Wibodo

A bodo *ſanctæ* Parmenſis *ipſius* Eccleſiæ Epiſcopo, *ſub integritate in ſingulis comitatibus, territoriis vel locis in Regno Italico, & Romania conjacente, ipſa Vulgunda, quæ Aza vocabatur, bonæ memoriæ* Bertæ Comitiſſæ *glorioſiſſimæ* Matri noſtræ *contulit: quatinus ſicut poſſeſſa fuit ab ipſa Vulgunda, quæ & Aza vocabatur, ſic ſit in jure ipſius Eccleſiæ & utilitate ipſius Epiſcopi & ſucceſſorum ſuorum & Canonicorum ibi ſervientium in perpetuum, una cum Eccleſiis, caſis, cortibus, terris, vineis, campis, pratis, paſcuis, ſilvis, ſalictis, ſationibus, aquis, aquarumque decurſibus, montibus, vallibus, alpibus, planiciebus, cum ſervis & ancillis utriuſque ſexus, cum Aldionibus & Aldianis, & cum omnibus, quæ dici vel nominari poſſunt ad ipſam proprietatem juſte & legaliter reſpicientibus in integrum. Si quis igitur hujus noſtri Præcepti violator extiterit, ſciat ſe compoſiturum auri optimi Libras centum, medietatem Kameræ noſtræ, & medietatem prædictæ Sanctæ Parmenſis Eccleſiæ, & Epiſcopo Sigifredo, ſuiſque ſucceſſoribus, qui ibi pro tempore fuerint. Quod ut verius credatur, diligentiuſque ab omnibus obſervetur, manibus propriis roborantes, de anulo noſtro ſubter anotari juſſimus.*

Signa ſereniſſimorum  *Hugonis & Lotharii Regum.*

Locus Sigilli ✠ cerei deperditi.

Petrus Cancellarius ad vicem Gerlanni Abbatis & Archicancellarii recognovi.


Data VIII. Idus Februarii, Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXXXVI. *Regni autem Domni Hugonis invictiſſimi Regis X. item Domni Lotharii Regis V.* Indictione VIII.

Actum Papiæ, in Dei nomine feliciter.

B Secundùm Epocham vulgarem *Anno DCCCCXXXVI.* Februario Menſe numerabatur *Indictio VIIII.* Attamen heic legitur *Indictio VIII.* quæ ad Annum præcedentem ſpectat. Non auſim ego confugere heic ad Æram aut Florentinam, aut Piſanam: nam in neutra Notæ iſtæ concordant. Nodum ergo expeditius ſolvat ille, qui in incuriam Scribæ hunc etiam errorem rejiciat. Is pro *Indictione VIIII.* ſcripſerit, omiſsâ numerali unitate, *VIII.* Sed ne ſic quidem tolluntur ambages, ubi Diploma hoc cum altero componatur, quod ſupra laudatæ Sanctimoniales Sanctæ Mariæ Theodotæ, ſive de Poſterula, mihi inviſendum ac deſcribendum dedere. Et plane authenticum conſideranti apparuit.

Hugo & Lotharius Italiæ Reges ſuo Præcepto confirmant duas Curtes Annæ Imperatrici viduæ Berengarii Auguſti, Anno 937.

C IN *nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Regis æterni.* Hugo & Lotharius *gratia Dei* Reges. *Convenit Regali magnificentiæ in neceſſitatibus ſubvenire alterius, & racionabilibus noſtrorum fidelium peticionibus aſſenſum prebere, quatenus id agendo præmium æternæ remunerationis mereatur accipere. Ideoque noverit omnium fidelium ſanctæ Dei Eccleſiæ, noſtrorumque, preſentium ſcilicet ac futurorum univerſitas,* Domnum Hildoinum *ſanctæ* Mediolanenſis Eccleſiæ *venerabilem* Archiepiſcopum, & Widonem *ſanctæ* Placentinæ Eccleſiæ Epiſcopum, *excellentiſſimos fideles atque Conſiliarios noſtros, noſtram humiliter exoraſſe celſitudinem, quatenus* Annæ *quondam* Imperatrici relictæ *divæ memoriæ* Berengarii Imperatoris, *noſtræ confirmationis Præceptum fieri juberemus, per quod duas Cortes olim de jure Regni noſtri pertinentes, quas idem Imperator ei contulit, id ſunt Cortes in Summo Lacu, quæ dicitur Ripa, & Cortes altera, quæ dicitur Mauriatica, confirmaremus & corroboraremus. Quorum petitionibus annuentes, prout juſte & legaliter poſſumus, confirmamus & corroboramus ei prædictas duas Cortes cum illarum integritatibus una cum caſis, terris, vineis, campis, pratis, paſcuis, ſilvis, ſalictis, ſationibus, aquis, aquarumque decurſibus, montibus, vallibus, alpibus, planiciebus, cum ſervis & ancillis utriuſque ſexus, cum Aldionibus & Aldianis, quæ dici vel nominari poſſunt, ad ipſas duas Cortes juſte & legaliter reſpicientibus in integrum: ut habeat, teneat, firmiterque poſſideat, habeatque poteſtatem tenendi, vendendi, donandi, commutandi, alienandi, pro anima judicandi, vel quidquid ejus decreverit animus faciendi, omnium hominum injuſta contradictione remota. Si quis igitur hujus noſtri Præcepti violator extiterit, ſciat ſe com-* D *poſiturum auri optimi Libras quinquaginta medietatem Kameræ noſtræ, & medietatem prædictæ Annæ olim Imperatrici, ſuiſque heredibus. Quod ut verius credatur, diligentiuſque ab omnibus in perpetuum opſervetur, manibus propriis roborantes, de anulo noſtro ſubter anotari juſſimus.*

Signum ſereniſſimorum  *Hugonis & Lotharii Regum.*

Locus Sigilli ✠ cerei deperditi.

Petrus Cancellarius ad vicem Gerlanni Archicancellarii recognovi & ſubſcripſi.

Data XVI. Kalendas Juli, Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXXXVII. *Regni verò Hugonis invictiſſimi Regis X. & Domni Lotharii item Regis V.* Indictione VIIII.


Actum Papiæ feliciter. Amen.

In

In Diplomate præcedenti mirati ſumus *Anni DCCCCXXXVI.* Menſem Februarium conjunctum cum *Indictione VIII.* Rurſus heic (& ſane in membrana ex altero Archivo depromtâ) reperimus Junium Menſem *Anni DCCCCXXXVII.* ſibi ſociatam habere *Indictionem VIIII.* ita ut una eademque Æra utrobique ſervata appareat. Recurrit ergo & heic idem nodus, qui ſupra; nam Anno DCCCCXXXVII. Junio Menſe in communi uſu decurrebat *Indictio X.* Aut ergo excogitanda aliqua alia ignota hactenus Indictionis, aut alia Anni periodus. Quod niſi placeat, dormitantibus Scribis luxationes ejuſmodi tribuendæ erunt. Mabillonius tamen Lib. 5. de Re Diplomatica ad Tabellam quinquageſimam primam, Bullam exhibet idiographam Paſchalis II. Papæ Anno MCIII. ſcriptam, in qua *Indictio X.* apponitur pro *XI.* tunc decurrente. Baluzius quoque ad Literas Innocentii III Papæ adnotavit, in Regiſtro ejus ad Annum X occurrere non ſemel *Indictionem IX.* quum tamen tunc in curſu haberetur *Indictio X.* Præterea Campius in Appendice Tomi primi Hiſtor. Eccleſ. Placentin. eorumdem Regum Diploma profert: *Datum VIII. Kalendas Januarii, Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXXXVI. Hugonis X. Lotharii verò V. Indictione Octava.* Ubi eaſdem Notas habes, quas nuper in Parmenſi conſpeximus, ita ut altera ex his Chartis alteram confirmet. Ad hanc eamdem rationem Æræ ſeſe accommodat Diploma Lamberti Auguſti, cujus authenticum eſt apud Canonicos Capituli Parmenſis, numquam antea editum. En ejus verba.

Privilegium Lamberti Imperatoris Canonicis Eccleſiæ Parmenſis conceſſum, Anno 899. ſive 898.

IN *nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis.* Lambertus *divina favente clementia* Imperator Auguſtus. *Convenit Imperiali arbitrio, ut Sacerdotum Deo famulantium res juſte quocumque modo adquiſitæ, ita ab ipſo corroborentur, ut poſtmodum a calumnioſis & pravis perſonis nequaquam auferri poſſint. Igitur omnium fidelium ſanctæ Dei Eccleſiæ, noſtrorumque præſentium ſcilicet & futurorum comperiat ſolercia, quod Canonici ſanctæ Parmenſis Eccleſiæ per* Amolonem *venerabilem* Epiſcopum, *Archicancellarium noſtrum, petierunt noſtram clementiam, ut Eccleſias, Capellas, Curtes cum Maſſariis & omnibus ibi adhærentibus vel pertinentiis, in finibus Parmenſis & Regienſis Parrœchiæ ſitas, quæ quondam a* Wibodo Parmenſi Epiſcopo, *& Vulgunda Deo dicata poſſeſſæ, & in illorum dominio detentæ probantur, & legaliter in poteſtate prædictorum Canonicorum quocumque modo, aut undecumque devolutæ per paginam ſcriptionis noſcuntur, noſtro eas corroboraſſemus & confirmaremus edicto. Quorum petitionibus pro affectu pro omnipotentis Dei, & ejuſdem Genitricis beatæ Mariæ debito amore conſulentes juſſimus eis hoc noſtrum fieri* Præceptum, *per quod tam Eccleſias, Capellas, quam Curtes cum Maſſariis & omnibus ſibi ſubditis & pertinentiis in finibus Parmenſis & Regienſis, vel in circuitu locatas, quas* Wibbodus *Epiſcopus & Vulgunda Deo dicata in jus & dominium per paginam ſcriptionis & legitimam veſtituram habuiſſe & tenuiſſe dinoſcuntur, & de ipſis videlicet* Wibbodo *Epiſcopo & Vulgunda, quomodocumque aut undecumque per legitimam firmitatem & ſcriptionem in dominio & poteſtate ipſorum Canonicorum integriter perveniſſe manifeſtum eſt, noſtra Imperiali auctoritate in integrum, ut dignum eſt, prædictis Canonicis firmamus & conſervamus, ſicut ab ipſis* Wibbodo *& Vulgunda eis traditæ ſunt; ut nulla magna parvaque perſona temere in parte vel in toto ſe intermittere præſumat abſque legali judicio, vel ſacri Palatii noſtri diffinitione. Si verò quiſquam invaſor aut temerator hanc noſtram auctoritatem parvipendens præſumptioſe violare tentaverit, cognoſcat ſe ſecundùm Capitulare noſtrorum anteceſſorum Regum & Imperatorum diſtricte judicandum, & inſuper ſolviturum triginta Libras auri optimi, medietatem Palatio noſtro & medietatem ipſis Canonicis, quibus violentia illata fuerit. Verùm ut hæc noſtræ conceſſionis veritas ſtabilius certiuſque credatur & obſervetur, manu propria ſubter firmavimus, & anuli noſtri impreſſione inſigniri juſſimus.*

Signum Domni  *Lamberti ſereniſſimi Imperatoris Auguſti.*

Locus Sigilli ✠ cerei deperditi.

Englinus Cancellarius ex juſſione Domni Lanberti Imperatoris recognovi & ſubſcripſi.

Data VI. Kalendas Auguſti, Anno Incarnationis Domini DCCCXCVIIII. *Domni quoque Lanberti piiſſimi Imperatoris VI.* Indictione I.

Actum Papiæ Urbe Ticinenſi, in Dei nomine feliciter. Amen.


Anno DCCCXCIX. in curſu erat *Indictio Secunda.* Cur ergo heic *Prima?* Ad iſta concilianda præſto erit Annus Piſanus, qui in curſu eſſe incipiebat die XXV. Martii, ac novem menſibus communem Annum noſtrum anticipabat. Quare heic non Annum DCCCXCIX. ſed quidem DCCCXCVIII. deſignatum reor. Quod etiam evidentius agnoſcimus; nam eo ipſo Anno DCCCXCVIII. raptus eſt e vivis Lambertus, cui propterea non licuit Anno inſequenti Privilegia largiri. Hiſce poſitis, jam videmus, non facile antiquis Chartis autographi ſpeciem referentibus crimen falſi affingendum eſſe, quod interdum leve aliquod diſcrimen intueamur inter Annum Chriſti & Indictionem. Sed minime heic diſſimulandus eſt gravior alter nodus in hiſce Diplomatis rurſus mihi deprehenſus. Cum Anno DCCCCXXXVI. *Octavo Kalendas* Fe-

Februarii in Parmenſi primo Diplomate conſignatum vidimus *Annum X. Hugonis*, & *Annum V. Lotharii*. Rurſus verò in Ticinenſi ipſiſſimam eamdem Epocham Regni reperimus, quamquam Diploma datum fuerit Anno DCCCCXXXVII. *Sexto decimo Kalendas Julii*. Equidem ignoro, quei umquam componi poſſit ejuſmodi pugna. Idcirco nunc iterum præ oculis meis cuperem membranas eaſdem, ut accuratius inſpicerem, an ita ſe habeant characteres, ut ego expreſſi. Certe, quando non aliter ibi ſcriptum fuerit, alterutrum ex hiſce Diplomatis vitio aliquo laborare ſtatuendum eſt. In utrum vero ex iis ſuſpicio, ſive ſententia iſta caſura ſit, tunc agnoſcere liceret, ſi certo teneremus, a quo revera Anno & Menſe deducenda foret Epocha Regum Hugonis & Lotharii. Erunt heic alicui uſui nonnullorum Archivorum Chartæ, inter quas tamen majorem concordiam exoptaſſem. Lucenſis Charta viſitur exarata *Anno I.* Hugonis Regis *Kalendis Novembris Indictione XV.* hoc eſt, ut opinor, *Anno DCCCCXXVI.* Altera *Anno VII.* Hugonis & *Secundo* Lotharii, *III. Kalendas Martii, Indictione Sexta*, ideſt *Anno Chriſti DCCCCXXXIII.* Eſt & alia Charta ſignata *Anno X.* Hugonis Regis, die VI. Julii, *Indictione IX.* ubi mentio eſt *Boſonis Ducis Tuſciæ*, quæ proinde ſcripta fuit *Anno DCCCCXXXVI.* In altera Charta Notæ iſtæ occurrunt: *Hugo gratiâ Dei Rex, Anno Regni ejus Deo propitio Secundo, ipſa die Kalendarum Januarii, Indictione Prima.* Ibi mentio eſt *Widonis Ducis Tuſciæ*, & Charta pertinet ad Annum DCCCCXXVIII. Exſtat ejuſdem Hugonis Charta, exarata *Regnante Domno Ugho Rex ic in Italia Anno Quinto de Menſe Aprilis, Indictione Quarta*, hoc eſt Anno DCCCCXXXI. quam legi ac vidi in Archivo Canonicorum Mutinenſium. Ibidem altera Charta, in qua *Ubertus Abbas* Monaſterii Brixiani Leonenſis agros in Villa Bajoariæ ſitos in emphyteuſim concedit, ſcripta fuit: *Ugo & Lothario filio ejus Reges, Anno verò Domno Ugoni Duodecimo, & Domno Lothario Septimo, die decimo*

A *præſentis Menſis Aprilis, Indictione Duodecima.* Hæc deſignant Annum Chriſti DCCCCXXXIX. Tertia in eodem Archivo occurrit ſcripta *Regnante Domno noſtro Hugho gratia Dei Rex ic in Italia Anno Octavo, & regnante Domno noſtro Loctario filio ejus gratia Dei Rex ic in Italia Anno Tercio, & dies XII. de Menſe Julio, per Indictionem VI.* Habes heic Annum Chriſti DCCCCXXXIII. In Diſſertatione LXII. *de Canonicis* exeram iſtorum Regum Diploma datum *VII. Kalendas Aprilis, Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXLI. Regni Domni Ugonis Regis XV. filii ejus Lotharii item Regis X. Indictione XIV.* Exſtat ejuſdem Hugonis Diploma apud Boldonum de Epiſcop. Parmenſib. &
B apud Ughellium, datum *XIII. Kalendas Martii, Indictione XV. Anno Primo Regni, Anno DCCCCXXVII.* Et alterum datum *Anno IV. Regni, Anno DCCCCXXIX. quarto Idus Maji, Indictione II.* Concordia inter ſe minime videntur cuncta hæc Acta: vix tamen falli poſſumus, ſtatuendo, Hugonem renuntiatum fuiſſe Regem *Anno Chriſti DCCCCXXVI.* & quidem *Menſe Aprili*, aut ante diem *IV. Idus Maji*. Quare aſſequi non poſſum, cur *Annus X.* Regni Hugonis in Diplomate Ticinenſi nuper evulgato conjunctus incedat cum die *XVI. Kalendas Julii Anni DCCCCXXXVII.* Certe vitio laborant, quæ in Chronico parvo Regum Italiæ (vide Tom. 2. Anecdotorum meorum pag. 205.)
C ſcripta fuere: ſcilicet *Ugo intrabit, & percurrit Indictio Octava*. Nam Anno DCCCCXXVI. in curſu fuit *Indictio XIIII.* Librarius indoctiſſimus fortaſſe illud XIIII. converterit in *VIII.* Neque prætereundum puto, occurrere interdum Diplomata, in quibus aut locus dati Diplomatis, aut Indictio deſideratur: qui defectus, niſi quando alia vitia confluant, minime idoneam præbet falſitatis ſuſpicionem. Et quoniam heic agimus de Hugone & Lothario Regibus, ereptum heic volo tenebris eorum Diploma, mihi inſpectum in Archivo Capituli Canonicorum Patavii, atque autographi ſpeciem omnino præferens. Ibi nulla *Indictionis* mentio.

Hugo & Lotharius Italiæ Reges Adeverto Epiſcopo Patavino, ejuſque Eccleſiæ, omnia illius Privilegia & jura confirmant, Anno 942.

I*N nomine Domini Dei æterni*. Hugo & Lotharius *divina favente clementia* Reges. *Si Catholicæ Fidei &c. notum eſſe volumus, qualiter pro Dei amore, noſtrarumque animarum remedio ac interventu* Ambroſii *ſanctæ* Laudenſis Æccleſiæ *venerabilis* Pontificis, *noſtrique dilecti fidelis, nec non pro devoto ſervitio ac fidelitate* Adeverti *ſanctæ* Patavienſis Æccleſiæ Epiſcopi, *per hujus Precepti noſtri confirmationem, prout juſte & legaliter poſſumus, confirmamus ac corroboramus ...... Æccleſiæ in honorem Beatæ Dei Genetricis Mariæ, & Ju-*
D *ſtinæ Martyris conſtructæ, omnes res ac poſſeſſiones ſeu familias utriuſque ſexus ..... Præcepta Regum & Imperatorum* Caroli, Lotharii, *atque* Berengarii, *aliorumque Regum Predeceſſorum noſtrorum collatas. Privilegia quoque & omnes liberalitates eidem Æccleſiæ hactenus legaliter conceſſas, ſicut textus ſcripturæ diſcernit. Verùm etiam omnia prædia & oblaciones, quas habet legalis titulo ſcriptionis, ad ipſam Æccleſiam devolutas, adquiſitas & adquirendas, omnimodis confirmantes ſancimus. Statuentes ut nullus Dux, Marchio &c.*

Signum Domnorum  *Hugonis & Lotharii Regum .....*

Locus Sigilli ✠ cerei deperditi.

Teodulfus Diaconus ...... anus ad vicem Boſonis Epiſcopi & Archicancellarii Regio juſſu recognovi & ſubſcripſi.

Data VIII. Kalendas Junii, Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXLII. Regni verò Domni Hugonis XVI. Lotharii verò XI.

Actum in Garda Opido, feliciter.

In

In aliis certe eorumdem Regum Diplomatis conſignatam videas Indictionem. Nuper ex iis duo evulgavi. Tertio huic nunc quartum adtexo, cujus authenticum textum, mutilum tamen, vidi Arretii in Archivo Monachorum Benedictinorum Sanctarum Floræ & Lucillæ, non indignum quod tenebris eripiatur.

Hugonis & Lotharii Regum Italiæ Diploma, quo Monachis Sanctarum Floræ & Lucillæ quædam loca confirmantur, Anno 933.

.... in ſanctis & venerabilibus locis quicquam ex his, quæ poſſidemus, offerimus, procul dubio præſentis & æternæ vitæ premium ...... Aretinenſem Epiſcopum, *dilectumque fidelem noſtrum, noſtram humiliter adiiſſe clementiam, quatinus pro Dei omnipotentis timore ..... quandam Eccleſiam in honore Sanctæ Mariæ conſtructam in Monte Jonio ædificatam, cum omnibus rebus & familiis ad eam in integrum pertinentibus ...... pertinentem, & omnem illam Terram, quæ* Mater noſtra *Berta a Camerino adquiſivit in Monte Ferentino, atque de Silva Muclani quicquid Regie parti legaliter pertinere videtur, noſtra præceptali auctoritate .... quam* frater noſter Boſo .... *quas laboravit Bonipertus liber homo, confirmare & corroborare curaviſſemus ..... libenti animo pro Dei amore aſſenſum prebentes, predictam Eccleſiam cum ſua integritate omnibus rebus & familiis ad eam pertinentibus, nec non & .... eandem Eccleſiam Regiæ poteſtati pertinente, & omnem aliam terram in Monte Ferentino, quam mater noſtra Berta a Camerino adquiſivit, & predictam Silvam, in quantum legaliter ad noſtram Regiam Partem pertinet, prout juſte & legaliter poſſumus, eidem Eccleſiæ, & predictæ Congregationi pro Dei amore, animeque noſtre concedimus & largimur. Sortem inſuper in Querceto, quam frater noſter per cartulam predictæ dedit Congregationi, jam dictæ Eccleſiæ & Congregationi confirmamus & corroboramus ...... predictam videlicet Eccleſiam & Campum Regium ..... & Terram in Monte Ferentino, Silvam vero atque Sortem predictæ Sanctæ Floræ Eccleſiæ ejuſdemque Congregationi, eorumque ſucceſſoribus ibidem militantibus una cum predicta Capella, Caſis, terris, vineis, campis, pratis, ſilvis, paſcuis ..... aquis, aquarumque decurſibus, montibus, vallibus, alpibus, planitiebus, cum ſervis & ancillis, & cum omnibus, quæ dici vel nominari poſſunt, ad prædictam Eccleſiam vel campum, ſeu ad Silvam vel Sortem juſte & legaliter pertinentibus, & res prædictas in integrum, quatinus .... teneant firmiterque poſſideant ..... Si quis igitur hujus noſtri Precepti violator extiterit, ſciat ſe compoſiturum auri optimi Libras quinquaginta, medietatem Kameræ noſtræ, & ...... Quod ut verius credatur, diligentiuſque in poſterum conſervetur, manibus propriis roborantes, de anulo noſtro ſubter anotari juſſimus.*

Signum ſereniſſimorum  *Hugonis & Lotarii Regum.*

Locus Sigilli ✠ cerei deperditi

Petrus Cancellarius ad vicem Gerlanni Abbatis & Archicancellarii recognovi & ſubſcripſi.

.... Dominicæ Incarnationis DCCCCXXXIII. *Regni autem Domni Hugonis VIII. & Domni Lotharii item Regis III.* Indictione VI.

Actum in Dom .... feliciter ....


Ita in Archivo Canonicorum Mutinenſium vidi eorumdem Regum Diploma *Datum Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXXXIV. Regni autem Domni Hugonis invictiſſimi Regis Octavo, & Domni Lotharii item Regis Tertio, Indictione VII. Actum in Prata Palude*. Animadvertere etiam juvabit, Puricellium in Monumentis Baſilic. Ambroſian. non uno in loco tradidiſſe, veteres Mediolanenſes exordium feciſſe Anno novo, non Kalendis Januarii, ſed die XXV. ſubſequentis Martii: quem morem adhuc Florentini ſervant. Atque is propterea appellabatur *Annus ab Incarnatione*. Contendit ille propterea pag. 237. Diploma Caroli Craſſi *Datum XII. Kalendas Aprilis Anno ab Incarnatione Domini DCCCLXXX. Indictione XIII.* ſpectare ad Annum Chriſti DCCCLXXXI. Et pag. 421. Heribertum Archiepiſcopum e vivis exceſſiſſe Anno MXLVI. quum in ejus Epitaphio diem ſuum obiiſſe dicatur *Anno Dom. Incarn. MXLV. XVI. die Menſis Januarii, Indictione XIII.* Ita pag. 750. referendam eſſe ait ad Annum Chriſti MCLXII. Chartam ſcriptam *Anno Dominicæ Incarnationis MCLXI. Undecimo die Menſis Martii, Indictione Nona*. Sed mihi Puricellii ſententia minime probatur. Namque Indictio in iis Chartis adhibita illius calculis omnino adverſatur. Si in Diplomate Caroli Craſſi deſignatus fuiſſet Annus Chriſti vulgaris DCCCLXXXI. *Indictio XIV.* non *XIII.* decurriſſet *XII. Kalendas Aprilis*. Ita Anno MXLV. Heribertus Archiepiſcopus deceſſiſſe dicitur, currente *Indictione XIII. die XVI. Menſis Januarii*. At ejuſmodi Indictio quum pertinere non poſſit ad Annum MXLVI. neceſſe eſt, ut ibi revera indicetur vulgaris noſter Annus MXLV. In errorem induxiſſe Puricellium videntur Codicilli ipſius Heriberti, ſcripti *Anno ab Incarnatione Domini Jeſu Chriſti MXLV. Menſe Decembris, Indictione XIII.* quumque is poſtea vivendi finem fecerit eodem *Anno MXLV. die XVI. Januarii, Indictione XIII.* ſibi perſuaſit vir alioquin accuratiſſimus, Annum Mediolanenſem MXLV. excurriſſe in tres primos Menſes Anni vulgaris MXLVI. Verùm illi animadvertendum erat, Populos olim complures Annum novum inchoaſſe die Natalitio Domini, ſive die XXV. Decembris, novæque

væque Indictioni exordium datum fuiſſe Septembri Menſe. Quare Heriberti tabulæ poſtremæ ſcriptæ fuerunt poſt diem XXV. Decembris Anni MXLIV. communis, quo tempore ſecundùm Epocham Mediolanenſem, aliarumque gentium, jam decurrebat Indictio XIII. & inchoatus fuerat novus *Annus MXLV*. die XXV. Decembris. Itaque hanc ſuam ſententiam perſuaſit quidem Mabillonio Puricellius, non verò mihi. Neque prætermittendum, veteres paſſim numeraſſe Annos ab *Incarnatione Domini*, quamquam revera Annus novus deduceretur aut a Nativitate aut a Circumciſione Domini. Hoc autem diſcrimen inchoantium Annum aut a Nativitate Chriſti, aut a Kalendis Januarii, aut a Paſchate, aut a die XXV. Martii, non modicas parit tenebras in veterum Chartis; & nodos quoſdam exhibet, difficiles primo aſpectu, qui tamen collati cum aliis, & vetuſtis

A ritibus melius perſpectis, deinde evaneſcunt. Sunt & aliæ Chartæ, in quas irrepſere nævi ex oſcitantia Scribarum. Atque hi longe frequentiores deprehenduntur in apographis, ſive quod Notariis aut Librariis recentioribus ſatis peritiæ non eſſet ad antiquam ſcripturam rite intelligendam, ſive quod parum ſtudioſe ſuo munere fungerentur. Inter haſce ambages Critico homini Prudentia ſemper comes ad latus itura eſt, ne præter falſas ac ſuppoſiticias tabulas configat etiam ac damnet veras. Neque profectò tam moroſis eſſe nobis licet, ut ob leves quaſque cauſſas rigidâ cenſurâ agamus in antiquas tabellas; eoque diligentius abſtinen-
B dum eſt a quærendis nodis in ſcyrpo. Itaque ſtatuo tibi Diploma Widonis Regis, nondum Imperatoris, quod in Archivo inſigni Capituli Canonicorum Parmenſium adſervatur, tuam auditurus ſententiam.

Donatio Inſulæ juxta Padum poſitæ cum aliis terris facta per Guidonem Italiæ Regem Eccleſiæ Sancti Nicomedis de Fontana Broculi, Anno 889.

IN *nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis.* Wido *gratia Dei* Rex. *Juſte quidem fore credimus, ſi fidelium noſtrorum petitionibus pio affectu conſulimus, pro quibus æterna adipiſci non diffidimus premia. Igitur omnibus Fidelibus ſanctæ Dei Eccleſiæ, noſtris, præſentibus ſcilicet & futuris notum ſit, quia* Wibodus *venerabilis ſanctæ* Parmenſis Eccleſiæ Epiſcopus *noſtram adiit excellentiam, quatinus quandam Inſulam, ſitam juxta Padum, cum quibuſdam rebus in Vicum Peciatum, & in Caput Tari poſitas, quæ pertinent de Comitatu Parmenſi, pro animæ noſtræ, noſtrorumque parentum remedio, in Eccleſia Beati Nicomedis Martiris Chriſti, ſita in Fontana Broculi, ubi ejuſdem Corpus requieſcit, per noſtrum jure proprietario ibidem concederemus Edictum. Cujus precibus aures noſtræ manſuetudinis accommodantes, & illius erga nos adtendentes devotionem, atque ob æternam retributionem, juſſimus hoc noſtrum fieri Præceptum: per quod concedimus & donamus in ipſo venerabili loco Fontana Brocoli predictam Inſulam, quæ ſunt juges quinquaginta quinque . . . . . illas in Vicum Peciatum, quæ ſunt juges quinquaginta, quæ reguntur per Qui-*
C *racem & Urſum germanos; & illos in Caput Tari, quæ ſunt juges triginta ſex: totum in integrum, ut ſupra diximus, in ipſo Sancto loco Fontana Brocoli concedimus jure proprietario, ſicut ad jus Regium pertinent, & de noſtro jure in jus & dominium ipſius venerabilis Loci transfundimus & perdonamus habendi, tenendi, & faciendi quicquid voluerit ex noſtra pleniſſima largitate. Precipientes & interdicentes, ut nullus Dux, Comes, Gaſtaldius, vel ulla omnino perſona in ſupradictis rebus aliquam diminorationem vel invaſionem aut violentiam præſumat facere, ſed liceat Wibodo venerabili Epiſcopo vel ipſi ſancto loco prefatas res cum omnibus ſuperioribus & inferioribus ſuis, noſtris & futu-*
D *ris temporibus quieto ordine tenere & habere. Si quis vero, quod minime credimus fieri, contra hoc noſtrum ceſſionis Preceptum in aliquo minui vel corrumpere, aut violentiam facere vel ire temptaverit, ſciat ſe compoſiturum triginta Librarum argenti eidem venerabili loco in Fontana Broculi. Et ut noſtræ donationis auctoritas ab omnibus obſervetur, veriuſque credatur, manu propria ſubter firmavimus, & anuli noſtri impreſſione inſigniri juſſimus.*

Signum  *Domni* Widonis *glorioſiſſimi Regis.*

Locus Sigilli ✠ cerei deperditi.

Ad vicem Helbunci Cancellarii Heurardus Capellanus juſſu Regis ſcripſi & ſubſcripſi.

Data VIII. Kalendas Maji, Anno Incarnationis Domini DCCCLXXXVIIII. *Anno II. Regnante Domno* Witone *Rege in Italia*, Indictione VIII.

Actum Placentiæ in Dei nomine feliciter: amen.


Conjunctam heic habes cum die *IX. Kalendas Majas Anni DCCCLXXXIX. Indictionem VIII.* Atqui eo Anno & Menſe *Indictio VII.* ſignabatur. Heic locum minime habere poteſt Annus Piſanus, aut Florentinus, uti neque varius Indictionis uſus. Tibi-ne igitur rejicienda ob ejuſmodi mendam præfracte membrana? Equidem cenſeo, mitius agendum, erroremque potius eſſe referendum ad Scribam Regii

E Cancellarii, aut ad alias cauſſas, propter quas integra ac ſincera eſſe non deſinunt antiqua Diplomata. Ad ſubſequentem Annum DCCCXC. ſpectat Berengarii Diploma in Archivo Capituli Canonicorum Regienſium exſiſtens, quod legendum omnibus nunc ſiſto, ut unde vitium inibi a me deprehenſum proceſſerit, inveſtigemus.

Donatio

Donatio Curtis Mercoriaticæ facta Johanni Presbytero a Berengario I. Italiæ Rege, Anno 890.

A IN *nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Dei æterni*. Berengarius Rex. *Quia fidelium noſtrorum petitionibus more preceſſorum noſtrorum aures clementiæ noſtræ accommodamus, fideliores & promptiores eos in noſtro credimus eſſe ſervitio. Quapropter omnium fidelium ſanctæ Dei Eccleſiæ, noſtrorumque, preſencium ſcilicet ac futurorum comperiat induſtria, qualiter interventu & petitione* Berchtilæ *dilectæ* Conjugis & conſortis Regni noſtri, *nec non* Adelardi *venerabilis* Epiſcopi *fidelis noſtri, Johanne Presbiter celſitudinis noſtræ clementiam expetiit, ut ei Cortem noſtram, quæ dicitur Mercoriatico, in territorio Regienſi, quæ actenus pertinuit ad eumdem Comitatum, concederemus. Nos igitur tam pro omnipotentis Dei amore, & animæ noſtræ, preceſſorumque noſtrorum mercede, quamque etiam pro ipſius fidelis noſtri, predictam Cortem noſtram Mercoriatico, quæ pertinuit de ſupraſcripto Comitatu Regienſi, cum omnibus pertinentiis & adjacentiis ſuis in integrum, mobilibus & immobilibus, ſervis quoque & familiis utriuſque ſexus, caſis videlicet, terris, hortis, pratis, paſcuis, vineis, campis cultis, & incultis, ſilvis, arboribus pomiferis & impomiferis, montibus, vallibus, planiciebus, ripis, rupinis, aquis, aquarumque decurſibus, ſeu & molendinis adque piſcacionibus . . . . . . quoque & familiis utriuſque ſexus, de noſtro jure & dominio in ejus jus & poteſtatem modis omnibus jure proprietario nomine concedimus & perdonamus: ut habeat, teneat, adque poſſideat, faciatque exinde quicquid ejus decreverit animus vel voluntas, poteſtatemque habeat donandi, vendendi, commutandi, ſeu pro anima judicandi, vel quicquid voluerit faciendi, remota totius poteſtatis inquietudine. Si quis autem contra hoc* B *noſtrum Preceptum quandoque inſurgere temptaverit, ſciat ſe compoſiturum triginta Libras auri optimi, medietatem Palacio noſtro, & medietatem ſepe nominato Johanne Presbitero, aut cui donare voluerit. Ut autem ab omnibus verius credatur, diligentiuſque obſervetur, manu propria ſubter confirmavimus, & anuli noſtri impreſſione inſigniri juſſimus*.

Signum  *Domni Berengarii glorioſiſſimi Regis*



Reſtaldus Notarius juſſione Regis ad vicem Adelardi Epiſcopi & Archicancellarii recognovi & ſubſcripſi.


Data III. Nonas Novembris, Anno Incarnationis Domini DCCC. & XC. *Anno verò Domni Berengarii glorioſiſſimi Regis I. Indictione VII.*

Actum Verona, in Dei nomine feliciter. Amen.

Si quod umquam Diploma ſigna certa prætulit legitimorum natalium, in iſto Regienſi C eadem ſane ego intuebar, & præcipue, quod ibi adhuc perſeveret Sigillum cereum integrum Berengarii, ſpeciem juvenis, ut inſpicienti patet, præ ſe ferentis. Hoc autem adnotes velim; Miræus enim in Codic. Donation. piar. Cap. XV. tabulas poſtremas adferens *Everardi Comitis* (is Berengario pater fuit), eas cenſuit ſcriptas Anno Chriſti DCCCXXXVII. quæ ſententia, ſi vera foret, exhiberet nobis Berengarium jam tum natum, utpote qui in eodem teſtamento a patre memoratur. Non immerito Hadrianus Valeſius opinionem Berengarii tam longævi improbavit in Prolegomen. ad Panegyric. ejuſdem Berengarii, rectiùs arbitratus, teſtamentum Everardi referendum eſſe ad Annum DCCCLXVII. Miror, Foppenſium in editione Secunda Miræi, procuratâ Bruxellis Anno MDCCXXIII. nihil profeciſſe ex tam juſta cenſura Valeſii, quam nunc Sigillo iſto confirmatam habemus, quum Berengarius ibi Anno DCCCCXC. non virili, ſed juvenili ætate ſpectandum ſe præbeat. Conſonant ergo omnia, ut archetypum credamus Præceptum iſtud. Nihilo tamen ſecius datum dicitur *III. Nonas Novembris, Anno Incarnationis Domini DCCC. & XC. Anno Regni I. Indictione VII.* quod ſane contra Chronologiam apertiſſime pugnat. Eo ſiquidem Anno in curſu fuit *Indictio VIII.* & fortaſſis *Indictio IX.* à Kalendis Septembris inchoata; neque tunc Berengario decurrebat *Annus primus Regni*, ſed quidem *Tertius*. Quis non heic hæreat, & in gravem ſuſpicionem fraudis impellatur? Verùm ego curioſe oculos in pergamenam intendens, animadverti aliquid inde corraſum fuiſſe ex iis Notis: quod quare, aut quando factum fuerit, divinare non auſim. Nempe una aut duæ numerales unitates inde olim exciderunt, aut de conſilio ereptæ fuerunt, ita ut ſcriptum ibi primùm opinari liceat: *Regis III. Indictione VIII.* aut *VIIII.* In altero ejuſdem Regienſis Archivi Diplomate idem infortunium animadverti. Hæc ejus verba.

Confirmatio Inſulæ Suzariæ facta a Carolo Craſſo Imperatore Aaroni Epiſcopo Regienſi, ejuſque Eccleſiæ, Anno 883.

I*N nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis.* Karolus *divina favente clementia* Imperator Auguſtus. *Si ut Sanctorum loca ditentur, quo eorum Præſules, ceterique Miniſtri uberius omnipotenti Domino valeant deſervire, munus quoddam conferimus Eccleſiis divino cultui dicatis, noſtrorum normam ſequentes predeceſſorum, & in preſenti ſeculo proſerari,* (*) *atque in futuro veniam conſequi non dubitamus eternam. Notum igitur induſtriæ omnium fidelium ſanctæ Dei Eccleſiæ, noſtrorumque tam preſentium quam futurorum fieri cupimus, quia venerabilis* Liutuardus Epiſcopus, *ſummuſque* Archicancellarius ac Conſiliarius noſter, *ſuppliciter ſuggeſſit magnitudinem noſtram, quatenus ob divini zelum intuitus, perpetuamque Imperii noſtri divinitus nobis collati ſtabilitatem, omnes res tam mobiles quamque immobiles, ſeu familias utriuſque ſexus, liberos, libellarios, ſervos, ancillas, & aldiones, Beati Proſperi Confeſſoris Chriſti Epiſcopatus Regienſis undecumque ipſi ſancto Loco, cui* Aaron *reverentiſſimus* Epiſcopus *præeſſe videtur, juſte & legaliter devoluta ſunt, vel Dominus dederit quocumque modo, precipue quidem quandam Inſulam dudum nobis in ipſo ſancto Epiſcopio conceſſam, quæ nominatur Sugzara, in Comitatu Brixienſi, pertinens uſque tunc ad jus Imperii noſtri, poſita inter Padum & Zaram cum Curte & Capellis, cum Piſcaria atque Silvis, manſis quoque omnibus, qui ſunt in ipſa Inſula de predicto Comitatu olim pertinentibus, cum omni integritate rerum mobilium ſeu immobilium vel familiarum jure proprietario ad honorem ipſius ſancti loci confirmaremus. Cujus precibus aures* A *benivolentiæ noſtræ hilariter inclinantes, prefatæ ſanctæ Regienſis Eccleſiæ, in qua jam dicti Corpus Beati Proſperi conjacet, eidem Aaron venerabili Pontifici, ſuiſque ſucceſſoribus ad utilitatem & exaltationem ipſius Epiſcopii cunctas res & poſſeſſiones legitimas predicti Pontificatus, & eandem Inſulam Sugzaram cum Curte & Capellis, cum piſcaria, ſilvis, etiam cum prenominatis Manſis, qui ibidem inſunt ex jam dicto Brixienſi Comitatu olim pertinentibus, cum omni integritate rerum ſive familiarum, cunctiſque pertinentiis vel adjacentiis ſuis, fundis quoque & locis ſeu Paludibus & Inſulis, ubicumque eſſe videntur in alveis vel curriculis Padi, ſicuti* B *ex antiquo ad ipſa loca pertinere videntur, quique ab hominibus ipſius Pagi nominantur Pullicini, per hoc noſtræ pietatis Præceptum perpetualiter confirmamus, modiſque omnibus ſtabilimus, quatenus idem Aaron reverendus Pontifex, ejuſque ſucceſſores poteſtatem habeant de his & omnibus aliis rebus ipſius ſancti loci ad utilitatem ſancti Epiſcopii facere ſecundùm Deum, quod melius previderint vel decreverint, remotâ totius poteſtatis inquietudine. Si quis autem, quod non credimus, hujus noſtræ munificentiæ quolibet ingenio vel argumento violator extiterit, trecentas Libras auri obrizi componere cogatur, medietatem Palatio noſtro, & medietatem* C *parti ipſius Eccleſiæ. Inſuper etiam infamiâ publicâ notatus tamquam ſacrilegus ab omnibus habeatur. Et ut verius credatur & diligentius ab omnibus obſervetur, manu propria ſubter firmavimus, & de bulla noſtra ſigillari juſſimus.*

Signum  *Domni Karoli ſereniſſimi Imperatoris Auguſti.*

Inquirinus Notarius ad vicem Liutwardi Epiſcopi & Archicancellarii recognovi.

Data VIIII. Kalendas Junii, Anno Incarnationis Domini DCCCLXXXI. Indictione I. *Anno verò Domni Karoli ſereniſſimi Imperatoris III.*

Actum in Monaſterio Nonantole, in Dei nomine, feliciter. Amen.

Adſunt foramina, per quæ tranſibant chordulæ bullæ pendentis.


Inſula *Suzaria*, quam Carolus III. Auguſtus Eccleſiæ Regienſi confirmat, non alia fuiſſe mihi creditur, quàm quæ adhuc *Suzara* appellatur, Caſtrum in Mantuano agro ſitum, ſub Regienſi Diœceſi cis Padum, paucis a Wardiſtallo ſive Guaſtallâ millibus paſſuum diſtans. Hinc autem diſce temporum & fluviorum vices. Tunc ea Inſula erat *in Comitatu Brixienſi pertinens*. In Diplomate Ludovici II. Imperatoris eidem Eccleſiæ dato apud Ughellium in Appendice ad Tom. quinctum, pag. 1568. primæ edition. memoratur etiam *Inſula Regni noſtri Italici*, quæ *nominatur Suzaria in Comitatu Brixienſi*, *ideſt inter Padum & Zaram*. D Infra eadem Inſula poſita dicitur *in Comitatu eodem Regienſi*: ſed mendum iſtud Ughellio excidit; rurſus enim in archetypo legitur *Brixienſi*. In altero Diplomate Regienſi Ludovici III. Imperatoris occurrit apud eumdem Ughellium *Inſula*, *quæ Erezara vocatur*, *inter Padum & Xaram fluvium* conſtituta, *cum aliis Inſulis*, *quæ vulgo Pulcini vocantur*. Corrige & ſcribe, ut in autographo, *quæ Suzara vocatur*, *& quæ vulgo Pulicini vocantur*. Erant enim *Pulicini*, nunc Italice *Poleſini*, quorum adhuc apud Ferrarienſes frequens mentio, congeſtus terrarum, ſive Inſulæ, quas Padus potiſſimum, aliique fluvii tunc, ſine lege vagantes,

(*) Ideſt, *proſperari*: pro qua voce Scriba *proſerari* ſcripſit.

ctis, ſive Paduſa, in medio relinquebant, ad quas excolendas finitimus Populus e veſtigio convolabat. Vide ſupra Diſſert. XXI. *de Italiæ ſtatu*. Itaque Suzaria pertinens eo tempore ad Comitatum Brixianum, ſita fuiſſe videtur ultra Padum, quum nunc eam cis idem flumen intueamur. Redeo ad Notas Chronologicas archetypi hujus Diplomatis, in quo, ut vidi, aperte legitur *Annus Incarnationis Domini DCCCLXXXI.* Sed procul dubio legendum *DCCCLXXXIII.* quod etiam indicatur ab *Indictione Prima*, & *Anno Tertio Imperii* Caroli Craſſi: namque in eumdem Annum DCCCLXXXIII. hæc omnia conveniunt. Sed cur vitia tam enormia in membranis, quas autographas præſtamus? Mihi nata ſuſpicio, violatas interdum fuiſſe Chartas a recentioribus, non dicam ſciolis tantùm, ſed & doctis viris, quod eas arbitrarentur non ſatis reſpondere alicui præconceptæ aut Hiſtoricæ, aut Chronologicæ A opinioni; atque illas propterea auſu minime ferendo ad ſua vota accommodarint, reſcindendo aut addendo quod eis ſatius videbatur. Præterea in ipſos primi autographi Scribas oſcitantes rejiciendæ ſunt mendæ nonnumquam. Denique ſunt quæ ſpeciem autographi præferunt, quum tamen nihil aliud ſint, quàm apographa, ad imitationem archetypi omnino efformata. Nemo autem noſtrûm ignorat, quàm facile Librarii & Amanuenſes delinquant. Itaque tunc ſolùm adverſùs Diplomatum fidem imminet adverſa ſententia, quoties plura, eaque intoleranda vitia in ipſorum caput concurrunt. Alioquin inclinandum eſt in mitiorem partem, aut ſaltem continendum judicium. B Utar profectò ego hujuſmodi lege erga Diploma, quod olim deſcripſi ex Tabulario ſæpe laudati Parthenonis Ticinenſis Sanctæ Mariæ Theodotæ, ſive de Poſterula, atque heic editum volo.

Otto I. Imperator omnia Privilegia & jura confirmat Monaſterio Ticinenſi Sanctæ Mariæ Theodotæ, Anno 964.

IN *nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis*. Otto *divina protegente clementia* Imperator Auguſtus. *Si circa ſervos & ancillas Dei in venerabilibus locis famulantes, tuicionis noſtræ magnificentiam, noſtros predeceſſores imitantes, clementer impendimus, & apud Deum veniam promereri, & Regni noſtri ſtatum divina ope fulciri non ambigimus. Igitur omnium fidelium ſanctæ Dei Eccleſiæ, noſtrorumque, preſentium ſcilicet ac futurorum noverit induſtria, qualiter* Adeldag *venerabilis* Archiepiſcopus, *&* Landoardus Epiſcopus, *noſtri dilectiſſimi Conſiliarii, obtutibus noſtræ mageſtatis obtulerunt Præceptum divæ memoriæ* Hlodvici Imperatoris *noſtra pietate collatum in* Regingardam Abbatiſſam Monaſterii, quod dicitur Theodotæ, ſito infra Urbem Ticinenſem, *ſup-* C *pliciter poſtulantes, ut iterum in jam dictam Regingardam, quæ nunc eſt in eodem Cenobio Abbatiſſa, ſimiliter noſtrum emitteremus Preceptum. Quorum precibus noſtræ celſitudinis animum inclinantes, hoc immunitatis noſtræ Preceptum conſcribi juſſimus, per quod omnino precipientes jubemus, ut eadem Abbatiſſam degens ſub regula Sancti Benedicti id Monaſterium cum omnibus adjacentiis jure & legaliter pertinentibus, mobilibus atque immobilibus rebus adquiſitis & adquirendis uſque in finem vite ſue teneat atque poſſideat. Inſuper etiam confirmamus omnes res quaſcumque idem Monaſterium longo tempore dinoſcitur poſſediſſe a Gregorio ipſius Monaſterio fundatore: ideſt inter ceteras res Campus Zavani &c.* (*)

Signum Domni Ottonis  *ſereniſſimi Imperatoris.*

Locus Sigilli ✠ cerei deperditi.

Liutulfus Cancellarius ad vicem Widonis *Epiſcopi & Archicancellarii recognovi & ſubſcripſi.*

Data III. Nonas Januarias, Anno Dominicæ Incarnacionis DCCCCLIIII. *Regni vero Domni Ottonis ſereniſſimi Imperatoris III.* Indictione VIIII.

Actum ad Sanctum Ambroſium in itinere ipſius Imperatoris, in Dei nomine feliciter. Amen.

Aperte ſignabatur ibi *Annus Dominicæ Incarnationis DCCCCLIIII.* manifeſto tamen errore. Notiſſimum quippe eſt, Ottonem Magnum, qui heic dicitur *Imperator Auguſtus*, titulum hunc una cum Imperiali corona Romæ aſſumſiſſe Anno tantùm DCCCCLXII. Æquum eſſet excogitare, e calamo properantis Scribæ excidiſſe unum *X.* ipſumque ſcribere voluiſſe *DCCCCLXIIII.* Verùm non heic mendarum finis. Annaliſtâ Saxone teſte inter Hiſtoricos medii ævi ab Eccardo editos, Otto Anno DCCCCLXI. *Natale Domini Papiæ celebravit, indeque progrediens, Romæ &c. Imperator & Auguſtus coronatur.* Adventus ejus Romam & coronatio, quum exercitu ſtipatus incede- D ret, ante diem *III. Nonas Januarias* Anni DCCCCLXII. contigiſſe minime potuerunt. Itaque eo die recurrente, Anno, ut poſuimus, DCCCCLXIV. non *Annus III.* Imperii, ſed Secundus tantùm ei decurrebat. Aufertur etiam dubitatio omnis, num ſcilicet Januario an Februario Menſe Anni DCCCCLXII. Romana Ottonis Magni coronatio peracta fuerit. Quippe hæc tradit alter Chronographus Saxo, a Leibnitio evulgatus, ad Annum DCCCCLXI. *In Vigiliis Nativitatis Domini Corpus Sancti Mauritii* &c. *præfato Regi glorioſiſſimo Ratiſponæ allatæ ſunt. Celebratâ igitur ibidem Nativitate Domini* (Annaliſta Saxo apud Eccardum, Ticini actum ab Ottone Natalitium diem

(*) Ut habetur in aliis ejuſdem Monaſterii Diplomatis.

diem Domini rectius ſcripſit : qua de re Ottonem Friſingenſem , & Sigonium vide) *accelerato Romam itinere venit*, *ibique* &c. *aucta ſuper eum ſummi Pontificis benedictione* , *quarto Nonas Februarii Imperator & Auguſtus appellatur*. Solennis ea dies fuit , tum quod dies Dominica, tum etiam quod Purificato Virginis recurreret. Ergo in nuper edito Diplomate aut ſcribendum fuit *Anno DCCCCLXV. Anno III. Imperii* , aut *Anno DCCCCLXIV. Anno II.* Hæc gravia : ſed non minus durum, quod heic deſiderentur Anni Regni Ottonis , qui tamdiu ante regnare cœperat. Ibi ſcriptum : *Regni vero Domni Ottonis ſereniſſimi Imperatoris III.* Atque Annos dumtaxat *Imperii* contra morem & contra ſyntaxim expreſſos lego. Tamdem quod falcem ad radicem ponere videtur , *Indictio VIIII.* heic adhibita ſpectat ad Annum DCCCCLXVI. atque adeo cum reliquis Chronologicis Notis pugnat. Cuinam ergo in mentem veniat tueri Diploma tot inquinatum vitiis, & undique labans ? Mihi tamen liceat dicere, minime a vero abhorrere , Chartam illam ad inſtar autographi ſcriptam , nihil aliud eſſe quàm apographum a quopiam indiligenti & imperito Scriptore confectum, qui quum in archetypo reperiſſet *Annum DCCCCLXV.* poſtremas duas numerales notas *XV.* in quatuor unitates oculis parum attentis diviſit , uti & *Indictioni VIII.* quæ in autographo legebatur, unitatem incaute de ſua liberalitate adjecit. Quamobrem mihi nemo ſuccenſeat, ſi ſta-

A tim Præceptum hoc tamquam ſpurium minime abjicio, immo illud pertinere poſſe cenſeo ad Annum Chriſti DCCCCLXV. & Tertium Imperii Ottonis Magni , atque ad Indictionem VIII. Idque etiam elucere videtur ex poſtremis illius lineis, ubi legitur : *Actum ad Sanctum Ambroſium in itinere ipſius Imperatoris* . Audi Annaliſtam Saxonem Eccardi, ad eumdem Annum DCCCCLXV. *Imperator Natale Domini Papiæ celebravit ; & peracta feſtivitate ſtatim in Patriam, diſpoſitis in Italia Regni negotiis* , *commeavit* . Hæc cum Diplomate conſonant, ſi tamen Annaliſta ille Annum vulgarem ad finem Decembris deſinentem uſurpat : quod & ſupra feciſſe videtur.

B Potiſſimùm verò in examine veterum Chartarum concordia in rebus Hiſtoricis animadvertenda , magnique facienda eſt : facile enim heic ſuccumbunt recentiores Falſarii , plerumque inducti, ſi quando antiqua monumenta ſibi confingenda aſſumunt. At quoniam de Epocha Imperii Ottonis Magni actum nunc eſt , remnon antea dimittam , quàm cenſuræ Lectoris ſubjiciam alterum ejuſdem Auguſti Diploma . Inſpexi ego illud Veronæ (curante humaniſſimo & Cl. Viro Marchione Scipione Maffejo) in Archivo vetuſtiſſimi Monaſterii Sanctæ Mariæ ad Organum , nunc Monachorum Montis Oliveti . Apographum autem erat antiquum , ad inſtar archetypi efformatum , nullo Sigilli umquam appoſiti ſigno illic a me deprehenſo .

Otto I. Imperator hominibus incenſitis Monaſterii Veronenſis Sanctæ Mariæ ad Organum exemtionem a quibuſdam oneribus concedit, Anno 969. ſive 970.

IN *nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis* . Otto *divina annuente clementia* Imperator Auguſtus . *Notum ſit omnibus fidelibus ſanctæ Dei Eccleſiæ*, *noſtriſque*, *præſentibus atque futuris* , *quoniam interventu & obſecratione* Radaldei *ſanctæ* Aquilejenſis Eccleſiæ *reverentiſſimi* Patriarchæ , *quibuſdam Incenſitis Monaſterii Beatæ Mariæ ſemper Virginis* , *ſuiſque heredibus ac proheredibus uſque in perpetuum* , *habitantes videlicet in Villa Aciago* , *per hoc noſtræ donationis Præceptum concedimus pro Dei amore omnes pinſiones*, *herbaticum atque eſcaticum jure proprietario* , *quæ ad noſtram Regiam hactenus partem pertinuerunt*, *ut nullus deinceps hoc eos dare compellat*. *Santientes inſuper* , *ut nullius poteſtatis perſona eoſdem incenſitos in prenominata Villa degentes diſtringere* , *pignorare*, *flagellare*, *aut in aliquo moleſtare injuſte*

C *preſumat*, *nichilque aliud eis in quolibet ſuperimponatur*, *his exceptis*, *quæ ad præfatum Monaſterium reddere continuatim ſoliti fuerunt*. *Et ut poteſtative ac noſtræ donationes in Sylva Alferia*, *capellaticum*, *ſeminationem*, *arationem*, *& paſcua*, *& in Sylva Herimannorum habeant*, *ſicut alii Atagini*, *noſtrâ pleniſſima largitate omnium hominum contraditione remotâ*. *Si quis igitur hoc noſtræ donationis Præceptum infringere aut contradicere aliquando quæſierit*, *ſciat ſe compoſiturum auri optimi Libras centum*, *medietatem Kameræ noſtræ* , *& medietatem ipſis incenſitis* , *eorumque heredibus ac proheredibus*. *Quod ut verius credatur & diligentiuſque in perpetuum ab omnibus obſervetur*,

D *manu propria roborantes anuli noſtri impreſſione inſigniri juſſimus*.

Signum Domni Otto  *invictiſſimi Imperatoris*.

Ambroſius Cancellarius ad vicem Huberti Epiſcopi & Archicancellarii recognovi.

Datum XI. Kalendas Februarii, Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCLXVIIII. *Imperii verò Domni Ottonis VIII.* Indictione XIII.

Actum Papiæ feliciter.

Con-

Conciliet nunc Lector *Indictionem XIII.* cum *die XI. Kalendas Februarii*, & *Anno DCCCCLXVIIII.* in hoc Diplomate conjunctam. Eo enim Anno a Kalendis Januariis decurrebat *Indictio XII.* & Septembri tantùm Menſe *Indictio XIII.* ingrediebatur. Ullane huc ſe ingerat ſuſpicio falſi? Eſt Critici prudentis ac honeſti, crimen hoc amovere, dum commoda interpretatio ſuccurrat. Heic ergo meminerimus, ut ſupra animadverti, fuiſſe olim, qui morem, hactenus a Florentinis ſervatum, ſequerentur, hoc eſt Annum novum aperirent die tantùm XXV. Martii, quo celebratur *Incarnatio Domini* heic memorata: ita ut uſque ad eum diem in curſu foret Annus DCCCCLXIX. quem reliqui fere omnes in Italia abſolverant pridie Kalendas Januarias. Ejuſmodi Ærâ uſus videtur heic Cancellarius Imperialis, ita ut qui heic dicitur *Annus Dominicæ Incarnationis DCCCCLXVIIII.* decurreret uſque ad diem XXV. Martii. Propterea quamquam heic ſignetur Annus DCCCCLXIX. Annus tamen vulgaris DCCCCLXX. eſt intelligendus, quo-

A cum revera *Undecimo Kalendas Februarii* conjuncta procedebat *Indictio XIII.* Eo autem die ac Anno vides heic numerari *Annum VIII.* Ottonis Magni, quod recte cum ſupra ſtatutis congruit; conſtat enim, die tantùm ſecunda Februarii Anno DCCCCLXII. Ottonem Magnum ad Imperiale culmen fuiſſe provectum. Locus etiam expediti Diplomatis, hoc eſt Ticinum, tempori reſpondet, quum Annaliſta Saxo ab Eccardo editus hæc tradat: *Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCLXX. Imperator Natale Domini Papiæ, Paſcha Ravennæ celebravit.* Annum novum ille Scriptor inire videtur ab ipſo Natali Domini. Quamobrem a Diplomate nuper edito excluſa fortaſſe fuerit impoſturæ
B ſuſpicio: quum tamen fateri iterum cogar, ex ejuſmodi veterum inconſtantia plures tenebras ac ambages in rem Diplomaticam, atque in ipſam Hiſtoriam effluere interdum. Atque hoc idem altero denique exemplo confirmatum eo per Diploma Henrici II. Auguſti, quod ex Archivo ſæpe laudato Sanctimonialium Ticinenſium de Poſterula deſcripſi.

Mundiburdii, ſive defenſionis Literæ, ab Henrico Rege III. Imperatore II. conceſſæ Monialibus Ticinenſibus Sanctæ Mariæ Theodotæ, Anno 1055.

In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Henricus *divina favente clementia* Romanorum Imperator Auguſtus. *Notum ſit omnibus Chriſti, noſtriſque fidelibus tam futuris quam preſentibus, qualiter* Adaleida Abbatiſſa de Monaſterio Papigenſis Eccleſiæ *noſtram adiens Turego clementiam rogavit, quatenus eam, atque cuncta bona Sanctæ Mariæ in Monaſterio, quod dicitur Theodotæ, ſub noſtri mundiburdii poteſtatem atque defenſionem ſuſciperemus. Quæ petitio quoniam nobis juſta atque minus neganda viſa eſt, mundiburdium noſtræ protectionis præfatæ Adaleidæ Abbatiſſæ fieri juſſimus: videlicet de Silva Monaſterii Sanctæ Mariæ, quod dicitur Theodotæ, quæ Curtis vocatur Scërba, & coherentia huic, ſcilicet ab*
C *Oriente Gambina, quæ vocatur Lacolivido, quæ tenet caput in gargo: a Meridie fluvio Scërba: ab Aquilone Silva, quæ vocatur Rhiprandi, & Silva Sancti Pauli, & Bedberti; da ſhera Aquaria, quæ tendit uſque in via, quæ dicitur Cava: ſive de aliis locis, quæ juſte ac legaliter habere ſeu deinceps adquirere videtur. Eo videlicet jure, ut nullus Archiepiſcopus, Epiſcopus, Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, Gaſtaldio, ſive magna, parvaque Regni noſtri perſona, prefatam Adaleidam Abbatiſſam moleſtare aut diſveſtire ſine legali judicio preſumat. Quod ſi quis facere temptaverit, ſciat ſe compoſiturum auri optimi Libras centum, medietatem Cameræ noſtræ, medietatem prædictæ Abbatiſſæ. Quod*
D *ut verius credatur, & ab omnibus inconvulſum teneatur, Sigillo noſtro inſigniri juſſimus.*

Deeſt Monogramma Imperatoris.

Hecilo Cancellarius vice Herimanni Archicancellarii recognovit.

Locus Sigilli ✠ cerei deperditi.

Data XIII. Kalendas Martii, Anno Dominicæ Incarnationis MLV. Indictione VII. *Annò Domni Henrici Terci Regis, Imperatoris Secundi, ordinationis ejus XXV. Regni quidem XIII. Imperii verò VIIII.*

Actum Turego, in Dei nomine feliciter. Amen.

Mihi viſa eſt ea Charta præferre omnino ſpeciem archetypi, niſi quod nullum occurrebat ibi ſignum Monogrammatis Imperialis. Sed ejuſmodi Literas unus Imperatoris Cancellarius interdum ſignabat. Et alterum quidem ſimile Mundiburdium ejuſdem Auguſti, Eccleſiæ Parmenſi conceſſum, in hoc Opere edendum, Monogrammate caret. Dies *XIII. Kalendas Martii, Anni MLV.* in communi Epocha comitem habuit *Indictionem VIII.* Heic autem adnotatam cernimus *Indictionem VII.* Diſcordiam video; quei tollam, non video. Neque enim Piſanorum, uti neque Florentinorum Annus advocari heic in ſubſidium poteſt. Alia quo-

E que conſului ejuſdem Auguſti Præcepta, & quum ipſa etiam inter ſe diſcordia repererim, non ſublatæ, ſed auctæ ſunt tenebræ. In Diplomate Ticinenſi, cujus apographum teneo, ſpectante ad vetuſtiſſimum Monaſterium Sanctimonialium Senatoris, haſce Notas deprehendi: *Datum XI. Kalendas Maji Anno Dominicæ Incarnationis MLIV. Indictione VI. Anno autem Domni Henrici Tertii Regis, Imperatoris autem Secundi, Ordinationis ejus XXV. Regni quidem XIII. Imperii verò VII. Actum Turego:* hoc eſt *in Zurigo*. Pari paſſu & heic incedit *Indictio VI.* cum Anno MLIV. quum tamen ſecundùm Æram vulgarem tunc eſſet in curſu

curſu *Indictio VII.* In Bullario quoque Caſinenſi Tom. 2. Conſtitutione 96. Diploma ejuſdem Auguſti occurrit *Actum VII. Idus Aprilis, Indictione VII. Anno Dominicæ Incarnationis MLV.* quæ ſunt ipſæ Notæ Diplomatis nunc a me evulgati; ita ut illius Auguſti Cancellarius uſus fuiſſe videatur aut alio Anno, aut alia Indictione a vulgari noſtra. Sed quid ſi in aliis ipſius Imperatoris Privilegiis communis Annus, & vulgaris Indictio reperiantur? Id quoque ego animadverti, uti ex aliis monumentis in hoc ipſo Opere edendis conſtabit. Proinde adhuc animi pendeo, quid de hujuſmodi quæſtione & Charta ſtatuendum habeam. Ceterum ad judicium rite ferendum de ſinceritate Diplomatum atque Chartarum, opus foret eaſdem pergamenas non tantùm ſub oculis habere, ſed ipſas, earumque ſingulas partes, quoties velis, poſſe iterum atque iterum intenta conſideratione expendere. Ego plurimas in Archivis volutavi, multaſque deſcripſi. Attamen Patriæ reſtitutus, dum apographa mecum delata per otium atque intentiori curâ explorarem, num recte ſe in omnibus haberent, dubitationes obortas ſuperare interdum nequivi, quod archetypa remota inviſere rurſus mihi non liceret. Sunt enim, in quibus præ vetuſtate literæ exciderunt, Sigilla translata aliunde, atque immutata fuerunt (qua de re vide ſubſequentem Diſſertationem *de Sigillis*), in aliis verò Notæ Chronologicæ alienâ manu aut emendatæ A aut etiam vitiatæ. Sigilla ipſa in pleriſque Diplomatis deſiderantur: quare caute admodum inveſtigandum eſt, num revera membranæ adfixa olim fuerint: quod veſtigia quædam unctur æ a cera relictæ indicare ſolent. Vidi enim pergamenas archetypi faciem præferentes, & hiatum etiam in iis, per quem Sigillum inferendum & repercutiendum videbatur, quum tamen nulla inlati ſigna ſupereſſent. Quod ſi ne nobis quidem ſemper fidendum, ubi facultas deſit conſiderandi iterato & quieto examine quæ Archetypa ſunt, aut pro archetypis & ſinceris Chartis habentur: quanto minus erit fidendum Apographis? Non hoc de iis dictum velim, quæ a peritis Judicibus olim probata B fuere, aut a fidis Notariis deſcripta ad nos venerunt, nullumque vitium in ipſis autographis oſtendunt. Præſto enim nobis ſunt Apographa ejus ponderis & auctoritatis, ut Archetypi locum teneant. Ex iis unum exerere heic juvat, in Archivo Monaſterii Cavenſis adſervatum; antiquum videlicet Siconolfi Principis Salernitani Diploma, datum *Ayoni* Epiſcopo Salernitano, quem *Alonem* Ughellius appellat. Iſtud nimirum, *quoniam diuturnitate temporis ejus membrana in quibuſdam locis tineis corrodi & diſſipari videbatur*, renovatum eſt coram Judicibus Anno MCLXXIX. ſub *Romualdo* II. Archiepiſcopo, cujus Chronicon edidi Tomo VII. Rer. Italicarum.

Siconolfi Principis Salernitani Diploma, per quod Ayoni Salernitano Epiſcopo Monaſterium Sancti Petri de Palatio, atque alia concedit, Anno 841. præ vetuſtate deficiens, reſtituitur Anno 1179.

IN *nomine Domini Dei eterni, & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, Anno ab Incarnatione ejus Milleſimo Centeſimo Septuageſimo Nono, & Quartodecimo Anno Regni* Domini noſtri Domini Gulielmi Siciliæ & Italiæ glorioſiſſimi Regis, *Menſe Marcio, XII. Indictione. Ante me Landulfum Judicem venit Sebaſtianus Presbyter & Abbas Eccleſiæ Sancti Gramatii, pertinentis Salernitano Archiepiſcopo, cui* Domnus Romoaldus *Dei gratia venerabilis* Archiepiſcopus *præeſt, pro parte dicti Archiepiſcopii oſtendit unum Præceptum, quod continebat*: In nomine Domini Dei Salvatoris Jeſu Chriſti. Nos Dominus vir glorioſiſſimus Sicenolfus Dei providentia Longobardorum gentis Princeps, pro ſalutis animæ noſtræ, & ex gentis noſtræ ſalvationis, per rogatum Grimoaldi Comiti fideli noſtro, concedimus in Epiſcopio Sanctæ Sedis Salernitanæ Eccleſiæ, ubi nunc Ayo Epiſcopus præeſſe videtur, Monaſterio Sancti Petri de Palatio, qui eſt in Sexiline, cum terris & vineis, campis & ſilvis ſeu paſcuis, cum ſervis & ancillis, & omnem pertinentiam inſimul. Et concedimus in predictam Sanctam Sedem Plebem Sanctæ Mariæ de Nuceria, cum omnem ſubſtantiam ſuam, cum ſervis & ancillis & omnem ſuam pertinentiam, quam & concedimus in eodem ſancto Epiſcopio Molina ipſa in fluvio in Lirno, qui fuerunt de Leone Scrofella, qui habent fines ipſa terra de una parte, fines predictum flumen Lirno de duas partes, parte via publica, cum areatura & ſedimen de prædicta Molina, in ea ratione, ut amodo & deinceps per hoc noſtrum roboreum C Præceptum prædicta omnia quæ ſuperius leguntur, in prædictam ſanctam Sedem permaneat ejus Rectoribus dominanda atque poſſidenda & fruenda nomine, & a nullo ex noſtris Judicibus ideſt Comitibus, Gaſtaldeis, vel a quibuſcumque agentibus abeatis aliquam requiſitionem, ſed in perpetuis temporibus omnia, quæ ſuperius leguntur, in eadem ſancta Sede permaneant, eis Rectoribus ordinandum atque ſecuriter habendum. Quod verò Præceptum conceſſionis ex juſſione dictæ Poteſtatis ſcripſi ego Ragamprandus Notarius. Actum Salerno, Secundo Anno, Menſe Auguſto, Quarta Indictione. *Et erat ipſum Præceptum cerea Bulla* D *dicti Domini Principis roboratum. Cum autem ipſum Præceptum oſtenſum fuit*, quoniam diuturnitate temporis ejus membrana in quibuſdam locis tineis corrodi & diſſipari videbatur, *a præfato Domino Archiepiſcopo proviſum eſt, tam ipſum Privilegium, quam alia munimina dicti Archiepiſcopii, quæ vetuſtate temporis aliqua macula diſſipari dinoſcuntur, ad evitandum futurum periculum declarari debere. Quare ipſum Præceptum totum per ordinem in hanc cartulam ex rogatu ipſius Domni Archiepiſcopi te Johannem Notarium declarare juſſi, memorans, quod diſturbatum eſt legitur quarto Majo, cui adeſt Sigillum.*

E ✠ *Ego qui ſupra Landulfus Judex.*

Itaque de Apographis loquor, per homines imperitos factis. Non enim omnium eſt characteres & ſcripturam Sæculorum rudium intelligere; atque in iis deſcribendis facile

ineptien-

ineptientes videmus ipſos ævi noſtri Notarios . Ex hiſce exemplis infelici labore confectis , dicere mihi liceat , complura offendas in Bullario Caſinenſi Margarini , atque in Italia Sacra Ughellii . Eadem ſi tu ad examen revoces , qualia apud eos proſtant, non deerit tibi, unde illa falſi nonnumquam inſimules . Verùm ut cenſura ſolidis nitatur fundamentis , Autographa ipſa inviſenda ante forent , in quibus interdum aliter atque in Apographis editis res ſe habet. Hac de cauſſa publicis ſcriptis diſceptatum fuit inter duos doctiſſimos ex Amicis meis, Monachos Benedictinos , quorum alter P. D. Johannes Andreas Aſtezatus nunc Placentini Monaſterii Prior , alter P. D. Gaſpar Berettus, dum in vivis erat , in Regia Ticinenſi Academia Philoſophiæ Profeſſor. Hic enim Diplomata duo, qualia a Margarino edita vidit, ad nobile Monaſterium Brixianum Monialium Sanctæ Juliæ ſpectantia improbavit , ille verò Autographa laudans , in quibus diverſæ ab editis Notæ Chronologicæ leguntur , tueri conatus eſt. An verò ad ea Diplomata purganda pharmacum adhibitum ſatis fuerit , jam Eruditos , qui utriuſque Opuſcula legerint , judicaſſe puto . Alibi Margarinum oſtendi ejuſmodi incuriæ reum. Nunc addo, referri ab ipſo in Conſtitut. 28. Tom. 2. Bullar. Caſinenſ. Diploma Lotharii I. Auguſti , *Datum XVIII. Kalendas Januarii , Anno Imperii Domni Hlotharii Pii Imperatoris , Indictione Decima quarta*. Sed in membrana , quæ Autographi ſpeciem gerit , a me viſâ , legitur *Indictione I.* atque ibi exſiſtit adhuc Sigillum cereum cum effigie Lotharii , & literis circumpoſitis : XPE ADJUVA HLOTARIUM AUG. Ita in Diplomate iſto Epocha Lotharii deſumta ab Anno DCCCXX. reſpondet Anno DCCCXXXVII. quo decurrebat *Indictio Prima*, Septembri Menſe inchoata. Margarinus ad Annum DCCCXXXVI. referens ejuſmodi Præceptum, Indictionem perperam immutaſſe videtur . Verùm huic ipſi Diplomati appoſitum eſt Monogramma ſive Signum non tantùm *Hlotharii glorioſiſſimi Auguſti* , ſed etiam *Hludowici glorioſiſſimi Auguſti*, hoc eſt Ludovici II. ejus filii, qui tamen Anno DCCCXXXVII. Imperiali dignitate ac nomine donatus nondum fuerat . Quid heic dicendum quæſo ? Niſi opinemur , oblatum fuiſſe Lotharianum Diploma Ludovico II. poſtquam is Anno DCCCXLIX. aut DCCCL. Imperatorium titulum aſſumſit , additumque ab eo patris viventis Chartæ, ſuum Monogramma confirmationis loco : aliam rationem non video tuendi hujus Diplomatis . An autem hoc fieri potuerit , aut an umquam fieri conſueverit, id aliis decernendum relinquo . Ita in ſubſequenti Conſtitutione 29. ejuſdem Lotharii alterum Diploma exhibetur a Margarino , datum *Indictione I.* quum tamen in archetypo legerim ego *Indictione X.* qua cum conciliari poſſe Notas reliquas arduum puto . Præterea Conſtitut. 43. Margarinus ipſe protulit Diploma Caroli Craſſi Datum *Anno Regni Karoli X.* At in Archetypo a me viſo legitur *Anno VIII.* ibique adeſt Sigillum cereum cum effigie laureata Caroli , & literis CAROL. AVG. quæ germanum Diploma produnt, datum Anno DCCCLXXXVI. quum Anno DCCCLXXIX. Rex Italiæ renuntiatus fuerit Carolus Craſſus , uti in Diſſertatione XI. *de Allodiis* oſtendi . Prætermiſit etiam Margarinus Diploma Berengarii I. Regis , quod tamen autographum ſe mihi obtulit in Archivo ejuſdem Brixiani Aſceterii Sanctæ Juliæ , Sigillo cereo cum effigie Berengarii ipſius adhuc ſuperſtite . Ibi hæ notæ : *Data III. Nonas Martii , Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXV. Domni vero Berengarii ſereniſſimi Regis XXVIIII. Indictione III. Actum Veronæ in Chriſti nomine feliciter* . Ita ab eodem Margarino , & ab Ughellio in Ital. Sacr. Tom. 4. in Epiſcop. Bobienſ. Diploma Ludovici II. Auguſti refertur *Datum Non. Octobris, Anno Chriſto propitio DCCCLXV. Imperii Ludovici piiſſimi Auguſti XI. Indictione XIV. Actum Maritigo* &c. At in Bobienſi membrana , unde illud Diploma hauſtum eſt , hæ Notæ mihi inſpectæ occurrunt : *Datum Nonis Octobris Anno Chriſto propitio Imperii Domni Hludovici piiſſimi Auguſti XI. Indictione VIII. Actum Maringo* &c. Ideſt Anno DCCCLIX.

Finem his faciam lepido quodam commento, non heri , ſed jamdiu nato , cujus auctorem non alium quàm Mutinenſem quempiam fuiſſe, nemo non intelliget . Alexander Taſſonius in eximio Poëmate , cui titulus *La Secchia Rapita* , Cant. 4. ſtroph. 64. de Regienſibus hæc habet :

Al fin l'ultimo ottenne, e fu giurato
Con giunta, che chiunque all'Oſteria
Con Modaneſe alcun fuſſe alloggiato
Di quello ſtuol, che di Rubiera uſcia,
A trargli per onor foſſe obbligato
Scarpe o Stivali, o s'altro in piede avia.

Gaſpar Salvianus , ſive Taſſonius idem , in Notis Inſtrumentum quoddam innuit , hac de re ſibi viſum in Archivo Dominorum Piorum . Ego illud depromſi e Chronico exiſtente apud Nobiles Viros Comites Boſchettos Mutinenſes, ipſumque ad recreandos Lectorum animos editum heic volo . Præter alia, quæ lepidam impoſturam produnt , illud in Eruditorum oculos continuo incùrrit, ſcilicet ſcriptam fuiſſe Chartam *Anno MCCLV. regnante Federico II. Imperatore* , quum tamen longe antea videlicet MCCL. Fridericus naturæ debitum ſolverit.

Sententia commenticia Andreæ de Canoſſa, Arbitri electi inter Mutinenſes & Regienſes, de præeminentia contendentes, Anno 1255.

IN *Chriſti nomine Amen*. Anno a Nativitate ejuſdem Milleſimo Ducenteſimo Quinquageſimo Quinto, *Indictione XIII. die autem XX. Menſis Februarii*, regnante Federico II. Imperatore, & ſeu ejus Locumtenente generali & Vicario Domino Alberto Pio, a quo fuimus *&c. Nos Andreas de Canoſſa Civis Parmenſis, Legum Doctor deputatus & electus, & Locumtenens, & ſeu Subvicarius ad civilia & criminalia ejuſdem Civitatis, in cauſa vertente & jamdiu verſa per & inter magnificas & generoſas Mutinæ & Regii Communitates, coram prædicto Vicario & Locumtenente Mutinæ & Regii Domino Alberto Pio, & ſeu per ejus Procuratores & Mandatarios ex parte præfatæ Civitatis Regii Dominum Petrum de Nuca, &* B *ex parte Communitatis Mutinæ Dominum Franciſcum Regium Civem & Procuratorem Mutinæ. Et viſis videndis, & primo viſa comparitione & petitione agentium pro præfata Communitate Mutinæ, & replicatione a parte adverſa, viſis petitionibus, negationibus, allegationibus, probationibus, reprobationibus, & declarationibus Judicum, qui pro tempore exſtiterunt pro prædicto Locumtenente, & conſideratis omnibus & diligenter appenſatis, non ut Judex ordinarius in civilibus & criminalibus ut ſupra, ſed amicabilis compoſitor, arbiter & arbitrator de conſenſu partium ad hanc faciendam diſcuſſionem, tractatum, & ultimam ſententiam electus & deputatus, ut Inſtrumento publico aſſenſus &* C *conſenſus omnium apparet, rogato per Ser Andream de Piciis Notarium Regienſem: & rejectis allegationibus Advocatorum & Procuratorum cavillationibus, petitione & reſponſione, comparitione partium, & prædictis omnibus ex parte cujuslibet rejectis ſuper petitione tantummodo legitima conſideratione, examinatione, & ſcrutinio diligenti, in qua in effectu continetur, præfatam Communitatem Regii, ſeu homines ejuſdem teneri, obligatam & obligatos eſſe ratione honorantiæ & dignitatis ad recognitionem dominii ſui, cum ſit & fuerit hucuſque Oppidum Lepidi, & modo Civitas inter Parmam & Mutinam nobiliſſimas & egregias Civitates,*

A *deinde Regium de utriuſque juriſdictione erecta, & ut aliquis eiſdem debeatur honor, petitioni ſuccurrentes mitius agendo &c. Chriſti nomine repetito, quia dicimus, ſententiamus, definimus, pronuntiamus & declaramus ut Judex, & abſolvimus, quietamus, & liberamus & abſolutos, quietos & liberatos eſſe judicamus ac condemnamus, & ut arbiter arbitramur & arbitramentamur judicatum, arbitratum, ſententiatum, & pronuntiatum eſſe volumus ac condemnamus, ut infra dictos de Regio, ſeu prædictam Civitatem teneri, obligari, & obligatam eſſe, extrahere de pedibus quodcumque genus calceamenti groſſi ſeu ſubtilis, videlicet cothurnos, ſtivalia, ſotulares, & crepidas in ſignum honoris & reverentiæ debitæ & debendæ prædictis Mutinenſibus, videlicet in itinere pedeſtri, equeſtri, & navali, in viis, domibus, & hoſpitiis, & ad omnem & quamcumque voluntatem prædictorum Mutinenſium, rogantium & petentium ſibi calceamenta extrahi debere, ſtivalia, cothurnos, ſotulares & crepidas, & ſic extractos & extracta purgare, mundare, lavare, & eiſdem & cuilibet, ut dominis ſuis præſentare. Et ita pronuntiamus &c. Præſentibus ambabus partibus, & ſeu prædictis Procuratoribus & Mandatariis, Dominis videlicet Petro de Nuca, & Franciſco Regino, & de inſtantia ſic adminiſtrata gratias prædicto Domino Judici & arbitro agentibus, quia immortalitati hujus litis præſtitit judicium ac arbitramentum ſuum & approbantibus & emologantibus prædictum judicium & arbitramentum, & prædictam ſententiam definitivam & declarativam in omnibus & per omnia in partibus quibuslibet.*

Actum in Caſtro Heberiæ præſentibus Domino Philippo de Maciis de Regio, & Antonio Petri de Proſperis de Mutina, & Franciſco Petrucii Tubatore prædictæ Civitatis Mutinæ ad hæc omnia vocatis adhibitis & rogatis.

Ego Franciſcus Ragatius Notarius Ferrarienſis, & prædicti Domini Judicis Cancellarius rogatus fui, ſcripſi, & autenticavi ſigno in margine in capite nomine meis conſuetis.

DE SIGILLIS
MEDII ÆVI.

DISSERTATIO
TRIGESIMAQUINCTA.

DISSERTATIO
TRIGESIMAQUINCTA.

Nihil ſane eſſet, cur ego de *Sigillis* poſt Imperii Romani declinationem uſurpatis aliquid afferrem, quando poſt celeberrimos Viros Papebrochium & Mabillonium Johannes Michaël Heineccius in erudito Opere *de veteribus Germanorum, aliarumque Nationum Sigillis*, edito Francofurti Anno Chriſti MDCCXIX. argumentum hoc exhauſiſſe videtur. Attamen quum nonnulla adhuc apud illum reſtent aut intacta, aut majori luce digna, hæc pauca in eam rem adnotata volo. Jam doctiſſimi Viri animadverterunt, ab antiqua Tabularia excutientibus, non ſine examine Sigillis vetuſtis habendam eſſe fidem: quippe interdum Sigilla cerea a ſinceris Diplomatis avulſa, Chartis adulterinis infixa fuere. Id & A ego non ſemel factum deprehendi, atque uno exemplo rem confirmatam heic volo. Tria Caroli Magni Diplomata Ughellius produxit pro Regienſi Eccleſia in Appendice Tomi quincti primæ editionis. De tertio nunc mihi res eſt, evulgato pag. 1563. Habui ego ſub oculis pergamenam, omnia vetuſtatis ſigna præferentem, &, quod rarum eſt, integro adhuc Sigillo cereo ornatam. Olim, ut puto, in Tabulario Canonicorum Regienſium Diploma hoc adſervabatur: nunc alio in loco adſervatur. Exoſculatus fueram pretioſam e veſtigio membranam, quam expreſſam, uti in eodem autographo habetur, atque emendatam, in commodum Eruditorum exhibere iterum heic juvat.


Caroli Magni Francorum & Langobardorum Regis Diploma, per quod Apollinari Epiſcopo Regienſi, ejuſque Eccleſiæ, omnia jura ac Privilegia confirmat, Anno 781.

Carolus *gratia Dei* Rex Francorum & Longobardorum ac Patritius Romanorum. *Si Eccleſiarum Dei ſervitoribus largitionis ac benignitatis munificentiam impartimur, eorumque votis libenter annuimus, id nobis ad Auguſtalis excellentiæ culmen proficere credimus: inſuper (quod cunctis pretioſius eſt dignitatibus) æternæ retributionis præmium capeſſere non diffidimus. Induſtriam igitur omnium Sanctæ Dei Eccleſiæ fidelium, noſtrorumque, præſentium ſcilicet ac futurorum noſſe volumus, patrem noſtrum* Apollinarem *reverentiſſimum ſanctæ* Regienſis Eccleſiæ Præſulem *noſtram adiiſſe clementiam, nobiſque retuliſſe, quod accidente negligentia & incuria, crepitantibus flammis, Eccleſiarum ædificia in Regienſi Urbe cremata fuerint: cum quibus etiam aliqua inſtrumenta Chartarum & monumenta in favillam redacta ſint; habebatque præ manibus Præcepta Regum Longobardorum, quorum auctoritatibus jam fata Eccleſia, ne pravorum hominum oppreſſiones, aut invaſionum detrimenta pateretur, undique fulcita erat ac munita. Poſtulans ſiquidem, ut & nos ob divinum amorem eandem Eccleſiam cum omnibus facultatibus, quas hactenus acquiſivit, vel deinceps futuris temporibus fidelium oblationibus adquiſierit, cum rebus & familiis utriuſque ſexus, cunctoque Clero inibi quotidie famulante, ſub noſtræ defenſionis reciperemus protectione: quod & fecimus, & per hanc noſtri Præcepti paginam præcipimus & jubemus, ut nulla unquam magna parvaque perſona res aut familias ejuſdem Eccleſiæ, ſed neque venerabilem ipſius loci Clerum, in aliquo inquietare vel moleſtare præſumat. Et quia termini ejuſdem Eccleſiæ in confiniis Mantuanis, Bononienſibus, Mutinenſibus, & Lunenſibus, vel Parmenſibus, ſeu & Ticinenſibus, & Cumanis, res ipſius Epiſcopii conjacent; apologeticum idem Pontifex habebat, in quo omni remo-* B *ta dubitatione res jam fatæ Eccleſiæ per ſingula loca & vocabula, terminique & confinia inſita erant. Ideoque pro temerariæ præſumptionis invaſione cavenda, nec non & pro Francorum gente noviter in Italiam a nobis introducta, petiit Excellentiam noſtram, ut eoſdem terminos huic noſtro Præcepto inſeri juberemus, ne fraudem aliquam eadem Eccleſia de ſuis rebus aut confiniis ab invaſoribus patiatur. Cujus dignam ac rationabilem conſiderantes petitionem, & Lunenſium & Parmenſium confiniis, ſicut in ipſo apologetico indita erant, omnes terminos annotare juſſimus. A meridie itaque per montana verſus Occidentem, conjacent fines, terminique venientes de Prato Mauri, in Montem de Menſa, inde in Centiocrucis, ac deinde in Alpem mari-* C *nam, inde in Montem de Poſci, deſcendentes in rivum Niteram, quæ defluit in fluvium Inciam per fluvium Inciam, ſicut ipſa Incia deſcendit a ſumma villa Monticulo, decurrens ex tranſverſo in Barcham, & defluit deorſum per Agidam ad Aquilonarem partem in rivum Campigenem, & exinde in Tegolariam, in fluvium Padum & Zarano, ſicut Padus defluit in Burianam. Item per meridiem ad Orientalem plagam incedunt fines per Pratum majorem in Montem Ruſulum per Alpem in Fazolam, deinde per Alpem uſque in Thermas Salonis. Fines vero, qui ſunt inter Tuſciam & Regenſem & Mutinenſem de Thermis Salonis perveniunt in Tendam Regis, inde* D *ad Fontem Silvani, & inde in Rivum Sanguinarium, & deinde ad Lacum de Carpene, & inde in Viam Novam, indeque in locum Motivum, deinde in locum, qui dicitur La Verna, deinde per montem Laurentii deſcendens venit in fluvium Dullum, indeque per Silvam de Mallo, & inde in Collinam, deinde in Pratumlongum, ac deinde per Rivum, qui decurrit de Lupatio in fluvium Siglam, inde per Siglam uſque Dullum, ac deinde aſcendit per Dimnaticum in Carciola,*

ciola, & inde deſcendit per Sarram de Mauriano, & pervenit in fluvium Raſennam, & inde aſcendit in Piraniana, indeque in montem ſuper Valles uſque in Antiquum; deinde deſcendens in Piſcariolam venit in fluvium Siglam, ac deinde per Cluzam currentem per Montem Cerradi, uſque dum venit ſub Monte Merelli, & inde venit per Silvanum: deinde decurrit per Salſulam, & inde per Montem Monticulum, indeque per Campum Milatium ad ſeptentrionalem plagam per Paludes Civitatis Novæ uſque Stratam, ac deinde in Aquamlongam, uſque dum venit in Burianam,

Infra iſtos prænominatas fines, ſicut a ſanctis Patribus, & idoneis ac Catholicis hominibus antiquitus in ipſa Eccleſia conſtitutum fuiſſe reperimus, omnia pars ipſius Eccleſiæ ſecure ac quietè noſtra Regali auctoritate perenniter poſſideat. Retulit eciam prælibatus Pontifex, quod cuidam fratri ſuo Anſperto nomine quædam Oratoria juris Sanctæ Regenſis Eccleſiæ, unum quidem in Luciarià inter Padum & Bundenum in honore Sancti Georgii, & aliud in Gabiana ſimiliter inter Padum & Bundenum, in honore Sancti Andreæ conſtructum, cunctis diebus vitæ ſuæ per decretum conceſſum habuiſſet. Sed cum poſtmodum idem Anſpertus Monaſterii Nonantolenſis portum peteret, ipſa Oratoria pro ſuo introitu prædicto Monaſterio dederat. Prænominatus vero pater Apollenaris Epiſcopus, ne Eccleſia ſua damnum pateretur, cum ſuo Advocato in præſentia Ducis noſtri Goëradi, cum Anſelmo jam dicti Monaſterii Abbate in judicium convenit. Diſſenſio vero, quæ inter duo venerabilia loca creverat, abſque vicinorum Epiſcoporum audientia nullatenus diffiniri poterat. Ideoque datis induciis, tres Epiſcopi, Petrus ſcilicet Bononienſis, Geminianus Mutinenſis, & Petrus Parmenſis, cùm aliis idoneis & Catholicis viris convocati ſunt. Quibus cum jam fato Duce Goërado in judicio reſidentibus, Apollenaris Epiſcopus, & Abbas Anſelmus affuerunt: quorum querimoniæ ſubtiliter diſcuſſæ, Eccleſia Regienſis, cui debito jure jam fata Oratoria ſubjecta erant,

A canonico ac legali ordine acquiſivit. Et ob firmiorem ſecuritatem, Notitiam ſcriptam teſtibuſque roboratam cum ipſo decreto ſæpe nominatus Pater præſentiæ noſtræ obtulit, poſtulans, ut nos inviolabili noſtro Præcepto eam firmantes, omnem contentionis nævum abſtergeremus. Cujus petitioni annuentes, per hoc noſtrum Præceptum prædictæ Sanctæ Eccleſiæ ipſa Oratoria confirmamus, atque ſine ullo contradictore reſtituimus. Præterea & Gajum noſtrum, quod in eodem loco juxta res ipſius Eccleſiæ in Luciaria conjacet, & nunc noviter excolitur, eo poſtulante, Oratorio Sancti Georgii per hoc noſtrum Præceptum jure proprio ob animæ noſtræ ſalutem concedimus cum piſcationibus per Padum &
B Bundenum, Paludeſque & Lacus conjacentibus. Similiter quoque & Oratorio Sancti Andreæ donamus terram & ſilvam juris Regni noſtri, quæ circa res ejuſdem Eccleſiæ inter Padum & Bundenum in Gabiana conſiſtit, cum piſcationibus per Padum & Bundenum, Paludeſque & Lacus: ut ſæpe nominata Sancta Regienſis Eccleſia hæc omnia jure proprietario teneat atque poſſideat abſque alicujus poteſtatis contradictione. Concedimus etiam, ut ſi contentio de rebus ac familiis ejuſdem Eccleſiæ fuerit horta, liceat inquiſitio fieri per bonos & ingenuos homines circumquaque manentes uſque ad ſacramentum. Habeantque ſibi Pontifices ipſius Eccleſiæ Advocatos duos vel tres, ſi neceſſe fuerit, quos ipſi
C elegerint, qui cauſam ipſius Eccleſiæ diligenter inquirant & examinent. Ipſi vero Advocati ab omni publica exactione ſint immunes. Si quis autem hanc noſtræ conſtitutionis auctoritatem irritam facere temtaverit emunitatis mulctam, ideſt argenti Libras triginta parti ſanctæ Regienſis Eccleſiæ perſolvere cogatur. Et ut hoc noſtræ largitionis & emunitatis ac defenſionis ſeu inquiſitionis vel advocationis Præceptum diuturnis temporibus in ſuo robore permaneat, atque ab omnibus verius credatur & diligentius obſervetur, manus noſtræ ſubſcriptione ſubter annotavimus, anuloque noſtro ſigillare juſſimus.

num  *Caroli glorioſiſſimi Regis.*

Gilibertus ad vicem Radonis recognovi.

Data in Menſe Junio die octavo in Anno Tertio Decimo & Septimo, Indictione Decima.

Actum Papia Civitate, in Dei nomine feliciter, Amen.




In mentem fortaſſe mihi numquam veniſſet ſuſpicari de legitimitate hujuſce fœtus, niſi me remoratus fuiſſet modus, quo Sigillum cereum illic appoſitum fuit. Nimirum in poſtica parte minime repercuſſa ac dilatata erat cera; ſed eâ ratione in ſciſſuram pergamenæ immiſſa, ut inde nullo negotio educi poſſet, ſuoque ex loco facile elaberetur, niſi circulo ligneo compre-
D henſa, filo etiam adhibito, in Chartâ confirmata fuiſſet. Id mihi ſuſpicionem ingeſſit, germanum Sigillum, aliunde ſumtum, in pergamenam hanc potuiſſe ab aliquo inferri. Tum Notas Chronologicas in examen revocavi. Datum eſt Diploma *Anno Tertio Decimo, & Septimo*; quæ Epochæ tum Regni Francorum, tum Regni Langobardorum, rite indicant Annum

num DCCLXXXI. quo quidem Anno, ac Junio Menſe reapſe Carolus Magnus Ticini verſatus eſt. Atqui ipſo Anno decurrebat *Indictio Quarta*: heic verò ſignatur *Indictio Decima*; quem errorem concoquere nullo pacto poſſis. Ad hæc diſerte ibi ſcriptum eſt *Longobardorum*: quod neſcio, an inter mendas ſit referendum. Dicam tamen, in germanis aliis, quæ viderim, Caroli Magni Diplomatis haberi *Langobardorum*. Diplomata inquam Caroli: nam in aliis veterum monumentis *Longobardos* etiam invenias, uti in Diſſertatione XXI. *de Statu Italiæ* oſtendi. Minuta hæc etiam diligenter animadvertenda eſſe Critica Ars jubet. Sed quod tamdem nulla ratione dealbari poteſt, mihique poſtremo perſuaſit, non de legitimo, ſed de ſpurio Diplomate heic agi, ea formula dicendi eſt: *id nobis ad Auguſtalis excellentiæ culmen proficere credimus*. Datum eſt Diploma a Carolo, quum Rex tantummodo foret, ac fortaſſe tunc ne cogitabat quidem de Auguſtali dignitate conſequenda. Fieri ergo non potuit, ut is tamquam *Imperator* loqueretur: neque formam dicendi uſurpaſſet, quam poſtea Lotharius I. Auguſtus ejus nepos, aliique Imperatores adhibuerunt. Ac proinde rurſus mirari ſubit, quei tam diverſa a primo aſpectu ſententia de hoc Diplomate ſequuta fuerit.' Quod ubi confictum ſtatuas, uti ego ſtatuo, certe dicendum eſt, vetuſtiſſimum ejuſmodi figmentum eſſe; ac præcipue quum in tergo membranæ charactere majuſculo, & ante plura Sæcula efformato ſcriptum legatur: *Confinia Epiſcopatus Regenſis ejuſdem Karoli ad Apollenarem Epiſcopum, & quicquid ad eundem Epiſcopatum pertinet*. Ex hoc autem Privilegio Ughellius ad Annum DCCLXXX. *Petrum Epiſcopum* intulit in Catalogum Epiſcoporum *Bononienſium*, oblitus poſtea alterum *Petrum*, heic itidem memoratum, recenſere inter Epiſcopos Parmenſes. Verùm utriuſque Petri exiſtentia e Diplomate pendet, cui fidere quiſnam velit non video. Ita Mabillonius in Annalib. Benedictin. ad Annum DCCLXXXI. hocce documento utitur, tamquam legitimo fœtu, atque ibi *Gerardum Ducem* ſe vidiſſe ſibi perſuaſit, qui tamen *Geiradus* in membrana appellatur. Hinc autem diſcas, quantâ circumſpectione, & quàm intentis oculis exploranda ſit fides veterum Diplomatum. Quare ſi qui ſunt, qui quoties ſibi offertur aliquod antiquorum Regum Præceptum, Sigillo ſuo adhuc munitum, nihil ultra quærendum putant, ut archetypum judicent, egregie falluntur. Nam ne hoc quidem ſatis eſt ad certum eorum criterium, quum cerea Sigilla pergamenis infixa e poſtica parte, attenuatâ per calorem cerâ, detrahi potuerint, & in aliam commenticii fœtus Chartam transferri. Innocentius quoque III. Papa, ut eſt in ejus Vita num. 43 par Sigilli vitium mirâ ſagacitate deprehendit in Privilegio producto a Scozulenſi Abbate: quod Mabillonius animadvertit. Neque ſane ejuſdem fraudis alia deſunt exempla, e quibus alterum adhuc adferre juvat. Protulit Ughellius Tomo 3. Ital. Sacr. in Epiſcop. Cluſin. Diploma Ratchiſii Langobardorum Regis, a quo conditum traditur Monaſterium Sancti Salvatoris de Monte Ammiato in eodem agro Cluſino ſitum. Documentum illud veluti gemmam commemoravit quoque Thomaſius in Hiſtoria Senenſi. Alibi verò, hoc eſt in Diſſertatione LXV. *de Monaſter. erect.* facienda erit mihi mentio Diplomatis ejuſdem, inter ridenda commenta amandandi. De eodem etiam Mabillonius in Annalib. Benedictinis ad Annum Chriſti DCCL. prædixerat: *Diploma refert Ughellus cum narratiuncula de origine Monaſterii* (ſcilicet Ammiatini) *quæ fabulam ſapit. Annum conditi Cœnobii Septingenteſimum Quadrageſimum Secundum præfert Diploma, quod ex authentico Ughellus exiſtimavit: quod omnino ſincerum eſſe pervelim.* Ita perquam modeſte vir doctiſſimus, quum alioqui fœtus ille a capite ad calcem ineptiſſimum falſarium prodat. Commentum hoc autem refrico, ut ſubdam, quæ in illud adnotavit Titius Hiſtoricus Senenſis, cujus Libri adhuc manu exarati extant apud heredes doctiſſimi quondam amici mei Huberti Benvoglienti. *Hoc Privilegium* (ſcribit Titius) *eſt munitum Sigillo cereo innexo ex utraque parte cum duabus imaginibus humanis impreſſis. Literæ verò circumſcriptæ commode legi non valent propter vetuſtatem. Caput utriuſque imaginis in Sigillo coronatum eſt, & virgam manus utriuſque tenet. Atque hoc Privilegium eſt apud Abbatiam Sancti Salvatoris in agro Senenſi.* Sigillum duorum virorum imagines præferens, duos Principes indicat ſimul regnantes, ac propterea nil commune cum Ratchiſio Rege habuiſſe videtur. Attamen ficto etiam Sigillo vis olim multa fuit ad conciliandam apud imperitos Diplomati fidem. Verùm ad alia progrediamur.

Nulla dubitatio eſt, quin ab antiquiſſimis temporibus *Sigilla Plumbea* (Bullas appellamus) in uſu Romanorum Pontificum, immo & Epiſcoporum quorumdam, fuerint. Quare non iis acquieſcendum, quæ circiter Annum MCCCLXVIII. Petrus Boërius Urbevetanus Epiſcopus in Gloſſis adhuc MStis ad Vitas Pontificum a me editas Tomo III. Rer. Italicarum, ſcribit, Paſchalis II. Papæ Vitam illuſtrans: *Bulla idem eſt ac Sigillum, & Bullare Sigillare eſt. In primævo enim ſtatu Eccleſiæ Eccleſia Romana non utebatur Sigillo vel Bulla. A tempore autem Gregorii I. citra reperiuntur Apoſtolicæ quædam Literæ cum ſubſcriptionibus tantùm Romani Pontificis, Presbyterorum & Diaconorum Urbis. Tunc enim quaſi omnia expediebantur in Conciliis, & Epiſcoporum ſubſcriptionibus roborabantur agitata in ipſis. Et loco Sigilli ſubſcriptio Epiſcopi Urbis fiebat cum atramento, id eſt unus circulus, in quo per circuitum ſcribebatur* VERBUM CARO FACTUM EST. *vel* CHRISTUS REGNAT, CHRISTUS IMPERAT, *vel aliud verbum ejuſmodi, Deo gratum. Et olim quamvis Epiſcopi vel Eccleſiæ quæque haberent Sigilla, tamen Sigillo fides non dabatur. Bullatam enim Literam non recolo me vidiſſe antiquiorem Bullâ Alexandri Papæ II. In quibuſdam enim Monaſteriis antiquis Privilegia quamplura Caroli Magni Regis Franciæ & Auguſti vidi integra. In quibuſdam non appenduntur Sigilla per corrigiam vel fila, ſicut hodie: ſed ſunt affixa Literis, tenentia Chartam amplexam ab utraque parte cum bona quantitate ceræ. Nunc autem Imperator utitur Bullâ aureâ, immo Imperatores Romanorum, uti & Græcorum. Utriuſque enim Literas tenui, aureâ Bullâ ſignatas vidi. Sed his non utuntur ante coronationem, ſicut nec etiam Papa ſuâ Bullâ. Dicit enim Petrus Bleſenſis, quod ex plumbo Papalis Bullæ naſcitur aurum; & qui onerati auro Romanam intrant Curiam, plumbo exeunt onerati interdum* &c. Certum quippe eſt, extare adhuc Romanorum Pontificum Literas *Bullâ Plumbeâ* munitas ante Alexandrum II. Papam. Vide in calce hujus Diſſertationis. Rur-

Rurſus minime audiendus Dominicus Raynaldus apud Leonem Allatium Lib. primo Cap. 6. *de perpetuo conſenſu Occidental. & Oriental. Eccleſ.* quum ſcribit, in Arretinæ Eccleſiæ Tabulario ſervari Literas Silveſtri I. Papæ Bullâ plumbeâ obſignatas, ſimileſque alias Leonis I. & Gregorii Magni in Archivo Romano Molis Hadrianeæ. Hæc inter ſomnia conjicito. Primum ex hiſce Tabulariis vidi, & nihil tale deprehendi. Idem de Romano ſentiendum videtur. Ad Imperatores verò quod attinet, non me fugit, laudari a Frehero, Mabillonio, Baluzio, Heineccio, aliiſque eruditis Scriptoribus aliquot eorum Diplomata, quamquam rariſſima, ex quibus *Plumbea Bulla* pendebat. Quod plus eſt, Petrus Diaconus Lib. 4. Cap. 109. Chronic. Caſinenſ. commemorat *Præcepta magnorum Imperatorum Caroli, Lodoyci, Pippini, Carlomanni, Lodoyci, Ugonis* &c. *cerâ, Plumbo, aureiſque Sigillis ſignata, quæ Caſinenſi Monaſterio fecerant*. Ego ipſe quoque in Diſſertatione VII. *de Comitib. Palat.* Diploma attuli Ottonis III. Auguſti, e quo Bullam Plumbeam pendere conſpexi. Alibi etiam Diplomata laudavi, e quibus chordula pendebat, indicium Sigilli aut aurei aut plumbei olim conjuncti. Attamen addo, ſi qua fortè Regum & Imperatorum Diplomata ſuperſunt hiſce Plumbeis Bullis ornata, immo & quæ pauca ab antiquis Scriptoribus commemorantur, magnâ circumſpectione eſſe accipienda. *Cereis Sigillis* fere ſemper antiqui Imperatores Carolus Magnus, ejuſque ſucceſſores ſunt uſi. Complura ex iſtis ſeſe mihi obtulerunt in Italicis Archivis. Interdum quoque & *Aureis Sigillis* eorum Diplomata roborata fuere. In Chronico Farfenſi, quod publici juris feci Part. 2. Tomi II. Rer. Italicar. Hildeprandus, perditiſſimus Monachus Cœnobii Farfenſis, abſtuliſſe dicitur *Sigilla duo de auro, quæ miſerunt Carolus & Pippinus filius ejus in uno Præcepto. Alia Sigilla duo de auro, quæ Guido & Lambertus Imperatores miſerunt in alio Præcepto quod fecerunt*. Leo quoque Oſtienſis Lib. 2. Cap. 39. Chronic. Caſinenſ. commemorat no-
A vem *Præcepta Imperatorum aureâ Bullâ bullata*. Alter tamen Codex ab Angelo de Nuce laudatus nihil habet de hiſce *Aureis Bullis*. Equidem in Diplomatis Imperatorum, Cæſarum, & Regum, quorum copiam non levem per Italiam meis oculis luſtravi, Sigilla *Cerea* complura conſpexi, *Aurea* verò numquam. At poſt Annum Chriſti Milleſimum frequentiora eſſe cœperunt aurea eorumdem Imperatorum Sigilla: quod & poſtremis hiſce temporibus factum animadverti, quibus pleraque eorum Sigilla cerea ſunt; ſed interdum & aurea. Quum ergo de Plumbeis Cæſarum antiquorum Sigillis agitur, mihi ad memoriam revocantur, ac non mediocrem vim faciunt, quæ Hugo Abbas
B Farſenſis memoriæ prodidit in Libello *de deſtructione Monaſterii ſui* circiter Annum Chriſti DCCCCXCVIII. a me edendo in hoc ipſo Opere, ſcilicet in Diſſertation. LXXII. *de Cauſſis imminutæ Eccleſ. potent.* Narrat ille, quot calamitatibus Sæculo Chriſti X. inſigne illud Cœnobium concuſſum fuerit, atque inter alia de Monachis iis in vitia quæque prolapſis ait: *Furabantur denique quæcumque diripere poterant de Monaſterio, Sigilla Aurea de Præceptis tollebant, & ponebant Plumbea, quæ MODO APPARENT.* Quiſnam, rogo, certos nos facit, nequaquam in aliis quoque Diplomatis ſucceſſiſſe Aureis Sigillis Plumbea? Quamobrem quoties Plumbearum Bullarum in
C Regum Præceptis mentio occurrit (quod ſane perquam rarum eſt) caute de iis judicandum eſt. Fieri enim poteſt, ut vel ipſæ Chartæ impoſtori alicui ſuam originem debeant, vel documentis legitimis appoſita ſint adulterina Sigilla.

Ne quid tamen diſſimulem, Margarinus in Bullario Caſſinenſ. Tom. 2. Conſtitution. 78. refert Diploma Henrici inter Imperatores Primi, Cœnobio inſigni Sancti Salvatoris Ticinenſis datum. Membranam ego inſpexi in Tabulario ipſius Monaſterii, viſaque eſt mihi autographa. Ibidem verò in inferiori parte pergamenæ in medio pendebat Plumbea Bulla, cujus ectypon heic exhibeo.




Ad hæc Principes Langobardi ac Normanni, qui Benevento, Salerno, Capuæ, aliiſque Urbibus Regni nunc Neapolitani dominati ſunt, modò Cereis, modò Plumbeis Sigillis ſunt uſi. Ita Venetorum Duces ab antiquis Sæculis plumbeo Sigillo ſuas Chartas muniebant. Marinus Sanutus junior in Venet. Hiſt. a me edita Tom. XXIII. Rer. Ital. ſub Sebaſtiano Ziano Duce ſcribit: *Emmanuelem Græcorum Imperatorem privaſſe Ducem Venetum privilegio bullandi Plumbo, quæ prærogativa ab aliis Imperatoribus ei conceſſa fuerat*. Immo ad eorum imitationem, quaſi hoc inſigne privilegium foret, Reſpublica Lucenſis a Romano Pontifice impe-
D travit paris Sigilli jus. Audi Ptolomeum Lucenſem in Annalib. brevib. ad Annum MLXIV. ita loquentem: *Eodem Anno Alexander II. Papa Civitatem Lucenſem nobilitat. Nam primo tribuit ei Bullam Plumbeam pro Sigillo Communitatis, ut habet Dux Venetorum* &c. In votis mihi fuiſſet adire celebre Tabularium Monaſterii Caſinenſis, atque ibi inviſere complures Chartas, quibus adhuc adnexa ſunt antiqua Sigilla. Non ingratum tamen erit Lectori accipere nonnulla ex iis, uti & Monogrammata, quæ ad imitationem Regum, Principes ii adhibere conſueverunt. Neque prætermittam, quæ ad Auguſtos etiam & Reges pertinent. Singula

enim

enim accurate olim perſcrutatus fuit Cl. V. Benedictus Bacchinius Abbas Sancti Petri Mutinenſis, eaque, dum vivebat, mecum liberaliſſime communia fecit. Itaque ibi primo loco Diploma *Lotharii I. Auguſti*, datum *Nono* A *Kalendas Martii*, *Anno Imperii XVII. Indictione XIII in Papia Civitate*, hoc eſt Anno Chriſti DCCCXXXV. Epochâ ab exordio Regni Italici deductâ. Ejus vultum in Sigillo cereo conſpice.




Succedunt Diplomata *Hugonis* & *Lotharii Regum*, data Anno Chriſti DCCCCXLI. de Eccleſia Sancti Victorini de Celano, & Anno B DCCCCXLII. Balduino Abbati. Regum Monogrammata ita efformata ſunt.

Signum ſereniſſimorum  *Hugoni & Lotharii Regum*.

Sigillum cereum amborum Regum effigiem exhibet in hunc modum.




Item Diplomata varia *Ottonis I. Auguſti*, data Anno DCCCCLXIV. & DCCCCLXVII. Ejus Monogramma inſpice.

Signum manu Domni  *Ottonis invictiſſimi Imperatoris*.

Sigilla cerea adſunt cum effigie Auguſti, ſceptrum dextrâ, globum terraqueum ſiniſtrâ tenentis.




In aliis Sigillis idem Otto Magnus viſitur ſub diverſa effigie. Sequuntur Diplomata *Ottonis II. Auguſti*, data Anno DCCCCLXXXI. cum hocce Monogrammate.

Signum Domni Secundi Ottonis  *ſereniſſimi Imperatoris Auguſti*.


In Sigillo cereo imberbis ita exprimitur Otto II.




Succedit Diploma *Ottonis III. Auguſti* datum Anno DCCCCXCVII. Sigillum deſideratur. Ecce illius Monogramma :

Signum Domni Ottonis  *invictiſſimi Imperatoris Auguſti.*

In altero Diplomate Monogramma ita efformatum cernitur :

Signum Domni Ottonis  *Ceſaris invicti .*


Succedunt *Henrici* inter Auguſtos *Primi* Diplomata , data Anno Chriſti MXXII. , & hocce Monogrammate ſignata :

Signum Domni Heinrici  *Romanorum invictiſſimi Imperatoris Auguſti.*

In altero Diplomate Anni MXX. Monogramma idem , ſed literis aliquâ diverſitate diſpoſitis . En illius effigiem in Sigillo cereo hac ratione expreſſam .



Adeſt etiam Privilegium *Conradi* inter Auguſtos *Primi* , datum Anno Chriſti MXXXVIII. Sigillo deſtitutum cum hocce Monogrammate.

Signum Donni Chuonradi  *invictiſſimi Romanorum Imperatoris Auguſti.*

Subſe-


Subſequitur Diploma *Henrici II. Auguſti* ſcriptum Anno MXLVII. abſque Sigillo, ſed cum ſequenti Monogrammate.

Signum Domni Heinrici Secundi  *Romanorum inviEliſſimi Imperatoris Auguſti.*


Item *Lotharii* inter Reges *II.* & inter Auguſtos *II* Diploma, datum Anno Chriſti MCXXXVII. cum Sigillo ex *Auricalcho*, in cu- A jus antica parte imago Imperatoris, in poſtica æternæ Urbis, uti ſequens ectypon oſtendet.



Ibi etiam ſpectandas ſe præbent Literæ Victoris II. Papæ circiter Annum Chriſti MLV. cum Bulla Plumbea, in cujus anticâ viſitur imago B Sancti Petri, cui porriguntur Claves, & in poſticâ occurrit Romanæ Urbis facies. En itaque Sigilli ejuſce formam.



Ideſt: *Tu pro me navem liquiſti: ſuſcipe Claves.* Adtexo nunc Langobardorum ac Normannorum Principum Chartas. Ibi donatio oc- C currit facta a Landulfo Principe Beneventi *de rebus in Latino, Anno XIII.* cum hoc Monogrammate, & Sigillo cereo.


Signum Domni  *Landulfi excellentiſſimi* Principis.



Quis


Quis iſte Landulfus ſit (fuerunt enim ejuſdem A nominis complures Benevento aut Capuæ dominati) ex accuratâ Chartæ inſpectione certò ſtatui poſſet. Interea mihi veri videtur ſimile, agi heic de Landulfo I. De eo Camillus Peregrinius in Stemmate Principum Beneventi ſcribit: *Auctor Chronici Sancti Vincentii ad fontes Vulturni Lib. 4. hunc Landulfum factum Marchionem putavit, id conjungens cum irruptione Hungarorum in Campaniam, quæ contigit in DCCCCXXXVI. ſive DCCCCXXXVII.* Et ſane Vulturnenſis Chronologus Part. II. Tomi I. Rer. Italicar. pag. 422 de iſto Landulfo ſcribit: *In ipſo tempore* (ideſt circiter Annum DCCCCXLIV.) *Landulfus Princeps Marchio efficitur. Ungri Campaniam devaſtarunt.* Videtur ergo hoc in loco Peregrinius fidem negare Hiſtorico Vulturnenſi. At nos in Caſinenſi Charta tenemus *Landolfum Principem, Ducem, & Marchionem*, ita ut de rei veritate dubitari ultra non poſſit.

Alterum Diploma *de Sancta Maria in Cinglis* ſpectat ad *Landolfum* & *Pandolfum Principes* Beneventanos, ſive Capuanos, quorum perſonas definire non auſim, aliis relinquens conſulere hanc in rem Chronicon Caſinenſe. Ibi Monogramma iſtud viſitur.

Signum  *Domni Landolfi excellentiſſimi Principis.*


Ibi cereum Sigillum cum effigie geminorum virorum, & literis hiſce circumpoſitis ✠ *Principum Landolfi & Pandolfi.*

Item Diploma *Atenolfi* & *Landolfi* Principum cuncta Privilegia Monaſterio Caſinenſi confirmantium. Ibi hoc Monogramma.

Signum  *Domni Atenolfi glorioſi* Principis.

Et Sigillum cereum cum effigie duorum virorum, & literis *Atenolfi & Landolfi Principum.*

Item confirmatio omnium Privilegiorum facta *a Landolfo & Atenolfo Principibus*. Ibi Monogramma, & Sigillum cereum.

Signum Domini  *Landolfi excellentiſſimi Principis.*



The Institute of Mediaeval Studies LIBRARY


Item

Item Diploma *Paldolfi* & *Landolfi* Principum, ex quo Sigillum excidit. Hæc ibi Monogrammata ſpectantur.

Signum Domni



Paldolfi, & *Signum Domni*



Landolfi glorioſiſs. Princip.

Item Præceptum *Laydulfi Principis* Capuani, datum *Anno II. Principatus Domni Laydulfi*, *Indictione Octaba*, hoc eſt Anno Chriſti DCCCCXCV. cujus Monogramma habeto.

Signum Domni




Laydulfi excellentiſſimi Principis.

Ibi in Bulla cerea ejuſdem nomen impreſſum eſt.

Item Præceptum *Pandulfi* & *Landulfi*, datum *Anno XXXVI. Pandolfi & Octabo Landolfi*, *Indictione VIII.* hoc eſt Anno Chriſti MLV. Ii ſunt in Stemmate Peregrinii Pandulfus V. & Landulfus V. Principes Capuæ. Ibi tantummodo viſitur Monogramma Pandulfi.

Signum




Domni Pandolfi Principis.

In Sigillo cereo expreſſa ſunt nomina *Pandolfi* & *Landolfi*.

Item Diplomata *Paldolfi* & *Paldolfi Principum*. Cereum Sigillum adeſt, cum effigie utriuſque, & Monogrammate:

Signum




Domni Paldolfi excellentiſſimi Principis.





Item Diploma *Landolfi & Atenolfi Principum*, Sigillo carens, cum hiſce Monogrammatis.


Signum





Domnorum noſtrorum Landolfi & Atenolfi glorioſorum Principum.


Item Donatio piſcationis in Lacu Patrienſi facta a *Paldolfo* & *Johanne Principibus* Capuanis circiter Annum Chriſti MXXV. Ibi Sigillum cereum, & Monogramma ut ſequitur.

Signum  *Domni Paldolfi excellentiſſimi Principis.*






Item oblatio *Atenulfi Principis de Sancta Maria in Capua*, cum Monogrammate & cereo Sigillo:

Signum  *Domni Athenolfi ſereniſſimi Principis.*




Item Donatio Rainulfi Principis Capuani, ſub qua recentiori manu legitur ſubſcriptio hæc: *Ego Ildebrandus qualiſque Archidiaconus Sedis Apoſtolicæ hanc Chartam confirmavi & ſubſcripſi juſſione Domini noſtri Nicolai ſummi Pontificis, & univerſalis Papæ, Anno III. Pontificatus ejus.*

Item Præceptum *Riccardi I. Principis Capuani*, datum *XIV. Kalendas Februarii*, *Anno ab Incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti MLXV. Indictione III.* cum hocce Monogrammate.

Signum  *Domni Riccardi excellentiſſimi Principis.*

Item


Item Diploma *Jordani II. & Roberti II. Principum Capuanorum*, datum *Anno Dominicæ Incarnationis MCXXV. Indictione III. Menſe Februario*, cum Sigillo cereo & Monogrammatis.






Ibi quoque habetur Diploma ejuſdem Roberti II. Principis, datum Anno MCXXVIII. cum ſuo Monogrammate; ſed excidit Bulla argentea.

Item *Riccardi I.* & *Jordani Primi*, *Principum Capuæ* Præceptum, *Anno MLXVI. Indictione Quarta, IV. Kalendas Julii* ſcriptum cum Riccardi Monogrammate, ut ſupra, & Sigillo Plumbeo, in cujus antica parte imagines utriuſque Principis ſtantis cum ſceptro, & literæ *Riccardus & Jordanus Dei gratia Principes*; in poſtica imago Urbis cum epigraphe *Capua Speciosa*.



Item ejuſdem *Jordani I. Principis & Ducis* Diploma datum *Anno MLXXXV. Indictione IX.* cum Monogrammate & Sigillo plumbeo, ut infra.






Eſt ibi altera donatio ejuſdem *Jordani I.* data *Gajetæ Anno MLXXXI.* cum Sigillo Plumbeo, ut ſupra. Chartæ Notarius ita ſubſcribit: *Ex juſſione* &c. *Gonſolinus in Anno Principatus ipſius Domni Jordani Viceſimo Tertio, & Nono-decimo Anno Ducatus ejus Gajetæ.*

Item confirmatio Privilegiorum ab eodem *Jordano I.* facta Anno MLXXXVIII. ſine Sigillo cum hocce Monogrammate.




Viſitur etiam in eodem Caſinenſi Archivo Diploma *Guaimarii Principis Salernitani*, qui qualis fuerit e quatuor ejuſdem nominis, alii videant. Illius Monogramma & Sigillum Plumbeum profero.


Signum  *Domni Guaimarii excellentiſſimi Principis.*



Præterea ibidem legitur reſtitutio Sanctæ Mariæ in Cingla, facta Anno Chriſti MXCIV. a *Roberto Comite* cum Sigillo Cereo fracto. Hæc autem illius ſubſcriptio.

Rodbertus  *Comes manu propria me ſubſcripſi.*

In altera hoc Monogramma cum Sigillo cereo, in quo Pallas ſedens cum clypeo in manu dextra.

Signum Domni  *Comitis* 




His adde Chartam *Rainulfi Comitis* Anno MCXXII. ſcriptam, ac pertinentem ad eamdem ſacram Ædem Sanctæ Mariæ in Cingla, in qua Sigillum ejus cereum, Hippogryphum inſculptum refert.




Sigillum quoque cereum viſitur in Donatione Anno MXCII. facta ab *Hugone Comite Moliſi*, cujus ectypon accipe.



Atque ut intelligas, non tantùm Principes illuſtriores Monogrammate ſuo ſubſcripſiſſe, ſed etiam Epiſcopos aliosque nobiles Caſtellanos, ſubſcriptionem intuere *Roberti* nobilis viri, qui Anno Chriſti MCIX. Brunoni Caſinenſi Abbati Eccleſiam Sanctæ Illuminatæ obtulit. Petrus Diaconus Lib. 4. Cap. 34 Chronic. Caſinenſ. hæc habet: *Sed & Johannes Triventinæ Sedis Epiſcopus, una cum Robberto filio Triſtayni Limeſſani Caſtri Domino, optulit huic loco Eccleſiam Sanctæ Illuminatæ infra fines prædicti Caſtri Limeſſini* &c. Et ſane eidem Chartæ ſubſcribit idem Epiſcopus poſt anathema indictum violatoribus oblationis illius.






In Chartâ quoque *Rothberti Averſani Epiſcopi*, exaratâ Anno Chriſti MCXIII (ex qua intelligas ſerius, quàm par eſſet, conſignatam fuiſſe ab Ughellio illius aſſumtionem ad Epiſcopale munus) viſitur Sigillum cereum cum literis ita circumſcriptis.




Pariter ibidem adſervatur Donatio Pontis Curvi facta a *Richardo II. Principe Capuano* cum hocce Monogrammate

Signum Domni Secundi Richardi  *glorioſiſſimi & magnifici Principis.*

Item Donatio Caſtelionis facta Anno Chriſti MCXXVI. a *Guilielmo Apuliæ Duce*, Rogerii I. Ducis filio, cum Bulla Plumbea, literis ita inſcriptis.



Hiſce accedant Diplomata *Rogerii II. Ducis Apuliæ*, *Calabriæ*, *Italiæ*, *& Siciliæ*, Rogerii I. Comitis Siciliæ filii, Anno Chriſti MCIV. & MCX. data, in quibus hæc Plumbea Bulla occurrit.



Item ejuſdem *Rogerii II.* Ducis Privilegium, Anno MCXXX. exaratum, cum Bulla aurea, in cujus altera parte Deiparæ imago cum Græcis lireris MP. ΘΥ. Ideſt *Mater Dei*, & in altera literæ iſtæ.




Quæ


Quæ ſic interpretor (legendo ΒΟΗΘΟΣ) *Rogerius in Chriſto* (*Deo*) *potens* (*Rex*) *&* *auxiliator Chriſtianorum* . Ejuſdem quoque Principis Regio titulo jam aucti eſt ibi Diploma ; Sigillum habens plumbeum , in quo epigraphe , & in adverſa parte figura ſtans . Hæc eſt inſcriptio .



Denique inter pergamenas Caſinenſis Tabularii binæ numerantur , ad *Baraſonem Sardiniæ Regem* pertinentes , cujus Principis mentio mihi facta eſt in Diſſertatione XXXII. *de Origin. Linguæ Italicæ* , & in Diſſertatione V. *de Ducibus Italiæ* . Ab utraque Bulla plumbea pendet . Primum Diploma , Anno Chriſti MCLXXXII. datum hoc Sigillum præfert .




Alterius Chartæ Bulla perquam rudem figuram exhibet in antica parte, in altera verò literas haſce.



Atque hactenus excerpta e celeberrimi Caſinenſis Cœnobii Archivo . Ad alia modo pergamus . Uti notiſſimum eſt , Sigillis antiquorum Regum atque Auguſtorum fere ſemper inſculpta cernitur eorum effigies cum inſcriptione , nomen illorum explicante . Idem ſæpe factum a nobilibus etiam Viris , qui & ipſi in Annulis ſignatoriis imaginem ſuam , aut Symbolum aliquod exprimebant . Idque familiare fuit vetuſtis ipſis Sæculis . Duos Annulos raros, magnique faciendos communicavit mecum Illuſtriſſimus, & e ſingulari humanitate ſpectatiſſimus Vir , Marchio Alexander Capponius , nunc Summi Pontificis CLEMENTIS XII. Forerius Major , quem uti egregium antiquitatum cultorem Roma univerſa veneratur , & ego in primis . Uterque Annulus eſt aureus . Primus Anno MDCCXXVII. effoſſus eſt Balneoregii in maceriis Ædis ſacræ dirutæ ſub arca , ubi hominis vitâ functi cineres jacebant . En ejus ectypon .



A Alter Annulus itidem aureus eſt , ſed majoris quam primus ponderis ac molis . Ejus quoque ectypon exero.



Uterque Annulus, ut vides, plane ſimilis formâ capitis & crinium . Septentrionalis generis viros , hoc eſt Gothos , aut Langobardos, aut Francos heic deſignari mihi perſuadeo . Borealem gentem ſonant nomina ibi ſculpta , hoc eſt AVFRET in Annulo primo , quod
B Latini in *Aufredum* , Itali in *Offredo* poſtea intorſerunt . Sæculo Chriſti Septimo apud Burgundiones in Monaſterio Condateſcenſi , nunc Sancti Claudii , floruit Sanctus *Aufredus Abbas* , uti Mabillonius docet in Annalib. Benedictin. ad Annum Chriſti DCXCVI. Alii in antiqua Hiſtoria occurrunt *Aufridi* & *Offridi* nomine ſignati . In altero Annulo non facile quale ſit viri nomen decernas . Neque enim conſtat , ſint-ne literæ , an alia quæpiam ſigna inter quæ O poſitum eſt. Excogitare illic *Del-*

ta Græcum , temeritate non careat . Præterea A figuras omnes literarum Runicarum , & reliquarum Septentrionalium ab Hikeſio collectas in Theſaur. Linguar. Septentrional ego conſului . Nihil tale ibi occurrit . Quare nil certi inde mihi exſculpitur, niſi *OVA* , quod nomem Gothici aliquid ſapit , nam Gothis fuit *Totila* , *Baduila* , *Biza* , *Chintila* , *Goda* , *Hibba* , *Liwa* , *Ovida* , *Teja* , *Wamba* , aliaque ejuſdem ſoni atque terminationis vocabula . Ne quid tamen diſſimulem , Fabrettus Cap. 8. Inſcription. Antiquar pag. 558. ait , ſe literam *D* vidiſſe aliquando ſcriptam *trigonâ quidem formâ* . Addo aliquid ſimile indicari a doctiſſimo Florentinio in Vita Mathildis Comitiſſæ Lib. 3. pag 100. unde lux nobis affulgere poſſe videatur . B Quærit ille , num Bonifacius Tuſciæ Dux & Marchio , ejuſdem Mathildis pater , nummos percuſſerit , atque ait : *Un'altra Moneta dicono conſervarſi, che ha nel dritto la lettera B Longobarda ſimigliante al DELTA GRECO , con due linee di traverſo tagliata , aſſegnandoſi queſta parimente da chi la deſcrive al Duca Bonifazio* . Habemus heic & nos literam ſimilem Græco *Delta*, lineâ per tranſverſum ductâ . Verùm Florentinius , utpote vir in judicando cautiſſimus , ſubdit , nihil evinci poſſe ex Nummo illo, ſibique potius videri , pertinere ipſum ad *Bernardum* , aut *Berengarium* Italiæ Reges . Addo ego , nec certos quidem nos eſſe , C an litera illa Græco Delta ſimilis , dicenda ſit *B.* Fortaſſis etiam Græcus eſt Nummus . Neque Reges Italiæ , aut Auguſti , aut Principes , conſueverunt unicâ literâ ſuum nomen exprimere in Numiſmatis Quare adhuc in nocte verſamur . Sed utcumque legas in Annulo a me propoſito , nihil aliud quàm barbaricum nomen inde haurire poſſis .

In utroque autem Annulo par fere capillamenti figura. Atque hinc potiſſimum deſumenda lux eſſet , ad conjiciendum , Gothi ne , an Langobardi , ſive Franci homines heic ſeſe nobis offerant . Sed multæ occurrunt mihi tenebræ . Claudianus in Carmin. de Bello Getico Gothos crinitos indicare videtur : D


Crinigeri ſedere patres , pellita Getarum
Curia , quos plagis decorat numeroſa cicatrix .

Apollinaris quoque Sidonius Lib. primo, Epiſt. 2. Theodericum Gothorum Regem deſcribens, ait : *Capitis apex rotundus , in quo paululum a planicie frontis in verticem cæſaries refuga criſpatur* . Poſt alia ſubdit : *Aurium legulæ , ſicut MOS eſt GENTIS , crinium ſuperjacentium flagellis operiuntur* . Ergo mos Gothicæ gentis fuit criſpare , ideſt intorquere crines , eiſque aures operire ; tum ipſos in nodum collectos ducere poſt tergum , non verò demittere ſuper humeros . In Annulis iſtis virorum E cæſaries intorta eſſe videtur , ſed non adeo demiſſa , ut aures integras operire poſſit . Atque heic ſeſe nobis offert Iſidorus Lib. 19. Origin. ita ſcribens : *Nonnullæ gentes non ſolùm in veſtibus , ſed & in corpore aliqua ſibi inſignia vendicant , ut videmus cirros Germanorum , granos , & cinnabar Gothorum* . Torſit vox *Granus* inſignes viros Sirmondum, Savaronem, La Cerda , & Salmaſium . Si eos auſcultamus, ſignificat capillos diſcriminatos , ſive ſparſos , ſive contortos , quos poſtremos *Treccie* Italice appellamus . Verùm præferenda eruditiſſimi Du-Cangii ſententia , ſcribentis , deſignari per vocem *Grani* barbam , quæ infra nares eſt , ſeu *Myſtaces*, qui nunc nobis dicuntur *Muſtacchi* . Egregia ſunt in hanc rem Ernulphi Roffenſis Epiſcopi verba in Spicilegio Dacheriano. *Evenit frequenter* (ait ille ,) ut *barbati , & prolixos habentes Granos , dum poculum inter epulas ſumunt , prius liquore pilos inficiant , quàm ori liquorem infundant* . Aufredi in Annulo ſculpti effigiem rurſus intuere : *Myſtacum* forma in ejus ore minime deſideratur , quos oſtentare , ut Iſidorus nos docuit , *Gothorum* mos fuit . In altero Annulo nulla eorum veſtigia habentur , quum figura adoleſcentem imberbem referat . Denique in Diſſertatione XXVII *de Moneta* Nummum *Baduilæ* Gothorum Regis dedi . Non diſſimilis ibi eſt tonſura crinium . Ad Langobardos quod attinet , ii regnante Agilulfo Rege , *cervicem uſque ad occipitium radentes nudabant ; capillos a facie uſque ad os demiſſos habentes , quos in utramque partem in frontis diſcrimine dividebant* . Ita Paullus Diaconus Lib. 4 Cap 23. de Geſt. Langobardorum . Horrentem hunc aſpectum non cernas in effigie virorum, quos nuper produxi , ſi diviſionem crinium excipias , quæ in Sigillo *Ova* occurrit. Verùm Paullus immutatos Langobardicæ gentis mores ſat prodit , quum ait , Modoetienſem picturam oſtendere, *quomodo Langobardi eo tempore comam capitis tondebant* : nam Paulli ævo alia fuit veſtium & capillorum ſtructura . Anaſtaſius autem in Vita Gregorii III Papæ auctor eſt , ſub Liutprando Rege nobiles Romanos complures *more Langobardorum* tonſos & veſtitos fuiſſe . Alia enim erat apud Romanos, alia apud Langobardos tondendi crinis ratio . Notum porro eſt , Langobardicam gentem, uti & Gothicam, aluiſſe barbam : atque hæc ſane conſpicitur in effigie *Aufredi* ; ejuſque etiam veſtigia in vultu alterius adoleſcentis cernuntur . De Francorum capillamento locupletem habemus teſtem Agathiam in Lib. primo de Bello Gothico ſcribentem: *Mos eſt Francorum Regibus tonderi numquam , ſed a pueris comam alere , quæ pulcre impendet humeris , etiam frontis crinibus dividuis , & in utramque ſe ſpargentibus partem* &c. *Idque apud illos Regiæ gentis inſigne , decuſque eſt , quum privati in ORBEM TONDERI ſoleant, neque promittere capillum ſinantur* . Gregorius quoque Turonenſis Lib. 3. Cap. 18. Hiſtor. hæc adnotat : *Habito conſilio pertractari oportet , quid de his* (ſcilicet Regiis pueris) *fieri debeat : utrum inciſâ cæſarie, ut reliqua Plebs habeantur* . Itaque Regibus exceptis , reliqua Francorum gens capillos in orbem tondebat : ac proinde Francorum effigiem ſi in hiſce Annulis quiſquam apparere opinaretur , non eum ratio deficeret . Bignonius tamen in Notis ad Leg. Salic. Titul 25. quum Francorum quoſdam *Capillatos* , ſive *Crinoſos* invenerit appellatos , de auctoritate Agathiæ dubitat . Sed & Boſius in Roma Subterran. Lib. 3. Cap 61. antiquiſſimam imaginem refert Romani cujuſdam Proceris , in Cœmeterio Priſcillæ pictam . Is flavis ac tonſis pæne ad cutim capillis conſpicitur . Quamobrem inter tot tenebras ego continere judicium amo . Id mihi tantummodo certum , minime ad Romanos ſpectare ejuſmodi Annulos , ſed quidem ad homines Septentrionalis nationis , & eos ſine hæſitatione Nobiles fuiſſe illuſtreſque viros . Eorum quippe nobilitatem prodit ipſa Annulorum materies aurum , & Imaginis uſus , & præſertim Aufredi tunica

Clavis

Clavis purpureis, ſive aureis conſperſa. Porro *Clavi* non vitreæ bullæ fuerunt, ut Gutherius arbitratus eſt Lib. 3. Cap. 17. de Offic. Dom. Auguſt. ſed ornamenta ex purpurâ aut auro ad inſtar florum ſive globulorum veſtibus inſuta.

Et ad Imaginem quod attinet, ne apud Gothos quidem, Langobardos, & Francos licuiſſe puto cuicumque Annulum adhibere, cui inſculpta foret vultus ſui effigies. Uti apud Romanos, ita apud illos, hæc prærogativa fuit Nobilium. Reliquus Populus aut nullo, aut alio genere Sigillorum utebatur. Et ſane video, Romanos infimi ſubſellii loco Sigilli uſurpaſſe nomen proprium, ligneæ ſive æreæ tabulæ inſcriptum. *Stampiglie* nos nunc appellamus, nomen ab Hiſpanis mutuati. Annulos duos æneos cum inſcriptis nominibus FORTVNIVS & VITALIS profert eruditiſſimus Boldettus Lib. 2. Cap. 14. de Cœmeter. Martyrum. Nonnullas & ego tabellas, Annuli ad inſtar adhibitas, ſub oculis habui, quarum etiam ectypon in Eruditorum gratiam adjungere heic ſtatui. Duplex earum genus fuit. Nimirum quaſdam ad ſubſcribendum veteres adhibebant, ſive quod analphabeti eſſent, ac ſcribendi imperiti, ſive ut ſtabili literarum figurâ ſubſcriberent Chartis. In lamina ænea prominentes literæ, ſuperinducto atramento, imprimebant nomen. Idque etiam quandoque factum a Principibus viris. Procopius in *Anecdotis* de Juſtino Auguſto loquens, hæc habet: *Ligneæ tabellæ perpolitæ formam quatuor literarum, quæ legi Latine poſſent, incidendam curant, eâque libello impoſitâ, calamum colore imbutum, quo ſcribere mos eſt Imperatoribus, huic Principi tradebant in manum*. Immo heic ſuſpicionem quamdam meam aperire non vereor. Scilicet inter Monogrammata Auguſtorum & Regum, quæ in Diplomatis a tempore Caroli Magni per aliquot Sæcula viſuntur (alioqui longe antiquior eſt Monogrammatum uſus), erantque olim eis loco ſubſcriptionis, quum revera illorum nomen ſub compendio contineant, multa inſpexi revera calamo, hoc eſt manu eorumdem Principum exarata: ſed nonnulla interdum occurrerunt mihi delineata characteribus tantâ elegantiâ ac linearum ductu adeo delicato ac uniformi impreſſis, ut facta mihi ſuſpicio fuerit, non calamo, ſed ſtabili aliquâ tabellâ fuiſſe Monogrammata illa efformata. Saltem velim accuratius in hanc rem Eruditi inquirant, variaque ejuſdem Regis Præcepta inter ſe conferant. Neque enim ſunt mihi ad manus, quæ ſparſim in Italicis Archivis vidi. Romanis ergo hominibus in uſu fuere, ut dixi tabulæ ejuſmodi, illarumque exemplum profert Molinetus Canon Reg. Pariſienſ. in Libro *le Cabinet de Sainte Genevieve*, pag. 25. Item quinque ejus generis evulgavit Fabrettus Inſcription. Antiquar. Cap. 7. pag 536. Adjungam & ego alias quinque ineditas. Primam laminam æream, Græci hominis, ΠΕΤΡΟΥ, hoc eſt *Petri* nudum nomen præferentem, cum ſuo manubrio in ſuperiori parte, adſervat Muſeum Sereniſſimi Ducis Mutinæ. Cujus ecce figuram:





A Altera tabella itidem ænea Mutinæ olim apud Pedronos, nunc apud me viſitur: cum literis MARVLP. PROCVL. hoc eſt, uti interpretor, MAR*cus* VLP*ius* PROCVL*us*, vel PROCVL*eius*. De Familia Conſulari *Proculeia* multa habent Urſinus & Patinus. Ita igitur ſe habet tabellæ conſpectus:



B Quod minime omittendum, in ſuperiori parte manubrii tabellæ hujus habentur initiales literæ excavatæ, idem exprimentes nomen, hoc eſt M V P. Idem intueare in tabella a Molineto producta. Nempe utebatur Marcus Ulpius ſuperficie Sigilli, literis prominentibus inſcriptæ, ad ſubſcribendum. Manubrium verò Sigilli vices implebat, quoties ſignandum erat ejus nomen in cera.


Aliæ duæ tabellæ pariter æneæ cum ſuis manubriis adſervantur a Reverendiſſimo ac humaniſſimo P. D. Alexandro Chiappinio Placentino, Abbate Canonicorum Regularium, egregio antiquitatum venatore. In prima occurrit
C nomen *Quincti Nemoni Marciani*: in altera P. POT. LY. hoc eſt *Publii Potamii*, ſeu *Potentini*, ſeu *Potiti*, *Lyſimachi*, ſeu *Lyſandri* &c.





D Hiſce adtexo geminas alias ejuſdem formæ laminas æneas cum ſuis manubriis apud prælaudatum Abbatem Chiappinium, a me inſpectas. Utraque, aut una ſaltem uſui fuiſſe videtur, non ad ſubſcribendum, ſed ad ſignandum in cera; ac propterea haſce inter Sigilla referre æquum putarem. Nam prima literis quidem prominentibus efformata eſt, ſed ita depreſſis, ut limbus laminæ ſupereminens impreſſionem literarum impediat. Quare ejus tantùm uſus eſſe potuit in ſignanda cera. Ibi EVSTOR. nomen legitur, quo *Euſtorgius* deſignari opinor.

E



In altera verò tabella, limbo prominenti carente, hæ literæ in ſuperficie cavatæ exhibentur: CONC. ORDI. Fortaſſe *Concordia Ordinum*, ſive *Ordinis*, niſi malis, eſſe Sigillum *Concordii* alicujus hominis. Novimus *Ordines* in Civitatibus olim fuiſſe, hoc eſt, Senatum, aut Collegia Magiſtratuum, de quibus mentio multa eſt in antiquis Inſcriptionibus. Vide-

etiam

etiam Diſſertationem XVIII. *de Republica*, ubi occurrent tibi *Ordines* iidem ; ac propterea hocce Sigillo alicujus Civitatis Ordinem ſua decreta firmaſſe , veriſimile mihi videtur. Tabellæ typum accipe .



Denique apud Clariſs. Virum Hieronymum Baruffaldium Ferrarienſem, nunc Archipresbyterum inſignis Collegiatæ Centi , ſimilis tabella viſitur, literis in ejus ſuperficie cavatis, præferens nomen Q. FABI HERMETIS . Loco Sigilli & iſta fuiſſe videtur , quamquam non minus quàm præcedens , ſi atramento liniatur, potuerit etiam ſubſcriptionem parere , literis nullo colore infectis , & nihilo ſecius apparentibus inter nigricantem tabellæ ſuperficiem . Hæc eſt illius figura .



Sed quando eo prolapſus eſt ſermo , ut de Romanorum veterum Sigillis agam , evulgare nunc juvat alia fruſta antiquitatis , quæ mihi humaniſſime conſpicienda ac deſcribenda dedit doctiſſimus Vir, & Reverendiſſimus P. D. Aſcanius Vareſius Patavinus , Abbas Canonicorum Regularium Sancti Johannis in Viridario Patavii , & nuper eorumdem Canonicorum Miniſter Generalis . Is enim , quotquot potuit , Sigilla veterum congeſſit , non indigna certe , quæ luce fruantur . Erant autem apud antiquos variæ Sigillorum ſpecies : aliæ in gemmis & Annulis , aliæ in laminis ac tabellis æneis . Erant quæ literis prominentibus fabricata erant, ut in ſuperficie durâ & planâ nomen imprimerent . Erant & quæ in ære , argento, auro , aut gemmis literas excavatas gerebant , ut in ceram, terram, aliamve mollem ac cedentem materiem, prout occaſio ferebat, inſcriptionem immitterent. Horum exempla vidi ego ; videbis & tu in antiquariorum Cimeliis. Hæc pauca interim profero .

Primum Sigillum æneum apud prælaudatum Abbatem Vareſium viſitur, characteres prominentes præferens, & ſuo manubrio adhuc inſtructum . Ad uſum fuit *Publii Cornelii Aceraei* , uti ex ejus aſpectu intelliges .




Secundum Sigillum æneum , ab eodem Abbate Vareſio adſervatum , cum literis prominentibus efformatum fuit, & ſuum manubrium ſervat . Eo utebatur ad ſignandas Chartas *Marcus Sempronius Priſcus* . Quod potiſſimùm animadvertas velim , virgulæ , ſive puncta , quæ unam vocem ab altera ſecernunt , enormis figuræ ſunt . Habes, ni fallor, quid ſentiendum ſit de Notis illis , quas ſæpe offendas in veterum Inſcriptionibus . Has aliqui Corda , alii arborum Folia interpretati ſunt . Verùm uti jam pridem monuere Reineſius , Fabrettus , & Marcus Antonius Boldettus Lib. primo , Cap. 52. de Cœmeter. Chriſtianor interpunctionum loco ejuſmodi ornamenta fuere adhibita . Vide in præſenti Sigillo formam punctorum . Si amplificentur , evadunt Corda , ſive Folia, ut olim credebatur .



Tertium Sigillum a nuper memorato Vareſio poſſeſſum , eſt Annulus æneus e contracto ſmaragdino colore venuſtus , cum literis excavatis . Spectabat ad *Publium Cælium* , aut *Cæcilium Diogne*, ſive *Diognetum* . Delphinis figura in area viſitur .



Quartum Sigillum penes prælaudatum Vareſium in lamina ærea abſque manubrio efformatum fuit . Literæ prominentes ſunt , ſed ita rudes & compendioſæ , ut decernere non auſim , deſignetur-ne heic *Cajus Neſmius* , an aliquod aliud nomen .




Quinctum Sigillum æneum , apud eumdem Vareſium exſiſtens, propoſitum volo artem divinandi callentibus , ut mihi explicent , quid nominis ibi deſignetur : quippe ego heic me plane Davum fateor . Literæ excavatæ ſunt , & quamquam Græcarum typum præferant, eas tamen Græcas certò affirmare non audeo . Si in area , ut primo aſpectu videtur , revera expreſſum fuit os furni , cum palâ , qua panis in furnum immittitur , haberemus heic Sigillum Piſtoris cujuſdam .



Porro antiquis etiam in more fuit, Sigillum ſuum apponere lateribus & tegulis coctilibus , ut innoteſceret Officina , e qua prodierant . Ex hiſce Figlinis , quæ etiam *Opera Doliaria* appella-

pellabantur, multa publici juris fecere accuratiſſimi antiquitatum collectores Fabrettus Cap. 7 Inſcription Antiquar. & Boldettus Lib. 2. Cap. 17. de Cœmeteriis. Ego quoque plura dabo in Theſauro novo veterum Inſcriptionum, quem nunc præ manibus habeo. In iis ſæpe non tantum nomina Artificum, & numerum Officinarum adnotata videas, ſed & tempus, hoc eſt ſub quibus Conſulibus fabricata fuere. Immo & in reliquis Figulorum operibus mos erat, ſignare nomina Artificum Sigillo, in quo literarum forma plerumque excavata erat, ita ut ex impreſſione in figlina literæ promi-

A nentes apparerent. Pretioſum fragmentum ejuſmodi operum Mutinæ adſervat Comes Johannes Baptiſta Scalabrinius, hoc eſt fruſtum operculi figulini, Anno MDCCXXVII. dum puteus in proximis ſuæ domui ædibus effoderetur, repertum duodecim & amplius cubitis ſub terra. Et ſane Civitatis noſtræ area mirum eſt, quantum creverit ſupra ſitum antiquæ Mutinæ, quum interdum viginti ac triginta cubitis ſub terra foſſores puteorum reperiant arbores proſtratas, aut earum folia, atque alia ſoli veteris indicia atque veſtigia. En fragmentum ipſum oculis omnium expoſitum.



Cur fruſtulum hoc antiquitatis apud me in honore fuerit, edicam. Tanto ſtudio ac labore argillam ſeu cretam, unde figlina hæc compoſita fuit, ab artifice expurgatam videas, agitatam atque ſpiſſatam, ut in parte fracta porulum, aut quidquam vacui fruſtra perquiras. Lævigata quoque mirum in modum ſuperficies eſt, & vividus color ruber cum in eadem ſuperficie, tum in cretæ ipſius viſceribus perdurat. Duobus in locis ſignatum eſt vas nomine Artificis ſcilicet L. TETI SAMI, hoc eſt *Lucii Tetii Samii*, ita ut *Vas Samium*, ſive in Inſula Samo fabricatum, continuò quiſque videre ſe putet. *Samia* autem *Vaſa* olim celeberrima fuere, uti norunt Eruditi, atque in menſis divitum, & in Templis ipſis adhibebantur, non ſolùm ob cretæ illius prærogativas, ſed etiam ob Samiorum Artificum in fictili opere peritiam. Certe Artifex ille patriâ Samius fuiſſe credendus eſt. Mea tamen opinio eſt, non in Inſula Samo elaboratum fuiſſe operculum iſtud una cum vaſe ſuo jam deperdito, ſed quidem Mutinæ, ſive in agro Mutinenſi. Animadvertendum quippe eſt, Romanis imperantibus, Civitatem noſtram e Figlinarum quoque præſtantia laudem ſibi non mediocrem conquiſiiſſe. Teſtem luculentum habeo Plinium ſeniorem, cujus ſunt verba Lib. 35 Cap 12. ubi de Figulorum arte, ſive de Plaſtice agit: *Samia etiamnum Vaſa in eſculentis laudantur. Retinet hanc nobilitatem & Aretium* (ſive *Eretum*, nunc *Monte Rotondo*, ab Urbe diſtans octodecim paſſuum millibus)

B *in Italia, at calicum tantùm. Surrentum, Aſta, Pollentia. In Hiſpania Saguntum. In Aſia Pergamum. Habent & Tralleis opera ſua, & Mutina in Italia: quoniam & ſic gentes nobilitantur*. Itaque vetuſtis Sæculis celebris Mutina etiam fuit ob Figlina opera, quibus ut majorem excellentiam compararent Cives noſtri, ex Inſula Samo evocaſſe credendi ſunt *Lucium Tetium* illum, in cujus officina efformatum fuit operculum nunc a me productum. Eſt autem in agro Mutinenſi ad meridiem, tribus ad Urbe paſſuum millibus, Villa, cui nomen *Cadiana*. Auguſtum ibi Ethnicorum Templum fuiſſe fama fert, cui fortaſſe cauſſam nomen
C ipſum dedit, quaſi *Diana* ibi coleretur. Eo certe in loco ingens marmorum vis olim effoſſa, & in Urbem ad condendum Templum maximum advecta fuit. Ibi verò creta præſtantiſſima effoditur, ad omne Figulorum opus idonea; eâque etiam veteres Mutinenſes uſos arbitror, quo tempore eorum fictilia laudatiſſima per Italiam ferebantur. Atque hæc dum commemoro, ſubit mirari ac dolere noſtrorum temporum incuriam, quibus artem hanc apud nos non ſolùm neglectam, ſed peſſime habitam cernimus, Saxolenſibus tantùm exceptis, qui in pateris & urceis ad *Caffè* & *Thè* miniſtrandum efformandis cum laude ſeſe exer-
D cent; quum tamen ad reliqua etiam opera Figlinæ nobiliter peragenda ager noſter præſidia non pauca nobis ſuppeditet.

Supra vidimus, quum barbarica Sæcula fluerent, in uſu fuiſſe Annulos ſignatorios, in quibus

bus capita virorum illuſtrium inſculpta erant. Quamdiu mos iſte perdurarit, incertum eſt. Illud novi, *Carolum* videlicet *Malateſtam*, celeberrimum Ariminenſium Principem, Anno MCCCLXXXV. & ſubſequentibus effigiem ſuam in Sigillo expreſſiſſe, quo forſitan in arcanis tantùm negotiis utebatur. Illud idem Sigillum æreum cum literis prominentibus, atque cum manubriolo, quum ad manus venerit ſingularis amici mei Johannis Baptiſtæ Bianconi Bononienſis, Prioris Maſcarellæ, atque in patria Academia Græcarum Literarum Profeſſoris, inſpexi ego, atque ejus ectypon heic evulgandum duxi.



At reliquum vulgus, Mercatores videlicet, Artifices, & alii proxime præteritis Sæculis ſuum tantummodo nomen in Sigillis prodebant. Exempli cauſsâ Sigillum vidi, cujus aream I. majuſculum implebat, atque in limbo hæc epigraphe legebatur. S. (ideſt *Sigillum*) INCHONTRATO. IACOMI. Eccleſiaſticorum verò hominum Sigilla, Epiſcoporum videlicet, Abbatum, Canonicorum, & Monachorum figurâ plerumque a Sæcularium Sigillis diſtinguebantur. Hæc enim circularis formæ erant, ſacrorum verò Miniſtrorum formæ oblongæ ſive ovalis, quæ ſupra & infra in acumen deſinebat. Sigillum accipe, quod ad inſigne Monaſterium Turonenſe Sancti Martini pertinuiſſe opinor, in candida cote inſculptum, quod pænes ſe prælaudatus Reverendiſſimus Abbas Vareſius adſervat. Ibi effigies Archiepiſcopi benedicentis Abbati mitrato ac genuflexo. In circuitu epigraphe: SANCTE. MARTINE. PROVINCIE. MAIORIS. TVRONIE.



Ita apud Johannem Carnevalium honeſtum Civem Mutinenſem conſpexi Sigillum æreum, quo olim utebatur Abbas Benedictinus Monaſterii Mutinenſis Sancti Petri. Ibi Sanctus Petrus Apoſtolus claves tenens & Evangeliorum Librum. Ad ſiniſtram Sanctus Benedictus Abbas, paſtoralem baculum gerens, & librum Regulæ. Sub pedibus viſitur gentilicium inſigne cum Clavibus Pontificiis. In epigraphe verò ita legitur. S. (hoc eſt *Sigillum*) ABBATIS. S. (ideſt *Sacri*) CONVENTVS. MONASTERII. SANCTI. PETRI. MVTINENSIS.



Ceterum ex quo apud Italos invaluere inſignia, de quibus agam infra in Diſſertatione LIII. *de Inſtitut. Milit.* Principes ipſi deſierunt ſenſim effigiem ſuam in Sigillis exprimere, ejuſque loco eadem Inſignia ſucceſſere, quæ nunc *Arme* appellamus. Ateſtinorum Principum Inſigne a quamplurimis Sæculis eſt Aquila alba. Et ea quidem cernitur in eorum vetuſtis Sigillis, e quibus duo accipe, quæ ad me miſit ſupralaudatus Clariſs. Baruffaldius. In primo hæ literæ occurrunt: S (ideſt *Sigillum*) AZONIS DEI ET APLICA GRA (hoc eſt *Apoſtolicâ gratiâ*) ANCHONE ET ESTENSIS MARCHIONIS. Tres ejuſdem nominis Marchiones Eſtenſes titulum quoque prætulere Marchionum Anconitanorum, ſcilicet *Azo VI.* cui Anno Chriſti MCCVIII. tradita eſt ab Innocentio III. ſummo Pontifice Marchia Anconæ, & *Azo VII.* & *Azo VIII.* qui finem vivendi fecit Anno Chriſti MCCCVIII. Ad quemnam iſtorum Sigillum pertineat, decernere non auſim.



In altero epigraphe iſta legitur. *Sigillum* ALBERTI MARCH*ionis* ESTEN*sis* VICAR*ii* CIVIT*atis* FeRr*ariæ* Pro San*Ct*A ROMAN*a* EC*cl*E*ſia* AC MVT*ine* D*omi*N*i* G*e*N*e*rAL*is*. Vitâ functus eſt Albertus Marchio Anno Chriſti MCCCXCIII. Ectypon ipſius Sigilli accipe.



Comites autem Sabaudiæ, qui Ducalem poſtea ac Regium tamdem titulum nobiliſſimæ & antiquiſſimæ Familiæ ſuæ addiderunt, in Sigillis ſuis diu retinuere figuram Militis armati, & in equo currente inſidentis. Exempla proſtant in Tomo primo Hiſtor. Genealog Sabaud. a Guichenonio conſcriptæ, qui tamen opinione potius quàm certâ cognitione ductus, *Amedeos* multos ejuſdem nominis diſtinguit, atque in iis Sigillis ſingulos pro ſuo arbitrio agnoſcit.

A

Ad hæc Civitates Italicæ, poſtquam Libertatem ſibi vendicarunt, Sigillis acta ſua ſignare conſueverunt. Nonnullæ in iis imaginem Sancti Patroni ſui collocabant, addito verſu Leonino. Uti Benvoglientus nos monuit in Notis ad Chronicon Senenſe, Tomo XV. pag. 32. Rer. Italicarum, Senenſis Reſpublica Sigillo utebatur præferente effigiem Virginis Deiparæ, cum puero Jeſu in ulnis, & verſu circumſcripto:

SALVET VIRGO SENAM, QVAM SIGNAT AMENAM.

Aliquod aliud verbum expoſcit verſus, atque adfuiſſe olim puto exempli gratiâ QVAM IESVS aut NATVS &c. In vetuſtioribus autem Sigillis Senenſes Caſtrum, ſive Urbem delineabant cum hocce verſiculo:

VOS VETERIS SENÆ SIGNVM NOSCATIS AMENÆ.

Ita Ferrarienſes ſuis in Sigillis expreſſere imaginem Sancti Georgii protectoris ſui, appoſito iſto verſu:

FERRARIAM CORDI TENEAS O SANTE GEORGI.

Ectypon hujus Sigilli, quod in ſuo Muſeo adſervat nuper laudatus Baruffaldius, Lectorum oculis ſubjicio.



Clariſſimus quoque Marchio Scipio Maffejus in ſua Verona Illuſtrata antiquum Veronenſis Reipublicæ Sigillum publici juris fecit. Ibi in

B

proſpectu viſitur magnificum ac turritum Palatium, in cujus fronte legitur VERONA. Circumſtat verſiculus pro more Rhythmicus:

EST JVSTI LATRIX VRBS HEC ET LAVDIS AMATRIX.

In Notitia Urbium MSta, quam Pignorius laudat in Notis ad Hiſtoriam Albertini Muſſati, iſta de Civitate Florentia legebantur: *Demiror, quid Sculpturæ ſignificent Sigillo ipſius Civitatis impreſſæ. Eſt enim in eo Herculis imago clavam manu geſtantis*, & verſus:

HERCVLEÂ CLAVÂ DOMAT FLORENTIA PRAVA.

A Subdit verò , Urbem illam aureorum ſuorum Florenorum ope cuncta domare , atque in to to terrarum Orbe dominari . Et revera Johannes Villanius Lib. 8. Cap. 95. commemorat Sigillum Communitatis Florentinæ , *dove era intagliata l'immagine d'Ercole* . Ita Genuenſis Reſpublica , quamquam in Vexillis deferret Crucem rubeam in campo argenteo , in Sigillo tamen ſuo uſurpabat Gallum cum Vulpe , ipſius Galli collum faucibus prementem , quam Vulpem & Gallum Griffus ſub pede tenet , in cujus circulo hæ literæ ſcriptæ ſunt .

GRIFFVS VT HAS ANGIT, SIC HOSTES IANVA FRANGIT.

Piſana verò Civitas Anno Chriſti MCLXI. in Sigillo ſuo Aquilam præferebat , & in limbo decurrentem hunc verſiculum .

VRBIS ME DIGNVM PISANÆ NOMINE SIGNVM.

B Civitatibus autem exemplo præiverant Epiſcopi in hujuſmodi Sigillis adhibendis . In Chronico Monaſterii Sanctæ Sophiæ Tom. 8. Italiæ Sacræ , Angelus Epiſcopus Trojanus Anno Chriſti MXXXVII in ſuis Bullis uſurpabat Sigillum , & ubi depicta erat Sanctæ Dei Genitricis , geſtantis Salvatorem in ulnis imago , & circum in gyro legebatur :

VERGINEIS MEMBRIS GENVIT, QVEM GESSIT IN VLNIS:

Gualvaneus de la Flamma , qui circiter Annum MCCCXL. Manipulum Florum contexebat , editum Tomo XI. Rer. Italicarum , Sigilla quarumdam Civitatum refert , ſcribens Cap. 75 Romæ *Leonis figuram* uſurpatam fuiſſe . *Similiter Brundiſium figuram habet Cervi : Carthago Bovis : Mediolanum Puellæ aureatæ cum Gallo albo in manu : Troja Equi : Janua Griffonis : Papia Vulpis : Placentia Galli : Cremona Porcæ* . Quam ille fidem hac in re mereatur , neſcio . Pleræque tamen Civitates Lombardiæ in Sigillis ſuis ſacrum aſſumſere Signum *Crucis* , eoque adhuc uti pergunt . Quod originem habuiſſe mihi creditur e ſacris expeditionibus in Orientem ſuſceptis , quum ſingulæ Civitates ſuos milites Cruce ſignatos adverſus Chriſtiani nominis hoſtes identidem mitterent .

Poſtquam verò hæc ſcripſeram , venuſtam veterum Sigillorum Syllogen mihi ſuppeditavit mei amantiſſimus vir Johannes Franciſcus Muſellius Archipresbyter Cathedralis Veronenſis , ad cujus manus devenere collectanea quædam poſt ſe relicta a celebratiſſimo & numquam interituri nominis concive ſuo Franciſco Blanchinio . Hiſce igitur ruderibus antiquitatis præſens argumentum illuſtrare pergam . Nuper indicavi morem Civitatum Italicarum in ſuis Sigillis , & unum eorum ectypon hucuſque C dederam . Accipe nunc Sigillum inſignis olim Civitatis *Aquilejæ* . Viſitur ibi Aquila alis extenſis , ſtans intra mœnia Urbis , aut intra muros Palatii cum informi hoc verſiculo :

VRBS HEC AQVILEGIE CAPVD EST ITALIE.



D Secundo loco intuere Sigillum *Utini* , ampliſſimæ nunc Civitatis , & Metropolis Provinciæ Forojulienſis , utpote quæ ex ruinis Aquilejæ ſenſim crevit in eum ſtatum , ut cum præſtantioribus Italiæ Civitatibus certare nunc poſſit . Ibi figura turritæ Urbis cum literis :

EST AQVILEIENSIS FIDES HEC VRBS VTINENSIS.



Tertio

Tertio Sigillum *Civitatis Auſtriæ* Templum exhibet cum turribus, & epigraphe:

SECRETVM CIVITATIS AVSTRIAE.



Hæc olim appellata *Civitas Forojulienſis*, eademque creditur atque *Forum Julii*, Romanorum Colonia, nunc autem appellatur *Cividal di Friuli*.

Quarto ſuccedat Sigillum Civitatis *Antiochiæ*, nempe Bulla, in cujus antica eſt Prin-
A ceps Apoſtolorum, claves dextrâ, Crucem ſiniſtrâ tenens cum literis SANCTVS PETRVS. In poſtica verò habentur Civitatis mœnia, intra quæ Sanctus Petrus Populo Fidei Euangelium prædicat, cum literis: S. CVMVNIS ANTIOCHIE.



Nullus dubito, quin Sigillum hoc ſpectet ad Regiam Syriæ Urbem Antiochiam, quo tempore erepta Saracenis ſub finem Sæculi a Chriſto nato Undecimi, Boamundo Principi, ejuſque Succeſſoribus Chriſtianis paruit. Sed quei, petat aliquis, ibi Communitas, ſive Reſpublica, quando fuit ſub Principibus, antequam Infidelium jugum rurſus ſubiret? Sed exempla Communium ſub ipſis Principibus in Italia crebra fuere, ut infra videbimus in Diſſertatione LIV. *de Principibus*.

Supra de Sigillis, ſive Bullis Plumbeis Romanorum Pontificum aliqua præfatus ſum. Ea verò antiquiora, quàm quidam cenſuerint, dixi. Nunc ad eamdem veritatem confirmandam adponere juvat varias ipſorum Bullas, ex Muſelliano Veronenſi Muſeo depromtas.

Prima ſpectat ad *Paulum* I. Anno Chriſti 757 Romano Pontificatu donatum. In antica viſuntur capita Apoſtolorum Petri & Pauli. In poſtica legitur ΠΑΤΑΟΤ, ideſt *Pauli* Papæ.

Secunda eſt SERGII PAPAE. Num Primus hujus nominis electus Anno Chriſti 687. an Secundus, qui Pontificatum iniit Anno 844. an Tertius in Apoſtolicam Sedem ingreſſus Anno 904 heic deſignetur, nemo facile decernat. Alteram *Sergii* Bullam, eamque diverſam, infra dabo, ita ut conjecturæ locus ſit, hanc ſpectare ad Primum, aut ad Secundum.

Tertia eſt ZACHARIAE PAPAE, qui Anno Chriſti 741. ad Romanum Pontificatum evectus fuit.

Quarta LEONIS PAPAE. Et heic incertum eſt, num Tertius Anno 795. electus, an Quartus, an alius e Succeſſoribus ejuſdem nominis indicetur. Veri tamen ſimile eſt, ad Tertium hanc Bullam ſpectare.

Quincta GREGORII PAPAE. Fieri poteſt,
B ut hæc referenda ſit ad Quartum Anno Chriſti 827. electum. Attamen ſi qui ad poſteriores ejuſdem nominis Pontifices, inſpectâ potiſſimum characterum formâ, referre hanc malit, minime obſiſtam.

Sexta SERGI PAPAE, quum diverſa a præcedenti ſit, ſpectare poteſt aut ad Secundum, aut ad Tertium.

Septima LEONIS PAPAE parum a præcedentis Leonis Bulla diſtat, ita ut vix diverſa videatur. Si diſſimilem ſtatuas, fortaſſis indicabit Leonem IV. Anno Chriſti 847 electum.

Octava STEPHANI PAPAE. Difficile decernas, ad quemnam e Stephanis Romanis Pontificibus ſit referenda. Sæculo Chriſti No-
C no Romanam Cathedram tenuere Quartus, Quinctus, & Sextus: Decimo Septimus, & Octavus. Unus ex his heic deſignatur.

Nona MARINI PAPAE veri ſimiliter ad Primum hujus nominis ſpectat, electum Anno 882. Si tamen illam Marino Secundo adſcribere malis, Anno 943 ad Pontificatum adſumtum, per me licet.

Decima, Undecima, ac Duodecima IOHANNIS PAPAE, utpote quæ diverſam Monogrammatum & characterum formam gerunt, tres diverſos Romanos Pontifices ſignant, puta *Johannem XII* Anno 955. electum, *Johannem XIII.* Anno 965. & *Johannem X*. Anno 985. Nihil tamen certi in his ſtatuere auſim.

D Decima tertia, in qua legitur BENEDICTVS PAPAE, mirandi tibi cauſſam præbebit, Solœciſmum heic offendenti. Sed condonandum inſcitiæ temporis illius. Etiam ſupra ad Bullam X. animadverteris in Monogrammate legi IOANNES PAPAE. Verùm ſit-ne hæc referenda ad *Benedictum VI.* Anno Chriſti 972. in Petri Cathedram invectum, an ad

Septimum Anno 975. an ad Octavum Anno 1012 electum, quiſnam certo decernere queat?

Decima quarta PASCHALIS PAPAE, potius quàm ad Primum, Anno Chriſti 817. in Apoſtolicæ Sedis ſucceſſionem vocatum, pertinere puto ad *Paſchalem Secundum*, Anno 1099. Romanorum Pontificem renuntiatum.

Decima quincta præfert capita Apoſtolorum cum literis S. PA. S. PE. In altera facie HONORIVS. PP II. qui Anno 1124. Petri Cathedram conſcendit. Cur autem Sanctus Paulus præcedere heic videatur Sancto Petro, diſputarunt jamdiu Eruditi. Non eſt meum ingredi in hujuſmodi controverſiam.

Decima ſexta, uti & omnes fere ſubſequentes, exhibet eadem Apoſtolorum capita ac literas: CELESTINVS. PP. III. Romanum Pontificatum adeptus Anno 1191.

Decima ſeptima hanc Epigraphen præfert: INNOCENTIVS PP. III. Anno 1198. electus.

Decima octava inſcripta eſt hiſce verbis HONORIVS PP. III. ad Petri ſedem evectus Anno Chriſti 1216.

Decima nona has literas exhibet: GREGORIVS. PP. VIIII. Anno 1229. Apoſtolorum Principis Succeſſor.

Viceſima hanc Inſcriptionem habet: ALEXANDER. PP. IIII. Anno 1254. ad Romanam Cathedram provectus.

Viceſima prima his verbis ſignata eſt: MARTINVS. PP. IIII. Spectat ad Annum Chriſti 1281. quo is fuit electus.

Viceſima ſecunda epigraphe hac notatur: HONORIVS. PP. IIII. qui Anno 1281. in Apoſtolicam Sedem ingreſſus eſt.

Viceſima tertia has literas præfert: NICOLAVS. PP IIII. cui Anno 1288. Pontificatus Romanus conlatus fuit.

Viceſima quarta inſcripta eſt: BONIFATIVS. PP. VIII. Anno 1294. in Sedem Petri deductus.


Viceſima quincta literas haſce nobis offert: GREGORIVS PP. XI. Is Anno Chriſti 1370. Pontificatum Romanum ſuſcepit.

Viceſima ſexta inſcribitur: VRBANVS. PP. VI. Anno 1378. electus. Adduntur Aquilæ duæ..

Viceſima ſeptima nobis exhibet has literas: MARTINVS. PP. V. Anno 1417. electus & ſacratus Pontifex.

Viceſima octava ſpectat ad eumdem Pontificem, ſed a priori diverſa eſt, cum literis MARTINO V.


Denique Viceſima nona Bulla pertinet ad Romanam Curiam, Pontificatu, ut puto, vacante. Viſitur ibi Tiara Pontificia cum epigraphe: BVLLA CVRIE DNI. NRI. PAPE. In poſtica Claves Pontificiæ decuſſatæ, cum Cruce & literis DNI CIVITATIS AVINIONIS, ideſt Papæ *Domini* Civitatis Avenionenſis.





XI
PA PAE
XII
IOHANNIS
P A PAE
XIII
PA PAE
XIV
PAS CHM LIS
P A PME
XV
HONO RIVS PP.II
S PA S PE
XVI
CELE STINVS PP.III
S PA S PE
XVII
INNO CENTIVS PP.III
S PA S PE
XVIII
HONO RIVS PP.III
S PA S PE
XIX
GRE GORIVS PP.VIIII
S PA S PE
XX
ALE XANDER PP.IIII
XXI
MAR TINVS PP.IIII
S PA S PE
XXII
HONO RIVS PP.IIII
S PA S PE
XXIII
NICO LAUS PP.IIII
S PA S PE
XXIV
BONI FATIVS PP.VIII
S PA S PE
XXV
GRE GORIUS PP XI
S PA S PE
XXVI
URB ANUS PP VI

XXVII


XXVII



XXVIII



XXIX



Quod tamen in primis animadvertendum eſt in præſenti argumento, non Romani tantum Pontifices antiquis temporibus, Sigillis five Bullis Plumbeis uſi ſunt, ſed & alii Epiſcopi, & Principes, immo Magnates quoque alii nobilitate conſpicui. Quod quum conſidero, quæ antea memorata mihi fuere de facultate Bullæ Plumbeæ conceſſa privilegii loco Ducibus Venetis, & Civitati Lucenſi, vix apud me fidem obtinere incipiant. Si enim id licuit Nobilibus viris, cur non & Principibus, quales fuere vetuſtis etiam Sæculis Venetiarum Duces? Hujuſmodi verò morem luculentioribus exemplis confirmatum nunc eo, alias adferendo Bullis a Clariſs. Blanchinio olim viſas, quas mihi ſuppeditavit prælaudatus Veronenſis Archipresbyter Muſellius.

Prima Bulla Plumbea in antica has exhibet literas: IOH ET DECIBILIS V PA; ideſt *Johannes, & Decibilis Viri Patricii*. In poſtica SCS ERASMVS. Ad Illuſtres Principes pertinet hæc Bulla, videlicet ad *Johannem*, ac *Decibilem Cajetæ Duces*. Leonem Oſtienſem audi, narrantem acta Anno Chriſti 915. in Chronic. Caſinenſ. Lib. I. Cap. 52. *Veniens Nicolaus Patricius, eos primum, quos familiares ſibi ac fœderatos Saraceni habebant, ideſt Gregorium Ducem Neapolitanum, & Ducem Cajetæ Johannem, Patriciatus illis honorem ab Auguſto deferens, ab eis disjungere ſtuduit*. Non hic tamen in Bulla iſta memoratur, quippe *Decibilis* filius. Rurſus accipe, quæ idem Oſtienſis tradit Lib II. Cap. 37. *Quam Turrem*, inquit, *Johannes, Imperialis Patricius, Cajetanus filius Docibilis* (ita ille pro Decibilis) *Hypati pro Agarenorum diſſipatione temporibus Johannis Octavi Papæ conſtruxerat*. De ipſo Decibili agit idem Hiſtoricus Lib. I. Cap 42. inquiens: *Docibilis quidem tunc illis* (ideſt *Cajetanis*) *in Ducem præerat, qui tantum dedecus ſibi ſuiſque inlatum minime ferendum ducens, miſit Agropolim &c.* Itaque circiter Annum 875. Cajetanis præerat *Decibilis Dux, Patricius*, & *Hypatus*, ideſt *Conſul*. Exſtat etiam Epiſtola 38. Johannis VIII. Papæ, *Docibili, & Johanni Hypatis Cajetæ* inſcripta. Erchemperto quoque in Hiſtoria num LV. memoratur *Decivilis Dux Cajetæ*. Ex hac autem Bulla diſcimus, Decibili patrem, aut fratrem fuiſſe *Johannem* ſeniorem, & ipſum Cajetæ Ducem, cujus nomen in filio ſuo Decibilis renovavit. Porro Sanctus Eraſmus Cajetæ patronus eſt, ibique ſacrum ejus Corpus colitur, illuc adductum a *Bono Cajetanæ Civitatis Epiſcopo, una cum Docibile Johannis Patricii jam defuncti filio Patricio*, uti habetur in Vita Sancti Eraſmi apud Bollandiſtas ad diem II. Junii.

Secunda Bulla plumbea Monogramma exhibet. Cujus autem viri nomen ibi contineatur, nondum divinare potui In altera facie legitur IN SCA TRINITATE CONFIDENS.

Tertia præfert Monogramma incerti hominis, niſi ſit SERGI. Circumſtant literæ corroſæ, inter quas tamen perſpicue legitur DIACONI. In poſtica viſitur Grus, Rota, & Crux cum literis FE.

Quarta plumbea Bulla conſtat ex duobus Monogrammatis, quorum primum videtur ΜΑΡΚΟΥ, ideſt *Marci*. Quid alterum indicet, explicandum aliis relinquo.

Neque minus obſcura ſunt Monogrammata gemina, quæ in Bulla quincta ſpectantur. In antica facie præter Monogramma legi videtur *τῷ δούλῳ σοῦ*, hoc eſt, *Servo tuo*.

Sexta Bulla eſt ΘΕΟΔΩΡΟΥ ΠΑΤΡΙΚΙΟΥ, ideſt *Theodori Patricii*. In altera parte Monogramma caliginoſum eſt. Novimus, *Theodorum Patricium*, cognomento *Calliopa*, Exarchum Ravennæ Anno Chriſti 650. de quo Anaſtaſius in Vita Theodori Papæ. *Theodorus* alter, *Patricius & Exarchus Ravennæ* memoratur ab Agnello in Vita Theodori Archiepiſcopi Ravennatis, & uſque ad Annum 686. Exarchatum rexiſſe creditur. Ad alterutrum ex illis pertinere videtur Bulla. Aliquod etiam *Ravennæ* veſtigium in Monogrammate fortaſſe reperias. Attamen quum & alii Theodori Patricii occurrere poſſint, nihil de hac re decernendum puto.

Bulla ſeptima eſt cujuſdam IOHANNIS. In altera facie viſitur avis.

Bulla octava eſt cujuſdam THEODOSII, cum Monogrammate perquam obſcuro.


Nona Bulla pertinet ad quemdam THOMAM. Additur Monogramma tenebroſum.

Decima eſt THEOPHVLACTI PR*esbyteri* ECCL*eſiæ* ROM*anæ*. Suſpicio mihi enata eſt, hunc ipſum poſtea ad Romanum Pontificatum evectum fuiſſe ſub nomine *Benedicti VIII.* Anno Chriſti 1012, nam is etiam ſe ſe *Theophylacti* nomine inſcribebat, uti oſtendam in Diſſertatione LVI. *de Religione Chriſtiana*, atque antea in Notis ad Chronicon Farſenſe Part. II. Tomi I. Rer. Ital. Un-

Undecima Bulla eſt GAVDENTII PRIMICIRII, ut puto, Romanæ Eccleſiæ.

Duodecima eſt RVFINI V C, id eſt *Viri Clariſſimi*. In poſtica C. B. AVG. Hæc mihi vetuſtiſſima inter hactenus productas creditur. Neque dubito, quin Rufinus ille ampliſſimo aliquo munere functus fuerit in Aula Augusto- A rum. Sed quis ille? petat aliquis. Nihil ego reſpondere auſim. Id tantummodo dicam, referendam minime videri Bullam ad Rufinum Conſulem famoſum ſub finem Sæculi a Chriſto nato Quarti.

Decima tertia eſt THEODORI NOTARII, de quo nil dicendum habeo.



Ad hæc monuit me per literas ſingularis amicus meus Ignatius Maria Comus, Patricius Neapolitanus, elegantiſſimi vir ingenii, complura ex hujuſmodi Sigillis adſervari Romæ apud celebrem Romanarum antiquitatum venatorem Franciſcum Ficoronium; e quibus nonnulla adnotabo.

PETRI NOTARII.

B DAMIANI NOTARII. Aquila viſitur in parte adverſa.

GREGORII NOTARII. In poſtica parte Aquila.

ISMARAGDVS. Aquila a tergo. Erit, qui ſuſpicetur, pertinere Sigillum hoc ad *Smaragdum* Exarchum Italiæ iterum Anno Chriſti 602. Sed quum nullo titulo ejus nomen exornetur,

netur, conjecturis parcendum puto.

STEPHANI PRESBYTERI. A tergo capita duorum Auguſtorum.

MARCI MONACHI. In poſtica viſitur Deipara cum Puero.

THEOPEMPTI DEF. ideſt *Defenſoris*. A tergo Aquila.

THEDOSII PRESBYTERI. In averſa parte capita Apoſtolorum Petri & Pauli.

AE. In poſtica PATRICII.

ΓΡΗΓΟΡΙω ΠΑΤΡΙΚΙω ΣΤΡΑΤΗΓω CTKEΛΙΑC, ideſt *Gregorio Patricio*, *Stratego Siciliæ*. Is fortaſſe eſt *Gregorius* ille *Patricius*, qui a Baſilio Græcorum Imperatore ad Ludovicum II. Auguſtum una cum claſſe miſſus fuit ad Barenſis Urbis obſidionem Anno Chriſti 870. Vide Paralipomena Anonymi Salernitani a me edita Part. II Tomi I. Rerum Italicarum, Cap. 93.

ΠΑΤΛΟΤ ΑΡΧΙΕΠΙCΚΟΠΟΤ ΘΕCCΑΛΟΝΙΚΗC, ideſt *Pauli Archiepiſcopi Theſſalonicæ*.

ΜΑΡΙΝω ΒΑCΙΛΙΚωC. A tergo: ΘΕΟΤΟΚΕ CΤΝ ΤΟ ΤΙΟ COΤ Κ. Ideſt; *Marino regaliter Deipara una cum Filio tuo* ......, Poſtrema litera quid ſibi velit, non aſſequor.

CΤΜΕΟΝ ΔΟΤΛΟΤ ΤΗC ΘΕΟΤΟΚΟΤ, hoc eſt, *Symeonis Servi Deiparæ*. A tergo viſitur Virgo cum infante Jeſu.

ΔΟΤΛΚΙΤΙΟC. Ideſt, uti in averſa parte ſcribitur Latinis literis DVLCITIVS.

ΚΑΜΠΟΤΛω ΤΠΑΤω, nempe; *Campulo*, *Conſuli*.

A ΙωΑΝΝΟΤ ΤΠΑΤΟΤ ΚΑΙ ΑCCΗΚΡΙΤΗC. In averſa facie ΔΟΤΛΟΤ ΤΗC ΘΕΟΤΟΚΟΤ pro Θεοτόκου: hoc eſt *Johannis Conſulis*, & *a Secretis*, ut puto, *Servi Deiparæ*.

CΤΕΦΑΝω ΠΑΤΡΙΚ ωS ΔΟΤΚΙ. Fortaſſe ΠΑΤΡΙΚΙω ΚΑΙ ΔΟΤΚΙ, ſcilicet, *Stephano Patricio*, & *Duci*.

ΝΙΚΟΛΑω ΑΡΧΙΕΠΙCΚΟΠω ΚωΝCΤΑΝΤΙΝΟΠΟΛΕωC ΝΕΑC ΡωΜΗC. Ideſt *Nicolao Archiepiſcopo Conſtantinopolis Novæ Romæ*. In poſtica viſitur Deipara, puerum Jeſum in ulnis geſtans. Anno Chriſti 976. Nicolaus II. Patriarchatum Conſtantinopolitanum iniit. Tum Anno 1089. Nicolaus III. Deinde Anno 1147. Nicolaus IV. Ad unum ex his pertinere
B Bulla videtur.

Plures verò id genus plumbeas Bullas exſpectet Lector ex eruditis Diſſertationibus, quas ſperare nos facit nuper laudatus Ficoronius, ejuſmodi monumentorum indefeſſus collector. Unum addam, quod mihi perquam peregrinum, & vix credibile viſum fuit, nempe, ut eruditus ille Vir me per literas monuit, apud ipſum adſervari Bullas plumbeas ab Imperatoribus ipſis Ethnicis adhibitas ad ſua Diplomata, videlicet a Trajano, Lucio Vero, & aliis; ejuſque rei veſtigia manifeſta ſupereſſe in foramine, per quod chordula ducebatur membranæ adnexa. Quare vides antiquitatem hujuſce ritus ad noſtra uſque tempora propagatum.

DE EMPHYTEUSIBUS, PRECARIIS, ET LAICORUM DECIMIS.

DISSERTATIO TRIGESIMASEXTA.

DISSERTATIO TRIGESIMASEXTA.

ALiquid etiam de *Emphyteuſibus* dicendum eſt , quod is Contractus non minus antiquis temporibus , quàm noſtris , plurimùm in uſu fuerit . Norunt omnes , eâ voce deſignari Contractum , quo traditur alicui fundus ad fruendum ſpatio interdum certo temporis , aut, ut plerumque fit , in perpetuum , & in heredes tranſiens , ea lege ſive conditione , ut is fundus melior , aut ſaltem non deterior efficiatur, directum verò dominium concedenti reſervetur , & Emphyteuta quotannis domino eidem penſionem quampiam aut gravem aut levem perſolvat . An antiquiores Romani Contractum hunc noverint , non ſatis liquet . Exploratum quidem eſt , Juſtiniano I. teſte , Zenonem Imperatorem leges tuliſſe circiter Annum CCCCLXXVIII. *quæ Emphyteuſeos Contractus propriam ſtatuit naturam*. Vide in Codic. Juſtinian. Titulum *de Jure Emphyteutico* . Memorantur etiam in Codic. Theodoſian. Lib. A XI. Tit. 19. *Emphyteuticarii poſſeſſores* in Lege Anno Chriſti CCCLXIV. promulgata a Valentiniano & Valente Auguſtis , uti & in altera Arcadii & Honorii Anno CCCXCVIII. emiſsâ *prædia Patrimonialia & Emphyteutica*, quæ vetuſtatem ejuſmodi Contractus oſtendunt . Subſequutis temporibus *Libelli* , *Precariæ ac Præſtariæ* nomine donatæ ſunt Emphyteuſes . Cujus *Libelli* originem ſi a Cujacio petas , is tibi reſponſum dabit Lib. primo de Feudis : *Libellarium Contractum eſſe venditionem , quæ fit ſcripturâ interveniente certo pretio* &c. *Dixi ſcripturâ interveniente : brevi ſcilicet ſcripturâ; & inde nomen* . Propius fortaſſis ad originem B vocis accedat , qui mecum ſenſerit, non aliunde natam vocem , quàm a *Libellis* ſupplicibus, qui olim porrigebantur ad impetrandam Emphyteuſis titulo rem quampiam immobilem . Hujuſce ritus veſtigia diu retinuit celeberrima Ravennas Eccleſia . Specimen Lector accipiat, ex Archivo Eſtenſi deſcriptum .

Charta Emphyteuſis multorum prædiorum , quæ Azo Diaconus Ravennatis Eccleſiæ, & Abbas Præpoſitus Sancti Vitalis concedit Amelrico & Francæ conjugibus, Anno Chriſti 903.

„ IN nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti . Regnante Henrico Rege filio quondam Henrici Imperatoris , Anno Octavodecimo , ſub Anno Dominice Incarnationis Milleſimo Septuageſimo Tertio die XXI. Menſe Novembri , Indictione XII. Exempla ex auctentica extracta Carte Libelli , quem fecit Azo Diaconus & Prepoſitus Sancti Vitalis in Amelrico & Franca Jugalibus diebus vite illorum tantum.

IN *nomine Dei eterni . Domno noſtro Lodoicus magno Imperatore Auguſto, Anno ejus Quarto, die Tertio, Menſe Madio, per Indictione Sexta. Petimus a vobis Domno & venerabili* D *Azo Diaconus Sancte Ravennatis Eccleſie & Abbas Prepoſitus Sancti Vitalis, ſito in Reg ..... Sanctorum, uti nobis Amelrico & Franca jugalibus* Libello *diebus vite noſtre tantum , de rem juris ſancte Eccleſie veſtre territorio Adrianenſe : ideſt Curte veſtra Valletiniana una , & Silva cum omni jure ſuo , & cum amplicto ſuo , ſeu cum apenditiis ſuis, terris, vineis, campis , pratis, paſcuis, ſilvis, arbuſtis, arboribus, una cum ajacencia & pertinentia ſua in integrum . Similique modo concedere jubeatis Curte veſtra , que vocatur Fontanella & Rio una cum ſilvas Querenti & Silva Mandria, cum omni jure & amplicto ſuo, una ſimulque fundo Purpuraria , & fundo Ravinale, & fundo Ronci , ſeu fundo Fulnitico, ſimulque fundo Dumdorio, & fundo Lavize, veſtra quoque portione, quod eſt ipſa ſupraſcriptas res in preſcripto fundo Fontanella & Rio tornaturas duocenti quinquaginta, atque in fundo Purpuraria tornaturas centum, ſeu in Mandria ſortes duas, atque in Querenta ſortes duas, ſeu in fundo Ravinale tornaturas cinquan-* C *ta, atque in fundo Ronci tornaturas ...ci, ſeu in Fulnitico tornaturas centum, atque in Valletiniana, & in fundo Soriſini ſortes decem , & in Dumdorio ſortes tres, atque in Laveze ſortes tres, atque fundo qui vocatur Soricini, ſimiliter cum omni jure ſuo, & cum amplicto ſuo in integrum. Similique modo concedere jubeatis veſtra quoque portione de Maſſa Ruvina cum omni jure & amplicto ſuo , quod eſt a ratione facta Manſos viginti & quinque; atque veſtra quoque portione de Saleta Gandoni, ideſt a ratione facta Manſos decem. Ipſas ſupraſcriptas res habere , agregare, meliorare, reſtaurare, finiſque defenſare debeamus ſine omni neglicto aut dolo vel fraude, una ſimulque juria & pertinentia ſua ad ſupraſcriptas Curtes, ad ſupraſcriptas ſilbas, & ad ſupraſcriptas fundoras, ſeu caſalias , & doſſos, atque corigias, & valles , atque proras pertinentes ad omnia in integrum : ſalva ſanatione, & proprietates ſeu donationes eidem venerande Eccleſie veſtre dare atque perſolvere debeamus pro fruatione & fructificatione ipſis ſupraſcriptis per omnique Indictione penſi nomine auri obtimi Solidos ſeptem in Feſtivitate Sancti Vitalis tantum, ut dictum eſt, penſio perſolvatur, ſine aliqua tardietate vel mora . Si qua vero pars noſtra , qui* Libello *non obſervaverit , det pars parti pena , quam ad invicem compromiſerunt, pena auri obrizo mancoſos viginti, & poſt pena obſoluta* Libello *in ſuo robore firmitatis permaneat ad omnia.* E

Actum in Curte noſtra Caſimaria Territorio Motinenſe.

Azo Diaconus huic Libello *a me facto ſupraſcripte Silve & fundora & Valles territorio Adrianenſe diebus vite veſtre Jugalibus a penſo auri Solidos ſeptem, manu confirmavi.*

Signum manibus de teſtibus Amizo, & Regizo, ſeu Martino, atque Boſius, & Bertaldo a rogatis a teſtibus ad omnia ſupraſcripta.

Scripſi ego Jamace Notario, ſcilicet qui ſcrivere tale paginam Libelli poſt roborata a teſtibus tradata complevi & abſolvi.

Ego Johannes Dei miſericordia Tabellio Ravennas huic pagine exempli complevi & abſolvi.

En ergo ut Amelricus & Franca primo petebant (idque ut recte conjicere poſſumus, porrecto ſupplici Libello) ut ſibi tot fundorum copia in emphyteuſim concederetur. Quum annuiſſet Azo Abbas Præpoſitus Monaſterii Sancti Vitalis Ravennatis, Notarius Chartam ea de re conſcribebat *in Caſimaria territorio Motinenſe*, nunc *Caſumaro*. Hic autem *Amel-*

A *ricus* idem prorſus fuiſſe videtur, qui *Marchionis* titulo poſtea auctus, memoratus mihi fuit in Antiquitatib. Eſtenſib. Par. I. Cap. 23. pag. 223. Cujus Provinciæ Marchio is fuerit, nulla mihi monumenta prodidere, niſi quod is in poſtremis ſuis tabulis a me productis in Diſſert. XXI. *de Italiæ ſtatu* appellatur *Almericus glorioſus Marchio de Civitate Mantuæ*. Quare unum addam, Peregrinum Priſcianum Ferrarienſem in ſuis Collectaneis MStis in Eſtenſi Bibliotheca adſervatis ſuppeditaſſe mihi inter ceteras Chartas ad ipſum Amelricum, ſive Almericum ſpectantes unam, quæ licèt decurtata, heic ſibi locum poſcit, utpote antiquarum Emphyteuſeon exemplum, ad rem noſtram faciens.

Charta Emphyteuſis facta Amelrico Marchioni & Francæ Comitiſſæ Conjugibus a Petro Archiepiſcopo Ravennate, Anno 945.

In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Anno Deo propitio, Pontificato Domni Martini ſummi Pontificis & univerſalis Pape in Apoſtolica ſacratiſſima Petri Sede Tertio, die octavo . . . . . . Petrus *Servus Servorum Dei, divina gratia* Archiepiſcopus, *Nobili genere, & glorioſo Viro*, Amelricus *Chriſti miſericordia* Marchio, *&* Franca *glorioſe* Comitiſſe *jugali, atque uno ſucceſſori veſtro. Petitioni veſtre, que habetur in ſubditis, libenter accommodamus aſſenſum, ob hoc quia nec munificentia deperit, nec percipientibus in perpetuum, quod datur, acquiritur. Et quoniam ſperaſtis, uti fundum, qui vocatur Baltonis, in integrum, in terra, fines ejus ab uno latus fundus Leuru Minori, ab alio latus fundo Grumulo, ſeu a tertio latere Foſſa, que dicitur Gallallione, atque quarto latere Canale: que ſupraſcripte denominate locorum vobis convente per Precepti paginam da Genitori veſtro . . . . lle meruit habere ad* Domnum Dominicum Archiepiſcopum *anteceſſori noſtro, cum vineis, terris, campis, pradis, paſculis, ſilvis, ſalectis, ſacionalibus, & cum omnibus a predictis rebus pertinentibus, conſtituto territorio jure Sancte noſtre Ravennatis Eccleſie Plebem Sancti Apollinaris in Campi-*

B *lio . . . . . . & Sancti Georgii in Tamara, jure ſancte noſtre Ravennatis Eccleſie: En ſcite, uti . . . . . cario modo poſtulaſtis largiri, ea minime cuiquam per* Emfiteuſim *in antea ſunt largitas, his juſte & rationabiliter a nobis petiſtis, qui ſupra Nobili genere & glorioſi Viro Almericus Marchio & Franca glorioſe Comitiſſe jugalis, & uno ſucceſſori veſtro, eo tenore, ut unus ex vobis, qualem Dominus antea de hac luce vocare dignatus fuerit, conſtituimus, ut illum, qui ſupervixerit, omnibus predictis rebus habere & poſſidere debeat in ſe, & uno ſucceſſori ſuo, qualem a diebus obitus ſui aſſignaverit, donec nos divinitatis in hac luce juſſerit permanere, ſub aureos infringendos . . . .*

C Reliqua deſiderantur.

Habes heic *Martinum* Papam. Authentica pergamena *Marinum*, uti veri ſimile eſt, præ ſe tulerit: quod nomen Amanuenſis aut non ſatis perceperit, aut ſibi duxerit corrigendum. Alteram quoque Chartam addo ex ſupra laudati Priſciani Adverſariis MStis depromtam, ut inde luculentius intelligatur peculiaris forma Chartarum Ravennatis Eccleſiæ, e quibus non paucas adhuc adſervat Eſtenſe Archivum.

Charta Emphyteuſis nonnullorum agrorum facta Adelzao & Miliæ Nobilibus conjugibus a Petro Archiepiſcopo Ravennate, Anno 955.

In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Anno Deo propitio Pontificatus Domni Agapiti ſummi Pontificis & univerſalis Pape in Apoſtolica ſacratiſſima Beati Petri Sede Decimo, ſicque Regnantibus Domno Berengario & Adelberto ejus filio piiſſimis Regibus Anno Quarto, die XIV. Menſis Martii, Indictione Decimatertia. Petrus *ſervus ſervorum Dei, divina gratia* Archiepiſcopus *Adelzao ex genere Francorum, & Milia Clariſſima femina, ſeu filiis & nepotibus veſtris tantum. Petitioni veſtre, que habetur in ſubditis, libenter accommodamus aſſenſum, ob hoc quod nec munificentia deperit, nec percipientibus in perpetuum, quod datur, acquiritur. Et quoniam ſperaſtis, ut duorum fundorum, quorum vocabula ſunt Pantei & Candiana inter confines ipſorum fundorum, & ſingulis lateribus, hoc eſt, fundo Agello de*

D *Campo Merule, ſeu Corrigio de Beurcho, atque loco, qui vocatur Quirenta, & Sabluncello, & Fabruſiano, & Culiano, Sermanet in Agello . . . . . cum terris & vineis, campis, pratis, paſcuis, ſilvis, ſalectis, ſationalibus, & omnibus eiſdem pertinentibus, conſtitutis territorio Ferrarienſi, & Plebe Sancti Stephani in Gallico, jure Eccleſie noſtre Ravennatis*, emphiteothecario nomine *poſtulatis largiri, ſi minimecumque per* emphiteoſim *ſunt largita, vel ſi juſte & rationabiliter a nobis petitis, & aliis minime detinetur, vobis Nobili viro Adelzao ex genere Francorum, & Milia Clariſſima femina jugale, ſeu filiis & nepotibus veſtris amodo, donec vos Divinitas in hac luce juſſerit permanere, ſub Denariorum XXIV. penſione, ſingulis quibuſcumque Indictionibus Actoribus Eccleſie noſtre Ravennatis, ea conditione prefixa, ut noſtra res ve-*

ſtris

ſtris propriis expenſis ſeu laboribus putare, runcare, paſtinare, propagnare, defenſare, & in omnibus meliorare debeatis, nihilque de omni expenſa, quam inibi feceritis, ab Actoribus ſancte noſtre Ravennatis Eccleſie, inſuper affixa penſione quoquo modo reputare debeatis, nullaſque tarditates aut negligentias ad inferendas noſtras penſiones, quas ad cultura vel melioratione predictarum rerum facere debeatis, ſed ante nominatas penſiones omni anno in fine nec infra in Indictione ſine aliqua excuſatione aut dilatione Actoribus ſancte noſtre Ravennatis Eccleſie perſolvere debeatis. Et nec unquam poſſitis predictas noſtras res alicui vendere ſeu transferre, vel in alio venerabili loco relinquere audeatis per nullum ingenium vel argumentum. Sed nec aliquando adverſus ſanctam noſtram benefactricem Ravennatem Eccleſiam quicquam contra juſtitiam tractare aut agere, niſi propria cauſa, ſi contigerit, per juſtitiam tantummodo ventilare audeatis. Quod ſi in aliqua tarditate aut negligentia vel controverſia inventi fueritis, & contra agere de his, que ſuperius, affixis conditionibus, non ſolum de hoc per pactum recadatis, verum etiam dare debeatis parti noſtre Sancte Ravennatis Eccleſie ante omne litis initium, aut inde . . . . pene nomine auri obrizi Libram unam. Et ſi non perſolveritis &c.

Vidi ego, & ad manus habeo complures ex hiſce Chartis, in quibus Notæ Chronologicæ Pontificatus, & Regni Italici, diſtincto ordine collocantur ad latus. In iis verò interdum infra occurrit grandibus characteribus ſcriptum LEGIMUS: quod ab Archiepiſcopo Emphyteuſim concedente factum opinor, ſubſcriptionis conſuetæ loco. In aliis verò antiquorum Chartis pro *Legimus*, occurrit VIDIMUS: quæ formula itidem ſubſcriptionis vices implet. A ritibus autem Ravennatis Eccleſiæ parum abludebat Ferrarienſis, ut exemplo ex Archivi Eſtenſis vetuſtiſſima membrana petito oſtendam.

Charta Emphyteuſis, qua Anſelmus Archipresbyter, & Paulus Archidiaconus Eccleſiæ Ferrarienſis concedunt Dominico & Urſæ conjugibus Caſale unum ad Monaſterium Sancti Salvatoris ſpectans, Anno 952.

In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Anno Deo propicio Pontificatus Domno Agapito ſummo Pontifice & univerſali Pape in Apoſtolica ſacratiſſima Beati Petri Apoſtoli Domini Sede Anno Septimo, Regnante Domno Berengario Regem, & Adelberto filio ejus in Italia Anno Secundo, die XV. Menſe Madio, Indictione Undecima. Ferrarie. Et ideo ego Dominicus & Urſa jugales . . . . viſi ſumus Enfiteoſis *cartula in nomen noſtrum & in filiis & nepotibus noſtris da vobis Anſelmus Archipresbitero, & Paulus Archidiaconus, veſtriſque ſucceſſoribus, ideſt conceſdiſtis nobis Caſale uno terre, quem de jure Monaſterii Beati Salvatoris pertinet, ubi nos modo ſedere & abitare viſi ſumus, cum manſione ſupra ſe edificata, ſcandelata, cooperta axibus, clauſa in columnellis conſtructa cum omni ſuo edificiante ipſo Caſale cum caſa ſuper ſe, que eſt poſita ic in Ferraria infra Civitatem in Regione Monaſterii Beati Salvatoris, quod eſt in longitudine ſua pedes plus minus quadraginta & quatuor, & in latitudine pedes plus minus decem & octo, & infra fines ejus. Ab uno latere poſſidet Leo, qui Graſo, de ipſius jure, & ab alio latere poſſidet Anſelmus Archipresbitero, ſeu a tercio latere Georgius Presbitero, & a quarto latere Via plubica currente juſta murus Civitatis, vel omnibus ad eas dein pertinentibus in integrum de infra ipſis latere dicto cum egreſſo & ingreſſo ſuo, & exientem in Via plubica, & uſque in fluvio Pado, cum anteceſſo ſuo commune ad ſe pertinentibus q. q. t. g. g. finibus, terminibus, cum ſuis juſtis & certis in terra finibus, uſque dum vobis ro . . . . . Dominicus & Urſa jugales ſeu filiis & nepotibus veſtris Dominus divina gratia in anc luce juſerit permanere vitam, conceſdiſtis nobis abendum, tenendum, defenſandum, ex noſtris propriis expenſis ſeu laboribus, & nihil quod inferius adfixum . . . . . enſione reparare debeamus. Preſtante quoque vobis dictus Dominicus & Urſa jugales ſeu filiis & nepotibus veſtris vobis dictus Anſelmus Archipresbitero & Paulus Archidiaconus, veſtriſque ſucceſſoribus inferre debeamus ſingulis quibuſque annis omni Marcio Menſe penſione pro dicto Caſale cum caſa ſuper ſe poſita intra, inde, ſine aliqua tarditate . . . . in argentum Denario uno titulo penſionis, ut dictum eſt, perſolvatur. Ita & . . . . . . tranſiti ſumus dictus Dominicus & Urſa jugales ſeu filiis & nepotibus noſtris, ſicut ſupra legitur, ipſo dicto Caſale, cum caſa ſuper ſe reſtauratus, melioratus cum fuerit, revertatur ad jura Monaſterii Sancti Salvatoris, cujus eſt jura & proprietas revertatur. Promittens propterea nullis temporibus diebus vite noſtre dictus Anſelmus Archipresbitero & Paulus Archidiaconus, veſtriſque ſucceſſoribus ego dictus Dominicus & Urſa jugales ſeu filiis & nepotibus noſtris textus hujus cartula* Enfiteoſis *inviolare & inviolabiliter modis omnibus conſervare & adimplere promittimus. Et quod ſicut abſit, & averta Divina potentia, & ſi forſitans quodvis tempore diebus vite noſtre dictus Anſelmus Archipresbitero & Paulus Archidiaconus, veſtriſque ſucceſſoribus, ſicut ſupra legitur, ego dictus Dominicus & Urſa jugales ſeu filiis & nepotibus noſtris aliquid incontra hoc* Infiteoſis *&* Peticionis *agere voluerimus, aut non obſervaverimus omnia eorum, quod ſupra legitur, ex parte vel ex totum, aut minime voluerimus per quodvis modis aut ingenium, tum daturus, nos promittimus ego dictus Dominicus & Urſa jugales, ſeu filii & nepotibus noſtris dare vobis dicto Anſelmus Archipresbitero & Paulus Archidiaconus, veſtriſque ſucceſſoribus ante omne litis initium aut interpellationem, pene nomine Nummorum quatuor, & poſtea ſoluta manente ac cartula peticionis in ſua omnium robore & firmitatem. Quam . . . . . Cartula Infiteoſis petitionis, ſicut ſupra legitur, ſcrivendum rogavimus Andreas in Dei nomine Tabellio Civitatis Ferrarie ſub die, Menſe, Indictione dicta Undecima. Ferrarie.*

Signum ✠ ✠ manuum Dominici & Urſa jugales petitionis ad omnia dicta, cui relectum eſt.

Si-

Signum ✠ ✠ ✠ ✠ *manu dicto* . . . . *Leo de Paulo*, *Geminiani*, *Stefanus*, *qui d*. . . . . *de Baldo* , *ad omnia dicta* , *cui relectum eſt*.

✠ *Stefanus filio quondam Criſtofalus hujus Cartula Peticionis* , *ſicut ſupra legitur* , *rogatus ſubſcripſi* , *& anc cartula tradita vidi*.

✠ *Petrus ujus cartula Peticionis*, *ſicut ſupra legitur* , *rogatus ſubſcripſi*, *& anc cartula tradita vidi*.

Andreas in Dei nomine Tabellio Civitatis Ferrarie , *hujus cartula Peticionis* , *ſicut ſupra legitur* , *poſt tradita complevi & abſolvi*.

Undecima Indictio , quæ heic ſcripta eſt , ad Annum Chriſti DCCCCLIII. ſpectat, non verò ad DCCCCLII. ut ego ſtatui . Verùm ſi cum ſuperiore Charta iſtam conferas , pugnam inter eas deprehendes , atque heic ſcribendum duces *Indictione Decima* . Ego nihil immutatum volui , ut cuipiam e Lectoribus ſeſe exercendi , quum libuerit , occaſio ſuperſit. Inde ergo *Libelli* (nunc Italis *Livello*) appellatio nata eſt ad Emphyteuſes deſignandas , quòd impetraturus eo titulo fundum , ſupplicem antea *Libellum* offerre Domino fundi conſuevit . Ad idem perſuadendum accedit altera appellatio, ſcilicet

A *Precaria*: quo etiam nomine antiqui ſignificare ſoliti ſunt Emphyteuſim . Ideo enim ea vox invaluit , quòd adhiberentur preces , ut fundus ad utendum ac fruendum concederetur , quamdiu Domino placeret . Ulpianus & Paulus , Juriſconſulti veteres , *Precarii* vocem eâ ſub ratione explicant . *Precarium*, ajunt, *in edicto Prætoris eſt*, *quod precibus petenti utendum conceditur* , *quamdiu is* , *qui conceſſit* , *patitur* . Propterea Abo Floriacenſis Abbas Canone 7. apud Mabillonium in Analectis deſcribit *Precarias* , *quæ ex conventione fiunt*, *& precibus obtinentur* . Attamen aliquid diſcriminis interceſſiſſe inter *Libellos* & *Precarias* , innuere videtur Charta , quam ex antiquiſſimo Regeſto Rei-
B publicæ Mutinenſis depromſi . Sæpe lites efferVebant inter Epiſcopos & Clerum Mutinenſem, ac Cives , Emphyteuſeon cauſſâ : contendentibus iis , hos aut ob penſionem non ſolutam , aut ob mortem alicujus , aut alias ob cauſſas , excidiſſe e jure ſuo , ac fundos directis Dominis eſſe reſtituendos. Contra nitebantur Cives. Quare poſt diuturnum certamen ad iſtam concordiam deventum eſt , quæ adhuc in Civitate noſtra viget.

Concordia inita inter Rempublicam, & Epiſcopum, alioſque Eccleſiaſticos Civitatis Mutinenſis cauſſâ Feudorum, Precariarum, & Libellorum , Anno 1182.

IN *Chriſti nomine*. *Anno a Nativitate ejuſdem MCLXXXII. Indictione XV. die Dominico II. Kalendas Novembris. Regnante invictiſſimo* Imperatore Frederico. *Cum lix & controverſia eſſet inter Commune & Populum Mutine ex una parte*, *&* Domnum Arditionem Epiſcopum , *& Domnum Bonifacium Prepoſitum & Canonicos Eccleſie Majoris pro Eccleſia*, *& Domnum Michaëlem Abbatem Sancti Petri*, *& Domnam Mariam Abbatiſſam Sanctæ Euphemiæ pro Eccleſiis ſuis ex alia*, *de Lege municipali & ordinamento Civitatis & Populi*, *quam conſtituerant tam in terris predictarum Eccleſiarum* , *quàm aliorum hominum*, *quod tale eſt* : Ut qui habent, vel habebunt domos vel caſamenta in Civitate Mutine vel extra, infra hos fines, videlicet a Formizine ad Civitatem , & a Prato Tenzonis ad Civitatem, & a Millitaria ad Civitatem , & a Foſſato Novo ad Civitatem , poſſint ea, ſalvâ Domini penſione, quocumque modo voluerint, dare. Et ut qui habent vel habebunt domos vel caſamenta in Civitate vel extra, infra predictos fines per Feudum , ſuccedat filia femina, ſi maſculus defierit , in predicto Feudo : & poſſint ea, quoquo modo voluerint, alii concedere , dum tamen non per proprium. Et ſi ille, qui conceſſit domum vel caſamentum, quod habebat per Feudum . ſine filiis deceſſerit, Dominus non poſſit auferre dictum Feudum, ſed recipiat qui Vaſſallus erat ſolitus recipere. *Item ordinaverunt Cives Mutine*, ut finitâ Prechariâ Dominus cogatur eam renovare per decem Solidos unumquemque jugerum infra predictos fines : extra vero illos fines cogatur Dominus renovare bubulcam pro duobus Soldis, & Precarii teneantur renovare Libellariis ſecundùm quod ipſi renovabunt a Dominis. Et Libellarius ſimiliter teneatur renovare Libellario ; nec Dominus poſſit auferre terram Libellario eâ occaſione, quod Precarius deceſſerit ſine liberis, ſed teneatur Dominus ei ſecundùm predictum modum renovare . Et ut

C in omnibus ſupraſcriptis capitulis non amittat quis jus ſuum, eo quod aliquo tempore ſteterit, quod non ſolverit penſionem, ſed teneatur eam duplare. Et ſi Dominus in petenda penſione aliquas expenſas fecerit, ſive in Advocato proprio ſive communi vel Judici , ille , qui debuit eam ſolvere, omnes illas expenſas reſarciat, quas predictus Dominus occaſione penſionis ſine fraude ſuo juramento monſtraverit ſe feciſſe. *Et ordinaverunt ea*, *quæ ſupra dicta ſunt de Prechariis & Libellariis*, *ſervari ſolummodo in illis perſonis*, *qui perpetuo ſunt vel erunt Cives & habitatores Civitatis Mutine vel ſuburbiorum ſine fraude* , *& tam in preſentibus quàm in futuris negotiis*. *Item ordinaverunt in*
D *Prechariis*, quod ſi Precharius decedat ſine illis heredibus, qui debent ſuccedere per pactum Precharie, tunc femine ex eo deſcendentes ſuccedant, ſicuti maſculi debent ſuccedere, predicto modo renovandi eis ſervato. *Et ordinaverunt*, ut poſſeſſores illorum fundorum, ex quibus aliqui reditus ſolent preſtari, preſtent illos reditus ſemper quandiu poſſident; & ſi ad alios poſſeſſores pervenerint, novi poſſeſſores ſupraſcriptos reditos cogantur preſtare. Et ſi predicti Domini tam Clerici quam Laici predictas Precharias & Libellos renovare diſtulerint , ut ſupra ſcriptum eſt, poſtquam requiſiti fuerint a Prechario, vel Libellario, vel eorum Nuntio , & trina denuntiatione facta per Rectorem Ci-
E vitatis, vel ejus Nuntium , proinde habeatur , ac ſi Precharia, vel Libellus renovatus fuiſſet . Nec interim, donec renovet, teneatur penſionem preſtare. Ita tamen ut quandocunque voluerit ei renovare , cogatur Precharius vel Libellarius ſolvere predicta in renovatione cautam, Soldos octo ſcilicet, vel decem pro jugero, *ut ſupra ſcriptum eſt*.

Compromiſerunt pariter Domnus Epiſcopus & predicti Clerici & Abbatiſſa conſenſu Monachorum & Monacharum, *& Conſules pro Communi in ſex idoneos viros & honeſtos*, *& predicti*

Epi-

Epiſcopi fideles atque Vaſſallos, videlicet Teuzum de Gorgadelle, Squarciam, & Albertum de Graſulſo, Rolandum Bajamontis, Guilielmum Actonis, & Prodomum. Promittentes Domnus ſcilicet Epiſcopus, & ſinguli de ſingulis predictis Eccleſiis Conſulibus pro communi pena centum Libras Imperiales, ſi non parerent omni modo eorum arbitrio, & ſtatim poſt arbitrium confirmando & faciendo quod juberent. Vel ſi unquam per ſe, vel per ſuos ſucceſſores venerint contra id, quod preceperint in futurum ab eorum parte tenendum. Similiter & Conſules predicto Domno Epiſcopo & ſingulis predictorum pro ſingulis predictis Eccleſiis, ſi per ſe vel per ſuos ſucceſſores non parerent predictorum arbitrio, ut ſupra ſcriptum eſt, a parte illorum. Hoc facto predicti Arbitri preceperunt, oſtenſo eis predicto ordinamento in charta ſcripto, ut comprobarent & confirmarent ex ſua parte & Eccleſiarum ſuarum, & teneretur pro Lege Civitatis & Populi in terris Eccleſiarum ſuarum, ut ordinatum erat & ſcriptum: & ut promitterent per ſe ſuoſque ſucceſſores ita obſervare, nec ullam querimoniam deponere. Et ſi unquam contravenirent per ſe, vel per ſuos ſucceſſores, conſenſu & voluntate Capituli, promitterent penam centum Librarum ſinguli pro ſingulis predictis Eccleſiis, Conſulibus pro Communi: & eâ ſolutâ firmum tamen permaneret. Item preceperunt predicti Arbitri, ut Domnus Epiſcopus haberet pro hac concordia trecentas Libras, & haberet reditus omnium Molendinorum Communis Mutine, quandiu dicta pecunia ex predictis reditibus ſit ibi ſoluta. Et eorum precepto Homines de Conſilio juraverunt, quod facerent jurare omnes Rectores, qui pro tempore erunt, quod dimittent ei predicta Molendina, & non imbrigabunt ei. Et Homines de Conſilio juraverunt, quod defendent ei predicta Molendina, donec predicta pecunia ſibi fuerit ſoluta. Et hoc totum ſine fraude & ad voluntatem dicti Domni Epiſcopi. Item preceperunt Conſulibus pro Communi & Populo toto, ut pro hoc de cetero faciant decimationes dare Canonicis, rectam Decimam in ſuo Quarterio, & Domni Epiſcopi, ubicunque conſueverunt habere, vel debent habere infra predicta quarteria vel pro quarteriis, de omni blava collecta & leguminibus in agro vel in area, in electione Canonicorum, & de vino in torculari, vel tina. Et ſi de cetero terra culta in pratum redigatur, integram decimam de feno. Et ut ſimiliter de cetero facerent decimationes dare Abbati in ſuo Quarterio, & pro ſuo; & Abbatiſſe in ſuo Quarterio, & pro ſuo. Et decimam de blava quatuor Molendinorum Canonicis, ſcilicet de duobus juxta pontem Porte Cittanove, & de Molendino prope domum Johannis de Bonifacio, & medietatis decime duorum Molendinorum de Sancto Marone. Et ut Conſules pro Communi facerent finem & refutationem Canonicis de Molendinis juxta Sanctum Kataldum, & de Molendino, quod Canonici habent apud Sanctum Maronem, quod de cetero non inbrigabunt Molendinum, neque aquam; quam aquam debent habere Canonici ad Molendinum Sancti Maronis, ſalvis duabus macinaturis Molendinorum Communis. Item Molendina Communis juxta Portam Cittanove non debent levari nec deponi neque mutari cum incommodo Molendinorum Canonicorum. Et preceperunt Canonicis, ut idem obſervarent in ſuis Molendinis. Et Abbati pro Eccleſia Sancti Petri decimam quatuor Molendinorum, ſcilicet Molendinum juxta domum Guidonis Novelli, & alterius prope clauſuram Monaſterii, & illius quod tenuit Geminianus Itte pro Communi, & illius, quod eſt apud Sanctum Vitum, ſcilicet ſuperius, quod eſt prope Eccleſiam. Et Abbatiſſe pro Eccleſia Sancte Euphomie decimam ſimiliter quatuor Molendinorum, ſcilicet ejus, quod eſt prope Portam Bajoarie, & illius quod tenuit Bocabadata & Otto pro Communi, & ejus quod eſt ſub Prato Tenzonis, & alterius medietatis illorum duorum, que ſunt apud Sanctum Maronem. Et hec omnia in omnibus predictis, deductis impenſis Munarii & portatoris. Et ſi aliquod predictorum Molendinorum alibi mutaretur, idem jus habeant in novo, quod in veteri.

Et ſi aliquis, qui habuerit terram in predictis Quarteriis, dare Decimam noluerit predicto modo, dum tamen ſicut de illis, qui dare conſueverunt vel debent, querimonia de hoc facta fuerit per Clericos, vel per eorum Nuntium, Rectori Civitatis vel Advocato, preceperunt, ut Rector vel Advocatus ejus recipiat abſque Libello & pignore vel alia ſecuritate & datia, & de ea cognoſcat abſque juramento calumpnie, & infra viginti dies diffiniet, vel diffiniri faciet ſine fraude. Ita tamen, quod ſi Clerici voluerint probare Decimam non eſſe datam duobus teſtibus, vel per Nuntium ſuum, fides eis adhibeatur. Quod ſi facere noluerint, ſint contenti ſacramento Nuntii rei. Et preceperunt, ut Rector, qui pro tempore erit, faciat jurare omnes Molendinarios predictorum Molendinorum, quod dabunt rectam Decimam predictorum Molendinorum, deductis predictis impenſis. Et preceperunt, ut predicti Conſules pro Communi promitterent predictis Prelatis pro Eccleſiis ſuis cuique centum Libras, ſi ita per ſe, vel per ſuos ſucceſſores non obſervarent, conſenſu & voluntate Conſilii Civitatis. Pro qua pena obligarent Canonicis Molendinum, quod eſt prope domum Johannis Bonifacii. Quod ſi deſtrueretur, obligarent eis unum de illis prope Portam Cittanove. Abbati & Monachis pro Eccleſia Sancti Petri illud, quod eſt prope domum Guidonis Novelli. Abbatiſſe & Monachabus pro Eccleſia Sancte Euphomie illud, quod eſt prope Portam Bajoarie. Et preceperunt, ut homines de Conſilio, & Sedecim, & Quadraginta jurent per Nuntium ſuum, quod ſi potuerint, & quandocunque potuerint, facient jurare omnes Rectores & Advocatos Mutine, qui pro tempore fuerint in perpetuum, totas conventiones & arbitrorum predictorum precepta inter Commune & Populum, & Clericos & Eccleſias factas, facere pro poſſe firmas teneri. Et quod homines de Conſilio, & Sedecim, & Quadraginta non dent conſilium neque operam, ut predicte conventiones & precepta frangantur: & quod bona fide operam dent, ſi Rectores vel Advocati predictum juramentum non preſtiterint, quod non jurent eos ſequi, nec teneant eos pro ſuis Rectoribus, & hoc totum obſervent ſine fraude. Et quod predictum juramentum renovet Conſilium ſingulis decenniis, ſi ab eis requiſitum fuerit. Cumque prefati Arbitri, ut dictum eſt, per omnia precepiſſent, preſentibus ſcilicet partibus, utraque pars, ſcilicet prefatus Domnus Epiſcopus, & Prepoſitus, & predicti Canonici, & Abbas, & Abbatiſſa, & Conſules predicti comprobaverunt predictum laudum, & conſenſum per omnia prebuerunt tam verbo quam facto, ſcilicet faciendo predictas conceſſiones, & penarum ad invicem promiſſiones; & Homines de Conſilio predicta juramenta preſtando, & omnia ſecundùm quod preceperunt, & ſcriptum eſt ſupra. Item preceperunt dicti Arbitri, ut Eccleſia Sancti Johannis de Bajoaria pro hac con-

cor-

cordia haberet de cetero Decimam aliorum duorum Molendinorum Communis Mutine, illorum ſcilicet, que ſunt apud Bajoariam. Eccleſia verò Sancti Petri de Cittanova decimam aliorum duorum Molendinorum, illius ſcilicet, quod eſt apud Caſenalbene, & alterius, quod tenuit Petrinus pro Communi. Et inſuper ex arbitrio & precepto ſupradictorum Arbitrorum Conſules pro Communi promiſerunt dicto Domno Epiſcopo triginta Libras Imperiales ſuper predictas trecentum Libras, & predicto Domno Prepoſito, & Abbati, & Abbatiſſe, cuicumque pro Eccleſiis ſuis alias triginta Libras Imperiales,

Actum Mutine ſolemniter. Unde uno tenore plures Charte ſcripte ſunt.

✠ *Ego* Ardicionus *Dei gratia* Mutinenſis Epiſcopus *manu mea ſubſcripſi.*

✠ *Ego Bonifacius Prepoſitus manu mea ſubſcripſi.*

✠ *Ego Mezovillanus Canonicus manu mea ſubſcripſi.*

✠ *Ego Fantebonus Canonicus & Preſbiter manu mea ſubſcripſi.*

✠ *Ego* Donus Michaël *indignus* Abbas *manu mea ſubſcripſi.*

✠ *Ego Albertus Preſbiter & Magiſcola manu mea ſubſcripſi.*

✠ *Ego Johannes Preſbiter & Canonicus manu mea ſubſcripſi.*

Ego Johannes Canonicus manu mea ſubſcripſi.

Ego Johannes ſacri Palatii Notarius interfui, & rogatus ſubſcripſi.

Equidem conjicio, *Precariam* appellatam fuiſſe Emphyteuſim, pro qua impetranda petitor Eccleſiis fundum aliquem proprium offerebat, quem itidem titulo Emphyteuſis poſſidere pergebat. *Libellum* verò ſine hujuſmodi oblatione ſeu compenſatione factum reor, Emphyteuſes autem nomen quoque *Præſtariæ* aſſumſiſſe creduntur, quod fundi in Emphyteuſim conceſſi non alienarentur, ſed ad utendum tantummodo concederentur, & veluti commodarentur: quod verbo *præſtare* olim deſignabant, unde in Italicam Linguam fluxit *impreſtare*, *preſtare*, *impreſtito* &c. Vide ad hanc vocem Du-Cangium in Gloſſario Latino. Sunt, qui *Præſtarias* ſpeciem Feudi fuiſſe putant, ſed ſane falluntur. Contra *Libelli* exiſtimantur fuiſſe Literæ tam accipientis, quàm concedentis Chartæ. Clariſs. Vir P. Daniel e Societate Jeſu Lib. 2. Cap. primo de Militia Franc. *Precarias* fuiſſe appellatas tradit, quum quis uſurpatum a ſe fundum aliquem ad loca ſacra ſpectantem retinere cupiens, *preces* adhibebat apud Epiſcopum, aut Abbatem &c. ut ſibi liceret eo fundo frui, dum vita ſibi aut filiis aut nepotibus comes eſſet, annuo canone perſoluto. *Præſtarias* verò, quum quis Eccleſiarum Rector alicui ultro terras in Emphyteuſim concedebat. Sed heic nonnulla ſunt, quæ uberiorem lucem expoſcunt. Neque enim verum eſt, tum ſolùm *Precarias* interceſſiſſe, quum uſurpatio præceſſiſſet. Neque *Præſtariæ* conficiebantur, niſi Preces, ſeu petitio per Libellum præmiſſa fuiſſet. In Chronico Vulturnenſi Part. 2. Tomi I. Rer. Italicar. pag. 409. Cœnobii illius Monachi Anno Chriſti DCCCLXXXII. quærebant *hominem, qui de rebus Monaſterii noſtri in Convenientia, aut per Libellarium recipere voluiſſet, & nobis præſtaturus eſſet argentum* &c. *Noviſſime invenimus Leonem* &c. *& ſtatuimus, ut præſtaret nobis argenti Libras triginta quinque, & daremus ei per Libellarium ſcriptum Ceſpitem Monaſterii*

A *noſtri* &c. *Hæc omnia uſque ad annos viginti novem dedimus & tradidimus, ita ut amodo & uſque in ipſos annos viginti novem annualiter cenſum perſolveret Solidum unum. Ad completum autem ipſum conſtitutum tempus illi, vel ſuis heredibus reddamus triginta Libras argenti: & ipſæ reſiduæ quinque Libræ moriantur apud nos imputatæ in ipſum cenſum. Et recipiamus ab illis prædictas res noſtras* &c. Hæc alicui *Præſtariæ* origo videri poſſit. *Precaria* verò Emphyteuſis, pro qua preces offerebantur, & pecunia etiam concedenti pendebatur, ſed abſque ulla obligatione eam reſtituendi. Vide Chartas ejuſdem Chronici Vulturnenſis. Verùm ne ſic quidem habemus germanum di-
B ſcrimen inter *Præſtarias* atque *Precarias*. Itaque Sirmondo in Notis ad Gallica Concilia, & Voſſio Lib. 3. de Vitiis Sermon. ſubſcribendum eſt, quorum ſententia fuit, *Precariam* videlicet fuiſſe Chartam a petitore rei datam, quæ adſervabatur penes directum dominum: *Præſtariam* autem, quæ ab Epiſcopo, aut Abbate tradita petitori in teſtimonium rei conceſſæ, ab ipſo cuſtodiebatur. Dixi, veriorem hanc mihi videri ſententiam. In Additamentis ad Chronicon Caſaurienſe, a me editis Part. II. Tomi II. Rer. Italicar. pag. 977. animadverte Chartam Anno Chriſti DCCCCLXXXIII. ſcriptam. Contendebat Adam Caſaurienſis Abbas, Beczonem quemdam non obſervaſſe pacta
C Emphyteuſis *in ſcripto Precario* contenta. Pro eo ſententiam tulere Judices, & irrita Emphyteuſis promulgata eſt. Tunc Abbas *reddidit Beczoni ipſam Precariam*, & *Beczo Abbati reddidit ipſam Præſtariam*. De hiſce *Precariis* & *Præſtariis* habes mentionem in Appendice ad Formulas Marculfi Cap. 27. 28. 41. & 42. Tom. 2. Capitular. Reg. Francorum, quibus hæc eadem ſententia confirmatur. Conſonant & Formulæ Lindenbrogii Cap 32. & ſequenti. Vide ipſum quoque Marculfum in Formularii Lib. 2. num. 40. & 41. & Tomum primum Veter. Scriptor. Martene pag. 184. Charta Chronici Vulturnenſis ſcripta Anno Chriſti DCCCCXXXVI. ac edita Part. II. Tomi I.
D Rer. Italicar. nonnullos exhibet a Raimbaldo Abbate petentes, *ut aliquid de rebus juris proprietatis Monaſterii veſtri nobis, vel ad heredibus noſtris in Præſtitum detis*. Agros autem eis in Emphyteuſim Raimbaldus conceſſit. Baluzius in Appendice ad nuper laudata Capitularia Reg. Francorum, pag. 1403. Chartæ cuidam Anno DCCCXII. exaratæ, titulum hunc præfigit: *Precaria Canonicorum Viennenſium*. Rectius alicui videatur, ſecundùm veterum morem appellandam eſſe *Præſtariam*; nam Charta ſpectat ad concedentes rem in Emphyteuſim. Quod & ipſi iis verbis innuunt: *Et hæc Præſtaria per quinquennium renovetur*. Verùm neque exempla deſunt tam conceden-
E tium, quàm accipientium Emphyteuſes, atque uno *Precariæ* nomine utentium. In Vitis Præſulum Cenomannenſium apud Mabillonium in Analectis duæ memorantur *Precariæ, uno tenore conſcriptæ, una, quæ in theſauro Civitatis Eccleſiæ recondita ſit, & alia, quam ego Karileffus a vobis accepero*. Sunt & aliæ Chartæ idem præferentes. Quid verò ſit, quod Petrus Damiani Lib. 4. Epiſtol. 12. *Emphyteuſes a Libellario* contractu diſtinguat, Juriſconſultis eruditis diſcutiendum relinquo. En ejus verba: *Sed quid de venditione loquimur? cum non modo ea, quæ Emphyteoſeos ſunt locata contractu, vel jure proveniunt, ſive etiam quæ Libellario*

nomine

nomine penſitantur : ſed illa quoque , quæ ſub nudo Beneficii vocabulo Sæculares accipiunt, revocari de cetero nullo modo poſſint . Ego , ut nuper dixi, id factum opinor, quod Precariam præcedere conſuevit donatio, minime verò in Emphyteuſi. Sed ut luculentius appareat , *Libellum* & *Præſtariam* idem fuiſſe, dignæ ſunt , quæ in hanc rem ob alias etiam cauſſas evul-


A gentur tabulæ *Rodulphi Comitis* , ut opinor , Sedunenſis , qui pro infelici eorum temporum conditione Monaſterium celeberrimum Agaunenſe Sancti Mauricii titulo *Abbatis* regebat , hoc eſt uſurpabat. Eas adhuc adſervat Archivum Monachorum Benedictinorum Sancti Sixti Placentini.

Inſtrumentum, quo Rodulphus Comes & Abbas Monaſterii Sancti Mauricii Agaunenſis concedit in emphyteuſim Engilbergæ Imperatrici Villam nuncupatam Paterno & Aciano, circiter Annum 870.

PRiſcarum Legum auctoritates conceſſerunt , ut qualiſcumque perſona res Eccleſiaſticas ſub uſu Beneficii in ſuis neceſſitatibus procurandis vel adſequendis adquirere voluerit, ſub ipſius munificencia , qui caput Eccleſiæ præeſſe dinoſcitur , in nomine Præſtariæ *ſive* Libelli , *eas tenere ſub Cenſo decem & novem annis debeat , atque his expletis aut ipſum Libellum renovare ſtudeat, aut Rector Eccleſiæ ipſas res in ſuo jure ac dominatione recipiat. Quapropter ego in Dei nomine* Rodulfus *humilis* Comes , *necnon &* Monaſterii Sancti Mauricii Agaunenſis Abba , *dum non eſt incognitum , quod in Regno Tuſciæ Villam nuncupatam Paterno & Aciano cum appendiciis ſuis Rectores jam fati Monaſterii ſemper tenuerunt , & nos adhuc tenere dinoſcimur ; & poſtea vos ,* Illuſtriſſima Ingelberga Auguſta, *a nobis expetiſtis , ut ipſam Villam cum omnibus ad ſe appendiciis pertinentibus in nomine* Libelli, *ſive* Præſtariæ *vobis concedere deberemus ; quod ita in Dei nomine & fecimus una cum conſenſu omnium Fratrum in præfato Monaſterio Domino militantium. Igitur, ſicut ſuperius diximus , peticionem veſtram libenti animo conſencientes has litteras Libelli nos in vobis conſcribere placuit , eo videlicet tenore, ut jam dictam Villam cum omnibus appen-*

B *diciis vel adjacenciis, diebus vitæ veſtræ ad meliorandum vel excolendum in Beneficium habere debeatis, & annis ſingulis ad præfatum Monaſterium, ſeu etiam ipſius Monaſterii Rectoribus, Solidos quindecim in cenſum perſolvere debeatis. Si vero, quod abſit, ex ipſo cenſo negligens fueritis aut reddere recuſaveritis, vel quod non credimus, ipſas res pegeraveritis; auro Libras XXV. ad ipſum Monaſterium, ejuſque Rectoribus perſolvere debeatis : & alicubi ipſas res nec dare nec vendere nec alienare, nec naufragare Pontificium, non habeatis. Et quamvis longeva ſit veſtra poſſeſſio, nullum præjudicium contra nos, nec contra partem prædicti Monaſterii generare non debeatis, ſed poſt veſtrum diſceſſum ,*
C *quandoquidem Deus voluerit, ipſas res cum omni re melioratas aut ſuprapoſitas, nos, aut gentes ipſius Monaſterii abſque ulla judiciaria poteſtate, vel cujuſcumque contradictione, recipere debeamus.' Et quod ſupra inſerere debuimus , nunc emendantes, annis ſingulis in luminaribus Sancti Mauricii pro ſalute animæ veſtræ ad ſupra memoratum placitum oleo modium unum dare ſtudeatis; & inſuper hujus Libelli conſcripcio veſtro in tempore, Chriſto propicio, inviolabilem obtineat firmitatem cum ſtipulatione ſubnixa.*

Signum  *Rhodulfi Comitis , qui hujus Libelli paginam firmavi , atque Canonicis Monaſterii noſtri firmare rogavi .*

Erifredus Diaconus atque Præpoſitus conſenſi & ſubſcripſi 

Vide ſis, quam longe olim excurreret Agaunenſis Monaſterii potentia , quando in Tuſcia quoque Vicos ſub ſua ditione habebat . Porro idem animadvertas de ceteris quoque illuſtrioribus Cœnobiis . Ea vero cauſſa fuit , quod quum amplioribus Privilegiis ſacra ea loca fruerentur, Sæculares viri ſuas fortunas iis ſub certis pactis tradebant , ut eorum patrocinium ac immunitates & ipſi communes haberent . Et profectò ex innumeris aliis Diplomatis conſtat, vetuſtiſſima *Monaſteria Lirinenſium* , *Agaunenſium* , & *Luxovienſium* amplioribus Privilegiis fuiſſe donata. In eadem verò Charta proditur, ab antiquis decretum fuiſſe , ut non ultra *decem & novem annos* Eccleſiaſticæ Præſtariæ conceſſio ſeſe extenderet . His expletis *aut ipſum Libellum* renovare , hoc eſt novas preces por-

D rigere , neceſſe erat , aut *Rector Eccleſiæ ipſas res in ſuo jure ac dominatione recipiebat* . Sed aliqua mihi dubitatio ſuboritur num pro *XIX.* in autographo ſcriptum fuerit *XXIX.* Hic enim terminus magis olim familiaris Emphyteuſeon fuit , & adhuc apud nos in uſu frequentiſſimo eſt . Attamen quod eſt ad tempus renovandæ Emphyteuſis , non eadem erat olim ubique conſuetudo . Fuerunt enim , qui pacto renovandi *de quinquennio in quinquennium* obligabantur , ne diuturniore ſilentio præſcriptio aliqua domino fundi obeſſet . Atque hic mos etiam frequens olim fuit . Aliis verò longior terminus præſcribebatur , ita ut vel pactum inveniatur de eadem renovatione facienda tantummodo poſt *ſexaginta annos*. Teſtem profero Chartam ex Archivo Eſtenſi depromtam ,

Charta Emphyteuſis factæ Alſano Canonico Cathedralis Ferrarienſis ab Adelaſia relicta Guilielmi de Marcheſella viri nobilis, Anno 1154.

IN Dei nomine, Anno Chriſti Nativitatis Milleſimo Centeſimo Quinquageſimo Quarto, tempore Anaſtaſii Pape & Federici Regis, die intrantis Madii XIII. Indictione Secunda, in domo Sancti Romani. Unus quippe modus locationis vulgariter pactum ſolet appellari, per quem ego quidem in Dei nomine Domna Adalaſia relicta quondam Guilielmi de Markiſella *per hoc pacti Inſtrumentum concedo tibi preſenti Presbitero Alfano majoris Eccleſie Canonico, tuiſque heredibus & ſucceſſoribus res, quas habere videor a jure Monaſterii Sancti Romani per pacti paginam. Ideſt duas petias terre poſitas in Focomortuo in Corrigio ſcilicet de Pado. Prima pecia habet per latus perticas XIX. & pedes tres, duobus lateribus Bonafans uxor quondam Guarini, primo capite Foſſa Corrigii, ſecundo capite heredes quondam Godonis Ganacedi. Secunda pecia habet per latus perticas XIV. & pedes VIII. primo latere & capite predicta Bonafans, ſecundo latere predicti heredes Godonis, ſecundo capite predicta Foſſa. Et inſuper concedo tibi tres alias pecias terre arabilis conſtitutas in Corrigio Sancti Stephani &c. Et inſuper concedo tibi peciam unam terre vineate & partim vacue, ſitam in Campo Mercati, habentem per latus perticas V. unus ſemiſſis minus. Longitudo ejus eſt a Scurſurio uſque ad viam percurrentem ad Sanctum Stephanum, primo latere Vivianus Petri Medici poſſidet jure Canonice, ſecundo latere heredes quondam Johannis de Doneta. Et omnes prefate pecie terrarum ſunt menſurate ad perticam majoris Eccleſie. Itemque concedo tibi peciam unam terre ſitam in Valle Ferrarie habentem per latus perticas duodecim, pedes IV. primo capite & ſecundo perticas duas. Longitudo ejus eſt XXX. perticarum, primo later & capite tu idem &c. cum introitu & exitu earum omnium predictarum, & cum ſuis juſtis & certis finibus, & cum omnibus ad preſcriptas terras pertinentibus. Idcirco enim dedi tibi Inveſtitorem Gavinellum meum Miſſum, qui te in preſcriptis terris & vinea corporaliter inveſtiat, ad habendum, tenendum, poſſidendum, defenſandum, diſponendum & ordinandum, & in omnibus meliorandum* in annis advenientibus ſexaginta ad renovandum, *dando tunc pro renovatione Libras quatuor denariorum Lucenſium; & alie pacti pagine ſemper in hoc ordine renoventur, & annualem penſionem perſolvendam noſtre dominationi Denarium unum Lucenſis tantùm, pro eo quia pretii nomine ſolviſti mihi denariorum Lucenſium Libras octo. Que omnia, ut ſuperius legitur, auctorizare, obſervare, atque defenſare promitto me meoſque heredes tibi tuiſque heredibus & ſucceſſoribus ſub pena auri Libre unius, & poſt pene ſolutionem maneat firmum hoc pacti Inſtrumentum. Ad hec fuerunt teſtes preſentes Ildeprandus, Rodulfus Cauſidici, Aribertus Giſlenzone, Guido Petri de Auria, Gavinellus inveſtitor, Jordanus de Alegro, Vivianus germani, Guido Caſtaldius, Anſelminus, Stephanus Presbiteri Michaëlis, Johannes Archipresbiter Maſſe, Presbiter Albertus, Presbiter Bartholomeus, ceterique.*

Et ego Angelbertus Ferrarienſis Notarius preſens & coram preſcriptis teſtibus rogatus, manu propria ſcripſi atque complevi.

Guilielmum de Marcheſella potentiſſimum virum, ac inter Ferrarienſes principem, ex rebus geſtis clariſſimum, jam notiorem nobis fecit Boncompagnus in Opuſculo de Obſidione Anconæ, edito Tom. VI Rer. Italicarum, Præclara etiam de eo habet Ricobaldus in Pomario, atque in Hiſtor. Imper. Tomo IX. Rer. Italicar. Adde Anonymum Auctorem Chronici parvi Ferrarienſis pag. 481. Tom. VIII. Rer. Italicar. qui nobis viri potentiam deſcripſit, ejuſque hereditatem in Eſtenſes Principes tranſlatam teſtatus eſt, uti & ego ſupra in Diſſertatione XI *de Allodiis & Feudis* innui. Quum ad Cathedralis Eccleſiæ Ferrarienſis reſtaurationem totum ſe convertiſſet Eminentiſſimus Cardinalis Vermius, ejus Civitatis Epiſcopus, & vir ſumme piæ memoriæ, cujus conſilia deinde magnifice perfecit Eminentiſſimus Cardinalis Ruffus, ejus in Cathedra ſucceſſor, detectus eſt tumulus ejuſdem Guilielmi cum Epigraphe marmore inſculpta, quam quia Marcus Antonius Guarinus in Lib. de Templ. Ferrarienſ. ignoravit, & ad illius Urbis Hiſtoriam & decus pertinere video, huc inferendam putavi.

Epitaphium Guilielmi de Marcheſella Principis inter Ferrarienſes viri.

STRENUUS HIC MILES MORES ARTUSQUE SENILES
DEPOSUIT TARDUS NOSTER PRINCEPS ADELARDUS
GUILLELMUS, SÆVO GENUIT QUEM BULGARUS ÆVO.
QUEM PIETAS CARUM, ET BONA MAGNIFICENTIA CLARUM
FECIT; QUI PLENOS SEMPER MANDAVIT EGENOS;
QUI POPULO EXEMPLUM STRUIT HOC DE MARMORE TEMPLUM.
CLESTINUS PLANSIT, TRISTISQUE HUGUCCIO MANSIT.
MARCHESILLA ORAT, VIRQUE ATTO IN FUNERE PLORAT.
ANNIS MILLENIS CENTUM SEX ET NONAGENIS
PER MERITVM CHRISTI REQUIEM DEPOSCIMUS ISTI.

Cur

Cur Ricobaldo appellatus fuerit Guilielmus de Marcheſella *vir Princeps in Populo Ferrarienſi*, nunc intelligimus. En ut is revera *noſter Princeps* in ejus epitaphio a Ferrarienſi Populo inſcribitur. Illum nempe Cataneum, ſeu Capitaneum & Rectorem ſuum conſtituiſſe credenda eſt Reſpublica Ferrarienſis. *Cleſtinus planxit*, ideſt *Cœleſtinus III.* tunc Pontifex Maximus de ejus morte indoluit. *Triſtiſque Huguccio manſit*. Fuit ille Epiſcopus Ferrariæ, qui eodem Ricobaldo teſte *Librum Derivationum compoſuit*, hoc eſt Grammaticæ Librum. Hinc autem diſcimus, non immerito traditum videri ab Auctore Chronici parvi Ferrarienſis, Guilielmum videlicet iſtum ex *Adelarda* gente fuiſſe. Id tamen minime certum puto: & ſane deceptus fuit Scriptor ille, quum ſcripſit *Marcheſellam*, hujus Guilielmi ex fratre Adelardo

A neptem, *Obizoni Eſtenſi Marchioni* nupſiſſe. Nupſit illa *Azzoni Marchioni*, hoc eſt Quinto, ſeu potius Sexto in Genealogia Eſtenſium: quod etiam monuit Ricobaldus, & diſertis verbis in hoc ipſo Epitaphio traditur:

Marcheſilla orat, Virque Atto in funere plorat.

Referre autem videtur hoc Carmen Annum etiam, quo e vivis ſublatus eſt Guilielmus, nempe Annum Chriſti MCXCVI. Sed heic animi anceps hæreo. Quæ enim Par. I. Cap. 36. pag. 355. Antiquitat. Eſtenſ. congeſſi, ſatis indicant, ipſum jam vivere deſiiſſe Anno MC-
B LXXXIII. Et revera id evincunt tabulæ ad ejus hereditatem ſpectantes, quas uti idoneas veritatis teſtes ex Archivo Eſtenſi in lucem proſero.

Inventarium hereditatis Guilielmi de Marcheſella Nobilis Viri Ferrarienſis cœptum ab Adelardo ejus fratre, Anno 1183.

ANno Domini Milleſimo Centeſimo Octuageſimo Tertio, tempore Lucii Papæ, & Frederici Imperatoris, die XIV. exeunte Menſe Madii, Inductione Prima. Ceptum eſt Inventarium de hereditate Domini Wilielmi de Marcheſella ab Adelardo fratre ejus, *in preſentia iſtorum teſtium, nomina quorum ſunt hec: Jacobus de Fontana, Pecorarius, Bonusfilius Tabellius. Res autem, que inveniuntur, ſunt hec. In primis medietas Domus, in qua habitabat, cum toto caſamento. Medietas alterius domus cum Turre. Medietas domus, que eſt in ora Sancte Agnetis. Medietas de caſamentis, que ſunt in ora Sancte Marie Nove. Et medietas de aliis Caſalibus, qui ſunt in ora Sancti Nicolai. Medietas Caſalibus cum Caſtro Coraſium. Medietas Bradie ſue, que eſt in Valle Univerſitatis Ferrarie. Medietas de hoc, quod habet in Valle Joannis Guercii. Medietas aliarum Terrarum, quas habet in Civitate vel juxta Civitatem. Medietas de hoc quod habet in Policino Caſalie, ſcilicet in Caſalia, in Purpurana, & in ſeptem Policinis. Medietas de hoc, quod habet in Po .... qui fuerunt diviſi in publica. Medietas de hoc, quod habet in Comitatu Ficarioli, in Ficariolo, in Auratica, in Lerine, in Zello, in Fabrizano, in Bolnina, in Sancto Donato, in Pivizano, in Bagnolo, in Manezo, & in Manezo, & in Sancto Martino, in Lugarano, in Fracta, in Arcuata, in Ponticulo, in Bondeno, in Ponte Ducis. Medietas de hoc, quod habet in Policino Ferrarie, in Focomorto, in Finale, in Rere, in Siblincello, in Cornu Cervina. Medietas de hoc, quod habet in Policino Capitis Rede, in Ganbolaga, in Vicoventia, in Ducentula, in Guartiſima, in Albaretha, in Viconovo, in Villanova, in Donore, in Medelana, in Roveretho, in Liubola, in Statha, in Maſſa Fiſcalie. Medietas de hoc, quod habet in Policino Sancti Georgii, in Cona, in Coromano, in Ripa Padi, in Foſſa Nova, in Gabiana, in Mathraria, in Gabiana ab alio latere, in Foſſa Nova in territorio Ferrarie. Medietas de*

C *hoc quod habet in Comitatu Bononie, tam in Civitate quàm in Comitatu. Medietas domus Civitatis, & medietas de hoc, quod habet in Taſſinariis, in Caſellis, in Urbizano, in Sancto Petro, in Caſale. Medietas octo Vegetes. Medietas duodecim Labetes, cum duabus ..... Medietas mille Inſtrumentorum ....*

Et ego Guidus Borarius gratia Dei Ferrarienſis Notarius, rogatus a Domino Adelardo de Marcheſella hec ſcribere, manu propria ſcripſi.

Ergo Anno MCLXXXIII. ſupremum diem clauſerat *Guilielmus de Marcheſella* vir potentiſſimus ac celeberrimus Ferrarienſium. Qui ergo Annus MCXCVI. in Epitaphio inſcribi-
D tur? Dicendum reſtat, aut Epitaphium, aliquot poſt ejus mortem annis ab Azzone Marchione, ejuſque conjuge Marcheſella, fuiſſe poſitum: neque enim opinari audeo, minime heic agi de Guilielmo, ſed quidem de Adelardo ejus fratre, quum *Guillelmi* nomen diſerte expreſſum heic habeam; quamquam ad ipſum Adelardum (ſi ſerius quam frater vitâ functus fuit) rectius referatur Cæleſtini III. Papæ, & Huguccionis Epiſcopi Ferrarienſis mentio, qui Anno MCXCVI. floruerunt, & ad ejus obitum illacrymaſſe feruntur. Sed hiſce tenebris dimiſſis, regredior ad Chartam Adelaſiæ, quæ ſe Anno MCLIV. appellat *relictam quondam Guilielmi de Marchiſella*. Ergo alter Guiliel-
E mus ſenior vixerat, agnomento & ipſe *de Marchiſella*, qui ante Annum MCXLIX. naturæ tributum ſolverat, ut in Antiquitat. Eſtenſib. jam pridem oſtendi. Hic autem Avus, Bulgarus verò pater fuerit Guilielmi II. a Ricobaldo laudati, & Adelardi fratrum, quorum hereditas, ut non ſemel dixi, Principibus Eſtenſibus obvenit. Præterea illud animadvertendum eſt, temporibus antiquis in uſu fuiſſe *Emphyteuſes perpetuales*, quibus videlicet nullus finis præſtituebatur. Ejus rei exempla duo proferam, quorum primum ex Archivo Eſtenſi, alterum e Chartophylacio Abbatiæ Vangadicienſis depromſi.

Inveſtitura Vallis Zambonini in perpetuam Emphyteuſim, data ab Azone Marchione Eſtenſi Livaldo Priori Monaſterii Sanctæ Mariæ ad Carceres, Anno 1199.

ANno Domini Milleſimo Centeſimo Nonageſimo Nono, Indictione II. die XII. intrante Julio, preſentibus Domino Guidello de Monteſilice, Johanne de Bertaldo de Gazolo, & aliis, in Capitulo Sancte Marie ad Carceres. Dominus Azo Eſtenſis Marchio pro cambio caſamenti in Eſte poſiti, quod nuper Domnus Livaldus Prior Sancte Marie ad Carceres eidem Domino Marchioni dederat, & etiam in remiſſionem peccatorum ſuorum, & quondam clare memorie Nobiliſſimi Marchionis Obizonis, & aliorum parentum & Predeceſſorum ſuorum, ad Libellum perpetualem inveſtivit prefatum Domnum Livaldum Priorem Beate Marie ad Carceres, pro ipſa Eccleſia recipientem, de tota Terra, que dicitur Vallis Zambonini, quod eſt nomen campi Paduani, ut ipſe Marchio dicebat; eo modo, quo ſupradicta Eccleſia, & ſervientes ejuſdem Eccleſie habeant amodo & teneant nomine perpetualis Libelli ſupradictam Terram a prefato Marchione, & heredibus ejus, cum varentatione & defenſione ſupradicti Domini, reddendum & dandum ei omni anno unam Libram Olei pro Luminaria, & ponendum in Ciſindello ante Altare Beate Marie ad Carceres. Et dedit eidem Priori Johannem de Bertaldo, qui ducat ipſum in poſſeſſionem ſupradicte terre, conſtituens ſe pro eo poſſidere, donec tenutam habebit &c.

Ego Odelricus Imperialis Aule Notarius interfui, & hanc Chartam juſſu ſupradicti Domini Marchionis ſcripſi.

Charta concordiæ, per quam Sanſonus Abbas Monaſterii Sanctæ Mariæ de Vangadicia concedit in emphyteuſim Aliſiæ Comitiſſæ, & ejus filio Azzoni, ſive Azzolino Novello Marchioni Eſtenſi, centum Manſos, Anno 1216.

MCCXVI. Indictione IV. die XIV. introëunte Martio, Rhodigii in domo Marchionis, in præſentia Domini Gulielmi de Lendenaria, Domini Joannis Judicis de Tezo de Legnaco, Cagnoli de Legnaco, Domini Azoni de Baxio, Domini Bexinci, Domini Taurelli de Azullino, Federici Vicecomitis, Ambroſini de Albomo de Rhodigio, Martini Judicis, Gregorii Notarii, Guerre de Sarzano, & aliis. Ibique Domnus Sanſonus Abbas Monaſterii Sanctæ Mariæ de Vangaditia, verbo & conſenſu Domni Ottonis Prioris Majoris, Domni Petri ex arbitrio Domni Albrigeti Panis de Mileo, & Fratris Petri, ad Libellum perpetualem dedit Dominæ Alis Comitiſſæ, vice & nomine filii ſui Azzolini Novelli Marchionis Eſtenſis recipiendo, totam Terram, quæ ad Monaſterium pertinet, ſecundùm quod fuit deſignata per allodium Monaſterio, a Mardimaco in joſum uſque in capite inferiori terræ, quam Dominus Ingenolfus tenet, & inde ad tranſverſum rectâ lineâ uſque ad Tartarellum, quæ ſit centum Manſi: & ſi minus centum Manſorum ibi reperiretur, promiſit ei complere uſque ad centum Manſos de alia terra, quæ remanet Monaſterio deinde in joſum. Et ſi plus centum Manſis foret, ſuperfluum remanet Monaſterio. Reddendo annuatim in Feſtivitate Sanctæ Mariæ de Auguſto dicto Monaſterio tres Libras incenſi, vel octo diebus ante, aut poſtea, in pœna XXV. Librarum Venetiarum. Et ſi Abbas recipere noluerit, dictum fictum ponatur ſuper Altare Sanctæ Mariæ, & ita valeat, ut reciperet a dicta Comitiſſa, cum obligatione ſuorum bonorum ſub pœna quingentarum Librarum Venetiarum, conſtituens ſe pro Monaſterio poſſidere. Promiſit dicto Abbati, pro Monaſterio recipienti vice & nomine dicti filii ſui. Fecit datam & refutationem, finem vel remiſſionem de illa terra & Valle, quæ eſt terra, quam tenet Dominus Ingenolfus in joſum, & quod expediet illam ab omni perſona, quæ ab inde in joſum teneretur per Marchionem Eſtenſem. Et ſi non poſſet expedire, quod dabit cambium ſimilem Monaſterio de alia terra, quæ eſt in ea parte, quam Abbas nunc ei dedit. Et tenere aggeres, & fieri facere per ripam fluminis & alibi, ubi fuerit neceſſe ad eam terram manutenendam. Et quod faciet Dominum ejus filium, cum fuerit in ætate, in dictu Sapientis hominio laudare & confirmarè & promittere hunc contractum. Quod ſi non attenderet, promittit ei Abbati pro Monaſterio dare quingentas Libras nomine pœnæ, & pœnâ ſolutâ contractus ſit firmus. Et facta laudatione & confirmatione & promiſſione per ipſum Azzolinum, ut Sapiens dicit, dicta Comitiſſa debet eſſe liberata de prædicta obligatione.

Ego Zamboninus Ubertini Notarii Domini Federici Imperatoris Notarius hoc Inſtrumentum ex imbreviaturis dicti Ubertini Notarii quondam patris meì, a Domino Azzone Eſtenſe Marchione mihi conceſſis ſumpſi, ſcripſi, & corroboravi, nihil addens de eo, quod in ipſa imbreviatura reperii, nec minuens, quod ipſæ abbreviaturæ mutet ſententiam, niſi fortè in ſyllaba vel litera aut puncto, ſeu in compoſitione literarum vel ſyllabarum, currente Anno Domini MCCLII. Indictione X. die X. exeunte Novembre.

Adtexo tertiam perpetuæ Emphyteuſis Chartam, quam in vetuſta membrana adſervat nobile Archivum Lucenſis Archiepiſcopii. Aut Locationis, aut potius Emphyteuſis titulo a multis annis incolebant quidam fratres prædium Gundolperti, atque annis ſingulis penſionem domino reddebant vervecis unius, ſuis unius &c. Angariæ quoque obnoxii erant:

erant : hoc eſt , ad ſervitia perſonalia præſtanda obligati . En ergo eos ab hujuſmodi tributis dominus liberat , penſionem perpetuam in poſterum eis indicens tantùm ſex denariorum , perſolvendam Monaſterio Sanctæ Mariæ in Gurgite .

Gundolperti Lucenſis Charta , qua a nonnullis tributis ſibi præſtandis abſolvit agrum locatum , aut in Emphyteuſim datum , & penſionem tantum ſex Denariorum indicit, Anno 798.

I*N Dei nomine . Regnante* Domno *noſtro* Carolo *gratia Dei* Rex Francorum & Lungubardorum, *hac Patricius Romanorum & Domno noſtro* Pipino *filio ejus* Rex , *Anno Regni eorum in Lungubardia Vigeſimo quinto , & Octavo decimo, Menſe December, Indictione VII. feliciter. Manifeſtum eſt mihi Gundolpertus filio bone memorie Gumperti , quia vos* Waltipert *& Alapertu germanis filii Aculi avitare videtur in caſa & res noſtra illa , quam habeo in loco Furnita ſuper Piſcia Minore : & tam vos quàm & parentibus veſtris mihi qui ſupra Gundolpertus , & ad parentibus meis de ſupraſcripta caſa, & res meam conſuetudo habuiſti dare & perexolvere per ſingulos annos berbice uno, & pro vendemiale animale medio , & pulli parias duos, & decem libras caſio , &* angaria , *quantum nobis a utilitas fuit . Modo ego qui ſupra Gundolpertus pro fidele ſervitio veſtro, quas vos ſupraſcriptis germanis mihi feciſti , per hanc Cartulam donavi & cedo vobis* omnia ſupraſcripta tributa & angaria, quas vos nobis uſque modo pro ſupraſcripta caſa & res mea, quem vos ad moris veſtrum avetis , conſueti fuiſtis facere & perexolvere, & pro Launicildi mihi impotavit ipſo ſervitio , quas vos mihi feciſti adimplendum Lege noſtram Langubardorum . *Niſi tantum volo ego qui ſupra Gundolpertus, ut tam vos predicti* Walpert *& Alapertu, quam eredibus veſtris pro ſalute & redentione anime mee & de parentorum meorum de ſupraſcripta caſa & res pro penſione per ſingulos annos dare & perexolvere diveatis in portionem mea de Monaſterio, qui edificatum eſt in honore beate Sancte Marie, ſitu in loco Gurgite, ubi Ariſuſo Presbitero Rector eſſe videtur , tantum ſex, arto, mundo, boni, expendivili , aut oleo, aut cera valiente ſupraſcripti ſex Dinarii. Et ad mandato de ipſo Sacerdos , quem ſupraſcripto Monaſterio noſtro ordinatus fuerit, venire diveatis ad juſtitia facienda, ſi quiſcumque homo proprios in . . . . ſi ad mandato de ipſo Sacerdos venire non volueritis, & ſupraſcripta penſione per ſingulos annos non dederitis ſicut ſupra legitur, ut predicto Sacerdos pro hanc cauſa licentiam aveas vos pignerare, & pro juſtitia facta & penſione data pignus veſtrum reddere diveas, nam amblius nulla penſione, neque imperatione, neque nulla de ſupraſcripta caſa & res tollere, neque exinde vos foris expellere diveas , neque ego neque heredes meos, neque ſupraſcripto Sacerdos per nullo ingenio. Et ſi ego vel meus heredis vel ſupraſcripto Sacerdos, qui in ſupradicto Monaſterio noſtro ordinatus fuerit vobis ſupraſcripti germanis vel ad veſtris heredibus amplius ſuper impoſuerit, aut tolli queſierit &c. componamus nos nobis auri Solidos numero cento ; & hanc Cartula in ſupraſcripto ordine omni tempore firma & ſtavile permaneat. Unde duas Cartulas uno tenore, una ad parte veſtra, qui ſupra germani , alia ad parte de ſupraſcripto Monaſterio Cumprandum Notarium ſcribere rogavi.*

Actum in Vico Gundualdi prope Vico Turingo.

Ego Gundolpertu in hanc Cartulam ad me facta manu mea ſubſcripſi.

Signum manus Ringhiperti filio Rapperti teſtis.

Ego Gumprandus poſt tradita complevi & dedi .

Ego Teuſprandus Notarius ex autentico in quantum cogniuſcere potuit, fideliter exemplavi.

Inter Langobardicas Leges conſiderandam nunc ſe offert Lex LV. Ludovici Pii ſtatuentis, *ut Emphyteoſis, unde damnum Eccleſiæ patiuntur, non obſervetur , ſed ſecundùm Legem Romanam deſtruatur, & pœna non ſolvatur .* Lege hac interdictum vides Eccleſiarum Rectoribus, quidquam in Emphyteuſim concedere, unde Eccleſia damnum patiatur. Proinde Antiſtites pii ac providi , quoties Eccleſiam alicui Clerico conferebant , conditionem apponere conſueverunt, ne ei liceret , quidquam ad eamdem Eccleſiam pertinens alicui in Emphyteuſim concedere abſque facultate ejuſdem Epiſcopi , uti conſtabit e Charta authentica, quam mihi ſuppeditavit idem Archivum Luceuſis Archiepiſcopii.

Con-

Conradi Lucenſis Epiſcopi Literæ, quibus Johanni Diacono quaſdam Eccleſias confert, Anno 946.

IN *Chriſti nomine. Qualiter ego* Conradus *gratia Dei hujus ſancte* Lucane Eccleſie *humilis* Epiſcopus, *una per conſenſum Sacerdotum meorum, ſeu filii ipſius Eccleſie, ordinare videor te Johannes Diaconus filio Gunfridi in eo ordine, ſicut ſupter adnexum fuerit, ideſt in Eccleſiis illis, cui vocabulum eſt beati Sancti Johannis Baptiſte, & Sancte Reparate, & Sancti Petri, que dicitur ad Vincula, quod ſunt deſup poteſtate ſupraſcripte Eccleſie Epiſcopatui noſtro Sancti Martini, jam dictis Eccleſiis Sancti Johannis, & Sancte Reparate, & Sancti Petri cum omnibus caſis & rebus ad eam pertinentibus, cum fundamentis & omne edificiis, vel univerſis fabricis ſuis, ſeu Curtis, ortis, terris, vineis, olivetis, ſilvis, virghareis, pratis, paſcuis, cultis rebus vel incultis, omnia & in omnibus caſis & rebus tam domnicatis quam & maſſariciis, quantas ubique in qualibet locis vel vocabulis ad ſupraſcriptis Eccleſiis Sancti Johannis Baptiſte, & Sancte Reparate, & Sancti Petri, ſunt pertinentibus vel adſpicientibus, aut ibidem in antea pertinentes fuerit in integrum. In jam dictis Eccleſiis Sancti Johannis Baptiſte, & Sancte Reparate, & Sancti Petri, te inibi ordinare & confirmare videor, tali ordine, ut ab odierna die in tua, qui ſupra Johannes Diaconus, ſint poteſtate diebus vite tue in dictis Eccleſiis ſeu Caſis & rebus ad eas pertinentibus, quas tibi ſuperius dedi, eas abendi, tenendi, imperandi, gubernandi, laborare faciendi, meliorandi, & tibi eas privatum nomen uſufrutuandi omnibus diebus vite tue, & in ipſis Eccleſiis, quas tibi dedi, per te, aut per tuam diſpoſitionem Officium Dei & luminaria, atque incenſum, ſeu Miſſarum ſolemnia fieri debeant, & mihi qui ſupra Conradus Epiſcopus vel poſteriſque ſucceſſoribus meis ſingulis quibuſque annis obediendi & deſerviendi, ut mos eſt.* Sic nanque vero, ut non abeas poteſtatem neque licentiam tu qui ſupra Johannes Diaconus de omnibus caſis & rebus & ipſis Eccleſiis pertinentibus, cuilibet homini per Cartula Libellario nomine, nec per nullam conſcriptionem firmitatis dare, nec emittere, neque firmare ſine mea licentia & voluntate, vel de poſteriſque ſucceſſoribus meis, *qua licentia & voluntate noſtra, ut nos in illo Libello vel firmitate, quas tu exinde feceris vel emiſeris in qualibet perſona hominum, ut nos in ipſo Libello vel firmitate manu noſtra ſcribamus. Propterea hoc facimus, ut caſis & rebus ipſius Eccleſie non per fraude neque conludio ſeo malo ingenio utſurpetur. Et ſi forſitan tu qui ſupra Johannes Diaconus in alio modo in aliquid ex ipſis Caſis & rebus feceris vel dederis, niſi quomodo ſuperius legitur, hanc ſtatuta mea ordinationis Cartula, illa firmitatis ſcriptionis, quas tu exinde feceris vel emiſeris, inanis & vacua adque incapſata permaneat, quod in ſe nullum obtineat roborem nec firmitatem. Et neque ad me, neque ad nulloſque poſteros ſucceſſoribus meis hec ordinationis Cartula aliquando tempore, dum vita tua fuerit . . . . frangere, ſi tu, qui ſupra Johannes Diaconus ſic feceris & adimpleveris eo modo, ſicut ſupra legitur, ſe . . . . . . in ſupraſcripto ordine hanc ordinationis Cartula dum vita tua . . . . permanead firmitate. Unde duas ordinationis Cartule uno tinore ſcripte, una Diaconi ſint poteſtatem abendi & oſtendendi, Johannes Notarius & Judex Domnorum Regum ſcribere rogavi.*

Actum Lucha, & ec ordinationis Cartula facta Hugoni *gratia Dei* Rex *Anno Regni ejus Deo propitio Vigeſimo, &* filio ejus Domnus Lotharius *idemque* Rex, *Anno Regni ejus Quintodecimo . . . . Aprilis, Indictione Quarta.*

Ego Conradus *gratia Dei humilis* Epiſcopus *in ac ordinationis Cartula a me facta ſubſcripſi.*

Ego Grimaldo Archidiaconus in hac ordinatione conſenſi & ſubſcripſi.

Ego Willerado Presbiter & Cardinalis & Primicerio in hanc ordinatione conſenſi & ſubſcripſi.

Ego Martinus Archipresbiter in ac ordinatione conſenſi & ſubſcripſi.

Ego Johannes Diaconus Cardinalis & Cantor in hanc ordinationem conſenſi & ſubſcripſi.

. . . . Presbiter & Cardinalis &c.

. . . . . ndo Presbiter & Vicedomino in hac ordinatione &c.

Ad hæc uti nunc, ita & antiquis Sæculis ea obligatione conſtringebantur Emphyteutæ, ut meliorem facerent conditionem fundi ſibi commendati, non verò deteriorem. Contra facientes e jure & poſſeſſione excidebant. Locupletem habeo teſtem hujuſce moris Chartam autographam, quam ex eodem Lucenſis Archiepiſcopii Tabulario hauſi, dignam ſine quæ publici juris fiat, tum propter multos ritus ad Eruditionem ejus temporis ſpectantes, tum propter Latinæ Linguæ enormem abuſum: quod exemplum conjungas velim cum iis, quæ ſupra diſſerui in Diſſertatione XXXII. *de Origine Linguæ Italicæ.*

Placi-

Placitum in Lucenſi Urbe habitum a Johanne Epiſcopo Piſano & Adalberto Marchione, Miſſis Ludovici II. Auguſti, in quo Hieremias Epiſcopus Lucenſis contra quoſdam abutentes Emphyteuſi litem obtinet, Anno 853.

DUm ap celſa poteſtatem Domni noſtri Hludovici magni Imperatoris directi fuiſſent Johannem venerabilem ſancte Piſenſis Eccleſie Epiſcopus, nec non & Adalbertum Marchionem, ſeu Gausbertum Vaſſum, & Miniſtrum minor ipſius Imperialis poteſtatem, & conjuncti fuiſſent hic Civitate Luca, Curte videlicet Ducale, & reſediſſent in judicio in Sala illa teſeſtile cum ipſis & nos Rachimbaldo Schabinus Florentinenſis Urbem, Ardo, Adalberto, Chunimundo, Gherimundo, item Chunimundo, & Andreas Notarius & Schabinus predicte Lucane Civitatis, ubi nobiſcum aderant Eribrando, Teudimundo, Auriperto, adque Siſimundo Vaſſi Domni Imperatoris, Widelgrimus Gaſtaldius noſter, Ildeberto, Ghiſperto, Ildebaldus, Albolfo, Fraimundo, Wiliperto, Petrus, Fluiperto, Teuperto, Ardolfo, Wittinge, Ato, Fraolmi, Adalfridi, Leo, Filuarto, Adalberto, Ghiſperto, Auriperto, Warnifridi &c. & reliquos plures. Veneruntque ibi ante nos Hierimias gratia Dei humilimus Epiſcopus, una cum Teufridi Avocatus Domui Epiſcoporum ipſius Sancti Martini, nec non ex alia parte Beliſarius Presbiter una cum Leo Avocato ſuo, Samuele & Auruald germanis filii quondam Anſpaldi Clerici, abendum inter ſe altercationem dicendum nobis ipſe Teufridi Avocato: ſupraſcripti Belliſarius Presbiter, Samuel, & Anſuald germanis abere videtur Eccleſia Sancte Marie, & Sancti Gervaſii cum caſis & rebus ejus, & eſſe Livellum, quomodo eas da quondam Ambroſio anteceſſore iſtius Domni Hieremie Preſul eas receperunt iſte Belliſarius Presbiter, qui tunc Clericus erat, & Samuel germani da parte Sancti Martini. Sed eandem Eccleſiam, caſis & rebus eorum pegiorate ſunt: unde ſecundum ſuorum repromiſſionem a parte Sancti Martini competit eidem Eccleſiis caſis & rebus ejus perdere debunt. Deinde quero accipere juſtitia. Dictum hoc fecimus nobis Libellum ipſum legi. Continebatur in eum inter ceteros ſermones, qualiter ſepe dictus Belliſarius Presbiter, qui tunc Clericus erat, & Samuel germani filii quondam Anſpaldi Clerici per cartulam Livellario ordine ab Ambroſius Epiſcopus dediſſet eis cenſum perſolvendum; ideſt illa portio de Eccleſia Sancte Marie & Sancti Gervaſii, ſita ſunt prope murum iſtius Civitatis Lucane, pertinens ipſius Epiſcopatui Sancti Martini, quas ipſe genitor eorum, & quod Teuderadus Presbiter ad manus ſuas abuerunt, cum curte, caſis domnicatis & maſſaricias, quantum ad ipſis Curtis, caſis de predictas duas portiones fuerant pertinentes, & ipſe genitor eorum, & quod Teuderadus Presbiter abuerant, recepera in integrum tali ordine, ut in ſuas, qui ſupra germani vel de heredibus ſuis fuiſſent & permanſiſſent poteſtatem abendi, poſidendi, gubernandi, meliorandi, & uſufructuandi officium Dei, & luminaria per ſuas diſpoſitiones in eaſdem Eccleſiis die noctuque fieri debuiſſet rectum moderamine; & ei vel ad ſucceſſoribus ejus

A per ſingulos annos exinde in Paſcha Domini noſtri Jeſu Chriſti ei, vel ad Vicedomui, vel ad locho poſito ſuorum a parte Eccleſiis ſuis Sancti Martini hic Luca in Domo hujus Epiſcoporum dare & percxolvere debuiſſet Denarios bonos numerum nonaginta per ſe, aut per Miſſos ſuos, & in feſtivitatibus Sancte Marie reddere & dare debuiſſent ad Primicerium ejus, vel quale Miſſo illis ibi direxiſſent, medietatem offertas & candelas, que in ejus feſtivitatibus ibi datas & offertas fuiſſent de ipſa ſuorum portionem; & de ſecundo in ſecundo anno eis & Sacerdotes ſeu Clerum ſuum quarta feria poſt Paſcha Domini guſtarem unum ibi facere & dare debuiſſet cum Vallerino Presbiter, quomodo antea B conſuetudo fuerat de ipſa Eccleſia faciendi. Et quis de eis ſupraſcripti germani ſine herede mortuus fuiſſet, tunc ipſa ejus portio, qui de eis vivus fuiſſet, in eorum & de heredum ſuorum revertiſſet poteſtate in ſupraſcripto ordine habendi. Et ſi ita non adimpliſſent & conſervaſſent, ſicut ſupra legitur, aut ſi predictas portiones ſeu caſis & rebus, quas ei dederant, pegiorata fuiſſent, & omnino non feciſſet, qualiter ſupra promiſerat, ſpoponderas eis ipſis germanis, & ſuis heredibus componere eidem Ambroſii vel ad ſucceſſoribus ejus penam argentum Solidos quadringentos, ſic tamen ſi Anſualdo germanus eorum ad ſuam legitimam etatem perveniſſet, & in ſupraſcripta convenientia cum C eis ſtare & permanere voluiſſet, vel ejus heredibus licentia habuiſſet, ſicut unus de eis in omnibus, qualiter ſupra legitur, in ſupraſcripto ordine. Et legebatur ſcriptum fuiſſet Libellum ipſum per manus Andree Notarii, regnante Domno noſtro Hlotario Imperatore Auguſto, Anno Imperii ejus, poſtquam in Italia ingreſſus eſſet, Vigeſimo ſecundo (*), Nonas Martii, Indictione Septima. Roboratum erat a teſtibus, & poſt traditum completum.

Libellum ipſum relectum, interrogavimus jam dicto Anſualdo, ſi ipſe in jam dicta convenientia de ſupradicto Livello ſtare & permanere voluiſſet, an non. Set ipſe Anſualdus ſtatim dixit, quod in eadem convenentia de ſupraſcri- D pto Livello ſtare & permanere voluiſſet, nec unus de aliis germani ſui. Cum hoc ita dictum fuiſſet, interrogavimus jam dicti germani, ſive Leo Avocato ſupradicti Belliſarii Presbiteri, ſi Eccleſiis ſeu caſis & rebus eorum poſtquam eas per jam dicto Libellum acceperat, pegioratas eſſent, an non, Eccleſiis & rebus ejus abuiſſent vel tenuiſſent, vel ſi ipſa jam fata convenentia feciſſent, ſicut in ipſum legebatur Libellum, aut ſi Eccleſiis, caſis & rebus eis, quas per ipſum Libellum acceperat, pegioratis eſſent, an non. Set ipſis germanis & Leo Avocato profeſſi dixerunt, quod Eccleſiis, caſis & rebus ipſis abuiſſent & tenuiſſent, & ipſa convenentia feciſſent, & pejorata non eſſent. Refertum hoc, tunc ipſe Domnus Hieremias E Epiſcopus optulit Brevem unum, ubi continebatur inter ceteros ſermones, qualiter Domnus Hluduvicus gratia Dei Imperator Auguſtus invi-

(*) Ideſt Anno Chriſti DCCCXLIV.

inviƈtiſſimi Domni Hlotharii filius, omnibus fidelibus ſuis notum eſſe volebat, quia Johannem *venerabilem* Epiſcopum, & Adalbertum *dileƈtum* Marchionem *ſuum, nec non Gausbertum Vaſſum, & Miniſtros ſuos, Miſſos ſuos conſtitutos abuiſſet, ut quicquit ex Epiſcopatum Lucenſe aptraƈtum inveniſſent tam Tuſcie partibus quàm Romanie, diligentiſſime ſup ſacramento per inquiſitionem inveſtigare ſtudiſſent, atque ſecundum ipſam inquiſitionem difiniſſent. Si vero aliqua orta fuiſſet comtemptio, que deliberare ibi menime potuiſſent, ſub wadia firmiſque fidjuſſoribus hoc ante ſuam venire feciſſent preſentia. Precipientes vero jam dictis Miſſis ſuis, ut ita per omnia ipſam juſſionem ſuam adimplere decertaſſent, ſicuti gratiam ſuam abere cupiſſent, & ut hoc certius crediđiſſet, de anulo ſuo ſupter juſſerat ſigellari. Brevem ipſum releƈtum, dicebat ipſe Teufridi eorumdem Johanni Epiſcopi, Adalberti, & Gausberti Vaſſi Domni Imperatoris :* Certe, ſi vos vultis ipſa inquiſitio facere, ſicuti Domnus Imperator vobis mandavit, nunc certa invenitur veritas, quomodo Eccleſiis, caſis & rebus ipſis pejorate ſunt. *Tunc ipſi Miſſi Domni Imperatoris denominati hominibus hic ſunt Uggo, Ildo germani Aroghiſi, Deusdedit, Popo, & Teuderado germanis, ſicut fecerunt venire preſentia, qui hoc ſciebant, & unuſquiſque eos jurare fecerunt ad Dei Euangelia, ut quicquit exinde ſciret, certa in omnibus eis dicere veritate. In primis Uggo dixit :* Scio de Eccleſia Sanƈte Marie & Sanƈti Gervaſii, quia poſtquam de ipſo Livello accepta fuit, quia nunc pejorate ſunt. *Ildo ſimiliter dixit &c. Poſt ec igitur inquiſitio facta & ſagramenta deducta, & inveniſſent ipſi Miſſi Domni Imperatoris, quod taliter ipſis pejoratis eſſent; interrogaverunt jam dictis Beliſarium Presbiter & Leo Avocato ejus, ſive Samuel & Anſualdo germanis, ſi forſitans aliquit aberet, quod adverſus ipſos homines contradicere, aut ſi eos reprobare poterent, an non. Set ipſis Belliſarius Presbiter & Leo Avvocato ſuo, adque Samuel & Anſualdo germani dixerunt, quod eos reprovare non poterint, nec nullam abuiſſet, quod averſus ipſos homines contradicere aut aliqua approvatione facere potuiſſent. Profeſſio ac facta recolentis nobis in unum Judicibus, paruit nobis recte una cum reliqui nobiſcum ibi adeſentibus, & inventa cauſa invenimus, quod Eccleſiis ipſis pejorati eſſent. Ita judicavimus & wadia dare fecimus ipſum Samuel & Leo Avvocato jam dicti Belliſarii Presbiteri, ſive Anſualdo germano eorum, propterea quod ipſe Anſualdo ſtaret in ipſa convenientia de ipſum Libellum, & unus de aliis germanis ſuis eidem Teufridi Avvocato per ipſum Libellum repromiſerat, a parte ipſius Epiſcopatui Sancti Martini componere illos quatringentos Soledos, quod ibi legebatur, & fecimus ei dare vadia, eſſet paratus ab eis compoſitio ipſa recipere. Et dum talia hec omnia ab ordine factum fuiſſet, tunc optulit jam fato Domnus Hieremias Epiſcopus Preceptum unum a Domno piiſſimo Hludovicus Imperator facto, ubi legitur, & nobis oſtenſo, quas ipſi Miſſi Domni Imperatoris legi fecerunt, ubi continebatur:*

In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Dei eterni. Hludowicus gratia Dei Imperator Auguſtus, inviƈtiſſimi Domni Imperatoris Hlotharii filius. Omnibus fidelibus Sanƈte Dei Eccleſie, hac noſtris, preſentibus ſcilicet & futuris notum ſit, ad aures manſuetudinis noſtre eſſet perventum, qualiter Pontifex ſanƈte Lucenſis Eccleſie rebus ipſis pertinentibus, tam pro immunitatem, quàmque etiam proprio lucro per Libellos, hac fiduciariis, aliiſque conſcriptionibus, quibuſdam hominibus dediſſet, unde nunc maximum damnum prefata patitur Eccleſia, adque Reƈtor & Paſtor ejuſdem Eccleſie noſtrum digniſſime non valeat peragere ſervitium. Nos vero utilitatem jam diƈte Eccleſie Paſtorem ipſius neceſſitatem providentes Hieremie, cui ipſum dedimus Epiſcopatum, hoc noſtrum Preceptum fieri juſſimus pro ſecuritate, & concedimus, omnes res ſue Eccleſie recipere, adque ſecundum ſuam utilitatem diſponere; omnes vero Libellos, omneſque ſcriptiones, inde faƈtos, irritos & vacuos eſſe ſtatuimus, ſimulque etiam cunƈtas ordinationes adnihilatas phore ſancimus ſive Clericis ſive Laicis ſive etiam Feminis, ut inde modo retineat ſecundùm hoc noſtrum Preceptum, irritum ſit: atque prefatus Hieremias Paſtor ejuſdem Eccleſie, noſtra auƈtoritate omnia ad nos recipiat, & ſecundum quot viſum fuerit, ad ſuam ſuaque Eccleſia diſponat utilitatem. Nam quicumque aliquit de jam diƈtis rebus abſque voluntate & conceſſionem prefati Hieremie quocumque modo retinuerit, ſciat ſe noſtram incurrere offenſione. Et ut hoc ab omnibus certius credatur, ac diligentius opſervetur, de anulo noſtro ſubter juſſimus ſigillari.

Druƈtemirus ſacri Palatii Notarius recognovi.

Data Quintum Nonas Oƈtobris, Anno Chriſto propitio Imperii Domni Hlotharii pii Auguſti Trigeſimo tertio, & Hludowici Imperatoris in Italia Tertio, Indiƈtione Prima. (*)

Aƈtum Curte Turiola Palatio Regio in Dei nomine feliciter. Amen.

Preceptum ipſum releƈtum, tunc ipſi Miſſi Domni Imperatoris mandaverunt nobis, ut quicquid exinde nobis rectum apparuiſſet, eidem Hieremie a parte ipſius Epiſcopatui Sancti Martini renuntiaſſimus. Et ideo nobis paruit eſſe rectum una cum omnibus nobiſcum ibi adeſentibus, ita ei renuntiavimus, ut juxta ipſum Preceptum, quod Domnus Imperator ei conceſſerat, predictis Eccleſiis cum rebus ſuis abere deberent parte Eccleſie Sancti Martini, cujus proprietas eſſe videbatur. Unde hanc notitia Judicati pro ſecuritate partem Eccleſie Sancti Martini fieri previdimus, ut in eadem maneat deliveratione, & Petrum Notarium ſcribere admonuimus, Anno Imperii Domni noſtri Hlotharii magni Imperatoris, poſtquam in Italia ingreſſus eſt, Trigeſimo primo, & filio ejus Domnus noſter Hluduvicus idemque Imperator, Anno Quarto, Menſe Aprile, Indictione Prima.

Ego Ardo Schavinus ivi fui.
Ego Adelpertus Schavinus ivi fui.
Ego Chunimundo Schavino ibi fui.
Ego Teudimundo ibi fui.
Ego Adalmanno ivi fui.
✠ *Signum manus Albolfi ibi fuit, &c.*

Ita in altera Charta ſcripta *Anno XXII.* ejuſdem Ludovici II. Auguſti, *XV. Calendas Januarii, Indictione V.* ideſt Anno Chriſti DCCCLXXI. reſidente Lucæ in judicio *Horchiſo Epiſcopo Piſtorienſe* una cum *Gerardo Epiſcopo Lucenſe*, inter Advocatum Epiſcopii Lucenſis, & *Cuneradum*

(*) Ideſt Anno Chriſti DCCCLII.

dum puerum agitata eſt lis, conquerente primo, quod in deterius ruerent bona in Emphyteuſim conceſſa a *Hieremia* olim *Epiſcopo Lucenſe* Cunimundo patri Cuneradi. Ac propterea Cuneradus cogitur eadem bona reſtituere. In ipſo judicio conſedit *Adalbertus illuſtris Comes*. Duplex autem Emphyteuſeon genus fuit. Alterum, quo ſtatuebatur penſio ſingulis annis perſolvenda, qualis ferme reſponderet annuis reditibus fundi in Emphyteuſim conceſſi. Erat hæc ſpecies perpetuæ locationis. Nos nunc appellamus *Livelli oneroſi*. Ex hujuſmodi contractibus nihil detrimenti, & multum potius utilitatis in Eccleſias emanabat, quum certi exinde forent agrorum reditus. Propterea noſtris quoque temporibus id Emphyteuſis genus laudatur, ac uſu probatur. Vide Chronica Vulturnenſe ac Farfenſe, ubi plura Emphyteuſeos hujuſce exempla occurrunt. Alterum genus erat, quo ſub tenuis cenſus obligatione fundi, iique non levis pretii & fructus, Emphyteuſis titulo concedebantur. Id æquiſſime nonnumquam factum, quum videlicet Epiſcopi, Abbates, aliique Eccleſiaſtici, neceſſitate aliqua ſuæ Eccleſiæ preſſi, cogebantur quovis pacto pecuniam parare. Tunc oblatori congruentis ſummæ, agri in Emphyteuſim concedebantur, vilis cenſus perſolvendi conditione impoſitâ. Neque enim putandi ſemper ſunt tam prodigi aut fatui veteres, ut arva ſua Libellario titulo concederent, exiguâ tantùm penſione contenti. Dum ii aliquid in Emphyteuſim tradebant, modicum domino fructum quotannis reddituram, fere ſemper in contractu tantum pecuniæ ab Emphyteuta percipiebant, quantum valebant duo ſaltem trientes agri in Emphyteuſim conceſſi. Vide Chronicon idem Vulturnenſe pag. 410. Part. II. Tomi I. Rer. Italicarum. Monachi illi, ut poſt excidium a Saracenis loco ſacro inlatum ſuis conſulerent neceſſitatibus, ipſo Guaimario Principe conſentiente, *Libellario nomine* tradunt Godino Imperiali Protoſpathario quoſdam fundos. Tum ille eis perſolvit pro inveſtitura *centum auri Solidos Conſtantinianos*, & pro annuo cenſu pollicitus eſt *Milliarenſem unum*. Sunt in eodem Chronico complura alia exempla, quæ me levant onere producendi nova. Attamen omittere nolui unum e Tabulario Abbatiæ Vangadicienſis depromtum, ut Lector ediſcat, ſub nomine etiam *Ficti* veniſſe Canonem pro Emphyteuſi reddendum. Ego enim Emphyteuſim potius, quàm Locationem, deſignatam heic reor.

Emphyteuſis Liutaldi Abbatis Vangadicienſis, Anno 1130.

A*Nno MCXXX. Octavo Menſis Junii. Breve recordationis pro futuris temporibus ad memoriam retinendum.* Liutaldus Abbas de Monaſterio Sancte Marie de Vangaditia *cum conſenſu de Fratribus ſuis omnibus, & in præſentia bonorum hominum: ii ſunt Sinlapaglia, Albertus Maiſter, Britius, Simon, Vuidi Diaconus, Pre Stephanus; in preſentia iſtorum inveſtivit Abbas, Ricolfus de Manſio uno in Meliadino, qui Manſus vadit de Englezelo, & de la terra de Alimario Vido, quæ fuit de Joanne Notarius, & de la terra Sancte Marie de Scantolaro, ad Salgaro Pagano, Campum unum, Vanezas quatuor juxta Cavazocho, Azca de Viventio, de Johanne de Zauſelmo;* & Ricolfus dedit pro inveſtitione ſolidos XLV. ad Abbatem, *& annuatim debet dare duas Libras ceræ novæ ficti, & debet habere terram iſtam ipſe & heredes ſuos reddendum fictum iſtum annualiter in feſtivitate Sancte Marie.*

Ego in Dei nomine Gumbertus Notarius rogatus, qui hoc Breve recordationis & ficti ſcripſi & dedi.

Sed neque deſiderati olim ſunt perditi atque improbi Eccleſiarum Rectores, qui nihil penſi habentes, an ſacra loca, ſuamque conſcientiam læderent, etiam nullâ neceſſitate impellente, in potentes, in affines, in amicos effundebant patrimonia Clericorum & Pauperum. Innumeri hujuſmodi Emphyteuſeon exempla unuſquiſque in Urbe ſua conſpicere adhuc poteſt. Multa quoque Farfenſe Chronicon enumerat. Hoc ergo poſtremum Emphyteuſeon genus improbat Ludovicus Pius, & diſcindendum jubet *ſecundùm Legem Romanam*. Sed quænam hæc Lex? Non aliam puto niſi Legem Leonis & Anthemii Auguſtorum Anno Chriſti CCCCLXX. promulgatam, quæ eſt quartadecima Codicis Juſtinianei de Sacroſanctis Eccleſiis, ubi interdicuntur contractus omnes in perniciem ſacrorum locorum vergentes. Cui Legi addendæ ſunt quædam Authenticæ Juſtiniani I. Auguſti, ad hanc rem ſpectantes, & præcipue Authentic. *Perpetua quoque Emphyteuſis*, Novel. 7. Juſtiniani *De non alienandis* &c. & Novel. 120. ejuſdem Auguſti *de Alienatione* &c. Paria quoque Edicta promulgavit Ludovicus Pius, ut habetur in Lib. 2. Cap. 29. Capitular. ab Anſegiſo collectorum. Sed ſurdis cecinere Leges, & improbi perrexerunt Eccleſiaſtica bona in privatorum ſinum profundere. Id autem in laudata Lege Leonis conſtitutum fuerat, ut etiam Emphyteuſes ſub modico cenſu largiri liceret, dum is, *qui poſſeſſionem Eccleſiaſticam ſuſceperit, non minus quàm alterius tantæ quantitatis, quantæ acceperit reditus, cum ipſorum prædiorum dominio Eccleſiæ derelinquat*. Horum verborum ſenſum minime Gloſſatores ſunt aſſequuti. Verùm conſule Novellam ſeptimam Juſtiniani Cap. 4. *De non alienandis* &c. ubi Leonis mens uberius explicatur. Nimirum fas fuit Eccleſiaſticos fundos in Emphyteuſim concedere, vel ſub obligatione penſionis exiguæ, dummodo recipiens tantumdem e ſuis fundis compenſationis gratia Eccleſiæ juri obſtringeret, & Eccleſia *poſt percipientis obitum*, tum ſua reciperet, tum a percipiente donata ſimul caperet. In Concilio Turonenſi III. quod habitum eſt Anno DCCCXIII. Canone quinquageſimo primo additur, nullum pæne eſſe, *qui res ſuas ad Eccleſias donet, niſi de rebus Eccleſiaſticis aut tantum quantum donavit, aut duplum, aut triplum, uſufructuario accipiat*. Exempla hujuſmodi contractus, ut nunc proferam res ipſa depoſcit. Et luculenta quidem præſto ſunt mihi. Primum debeo inſigni Archivo Capituli Canonicorum Mutinenſium, ubi autographum adſervatur.


Warinus ſive Guarinus Epiſcopus Mutinenſis Bonifacio Marchioni titulo Emphyteuſis concedit Montem Barellum, contra ab ipſo recipiens libero jure quaſdam terras, Anno 1020.

IN nomine Sancte & individue Trinitatis. Anni Dominice Incarnationis Milleſimo Vigeſimo, Einrycus gratia Dei Imperator Auguſto, Anno Imperii ejus Deo propicio hic in Italia Septimo, Quintodecimo Kalendas Novembris, Indictione Quarta. Petivi ego Bonefacius Marchio filius qdondam Teudaldi itemque Marchio ad vos Domnus Warinus Epiſcopus Sancti Geminiani Motinenſis Ecclefie, ut tu mihi, & ad filis ac nepotibus meis legittimis maſculini concedere juberetis Precaria & Enfintheocharia nomine tantumodo habendum. Oc eſt, medietatem de Monte uno, qui dicitur Barelli, ubi antea Caſtrum edificatum fuit, cum foſſatum in parte circumdatum, cum rebus ad ipſa medietatem tenente, quod eſt eadem medietatem de eodem Monte & foſſatum, & aliquantis rebus ibi ſetteniente, per menſura juſta inter ſedimen & areis, ubi vitis eſtant, ſeu terris arabilis atque pratis & buſcaleis, juges quindecim. Et ego pro ipſis rebus a parte ipſius Epiſcopio veſtro dare & tradere atque offerere videor ad jure proprietatem predicto Epiſcopio. Oc ſunt, aliquantis rebus juris mei, que eſſe videntur in loco, ubi dicitur Solignano, quod ſunt ipſis rebus inter ſedimina & areis, ubi vitis eſtant, ſeu pratis, atque terris arabilis & buſcaleis juges octo. Quidem ego Warinus Epiſcopus te abaudivi, & recte petitionem tuam intellexi ipſis rebus, quas tu petiſti, quamque & illis, quas tu a prefato Epiſcopio meo Motinenſis offerſiſti, tibi & ad filiis ac nepotibus tuis legittimis precario & fiteochario nomine abendum tradidi, ita ut faciatis de ipſis rebus, ſicut ic ſubter legitur, cum acceſſiones & ingreſſoras earum, ſeu cum ſuperioribus & inferioribus ſuarum, quicqnit fuerit opportunum tam de frugibus & laboribus, atque cenſum vel redditum, quod Dominus ex predictis rebus annualiter dederit, quicquid voluerit, ſine omni mea meique ſucceſſores contradictione: ita tamen ut ipſis rebus per vos pejorati non ſint, quatenus perficiant, nec non depereant; & exinde dare atque perſolvere debeant ipſe Bonefacius Marchio vel ſuis filiis ac nepotibus, aut eorum Miſſo, eidem Warini Epiſcopi vel ſucceſſores ejus, aut ad eorum Miſſo, per omni Menſe Marcius fictum cenſum denarios Papienſis Solidos octo, dati ipſi denarii per omni Menſe Marcius per te ipſo

A Bonefacius Marchio vel tuis Filiis ac Nepotibus, aut veſtrorum Miſſo, eidem Warini Epiſcopi vel ad ſucceſſores ejus, aut ad eorum Miſſo in ſupraſcripta Civitate Motine. Et oc ſtetit atque convenit inter eis, ut ſi illut fuerit, quod ipſe Warinus Epiſcopus aut ſuos ſucceſſores adversùs predictus Bonefacius Marchio aut ad ſuis filiis vel nepotibus aliqua ſurexerit intencio de eadem Precaria, quod eodem facto in predicto conſtituto juſta eadem Precaria adimpletum non haberet, aut ſi de ipſis rebus, quod in eadem Precaria legitur, aliqua ſurexerit intencio inter eos, quod per eis pejorati ſint, tunc Bonefacius Marchio vel ſuis filiis ac nepotibus mittendum ſuum Miſſum contra
B predictus Warinus Epiſcopus vel ſuos ſucceſſores, ſeu contra ſuos Avocatores ad finiendum omnia, ſicuti ipſe Bonifacius Marchio vel ſuis filiis ac Nepotibus finire debuit. Alia ſuperinpoſita eis exinde non fiat. Pena quidem inter ſe poſuerunt ambes partes, ut quis ex ipſis, aut filiis ac nepotibus, vel ſucceſſores, ſe de anc conveniencia infiteoſin removere queſierint, & non permanſerint, vel non compleverint in ea omnia, qualiter ſuperius legitur, tunc componat illa pars, que non conſervaverint, ad parte fidem ſervadi pene nomine argentum denarios bonos Libras duocenti, quia ſic inter eis ſtetit, atque convenit cum ſtipulacione ſubnixa. Unde due Infiteoſin uno tinore ſcripte ſunt.

C Actum in loco, qui dicitur Suavo, feliciter.

Warinus Chriſti miſericordia ſancte Motinenſis Ecclefie Epiſcopus in hanc Enfiteuſin à me facta manu mea ſubſcripſi.


BONEFACIUS MARCHIO SSI.

Signa manibus ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ Gotefredi, & Atoni, atque Walcheri, ſeu Rolandi, & Azoni filio ejus, rogati teſtes.

Donatus Notarius Sacri Palatii ſcripſi, poſt tradita complevit, & dedit.

D Alterius Chartæ, ad ipſum Bonifacium Marchionem ſpectantis, authenticum vidi in Archivo Capituli Canonicorum Cremonenſium, atque inde exſcripſi.

Bonifacius Marchio & Richilda Comitiſſa conjuges a Landulfo Cremonenſi Epiſcopo recipiunt duas Curtes cum Caſtris titulo Precariæ, eidemque aliam Curtem cum Caſtro donant, Anno 1022.

IN nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Henricus gratia Dei Imperator Auguſtus, Anno Imperii ejus Deo propicio hic in Italia . . . . . . Menſe December, Indictione VI. Sancta autem mater Eccleſia . . . . Cremonenſis, ubi nunc Domnus Landulfus *reverentiſſimus* Pontifex *ordinatus eſſe videtur. Nos* Bonefacius Marchio filius quondam Theudaldi *itemque* Marchio, & Richilda Comitiſſa *jugalibus . . . . viſi ſumus nos jugales ex nacione noſtra Lege vivere Langobardorum. Ipſenamque Bonefacius jugale & mundoaldo meo mihi conſentiente, & juſta Lege una cum noticia & interrogatione* Tadoni Comitis Comitatu Veronenſe *. . . . . . preſentia & teſtium, certa facio profeſſione, quod nulla me pati violencia, atque . . . . nec ab ipſo jugale & mundoaldo meo, niſi mea bona & ſpontanea voluntate preſens preſentibus diximus. Quiſquis in ſanctis, hac venerabilibus &c. Ideoque nos qui ſupra jugales manifeſte profitemur, eo quod petentes petimus ad vos qui ſupra Landulfus. . . . . . & ad filiis, hic abiaticis meis qui ſupra Bonefacii legitimi, & ſi filii maſcolini non abuero, filie & abiatice mee legitime, diebus vite noſtre concedere dignaretis* Precario & enfiteotecario nomine: *hec ſunt Cortes due . . . . . . Epiſcopii veſtri, quibus ipſe Cortes eſſe videntur, una ex ipſis in loco, ubi dicitur Urſo Caſale, cum Caſtro inibi habente, & Capella ibidem conſecrata prope eodem Caſtro ad onorem Sancti Pauli & Sancti Johannis, & Plebem prope ipſa Capella, & eſt conſecrata ad onorem Sancti Georgi, una cum rebus domui coltiles, ſeu caſis maſſariciis & aldiariciis ſeu tributariis tam in ipſ . . . . . Caſale, quàmque in locis Alciano, cum Capella inibi abente, conſecrata ad onorem Sancte Marie, & in Iſola cum Capella inibi abente, & conſecrata ad onorem Sancti Petri, ſeu in Ciſiriano adque in Fartifingo cum Capella una, & eſt conſecrata ad onorem Sancti Euſebii, & in Cervaniga ſeu Joaningo cum Capella una, & eſt conſecrata ad onorem Sancti Materni; ſeu in Puzolo & in Montecoleri, & in Durningo, Firniningo, Columbariſco, Primolingo, Raigada, Vindigada, Silva, Marciola, Macaninga, Ponteveclo, Talamona, Surlaſco, Caſube, vel utcunque per ceteris locis & vocabulis ad ipſam Curtem & Caſtris & Capellis & Caſis maſſariciis pertinentibus in integrum. Alie namque Corte in loco & fundo ubi dicitur Brixianore, cum Caſtro inibi abente Plebem infra eodem Caſtro conſecrata ad onore Sancte Marie, & Capella una foris, & prope ipſo Caſtro &c.* (*) *Et nos, qui ſupra jugales pro ipſis rebus ad parte Epiſcopio veſtro dare & tradere aut offerere videmur, ideſt Corte una domui coltiles juris noſtri, quam abere viſi ſumus in loco & fundo, ubi dicitur Pladena, & ad locus ubi Muxinicula dicitur, cum Caſtro inibi abente, & Capella ibidem conſecrata ad onore Sancti Laurenti, una cum rebus domui coltiles ſeu caſis &c.* (**) *Quidem & ego Landulfus Pontifex, voſque ſupra jugales abaudivi, & peticionem veſtram intellexi, & per preſens cartula vobis jugales tuiſque filiis, qui ſupra, Bonefaci Marchio & abiaticis tuis, & filii maſculini ſi fuerint legitimi filiis & abiaticis tui legitime abendum trado per conſenſum Canonicorum noſtrorum diebus vite veſtre predictas Cortes quas petiſtis, ſive illas quas parte Epiſcopio noſtro oferſiſtis, ita ut faciatis in predictis Cortes &c.*

Actum in loco ubi dicitur Modio, in Comitatu Veronenſe feliciter.

Ego Landulfus Epiſcopus *in hac Precaria a me facta ſubſcripſi.*

BONEFACIUS MARCHIO SSI.

✠ *Signum manus ſupraſcripte* Richelde Cometiſſe, *que hac Cartula Precarie fieri rogavi ut ſupra.*

Tado Comes *ſubſcripſi.*

Ildevertus Notarius vivente Lege Romana rogatus ſubſcripſi.

Ego Adelbertus Notarius Scriptor hujus Cartula Precarie poſt tradita complevi & dedi.

Landulfus iſte *Cremonenſis Epiſcopus* ille idem eſt, qui teſte Sicardo Tomo VII. Rer. Italicar. indignationem Populi Cremonenſis incurrens exſulare coactus eſt, & multa ſui Epiſcopii bona *propter ſuperbiam ac inertiam perdidit.* Ipſum in Comitatu Veronenſi egiſſe teſtis eſt Charta, quam dedi: teſtis fortaſſis etiam & hæc eſſe poteſt ejuſdem prodigalitatis. Accedant hiſce & aliæ tabulæ, quas mihi ſuppeditavit prælaudatum Archivum Canonicorum Mutinenſium.

(*) Sequuntur quamplura nomina locorum, terrarum, & Capellarum,

(**) Sequuntur & heic multa alia ab ipſo Marchione donata,

Guiberrus Epiſcopus Mutinenſis Bonifacio Marchioni tres Curtes & Caſtra Bazani, Livizani, & Sanctæ Mariæ in Caſtello titulo Emphyteuſis concedit, & contra Marchio eidem Epiſcopo donat alias Curtes & complures Terras, Anno 1038.

IN nomine Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Chunradus gratia Dei Imperator Auguſtus, Anni Imperii ejus hic in Italia Duodecimo, XV. Kalendas Octubris, Indictione Sexta, Epiſcopio Sancti Geminiani Motinenſis Eccleſie, ubi Dompnus Wibertus Epiſcopus nunc ordinatus eſſe videtur. Ego Bonefacius Marchio & Dux Tuſcie, & filius quondam Teutaldi, itemque Marchio, qui profeſſus ſum ex natione mea Lege vivere Longobardorum, præſens preſentibus dixi: Quiſquis in ſanctis ac venerabilibus locis ex ſuis aliquid contulerit rebus juxta Auctoris vocem in hoc Seculo centuplum accipiet, inſuper quod melius eſt, vitam poſſidebit eternam. Ideoque ego, qui ſupra, Bonefacius manifeſte profiteor, eo quod pacienter queſivi ad vos Domnus Wipertus Epiſcopus, ut tu mihi & ad filiis & nepotibus meis legittimis maſculinis, qui de filiis maſculini nati vel procreati fuerint, & ſi filiis ac nepotibus legittimis non habuero, filie & nepte mee legitime, qui de filie mee legittime nate vel procreate fuerint uſque in tertiam generationem Precaria atque Inphiteocharia nomine concedere dignemini tantumodo ad habendum. Hoc ſunt Curtes tres juris ipſius Epiſcopio veſtro, quibus ſunt poſites una in loco ubi dicitur Bazano cum Caſtro & Capella inibi abente, & eſt conſecrata ad honorem Sancti Stephani. Alia namque Curte in loco, ubi dicitur Liviciano, ſimiliter cum Caſtro & Capelles inibi abente, una infra eodem Caſtro, & eſt conſecrata in honore Sanctorum Martirum Adhelberti & Antonini; alia foris eodem Caſtro eſt conſecrata ad honorem Sancti Archangeli; tertia namque Curte in loco, qui dicitur Sancta Maria in Caſtello cum Roca, & Eccleſia inibi abente, & eſt conſecrata in honore Sancte Dei Genitricis & Virginis Marie, una cum rebus, domuicultile, ſive caſis maſſariciis, atque univerſis rebus, ubi per locis poſitis ad ipſas Curtes & Caſtris ſeu Rocha, ſive Eccleſiis, atque caſis maſſariciis & huniverſis rebus pertinentibus in integrum. Preter antepono decimis & Capellis una intra Corte Bazano, que eſt conſecrata in honore Sancti Petri cum caſis & vitis & orto & terra aratoria ſe ſimul tenente, & eſt ſuper totum per menſura juſta jugera duo & medio, & pertinet de Oſpicio Sancti Geminiani ad viţam Peregrinorum, & caſis & rebus, que detinet Rozo Clericus, & Auxelito cum ſuis fratribus & nepotibus, & Petro cum ſuis nepotibus, & Azo cum ſuis fratribus infra predictes Cortes ad eorum proprietatem. Et ſunt prefate Cortes per menſura juſta: prima, que dicitur Bazano, eſt area Caſtri & Capelle tabules trecenti; reliquis rebus foris eodem Caſtro ubicumque per locis poſitis ad eadem Curte & Caſtro & Capella pertinentibus, ſunt juges centum: ſecunda namque Corte, qui nominatur Liviciano, eſt per menſura juſta area Caſtri & Capelle ſuper totum tabule centum; reliquis vero rebus foris eodem Caſtro ubicumque per locis poſitis ad eadem Curte & Caſtro ſeu Capelle pertinentibus ſunt ſuper totis juges mille trecenti: tertia vero Corte, qui nominatur

A Sancta Maria in Caſtello, & area, Rocca, & Eccleſie per menſura juſta tabule triginta; reliquis vero rebus foris eadem Rocca ſeu Eccleſia pertinentibus ſunt juges ſexcenti: ut dictum eſt, tam caſis cum ſediminibus, ſeu reliquis terris, campis &c. omnia & ex omnibus ad predictas Cortes & Caſtris & Rocca ſeu Eccleſie, & Caſis Domnicatis & Maſariciis, & univerſis rebus territoriis ubicumque per locis poſitis, cum omnibus adjacenciis & pertinenciis earum rerum per locas & vocabulas pertinentibus in integrum.

Et ego qui ſupra Bonefacius pro ipſas Cortes, quas petivi, parti ipſius Epiſcopii do & trado, adque offerro, eo tamen ordine, qualiter
B ſupra legitur, id ſunt Cortes trex juris mei, quam habere viſo ſum, una in loco, qui dicitur Gavello, cum Capella inibi habente, & eſt conſecrata ad onore Sancti Geminiani, cum caſis Domnicatis & Maſariciis, & rebus domuicultile, & molendinis, & piſcacioniobus nominative illis, qui obvenit Atoni Avio meo, per Cartula comutationis ex parte jam nominati Epiſcopii Sancti Geminiani tam in Spina, Quarantula, Vara, Ortuntula, Gardignacula, ſicut in eadem commutatione legitur: & ſunt pro menſura juſta area, Capelle, & rebus, terretoriis, ſeu vineis & pratis, gerbidis, & buſcaleis, ſeu ſilvis ad predicto loco Gavello pertinentibus, ubicumque per locis poſitis ſunt, juges ſeptingentis. Preter antepono
C Maſaricia una in eodem loco Gavello, qui recta & laborata fit per Martino Muſino Maſario: alia que nominatur Panzano cum Caſtro inibi habente, & Capella infra eodem Caſtro conſecrata ad onorem Sancte Marie una cum rebus domuicoltile, & caſis domnicatis & maſariciis ibi pertinentibus; eſt area Caſtri & Capelle per menſura juſta juge uno; reliquis vero rebus foris eidem Caſtro a predicta Curte & Caſtro & Capella pertinentibus ſunt juges mille. Preter antepono, & in mea reſervo poteſtatem proprietario jure Maſaricia una in eodem loco Panzano, qui fit recta per Dominico Gualberti Maſſario. Tertia namque Corte,
D que nominatur Gandaceto, cum meam portionem de Caſtro & Capella infra eodem Caſtro, conſecrate in honorem Sanctorum Martirum Georgii & Reſmi, & meam porcionem de Caſtro, qui nominatur Fredo, cum porcionem de Capella, que eſt conſecrata ad honorem Sancti Pancratii, & pertinet ad meam porcionem de predictam Cortem Gandaceto, & eſt meam iſtam porcionem de predictis Caſtris & Capelle tabule centum: reliquis vero rebus foris eiſdem Caſtris ad iſtam meam porcionem pertinentibus, ſunt juges trecenti ſexaginta. Preter antepono & in mea reſervo poteſtatem proprietario jure Maſaricia una in eodem loco Gandaceto, que
E fit recta per Petro cum ſuis germanis Maſario. Eciam dono ego qui ſupra Bonefacius & trado & offero a parte jam dicti Epiſcopii Sancti Geminiani, id ſunt omnibus caſis & rebus, quas habere viſus ſum infra Plebe de Pulinago, & infra Plebe de Pellavo cum Roca, que nominatur Flumenalbo, eo tamen ordine, qualiter ſuper

pter legitur . Preter antepono omnibus illis caſis & rebus, quas Frogerio , & Adhelberto germanis & ſuis nepotibus adquiſierunt per ſe ipſos per cartula donationis ſeu venditionis tam in ſe quàmque in eorum Miſſis , aut eorum genitoribus . Similiter & omnibus caſis & rebus, quas tenet filiis Wilelmi *& Gerardi de Vidriaula : etiam caſis & rebus de Reginerio & de Livaldo , & item Rainerio filio predicti Livaldi . Et Maſaricia una in unaquaque Plebe : illa de Plebe Pulinago que ſit recta per Martino Surico Maſario , & illa de Pelavo ſit recta per Ingezo Selveradi Maſario . Et ſunt predictis caſis & omnibus rebus in prèdictes Plebes per menſura juſta juges mille quingenti , ut dictum eſt , tam caſis cum ſediminibus , ſeu reliquis terris, campis &c.*

Quidem & ego Domnus Wibertus *Epiſcopus te qui ſupra Bonefacius abaudivi , & recte peticione tua intellexi ipſes Cortes, & Caſtris, ſive Eccleſie in omnibus rebus ad eas pertinentibus , quod tu mihi petiſti , quaque & illas , quas parti Epiſcopii noſtri offerſiſti , per preſentem Cartulam tibi tuiſque filiis & nepotibus , qualiter ſupra legitur , per conſenſum Fratrum Canonicorum diebus vite veſtre habendum trado* Precaria & Inphiteocaria *nomine, ſicut petiſtis, ita ut faciatis &c. Et ego qui ſupra Bonefacius Marchio eo videlicet ordine hanc in eodem Epiſcopio veſtro de ipſis meis rebus facio offerſionem , ut ſi vos , qui ſupra, Domnus* Wibertus *Pontifes , veſtrique ſucceſſores me , qui ſupra Bonefacius , meiſque filiis & nepotibus , predictis rebus , quam vobis petivi , quamque & illis , quas parti Epiſcopii veſtri offerſi , diebus vite noſtre quiete & inlibate habere permiſeritis , faciendum inibi, & frugibus earum rerum & cenſum quicquid voluerimus , abſque omni veſtra veſtrorumque ſucceſſorum, vel parte Epiſcopii veſtri contradictione . Et per Cenſum , quod ego qui ſupra Bonefacius , vel filiis ac nepotibus meis legitimis , & ſi filiis & nepotibus non habuero , filie vel nepte mee legitime annualiter dari debemus parti Epiſcopii veſtri do & trado adque offero , oc ſunt , Manſos quinque juris mei , quam habere viſo ſum , unum ex ipſis in ſupraſcripto loco Gavello, qui regere videtur per jam dicto Martino Muſino Maſario . Alio in jam nominato loco* Panzano *, qui regere videtur per jam nominato Dominico Gualberto Maſario . Tertio jam fato loco Gandaceto , qui regitur per predictus Petro Maſario . Quarto in prelibata Plebe Pulinaco , qui regere videtur per prenominato Martino Maſario . Quinto in jam fata Plebe Pelavo , qui videtur regere per prelibato Ingezo Maſario . Et ſunt ipſes Maſaricies , ſicuti per ſupraſcripti Maſarii regitur , per menſura juſta per unaquaque Maſaricia juges duodecim . Et ſi oc evenerit , ut ſi umquam in tempore , quod fieri non credo , ut ego qui ſupra Bonefacius , vel meis filiis ac nepotibus legitimis , qualiter ſuperius legitur , de predictes Maſaricies , quam pro Cenſum dedi , aliqua ſubtractione fecerimus &c. Et ſi illud evenerit , quod vos qui ſupra Domnus* Wibertus *Epiſcopus , vel veſtros ſucceſſores , ſeu pars Epiſcopii veſtri , michi qui ſupra Bonefacius , & ad filiis ac nepotibus meis , & ad filie , & nepte mee , qualiter ſuperius legitur , de predictes Curtes & Caſtris ſeu Roca atque Eccleſie , & omnibus rebus , quas petivi , quamque & illis, quod pars ipſius Epiſcopii offerſi , aliquam ſubtractionem fecieritis &c.* (*) *Unde due petie uno tenore ſcripte ſunt .*

Actum eſt in loco , qui dicitur Corneliano , prope Plebem Sancti Andree feliciter.



Ego Wibertus *ſancte* Mutinenſis Eccleſie Epiſcopus *a me facta ſubſcripſi.*



BONEFACIVS MARCHIO ET DVX SSI.

Signo ✠ ✠ ✠ *manibus Godo, & Leo, ſeo Maginfredo , qui profeſſi ſunt Lege vivere Romana teſtis.*

Signo ✠ ✠ *manibus* Widoni *& Rodulfo Legem viventis Langobardorum teſtis.*

Giſevertus Notarius ſcripſi , poſt tradita complevit & dedit.

Animadverte , quàm rotundis verbis *Bonifacius* , Mathildis Comitiſſæ poſtea pater , in hac Charta , non tantùm *Marchio* appellatur , ſed etiam *Dux Tuſciæ* . In præcedentibus *Marchionis* titulo contentus erat . Proinde, ut alibi monui , hinc etiam intelligere poſſumus , ipſum paucos ante annos , Marchiæ & Ducatui Tuſciæ præeſſe cœpiſſe : antea verò appellationem *Marchionis* aut aliunde , aut ex indulgentia Auguſtorum ſumſiſſe . Neque diu moratus eſt Guibertus Epiſcopus in poſſeſſione illorum quinque Manſorum , quos a Bonifacio acceperat , ut ex eorum reditibus cenſum perciperet ſibi conſtitutum in magnifica Emphyteuſi trium Caſtrorum : ſed eos Cathedrali ſuæ Eccleſiæ Sancti Geminiani largitus eſt ad ipſius luminaria , ut conſtabit ex altera Charta exſiſtente in eodem Archivo.

(*) Ut in altera Charta Anni MXXXIV.

Do-

Donatio quinque Manſorum facta a Guiberto Epiſcopo Mutinenſe Eccleſiæ Cathedrali Sancti Geminiani ad illius luminaria, Anno 1038.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Noverit induſtria fidelium Chriſti cunctorum tam preſentium quàm & futurorum, & omnibus pateat cujuſque ordinis Clericis, nihilominus Laicis, quatinus ego Wibertus *Dei nutu ſanctæ* Mutinenſis Eccleſiæ Epiſcopus *precepta Canonum Sanctorum* Patrum, *partem Eccleſiæ bonorum in luminariis dare jubentium relegens, & me minime, perlectis his, id ipſum noſtræ huic Eccleſiæ inveniſſe aut feciſſe recolens, interius & exterius in memetipſum infremui conturbatus. Sed & ſermo Evangelicus quandam ſcintillulam ſummi boni mihi ſepius intente audienti miniſtrabat:* Qui vos honorat, me honorat. *Quocirca perpendens, me Sanctos minime in aliis amplius poſſe honorare, quàm quod eoſdem die noctuque lampadibus illuſtrare diſpoſui ob remedium animæ Imperatorum, ac hujus Eccleſiæ Epiſcoporum, ad ejuſdem Eccleſiæ illuminationem conſtituens dare, per interventum noſtrorum Clericorum & fidelium, Manſos quinque, quos a Marchione Bonefatio in penſionem cum omni integritate propter* Precariam *accepi, quam ſecum feci Bazianum, Livicianum, ac Sanctæ Mariæ Caſtellum dando, & Gavellum ab ipſo cum piſcariis, & Quarantulam, Acuaram, Spinam, Ottuntulam, Gardignaculam, cum omnibus acceſſionibus, & Pancianum, & partem Gandaceti, & partem Fredi, & quod in Pelavo habuit, & Flumen Albolum, & in Pulinaco cum aliis rebus recipiendo. Damus itaque predicte Illuminationi Manſum unum, quod per* Petrum *Maſſarium laboratur: aliud in Gavello, quod per Martinum Maſſarium & Muſinum operatur: tercium in Panziano, quod per Dominicum* Walperti *Maſſarium laboratur: quartum autem in Pulinaco, per Martinum Soricum quod operatur Maſſarium; quintum verò in Pelavo, quod per Ingezonem Selveradi laboratur Maſſarium. Ipſos ſcilicet Manſos concedimus predictæ Eccleſiæ luminariis, remedio animarum Imperatorum, & omnium illos augentium Epiſcoporum, ea videlicet ratione, ut quicumque hoc a nobis factum obſervaverit, Deus Pater omnipotens & Filius & Spiritus Sanctus ſibi vitam æternam concedat. Et ſi quis noſtrorum ſucceſſorum, vel ſi quis ex hoc aliquid abſtraxerit, maledictionem Dei, & Sanctæ Mariæ, & Sancti Geminiani, cui hoc damus, ſciat ſe incurrere, & noſtram habeat per æterna Secula. Amen.*

Actum in Civitate Mutina XVI. Kalendas Novembris, Anno videlicet Incarnationis Domini noſtri Jeſu Chriſti MXXXVIII. Indictione VI. Regnante Domno Imperatore Chuonrado, Anno XII. Et ut hoc firmiſſimum, ſtabileque permaneat, manu propria ſubſcripſimus.

Wibertus *gratia Dei ſanctæ* Mutinenſis Eccleſiæ Epiſcopus *manu propria ſubſcripſi.*

Ego Johannes Archipresbiter, hujus paginæ ſcriptor manu propria ſubſcripſi.

Suſpicor ego id factum ab Epiſcopo Guiberto, ut querelas nonnullorum leniret, quibus fortaſſe prodigalitatem ſapere videbatur, tria illa Caſtra e poteſtate Epiſcoporum divulſa ſiviſſe abire ſub ſpecioſo titulo in manus Bonifacii Marchionis. Prodigalitatem, inquam, appellavi id genus Emphyteuſes. Nam ut ut, quoties cum vulgo contractus hujuſmodi inſtituebantur, in utilitatem Eccleſiæ converterentur, dubito ego, num id etiam contingeret, ſi quando in potentiſſimos viros ac Principes, qualis fuit *Bonifacius Marchio*, Eccleſiaſticæ res transferebantur. Fortaſſe mirabitur aliquis, quod tanta is quoque donarit Eccleſiæ Mutinenſi, & Cremonenſi, quum non minus in Emphyteuſim percepta, quàm ab ipſo donata, in cenſum Eccleſiæ reditura forent. Sed animadvertendum eſt, Bonifacium donare quidem ſua, ſed eorum quoque uſumfructum ab ipſo ſibi reſervari pro more, dum viveret. Quare is quidem & ſuis frui pergebat, & Eccleſiæ bona inſuper acquirebat, cui tantummodo cenſus decernebatur perſolvendus, & prædium in eum finem ipſi dimittebatur, longe impar reditibus inde percipiendis, & nihil reſpondens honori dominationis in iis Caſtris, quo ſeſe Epiſcopi exuebant. Ad reſtitutionem poſtea ſuo tempore faciendam heredes potentum, ut ſuſpicor, ſegnes plerumque ſeſe præbebant; neque iis artes & vires deerant, ut in omnium poſſeſſione & ipſi perſiſterent. Et reapſe, ſublatâ e vivis Comitiſsâ Mathilde, Bonifacii ipſius filiâ, Anno MCXV. tum Eccleſia Romana ab ipsâ hæres inſtituta, tum Henricus inter Auguſtos Quartus, de ejus hereditate certarunt. Ipſe Imperator hac de cauſſa in Italiam concitus veniens omnium poſſeſſionem arripuit. An quidquam inde receperint Eccleſiæ, quæ tot bona in Feudum aut in Emphyteuſim eidem Comitiſſæ, ejuſque majoribus conceſſerant, equidem ignorare me fateor. Illud contra novi, ex Eccleſiarum bonis, atque ex hujuſmodi contractibus mirum in modum amplificatam fuiſſe *Bonifacii Marchionis*, ejuſque filiæ *Mathildis Comitiſſæ* potentiam. Altero exemplo rem luculentius confirmatam volo, nempe ſchedulâ, quam ex pervetuſta membrana adſervatâ in Archivo Capituli Canonicorum Regienſium deſcripſi. Ibi recenſentur, quæ ab Epiſcopis Regienſibus jamdiu idem *Bonifacius Marchio* ſolertiſſimus vir ſibi compararat. Quamquam ne cuncta quidem heic enumerata arbitror. Arcem enim Canoſſæ, ſeu Canuſinam, quam Donizone teſte *Atto ejus Avus* in Feudum ab Epiſcopo Regienſe acceperat, heic prætermiſſam video. Legens admirationem contine, ſi potes.

Notitia Caſtellorum, Plebum, aliorumque jurium, quæ Bonifacius Dux & Marchio Tuſciæ receperat in Feudum, vel in Emphyteuſim ab Epiſcopis Regienſibus, conſcripta circiter Annum 1070.

A CAſtella & Plebes, que tenuit Bonifacius Marchio de Regienſi Epiſcopatu. Caſtellum de Toano cum Plebe & Capellis: Capella de Aquaria cum precariis: Plebem de Sancto Vitale cum domnicato magno, & Manſibus, & pluribus Capellis: In Biſmanto Capellam de Buſiana cum decimis & omnibus ſuis pertinentiis; & Capellam de Belelio cum ſuis pertinentiis: Plebem de Ligulo cum domnicato & Capellis: Plebem de Caviliano cum domnicato magno; & Capellam Sancti Proſperi prope Canuſia cum decimis: Capellam Sancti Martini in Guilia cum Manſibus: In Debla Capellam unam cum Manſibus: Inter Ca.....nioni & Pantano Manſos decem: In Serzano Manſos tres: In B Caſtro Oleriani Capellam unam cum terris intus & foris: Medietatem de Plebe Sancti Fauſtini in Erbaria: Plebem de Carpo: Plebem de Prato cum Caſtello: Plebem de Camporotondo, cum ſervis & ancillis, & pluribus Manſibus: Decimam de Cortenova cum pluribus Manſibus Canonicorum: Plebem de Wardeſtalla cum Capella Sancti Georgii, cum centum juges: Plebem de Luciaria cum Corte & Capellis: Decimam de Gonziaga: Plebem de Pigoniaca cum Capellis & Manſibus: Caſtellum Sancti Martini in Rio: Caſtellum de Campaniola, quod eſt edificatum ſupra terram Sancti Proſperi; & Capellam Sancti Andreæ cum Manſibus & vigintiquatuor decimalibus: & aliam Decimam in Budrione: C Piſcariam de Razolo, cum terris & porto, qui dicitur Triſoſo: & in Palude Cortem de Bondeno; & Cortem de Ronco Epiſcopi, quam ex parte Atto de Canuſia per Precariam tenuit, & alteram inveſit:. Unde etiam Cilianellum idem Atto Eccleſiæ proprium dedit, Bonifacius poſtea Ardoino Gandulfi filio per proprium dedit: Capellam Sancti Andreæ in Gabiana cum duodecim Manſibus: Plebem Sanctæ Mariæ in Villulæ, & omnem Decimam de Cluſtello: Reverim Plebem cum Caſtello, quod modò eſt deſtructum; & ſeptem Capellis, & famulis Eccleſiæ, & Precariis: Cortem de Sancto Martino in Spino, cum tribus Capellis, & piſcacionibus ac paludibus: In Quarantule Manſos duos: Capellam Sancti Fauſtini prope Rorariolum, cum pluribus Manſibus, quam Canonici de Canuſia modò tenent: Cortem de Caſale, Beli, & plures Manſos in montibus & planiciebus: Inſuper & plurimos Manſos Canonicorum noſtrorum in Regienſi, & Motinenſi, & Mantuanenſi Epiſcopatu. In Inſula Suzariæ tenuit idem Bonifacius M....... vam, & aliam terram cum ſervis ſuis quingenta jugera. Per Precariam habuit Cortem de Rondenaria, & Cortem de Pradeſolio, & Cortem de Burzano, & Cortem de Vico Martini ex parte Eccleſiæ. Et dedit idem Bonifacius Caſtellum de Roſina, & Paternum, & Marmoriolum, & medietatem de Rodano cum omnibus illorum pertinentiis: Caſtella & Plebes, que Epiſcopus cum omnibus ſuis Militibus tenet: Querciolam, Albineam, Mazinzaticum, Novem, Suzariam, & Milites ejus tenent Montemaltum, Vergnanum, Robiolam, Melocium, Gorgadellum, Folianum, Roncum Ciſoli, Arcetum, & Plebem de Melocio, Plebem de Biſmanto, Plebem de Baiſe, Plebem de Sancto Eleucadio, Plebem de Caſtro Oleriani, & de Sancto Salvatore, Plebem de Bainio, Plebem de Pulianello, & de Bibiano, Plebem de Albinea, Plebem de Motilena, Plebem de Fabrica, Plebem de Sancti Zenonis, Plebem Sancti Stephani, Plebem de Quarantula, Plebem de Suzaria.

Ex his reliqua diſces, quæ ſibi Bonifacius Marchio a tot aliis Eccleſiis procurarit. Solemne autem fuit, ut vix ulla Emphyteuſis conſtitueretur, cui conjuncta non foret obligatio Cenſus, ſive penſionis perſolvendæ quotannis. Sed quàm difficilè, immo quàm raro a potentibus viris Eccleſia hoſce Canones reciperet, indicabit nobis Ottonis I. Imperatoris Diploma, quod authenticum-ne foret, an antiquiſſimum apographum, decernere non audeo, in Archivo Capituli Canonicorum Arretii hactenus deliteſcens.

Confirmatio Privilegiorum facta Canonicis Arretinæ Eccleſiæ ab Ottone I. Imperatore, Anno 963.

D IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Regis æterni. Otto divina favente ..... Imperator Auguſtus. Quia Imperialis magnificentia pia & larga erga Dei cultores, & Eccleſiarum Dei recuperatrix & reſtauratrix eſſe debet, ut id agendo premium mereatur conſequi ſempiternum; idcirco omnium fidelium ſanctæ Dei Eccleſiæ, noſtrorumque preſentium ac futurorum devotio noverit, qualiter nos conſultu ac interventu venerabilis Epiſcopi Huberti kariſſimi fidelis noſtri adquieſcentes, aliquantam terram, quam bonæ memoriæ Petrus Epiſcopus ad utilitatem Canonicorum in Eccleſia Sancti Donati & Confeſſoris & Martiris Chriſti, ibi pro tempore Deo ſervientium diſtribuit, & anteceſſores noſtri Imperatores & Reges poſtea confirmaverunt, & ſuo proprio dono conceſſerunt, videlicet Vineam unam ad Pinum cum Campo, ibi prope ſimiliter ad Pinum nominante; & Campum alterum, qui dicitur Pratum Sali; nec non Corticellam unam, quæ dicitur ad Clme, cum ſua pertinentia; & aliam Corticellam, quæ vocatur Mojonam, ſub integritate, ſicut diſcernitur in ſcripto a jam nominato Petro Epiſcopo facta; Eccleſiam quoque Sancti Petri in Caſtello, quam dive memoriæ Lotharius pro remedio anime ſue Canonicos ibi ſervientes habere conceſſit; nec non & Villas tres, quarum una nominatur Durna, altera Plica, tertia Spegia, quas predictus Lotharius Canonicis confirmavit; Mercatum inſu-

ſuper unum , quod celebratur in Miſſa Sancti Ilariani ; Cortem etiam , que nominatur Camenina , & eſt in Caſtro Felicitatis , cum Eccleſia in honore Sancti Andreæ edificata , cum omni pertinentia , quam prefatus Imperator Canonicis conceſſit ; Campum inſuper unum , qui vocatur Piſinule , & conſiſtit in pago Aritienſe , cum omnibus ſuis appenditiis , ut pretaxatus Imperator eis conceſſit ; Cortem namque , que vocatur Colonaria , cum omni ſua pertinentia , per hoc noſtrum Imperiale Preceptum Canonicis , qui nunc ibi ſerviunt , ſcilicet Graſulfo Archidiacono, Suaverico Archipresbytero & Primicerio , Sapienti Gramatico , Erolfo Presbytero , Stratario Majoris Schole, Johannes Clericus & Cuſtos , Johannes Presbytero , Altiperto Presbytero , Michaëli & Tegrimo Diaconibus , & reliquis , qui ibi in preſenti ſerviunt , eorumque ſucceſſoribus , qui futuris temporibus ibi ſervierint , reſtituimus , confirmamus , pleniterque corroboramus. De jure inſuper Regni noſtri donamus predicti loci Canonicis Corticellam unam, que conjacet in a vocabulo Toppo , una cum ipſa Silva , que dicitur Arbororum , & una cum omni pertinentia & adjacentia ſua, & cum ipſa Waldeninza *, que conjacet in Vico & in Policiano & in Peciano & per alia vocabula ; & Campum unum , qui dicitur Langoria conjacente prope Perilaſium , qui capere videtur modia viginti ; ita videlicet , ut nec Rector ejuſdem Sedis , nec cujuslibet poteſtatis perſona de perſona de prefatis rebus , & de eorum pertinentiis , ſeu de his , que divina pietas inibi agere voluerit , illis aliquam inferre preſumat contrarietatem , & deminorationem ullam ingerere adtemptet . Confirmamus eis ſcilicet terram , quam* Hugo Rex *de ſua proprietate eiſdem Canonicis conceſſit , ideſt Campum de Piunta & Campum* A *de Graticiata , ut illis abſque aliqua minoratione aut cujuslibet poteſtatis contrarietate perhennis perſeveret temporibus . Statuimus quoque , ut ſit ipſa Canonica cum Canonicis ipſius loci ſub magiſterio & regimine Graſulfi Archidiaconi & Suaverici Archipresbyteri , eorumque ſucceſſorum facientes pari voto , communique conſenſu de frugibus & reditibus , quod in ipſa Canonica annualiter Dominus dederit , ſeu de elemoſinis abſolute & libere , ut Canonici facere debent , abſque ullius contradictione vel moleſtatione .* Quia Tuſcis conſuetudo eſt, ut accepto ab Eccleſia Libello , in contumatiam convertantur contra Eccleſiam , ita ut vix umquam conſtitutum reddant Cenſum ; precipimus, modiſque B omnibus jubemus, ut nullus Epiſcopus vel Canonicus Libellum , aut aliquod ſcriptum alicui homini faciant , niſi laboratoribus , qui fructum terræ Eccleſiæ . . . . . . reddant ſine moleſtia vel contradictione . *Precipimus quoque , ut in ipſa Canonica nulla . . . . . . ducatur perſona abſque communi conſenſu , ne propter hoc aliqua inter illos oriatur diſcordia . Pro majori quoque illorum ſecuritate recipimus illos cum omnibus illorum mobilibus & immobilibus rebus, illis juſte & legaliter pertinentibus ſub noſtræ tuitionis munburdo ; quatenus ſecure vivere , Deoque ſervire , & pro nobis , ſtatuque Regni noſtri , remedioque animæ noſtræ orare illis jugiter delectet . Si quis igitur hujus noſtræ con-* C *firmationis Precepti & munburdi violator aut contradictor extiterit , ſciat ſe compoſiturum auri optimi Libras centum , medietatem Kameræ noſtræ , & medietatem prefatis Canonicis , qui in Eccleſia beati Donati pro tempore ſervierint . Quod ut verius credatur , diligentiuſque ab omnibus obſervetur , manu propria roborantes de anulo noſtro ſubter anotari juſſimus .*

Signum Donni Ottonis magni Imperatoris *Auguſti.*

Locus Sigilli ✠ cerei deperditi.

Liutgerius Cancellarius ad vicem Widonis *Epiſcopi & Archicancellarii recognovi & ſubſcripſi.*

Data VI. Idus Maj , Anno Dominice Incarnationis DCCCCLXIII. Indictione VI. Anno Imperii Magni Ottonis Imperatoris Auguſti II.

Actum Monte Feretrano ad Sanctum Leonem.

Rurſus animadvertamus oportet verba illa : *Quia Tuſcis conſuetudo eſt , ut accepto ab Eccleſia Libello , in contumaciam convertantur contra Eccleſiam, ita ut vix aut numquam conſtitutum reddant Cenſum : precipimus , modiſque omnibus jubemus , ut nullus Epiſcopus vel Canonicus Libellum , aut aliquod ſcriptum alicui homini faciant , niſi laboratoribus* &c. Hoc eſt Eccleſiæ bona Colonis tantùm tradantur , qui fructuum partem inde obvenientium reddant . Ex hoc ipſo Diplomate tempus habemus , quo Otto Magnus Berengarium II. antea Italiæ Regem in *Monte Feretrano* obſedit . Continuator Reginonis eumdem tradit obſidione preſſum *in Monte Sancti Leonis* . Sed antilogiam ſolvit Liutprandi Ticinenſis Continuator pag. 472. Tomi II. Rer. Italicar. de Ottone Magno ſcribens : *Progrediens Montem Feretratum* (aliis eſt *Feretranum*) *quod Oppidum Sancti Leonis dicitur , in quo Berengarius &* Willa *erat , obſedit* . Regredior ad Cenſus , quos domini per- D cipiebant e prædiis aut locatis , aut in emphyteuſim traditis . *Homines cenſiles* , *cenſarii* , *cenſiti* , *incenſiti* , & *cenſuales* occurrunt in antiquis Chartis . Eo nomine *Liberos* viros deſignatos opinor, qui pro prædio conducto , ſive libellario , cenſum domino reddebant . Hæc tamen certo definire non auſim . Occurrunt enim & Servi *coloni*, qui Cenſum dominis perſolviſſe videntur . Feudis nullus imponi Cenſus conſuevit eâ ratione , quod Vaſſalli , ſive Milites , perſonali ſervitio obſtricti forent , quotieſcunque ad Senioris ſui obſequium atque tutelam advocarentur . In Feudis ſacri Romani Imperii hic idem mos adhuc perdurat . Ab aliis verò ſenſim invecta conſuetudo eſt (quod & E monui in Diſſertatione XI. *de Allodiis & Feudis*) ut Feuda minora , ac deinde etiam majora , aliquid annuæ penſionis domino directo redderent , non lucri cauſsâ , ſed ad ſervandam perennem memoriam dominii ac Vaſſallatici . Proinde levis momenti Cenſus imponebatur ,

veluti

veluti unus Enſis , unum par Calcarium , aut Chirothecarum , unus Accipiter , aut Falco , aut etiam par Tintinnabulorum, quibus Falcones ornantur , atque alia hujuſmodi . Non diſſimiles fuerunt interdum Cenſus Emphyteuſibus impoſiti , niſi quod aliquid lepidi quandoque in iis præſcribendis immiſcebatur . Bononiæ Emphyteuſis a Monachis Benedictinis Sancti Proculi conſtituta , pro Cenſu fumum capponis cocti reddebat : hoc eſt, annis ſingulis ſtato die ad menſam Abbatis Emphyteuta accedebat, capponem e ferventi aqua tractum, & duabus patinis incluſum deferens , quem exinde detegebat , ita ut demum fumus aſcenderet; quo peracto ille abibat, ferculum ipſum aſportans , & ſatis ſuo munere functus . Alteram novi Emphyteuſim, cujus cenſus eſt racemus uvæ nigrantis offerendus feſto die Sanctæ Mariæ Magdalenæ . Narrabat mihi Nicolaus Criſtofani Cancellarius Archiepiſcopalis Curiæ Lucenſis , vir honeſtiſſimis moribus , comitate ac amore antiquitatis multùm commendandus , ſibi hujuſmodi Canones interdum occurriſſe in antiquis Emphyteuſeon Chartis evolvendis: Prima die Maji cuidam , Emphyteuſim ab Orphanis Lucenſibus habenti , id onus incumbit , ut ad eos arborem Majalem deferat (nos *Majo* appellamus , in quo reliquias adhuc cernimus celeberrimæ apud Ethnicos feſtivitatis, cui *Majuma* nomen) non paucis tæniis ornatam , annexis tribus frumenti ſpicis . Si iſtæ abeſſent , Emphyteuta a beneficii poſſeſſione ſtatim decideret . Quare opus eſt terram in aprico poſitam diligenter excolere , eamque adhibere curam, ne umquam eo die ſpicæ tritici deſiderentur . Religioſi viri Lucenſes Ordinis Prædicatorum a Patribus Monaſterii Sancti Pontiani Templum Sancti Romani ſub titulo Emphyteuſis recepere . Quotannis antiqui domini ad canendam Miſſam illuc procedunt . Prandium iis a Dominicanis paratur , certo ferculorum numero inſtructum ; tum eis perſolvitur Groſſetum argenteum *bene ſonans* , quod in eum finem ſuper menſam ita projicitur, ut ejus ſonus bene a circumſtantibus audiatur . Hujuſmodi Cenſu perſoluto ii in poſſeſſione Templi perſiſtunt . Ruralem quamdam Confraternitatem neſcio quis Sacerdos heredem ſibi inſtituit , eâ conditione adjectâ , ut effigiem ſuam in tabulâ pictam perpetuò ibi cuſtodirent . Annis ſingulis , recurrente ſtato die , opus eſt ſigillatim , nomine & cognomine expreſſo , Sodales eos in aula congregatos interrogare , an adſint . Interrogandus quoque eſt idem Presbyter , tamdiu poſtremo fato functus . Tunc ex adſtantibus unus reſpondet : *non adeſt* . Quæ audiens alter , in hæc verba erumpit: *quare non adeſt? En illum : inſpicite* ; & pictam in tabella ejus faciem oſtendit . Aliis exemplis parco . Alibi monui (rurſus heic repetendum cenſeo) fuiſſe olim complures , qui ut publicis oneribus ſe ſuaque eximerent , ſacris locis bona ſua largiebantur , eaque continuo ab ipſis ſub tenuiſſimo cenſu in Emphyteuſim recipiebant . Cedebat hujuſmodi contractus in utriuſque partis emolumentum . Sed Reges , quorum Fiſco per fraudes officiebatur , rem moleſte ferebant , & interdixere nonnumquam , ſed irrito plane ſucceſſu . Vidimus ſupra , multum ab Eccleſiis traditum , & longe minora eis oblata fuiſſe a Sæcularibus viris . Interdum verò Sæculares multa Eccleſiis donabant , modicum autem ab ipſis recipiebant . Uno exemplo res patebit , ſi Chartam proferam , cujus apographum ante ſexcentos annos, ut mihi videbatur , ſcriptum adſervatur in Archivo Monaſterii Piſtorienſis Sancti Bartholomæi , ad Canonicos Regulares Lateranenſes ſpectantis .

Donatio terrarum ac domorum facta Monaſterio Piſtorienſi Sancti Bartholomæi a Raſuxo & Liamprando Presbyteris , qui deinde per Precariam & Emphyteuſim eadem cum additamento recipiunt ab Abbate ejuſdem Monaſterii Gauſprando, Anno 831.

IN *nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti . Imperantibus Domnis noſtris* Hludvicus & Lutharius *dilectiſſimo filio ejus* Imperatoribus , *Anno Imperii eorum Octavodecimo , & Duodecimo , IX. Kalendas Aprilis , Indictione IX. feliciter . Manifeſtus ſum ego* Gauſprand Abas Monaſterio Sancti Bartholomei , *a bone memorie Gajuduald Medicus conſtructum foras muro Civitatis noſtre Piſtorienſis, eo quod ante os dies tu Rafuxus Presbiter filio quondam Raſcauſi pro remiſſione anime tue tali tinore judicaſti & tradediſti mihi , & Liamprand Presbiteri filio quondam Baroncelli , & prefati Monaſterii offerſionis titulo abere ſtatuiſti caſis habitationis tue locus, nomine Celeriano, cum ſolamentis, Curte, horto, terris, & vineis, fundo illo , in quo predicti edificiis domorum conſtructum, qualiter fundo ipſo ſepis circumdatum eſt in integrum. Similiter caſa cum edificiis illis, que habere videbaris , locus nuncupante Domitiano , prope Eccleſiam Sancti Martini , cum ſolamentis, Curtis, orto, terris, & vineis, qualiter ſepibus fundo ipſo circumdatum eſt in integrum . Atque terra vinea plantata clauſura una, locus qui dicitur Cavaliano in integrum . Seo terra & vinea clauſura una in loco Centora in integrum. Et virgareis atque ſtalareis, quantis in monte & in plano habere viſus fuiſti in integrum. Hec omnibus iſtis rebus nobis atque predicti Monaſterii tali tinore tradidiſti*, ut ad preſenti die rebus . . . . . . in poteſtatem noſtram , ſeo ſupradicti Monaſterii eſſe debeant ſub illa tuitione & immunitatem atque defenſione, ſicut ceteris rebus eidem Monaſterii eſſe noſcuntur ; *niſi tantùm, hoc eſt, in capite anni Depoſitionis tue pro medela anime tue , tam per noſmetipſos, aut per alios Sacerdotes canere ſtudeamus Miſſas ſexaginta, & in elemoſinis & frugis de iſtis rebus paſcere faciamus pauperes ducenti : ſicut hec omnia per cartula confirmaſti conſcripta per manus Giſelprandi diſcenti ex dictato Gauſperti Notarii & Scabino Magiſtro ſuo. Modò verò precaſti nos , ut tibi hec ſupraſcripto Lamprandi Presbiteri* . . . . per Precaria in tali ordine concedimus iſtis caſis & rebus , quibus tu nobis per iſta cartula tradidiſti, & adderemus vobis in ipſa Precaria Eccleſiam & res Sancte Marie ſito locus Pacationo , qui

qui eſt jura & proprietas ſepe dicti Monaſterii illi Sancti Bartholomei pertinere videntur. *Ego quidem pro congruo conſilio & voluntate Monachorum tua audientis petitione conceſſi & tradidi tibi jam dicto Rafuxus Presbiter & Lamprandi idem Presbitero, ſicut tu me poſtulaſti, omnibus iſtis caſis & rebus, quicquid per ſuprascripta cartula ad temetipſum nobis vel ſacri Monaſterio Sancti Bartholomei advenerunt, & augere vobis in ane Precaria viſi ſumus iſta Eccleſia & res Sancte Marie ante poſitas...... cum Curticella & orto ſuo, quod exinde Benedicti & Teuſperte ancilla Dei in beneficium dedi.*

Nam omnibus aliis rebus & edificiis caſe ad iſta Eccleſia pertinentibus, ſimiliter & ipſa Eccleſia, hec omnia cum predictis rebus, quas tu nobis vel Monaſterii noſtri decreviſti in integrum, omnibus his vobis Rafuxus & Lamprand Presbiteri, ſub eam videlicet rationem tradidi, ut dum tu Rafuxus Presbiter vixeris, omnibus iſtis rebus, quibus tu nobis habere decreviſti, in tua propria ſit poteſtatem habendum, laborandum, atque uſufructuandum, & cuncta movilia dandum, aut judicandum, ſeo foras ex ipſis caſis vel rebus traendum. Et ſuprascripta Eccleſia Sancte Marie cum omnibus rebus ad eam pertinente abere debeatis tu Rafuxus Presbiter una cum Lamprand Presbiter, dum ambo vixeritis, communiter habendum, gubernandum, atque rebus ipſis uſufructuandum, & ſicut ſupra legitur, mobilibus rebus pro animabus veſtris dandum vel judicandum; & quicquid exinde alteri homini Libellario nomine, *vel* ad Cenſum reddendum *datum habere vos juxta ipſius ſcripti paginam cenſum exinde pleniter exigere & ſuſcipere debeatis, ſicut ego exigere aut ſuſcipere debui, niſi tantùm ſiligine, favas, & vino, quod Dominus vobis per ſingulos annos de ſuprascriptis rebus predicte Eccleſie Sancte Marie dederit, reddere deveatis michi, qui ſupra Gauſprandi Abbati vel ad ſucceſſoribus meis tertiam portionem ex omnibus, & iſta elemoſina, & Miſſarum pab..... vel canationum, que michi vel ſucceſſorum meorum facere decreviſti tu Rafuxus Presbiter pro rebus illis, quod tu nobis dediſti, dum tua fuerit vita, per temetipſum ex ipſis rebus facere ſtudeas, & nos exinde inde in vita tua permaneamus abſoluti. Nam poſt veſtrum deceſſum taliter omnino deveamus exinde perficere, ſicut tu per ſuprascripta cartula decreviſti. Et ſi Lamprand Presbiter ante obierit, tunc Eccleſia & omnibus rebus ſuperius ſcriptis in tua, qui ſupra tu Rafuxus Presbiter, remaneat poteſtatem, ſub eam videlicet rationem & redditum nobis faciendum, ſicut ſupra legitur. Et ſi tu ante ipſo Lamprand deceſſeris, Presbiter ſimiliter ipſe Lamprand diebus vite ſue Eccleſia & omnibus rebus ipſis deveat habere, & nobis Cenſum reddere, ſicut ambo facere debuiſtis. Nam poſt amborum veſtrorum ſuprascriptorum deceſſum, Eccleſia, caſis, & rebus omnibus ipſis ſuperius circumſcriptis michi qui ſupra Gauſprand Abbati vel ad Succeſſores meos apud parte jam fati Monaſterii Sancti Bartholomei, cujus proprietas eſt, ſine ulla diminutione revertantur, excepto de movilibus fiat, ſicut ſuperius legitur. Et ſi adimpleti vos fueritis parti noſtre, vel ad parte ſuprascripti Monaſterii noſtri omnino qualiter ſuperius legitur, & vobis amplius ſuperimponere preſumpſerimus ego Gauſprand Abbas vel ſucceſſores meos, aut ex ea, que ſuperius ſtatui, & circha vos noſtra fuerit ad obſervandum vobis in aliquo minus exinde fecerimus, aut in vita veſtra rebus ipſis vobis minuare aut retollere queſierimus, tunc componere debeamus ego Gauſprand Abbas vel ſucceſſores meos vobis ſuprascriptis Rafuxus & Lamprandi Presbyteri, vel cui ipſa movilia pro animabus veſtris judicaveritis aut dederitis, pene nomine argento ſolidos duo milia. Nam poſt amborum veſtrorum deceſſum Eccleſia, caſis, & rebus ipſis, ſicut ſuperius dictum eſt, vobis re..... & ſuprascripta elemoſina & Miſſarum ſolemnia, ſicut tu Rafuxus Presbiter decreviſti, adimplere debeamus, quia ſic inter nobis convenit. Hanc Precaria firmitatis veſtre Giſelprando diſcente & ditante Gauſpert Notario & Scabino magiſtro ſuo ſcribere rogavi.*

Actum Piſtoria feliciter.

✠ *Ego Gauſprandus Abbas manu mea ſubſcripſi.*

Ego Tato Clericus rogatus ad Gauſprand Abbas teſte ſubſcripſi.

Ego Farulſo rogatus ad Gauſprandu Abbas teſte ſubſcripſi.

Ego Alo rogatus ad Gauſprand Abbas teſte ſubſcripſi.

Ego Johannes Clericus rogatus ad Gauſprandus Abbas teſte ſubſcripſi.

Ego Petrualdu Clericus rogatus ad Gauſprand Abbas teſte ſubſcripſi.

Ego Gumprandu rogatus ad Gauſprandu Abbas teſte ſubſcripſi.

Ego Petrus Clericus rogatus ad Gauſprandu Abbas teſte ſubſcripſi.

Signum manus ✠ *Achiperti filius Achoni teſte.*

Ego Gauſpertus Notarius & Scabinus rogatus ad Gauſprand Abbas ſcribere dictavi, & ad confirmandum manu mea ſubſcripſi.

Ego qui ſupra Giſelprand Scriptor poſt traditione complevi & dedi.

Ego Gualbertus Notarius & Judex ſacri Palatii Scriptor, qualiter in autenticum ſcriptum inveni, fideliter exemplavi.

Atque hinc habes, non tantùm prædia, domos, & Caſtella ab Eccleſiaſticis viris olim in Feudum, aut in Emphyteuſim conceſſa fuiſſe, ſed, quod vix ferendum videatur, etiam ipſas *Eccleſias*. In Archivo Archiepiſcopii Lucenſis Chartam vidi exaratam *Anno XXVI. Ludovici Imperatoris, & XVII. Lotharii ejus filii Imperatoris, decimooctavo Kalendas Julii, Indictione II.* ideſt Anno Chriſtianæ ſalutis DCCCXXXIX. in qua *Berengarius Lucenſis Epiſcopus* titulo *Emphyteuſis* concedit Eccleſiam Sancti Petri in Aſulari. Berengarium iſtum ignoraverat Ughellius Tom. primo Ital. Sacr. ſed poſtea in Additamentis ad Tomum quinctum ejus nomen agnovit. Aliam legi Chartam ad eumdem *Berengarium Epiſcopum* ſpectantem, ac eodem Anno conſcriptam, quæ commutationem bonorum complectitur, ad quorum æſtimationem *inſimul direxit Aginone Comite, Miſſo ſuo*. Iſte Comes, ideſt Lucenſis, in aliis Chartis appellatur *Aghanus*. Rurſus in altera Charta ibidem adſervata & ſcripta *Anno VII. Berengarii Auguſti, Pridie Kalendas Maji, Indictione X.* Flaipertus Scabinus Clericus a *Petro Epiſcopo Lucenſi* in Emphyteuſim accipit Eccleſiam Sancti Thomæ Apoſtoli, ſitam in Civitate Lucæ prope Poſterulam, & murum Civitatis, conſtitutâ penſione annuâ Denariorum duodecim argenteorum. Tertia ſeſe mihi obtulit ſcripta *Anno III. Domni noſtri Widonis gratia Dei Imperatoris Auguſti, Sexto Kalendas Julii, Indictione XI.* ideſt Anno Chriſti DCCCXCIII. Ibi *Gerardus Epiſcopus* Ariperto, qui

qui & Ato, in emphyteuſim concedit, *ad cenſum perſolvendum*, Eccleſiam Sanctæ Euphemiæ, ſitam in Civitate Lucenſi, una cum ejus bonis, *pro ſe & heredibus ſuis*, cum obligatione divini Officii, Luminarium, & Miſſæ ſolemnis. Penſio perſolvenda quotannis aſcendebat ad *duodecim Denarios argenti bonos expendibiles*. Mitto alia exempla, quæ ex eodem Lucenſi Tabulario excerpſi. Atque hinc intelligis, quantum olim Epiſcopi nonnulli ſuâ poteſtate abuterentur in ſacra loca. Nam aut conferendo Eccleſias, portionem prædiorum ad eaſdem pertinentium in uſum ſuum retinebant; aut Cenſum enormem a Rectoribus exigebant; aut in Emphyteuſim ipſas largiebantur. Quæ cauſſa erat, cur & ipſi Rectores bona earumdem Eccleſiarum diſſiparent, Conciliis, immo & juramentis ipſorum Sacerdotum fruſtra obnitentibus. In prælaudato Archivo pergamenam inſpexi exaratam *Anno XXVI. Berengarii Regis, quarto Aprilis Indictione I.* ideſt Anno DCCCCXIII. Ibi Lampertus Presbyter accipit *ad perſolvendum Cenſum* ab Alchiſi Rectore Eccleſiæ Sancti Johannis, *quæ eſt Plebs Baptiſmalis in loco Bargi*, quartam partem *Eccleſiæ Sancti Johannis*, cum ſuis bonis, ſubjectam eidem Plebi, & quartam partem *Eccleſiæ Sancti Geminiani*, penſionem annuam redditurus Denariorum argenteorum XCVI. quo pretio idem Plebis Rector emere poſſit *equum barbanum, & porcum graſſum*, quos Epiſcopatui Lucenſi Sancti Martini dare debet idem Rector pro ſupraſcripta Plebe. Vide temporum mores. Et ne mireris, tam gravem cenſum Epiſcopo pro Plebe illa perſolutum fuiſſe, accipe quid altera Charta in eodem Lucenſi Tabulario adſervata nobis offerat. Ea quidem ſcripta fuit *Anno XXXIII. Regni Karoli ſereniſſimi Auguſti, magni, pacifici Imperatoris, qui & Romanum gubernat Imperium, & Anno XXV. Pippini ejus filii Regis, IV. Kalendas Majas Indictione XIV.* hoc eſt Anno Chriſti DCCCVI. Ibi *Gheriprandus Presbyter filius bonæ memoriæ Ghiſiprandi Presbyteri* bona offert pro anima ſua Eccleſiæ Sanctæ Mariæ & Sancti Hippolyti, & rogat Dominum & *virum beatiſſimum Jacobum Epiſcopum Lucenſem*, ut conſtituat ipſum donatorem, ſuoſque filios ac nepotes, Rectorem ejuſdem Eccleſiæ, ac bonorum ad eam ſpectantium. Pollicetur ipſe *Gheriprandus Presbyter una cum Marino & Ruperto Presbyteris filiis, aut Nepotibus ſuis*, ſe annis ſingulis perſoluturos eidem Antiſtiti, ejuſque ſucceſſoribus *unum guſtare* (Gallicæ Linguæ *Gouſter*, ſeu *Goûter*, idem ſignificat ac Latinis, nobiſque *Merenda*. Gloſſæ quoque veteres *Guſtarium* ita interpretantur. Præterea, uti animadvertit Antonius Maria del Chiaro in Hiſtoria Valaccorum, Populus regionis illius inter alias Latini ſermonis reliquias adhuc uſurpat *Guſtare* pro *Jentaculo*. Occurrit eadem vox in altera Charta Lucenſi Anni DCCLXXXV. quam evulgavi in Diſſert. XIII. de Hominib. liberis. Quare non abhorret a vero heic deſignari Jentaculum ſive Merendam) *& par boum, & equum, qui ambo valeant Solidos quadraginta, aut loco ipſorum boum & equi, eoſdem Solidos quadraginta* &c. En quantum mercimonium de rebus Eccleſiæ quidam olim facerent. Non diſſimulabo tamen, occurrere in paucis aliquot Chartis cenſum perſolvendum non Epiſcopo, ſed Eccleſiæ Cathedrali Sancti Martini. Inter alias unam vidi authenticam Chartam, ſcriptam *Regnante Domno noſtro Carulo Rege Francorum & Langobardorum, ac Patricio Romanorum, Anno Regni ejus, quo Langobardiam cepit, Vigeſimo Sexto, & filio ejus Domno noſtro Pippino Rege, Anno Regni ejus Nono Decimo, III. Idus Februarius, Indictione VIII.* ideſt Anno DCCC. Ibi *Johannes Lucenſis Epiſcopus* Fenualdum ordinat Rectorem Eccleſiæ beati Sancti Petri, ſitæ in loco Aſulari, ſimulque Hilprandum Clericum ejus nepotem Hildeprandi filium; & ſublato e vivis eodem Hilprando, *ſi Hildeprandus alium filium habuerit tonſo capite*, eidem quoque ipſam Eccleſiam regendam concedit. Penſio, ſingulis annis in Nativitate Domini reddenda Eccleſiæ Cathedrali pro luminaribus, ſtatuitur in *Libris quadraginta Olei*. Verùm hic Epiſcopus ſanctitate morum in Urbe Lucenſi effulſit, ac propterea titulo *Beati* donatus eſt, neque ſuis lucris inhiabat: a qua ægritudine non ſatis ſibi caverunt nonnulli ejus ſucceſſores. Eum Anno Chriſti DCCXCIX. vivere deſiiſſe ſuſpicabatur Ughellius Tom. prim. Ital. Sacræ. Hinc habes, eum ſubſequentis quoque Anni primis menſibus in vivis fuiſſe. Ne tamen puta, in una Etruria concluſum fuiſſe morem tradendi Eccleſias titulo Emphyteuſeos. Alibi eadem conſuetudo invaluit. Id palam facient Tabulæ ſpectantes ad Comaclenſe Monaſterium Aulæ Regiæ, quas Peregrinus Priſcianus Ferrarienſis Anno MCCCCXC. in ſuos Annales Ferrarienſes MStos intulit, & ego inde deſcripſi.

Charta Emphyteuſis, qua Venerius Abbas Monaſterii Sanctæ Mariæ in Aula Regia Comaclenſis Diœceſis concedit Bonizoni Presbytero, & Andreæ, qui & Angelo, Eccleſiam Sancti Michaëlis Archangeli ſitam in Burgo Ferrariæ, Anno 969.

IN nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Imperante Domno noſtro Ottone pacifico magno Imperatore, Anno pietatis ejus VIII. die XVI. Menſis Junii, Indictione XII. Ferrariæ. Petimus ad vobis in Dei nomine Donnus Venerius vir venerabilis, Presbiter Monachus, & Abbas Monaſterii Sancte Marie, que vocatur in Aula Regia, una per conſenſu cuncta Congregatione deſervientium eidem Monaſterio, uti nobis in Chriſti nomine Bonizo vir venerabilis Presbiter, qui manere viſus ſum ad Eccleſiam Sancti Michaëlis Archangeli in ſuperiori Burgo Ferrarie, ſita in fundo Baniolo, juris Sancti Monaſterii veſtri, nec non Andreas, qui vocatur Angelo, habitator in Civitate Ferrarie, in vice & pro perſona Joanne filio ejus, ſeu in duobus ſucceſſoribus noſtris Libello emphiteoticario concediſtis, & largiſtis nobis de re juris proprietatis ſancti Monaſterii veſtri, qui vocatur Aula Regia: ideſt Eccleſiam Sancti Michaëlis Archangeli in ſuperiore Burgo Ferrarie, ſita in fundo Bagnolo una cum manſione pro ſe habente, & cum Cimiterio & ſepulture, cum omnibus oblationibus vivorum & defunctorum in integrum. Ipſa prefata Eccleſia Sancti Michaëlis, que nos ſupraſcripti petitores fecimus vobiſcum, & vos cum noſtro adjutorio & diſpendio feciſtis, ideo quod eam nobis concediſtis & largiſtis ſeu confirmaſtis ad habendum, tenendum, poſſidendum, & in omnibus meliorandum & officiandum, juris ſancti Monaſterii veſtri. Et non habeamus licentiam ullo modo dare vel derelinquere nos ſupraſcripti petitores, neque noſtri ſucceſſores in alia quacumque parte, niſi in predicto Monaſterio veſtro Sancte Marie in Aula Regia, & de omni quoque tempore veſtra ſupraſcripta dominatio, veſtrique ſucceſſo-
A res, & veſtros Miſſos cum honore & obedientia ſuſcipere debeamus, & ſuſceptationes facere debemus de majoribus Feſtivitatibus per circulum ſinguli Anni medietatem integrum de omnibus oblationibus predicte Eccleſie perſolvere debemus ad vos, vel ad veſtros Miſſos, dum nos ſuperius nominati petitores, & duobus noſtri ſucceſſores in hac luce juſſerit Dominus permanere vitam. Poſt tranſitum vero noſtrorum ſupraſcriptorum petitorum ipſa predicta Eccleſia Sancti Michaëlis reſtaurata, ordinata, meliorata, officiata cum predictis rebus, & cum omni melioratione, & jus & dominium predicto Monaſterio veſtri Sancte Marie in Aula Regia, cujus eſt proprietas, modis omnibus revertatur. Quod ſi, quod
B Deus avertat divina potentia, & omnia, que ſupra leguntur, non obſervaverimus vel non adimpleverimus, aut ipſam ſanctam Eccleſiam nos vel noſtri heredes aut ſucceſſores quoquo modo expellere vel alienare fecimus: tunc daturi nos promittentes una cum noſtris heredibus vel ſucceſſoribus pene nomine auri optimi Libras duas, & quod exinde contra hoc fecerimus, nullum vigorem habeat. Quam nos paginam Petrus Tabellio Ferrarie ſcrivendum rogavimus ſub die, menſe, & Indictione XII.

✠ Ego Bonizo Presbiter qui petitor manu mea ſubſcripſi.

Signa manus ✠ ✠ ſupraſcripti Andrea, qui vocatur Angelo, cum Joannes filio ejus pe-
C titoris, qui huic Libello emphiteoticario fieri rogaverunt, cui relectum eſt.

Petrus in Dei nomine Tabellio, hujus pagine ſcriptor poſt tradita complevi & abſolvi.

Notitia teſtium, id ſunt, Andrea Stancario teſte, Leo Stancario teſte, Bono Remorario teſte.

Charta Emphyteuſis factæ a Venerio Abbate Monaſterii Sanctæ Mariæ in Aula Regia Diœceſis Comaclenſis Bonizoni Presbytero, & Andreæ qui & Angelus, circiter Annum 972.

IN nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Anno Deo propicio Pontificatus Domni noſtri Benedicti ſummo Pontifice & univerſale Pape in Apoſtolica ſacratiſſima beati Petri Apoſtoli Domini Sede Anno . . . . . . Regnante Domno Ottone piiſſimo perpetuo Auguſto, & a Deo coronato pacifico magno Imperatore, Anno pietatis ejus in Dei nomine Sexto, die Tertio Menſis Octobris, Indictione Prima, Comaclo. Petimus a vobis Donnus Venerius vir venerabilis, Presbiter Monachus & Abbas Regule Monaſterii, qui vocatur in Aula Regia, una per conſenſum & largitatem cuncte Congregationis eoſdem Regule deſervientium eodem Monaſterio, uti nobis Bonizo venerabilis vir, Presbiter ſancte Ferrarie Eccleſie, filius qui vocatur Urſus, in medietatem, ſeo Andreas, qui vocatur Angelo, negotiatore, tam pro ſe, quam quod pro Joannes Clericus filio ſuo, in alia vero medietate, ſeo in duobus ſucceſſoribus noſtris unum poſt unum, quale nos per judicium * teſtamen-
D tum aſſignaverimus, emphiteoticario jure a preſenti die concediſtis & largiſtis ſeo confirmaſtis de re juris ſancti Monaſterii veſtri: ideſt Eccleſia una vocabulo Sancti Michaëlis, ſita in ſuperiore Burgo Ferrarie, in fundo qui vocatur Bagnolo, una cum omni domuculto ſuo in circuitu ſibi pertinente, Caſis, Caſalibus, Curte, orto, puteo, & cum omnibus oblationibus & offerſionibus, ſibique pertinentibus vivorum ac defunctorum, cum ingreſſu & egreſſu ſuo, & omnia que a ſupraſcripta Eccleſia perlegitur; concediſtis & largiſtis nobis de aliis rebus juris Monaſterii veſtri da jura Sancti Martini Monaſterium veſtrum, que fuit quondam in eodem
E fundo Bagnolo, ideſt Caſale uno cum Caſa ſuper ſe habente ſito in ſupraſcripto fundo Bagnolo juxta latera. In primo latere platea publica, que vocatur majore, deſcendente in Sancto Clemente: in ſecundo latere poſſidet Leo Dientio: tertio latere perſiſtente ripa de Pado, via publica percurrente: quarto latere via Canalis perſiſtente

ſtente in fluvio Pado, deſcendente in Ronchagallo. Quod habet ipſo ſupraſcripto Caſale perapodimus in longitudine ſua pedes viginti quinque, atque in latitudine ſua pedes decem & octo, cum ingreſſo & egreſſo ſuo, & cum omnibus ad ſupraſcripta earum prefatas res. Seo concediſtis atque largiſtis ſeo confirmaſtis nobis in Civitate Ferrarie in fundo, qui vocatur Tabernalo in Regione Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, ideſt Caſale uno integro cum Caſa ſuper ſe habente; finis de ſupraſcripto Caſale, ab uno latere poſſidet Joannes Vaſſallo: ab alio poſſidet Antoninus: tertio latere poſſidet Petrus Conſul filio, qui vocatur Leo Conſule, qui vocatur de Blatta: quarto latere Androna de Commune, percurrente in fluvio Pado &c. Quam vero paginam tenore conſcripto Petrus in Dei nomine Tabellio ſcribendum rogavimus, in qua

A *ſubtus manus firmans, teſtibuſque a nobis rogatis obtulimus roborandam, ſub die, Menſe, & Indictione ſupraſcripta Prima, Comaclo.*

✠ *Signum manus mea ſupraſcripto Andrea, qui vocatur Angelo, petitore &c.*

Ego Bonizo Presbiter petitore manu mea ſubſcripſi.

Signum manibus noſtris ✠ ✠ ✠ ✠ *Abraam, & Joannes Spada, Petrus de Fermoſia, Ardengo filius quondam Paulo.*

Petrus in Dei nomine Tabellio, ſcriptor hujus pagine penſionis, de omnibus, que ſuperius leguntur, poſt roborationem atque traditionem complevi & abſolvi.

Heic in notis Chronologicis vitium eſt, quod
B facile emendari poteſt. Denique ſuccedat & altera Charta, in Tabulario Canonicorum Cathedralis Regienſis adſervata.

Gandulfus Regienſis Epiſcopus Ingoni & Eurardo in Emphyteuſim concedit Eccleſiam Sanctæ Mariæ in Caſtro Novo cum quibuſdam conditionibus, Anno 1066.

I*N nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti*. Gandulfus *Dei gratia* Regenſis Epiſcopus. *Notum fieri volumus omnibus Dei fidelibus preſentibus ac futuris, quod Eccleſia, quam hodie juxta Caſtrum Novum in confinibus, ubi dicitur Vallis Putrida, conſecravimus in honore Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, & aliorum Sanctorum, ædificata eſt ſuper terram proprietatis Epiſcopii Sancti Proſperi. Quam quidem terram parentes Ingonis & Eurardi jure proprietario ſanctæ memoriæ* Teuzonis Epiſcopi. *Itaque idem Teuzo Epiſcopus dedit, conceſſit predictam terram cum Capella eiſdem parentibus Ingonis & Eurardi, & eorum poſteris* Emphiteocario & Precario jure. *Nos vero eadem conceſſione & eodem honore, ſicut Domnus Teuzo Epiſcopus conceſſit, concedimus predictis hominibus & heredibus ſuis eandem Capellam ex parte noſtri Epiſcopii, ita quidem ut per Presbiteros & Clericos devote ac religioſe ſervitia ibi Domino exhibeantur, & exinde per unumquemque annum in Feſtivitate Aſſumptionis Sanctæ Mariæ, aut infra ejus Octavam, prædicti viri perſolvant parti noſtri Epiſcopii Denarios bonos Papienſes duos in Civitate Regio per ſe aut per ſuum Miſſum. Presbiteri vero & Clerici, qui in eadem Capella miniſtraverint, quandocumque Regenſis Epiſcopus, vel Archidiaconus, ſeu Archipresbyter præceperint, venire debent ad eos ad perſolvendam obedientiam ſui officii. Præſentibus bonis hominibus & confirmantibus Ingone, Eurardo, Gerardo Judice, & aliis plurimis.*

Actum eſt hoc Anno Dominicæ Incarnationis MLXVI. Pridie Kalendas Januarii, Indictione V.

Ego BonusSenior ſacri Palatii Notarius, præcepto & juſſione Domni Alberi Regenſis Epiſcopi, *hoc exemplum exemplavi, in quo ſic continebatur, ſicut in hoc legitur exemplo, & literæ neque plus neque minus ſunt, & rogatus ſcripſi.*

Et hæ quidem Emphytheuſes ſacrarum Ædium culpâ caruiſſe videantur; ipſas enim Eccleſias ii, quibus *Libellario ordine* conferuntur, aut ædificarant, aut reſtauraverant. Eam adhuc etiam ob cauſſam Jura patronatus hodie deferuntur bene meritis de ſacris locis. Verùm non defuere olim, qui etiam ſine hujuſmodi titulo Templa ad inſtar agrorum, in Emphyteuſim tradebant; idque potiſſimum de
C *Decimis* factum eſt, quas non tantum Emphyteuticâ ratione transferebant in alios, ſed etiam ſæpe donabant, vendebant, commutabant. Nihil eſt, quod ego heic de earumdem Decimarum inſtitutione ac antiquitate ullum interſeram verbum. Erudite pro more ſuo argumentum hoc exhauſit Clariſſimus vir Ludovicus Thomaſſinus Tomo 3. Diſciplin. Eccleſiaſtic. de Beneficiis. Multa quoque de iis habentur in Legibus Langobardicis. Nunc tantummodo inquirendum, cur Decimarum jus aut Epiſcopis aut Parochis tantùm ad eorum alimenta debitarum, in Monachos poſtea, in Canonicos, immo & in Laicos viros immigrarit. Canonicorum inſtitutio vires potiſſimùm
D atque augmentum accepit ſub Carolo Magno, & Ludovico Pio Auguſtis, ut infra palam fiet in Diſſert. LXII. *de Canonicis*. Monachi verò longe antea inſtitutum ſuum per univerſas Chriſtianorum regiones, innumeris ibi Cœnobiis, Cellis, ac Monaſteriolis excitatis, propagarant. Epiſcopi ergo, qui pietate ducti aut Canonicorum Collegium, aut Monaſterium quodpiam ſibi erigendum, ſive ditandum ſumebant, eis portionem *Decimarum* quandoque elargiri conſueverunt, ſuum ſuper eas jus in Canonicos aut Monachos transferentes. Quid *Epiſcopus Veronenſis Ratoldus* Anno DCCCXIII. erga ſuæ Eccleſiæ Canonicos præſtiterit, nos docet Charta ab Ughellio producta. Mul-
E ta etiam Epiſcopi Patavini Canonicis Eccleſiæ ſuæ dono dederunt, atque inter cetera *Decimas Civitatis*, uti certos nos facit Berengarii I. Auguſti Diploma, quod ipſi Canonici Patavini in Archivo ſuo adſervant. Ego autographum opinabar. Seu ut nunc animadverto, *Indictione VI.* in exſcribendo legere mihi viſus ſum, quæ tamen *Quincta* Anno Chriſti DCCCCXVII. decurrebat. Sed potius legendum *Anno DCCCCXVIII.* quo revera Majo Menſe in curſu erat *Indictio VI.* & *Annus III.* Imperii Berengarii.

Beren-

Berengarius I. Imperator Canonicis Patavinæ Eccleſiæ omnia illorum jura & bona, ac præſertim Decimas confirmat, Anno 917. vel 918.

IN *nomine Domini Dei æterni*. Berengarius *divina favente clementia* Imperator Auguſtus. *Si in ſacris & venerabilibus locis comoda libenter impertimus, & congrue morem ſequimur predeceſſorum, & id nobis ad eternæ ſalutis premium previdere non ambigimus. Quapropter omnium fidelium Sanctæ* Dei *Eccleſiæ noſtrorumque preſentium ſcilicet ac futurorum comperiat induſtria*, Ingo, & Wido, & Racio, & Johannem *venerabiles* Epiſcopos, *dilectiſſimoſque noſtros fideles, noſtram humiliter exoraſſe clementiam, quatenus pro Dei omnipotentis amore, & remedium animæ noſtræ omnia Præcepta, quæ ab anteceſſoribus noſtris, ſeu univerſa inſtrumenta Cartarum, quæ fidelibus viris Sanctæ Patavenſis Eccleſiæ nuper collata ſunt, noſtræ auctoritatis confirmatione corroborare dignaremur. Quorum precibus tam pro Dei amore quàm pro ejuſdem Eccleſiæ venerationem libenter aſſenſum prebentes, omnia, quæ per Precepta aliorum Regum vel Imperatorum, nec non quæ per Cartarum inſtrumenta eidem Eccleſiæ dudum a fidelibus viris oblata ſunt, per hanc noſtram auctoritatem prefatæ Eccleſiæ confirmamus. Nec non ſtatuimus, ut Canonici ejuſdem Eccleſiæ ſervientes nunc, & ſequaces illorum liberam habeant cum conſenſu Epiſcopi, qui pro tempore fuerit, poteſtatem de omnibus, quæ illis juſte & legaliter pertinere viſa ſunt, aut viſa fuerint, inter ſe, ut conſuetudo fuit, dividendi, omnium poteſtatum contradictione remota. Videlicet* de Decimis Civitatis per omnia, cum titulis atque Villulis ſuis ad eandem Civitatem pertinentibus. *In primis Villa, qui dicitur Limena, & Villa, qui dicitur Arzere, & Autikeria, & Turre, & Noënta, & Villa qui dicitur Bergami, & tota Villa, qui dicitur Ronco Liutari, & Villa Caſula, & altera, qui dicitur Pobliciano, & Villa qui nominat Albinaſega, & Maſerada, & Ateri, ad eandem Civitatem pertinentibus; nec non & tertiam portionem ripaticis ripe & toloneum ejuſdem Civitatis, ſeu de cunctis illis legaliter pertinentibus, & evenientibus, omnium hominum inquietudine remota. Concedimus etiam eidem Eccleſiæ, ut nullus Dux, Marchio, Commes, Vicecommes, Sculdaſſio, Gaſtaldio, Decanos, vel quislibet publice partis Miniſter in rebus & poſſeſſionibus prælibatæ Eccleſiæ tam infra Civitate, quamque extra, aliquam audeat inferre moleſtiam. Nullus etiam hominibus reſidentibus in poſſeſſionibus Beatæ Mariæ Virginis, & Sanctæ Juſtinæ aliquam inferat calumniam, aut ab eis aliquam exhibitionem, vel injuſtas reddibitiones exigere præſſumat. Nemo etiam eos diſtringere aut pignorare præſſumat, aut per aliena Placita ventilare audeat, niſi in preſentia Epiſcopi, qui pro tempore ipſi Eccleſiæ præfuerit. Nulla denique magna parvaque publicæ actionis perſona eos Oſtaticum facere compellat, aut jam dictam Eccleſiam, vel ſuos homines teloneum, ripaticum, aquiaticum, vel aliquod, quod publice parti pertinere debet, aliquam occaſionem dare compellat. Regali etiam cenſura ſancimus, ut nulla publica perſona, nulluſque Officialis de mercatis vel Caſtellis ſuper quaſcumque res & poſſeſſiones jam dictæ Patavenſis Eccleſiæ, quæ conſtructa eſſe videntur, ſive in antea conſtruentur, teloneum, aut aliquam functionem publicam exigat, ſed liceat eandem Eccleſiam cum omnibus ſuis pertinentiis, & Cartulis, atque maſſaritiis, mercatis, ac reliquis poſſeſſionibus ſuis mobilibus & immobilibus, hac familiis ſuis utriuſque ſexus Libellariis, vel Cartulatis, ſeu Comendaticiis, necnon ad eandem Eccleſiam confugientibus, ſive cum omnibus ad ſe pertinentibus ſecuro hac pacifico ordine permanere. Per hæc noſtræ conceſſionis & confirmationis Præcepta abſque calumniam minoratione vel contradictione cujuſquam; contra quod noſtræ donationis ſeu corroborationis Præceptum ſi quis quomodocumque inſurgere temptaverit, ſciat ſe compoſiturum auri optimi Libras centum, medietatem Cameræ noſtræ, & medietatem prælibatæ Canonici Sanctæ Patavenſis Eccleſiæ. Quod ut verius &c.*

Signum Domni  *Berengarii piiſſimi Imperatoris.*

Locus Sigilli ✠ cerei deperditi.

Johannes Epiſcopus & Cancellarius ad vicem Ardengi Epiſcopi & Archicancellarii recognovi & ſubſcripſi.

Data XII. Kalendas Maji, Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXVII. Domni vero Berengarii piiſſimi Regis XXXVI . . . . . Imperii Anno III. Indictione VI.

Actum Civitate Papie, in Dei nomine feliciter.

Parmenſibus quoque Canonicis a neſcio quo Epiſcopo invenio donatas *Decimas omnium hominum habitantium Parmam, laborantium ſuburbanis terris*. Vadem hujus rei exhibeo Diploma Ottonis III. Auguſti, eductum ex Archivo Capituli eorumdem Canonicorum Parmenſium.

Otto

Otto III. Imperator Canonicis Eccleſiæ Parmenſis omnia illorum jura ac Privilegia confirmat, Anno 996.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Otto *divina favente clementia* Imperator Auguſtus. *Omnium Sanctæ Dei Eccleſiæ, noſtrorumque, præſentium ſcilicet ac futurorum fidelium noverit induſtria, eo quod Canonici Parmenſis Sanctæ matris Eccleſiæ, interventu ac peticione noſtri fideliſſimi Capellani Heriberti, noſtram efflagitantes celſitudinem, quatinus omnes Canonicales res ſub noſtri Præcepti confirmatione reciperemus. Quorum juſtam efflagitationem conſiderantes, illud mente revolventes, quod ſi Deo famulantibus in omnibus noſtra Mageſtas neceſſitatibus ſubvenerit, Deum nobis propicium habebimus, ſupradictorum videlicet Canonicorum aſſiduis precibus: unde tam Chriſti remuneratione, quamque Cancellarii noſtri peticione, nec non illorum Sacerdotum intereeſſione omnes res prælibatæ Eccleſiæ, tam infra Civitatem quàm extra, videlicet omnes domos, quæ Papiæ habere videntur, Caſtellum Palaſioni, cum omnibus ſuis adjacentiis & operibus, tam de Caſtellis quàm de Colonis, & cætera omnia ſervicia, quæ circa vicina Oppida ceteris Caſtellanis præſidentibus exhibent, ita ipſi ſupradicti Caſtellani, & ceterorum omnium inferorum Caſtellorum incolæ, ſupradictis Canonicis omni tempore, ſecundùm morem locorum exibeant, ſcilicet Macritulæ, Gajanum, Monticellum, Martolianum, Aquamlatulam, Caſtellum de Sablone, quod nuncupatur Saſſamoſa cum Curte, Caſtellum de Foliano, quod nuncupatur Mucletum cum Curte, Caſtellum de Monte Gibuli cum ſuis pertinentiis, & cum colonis, qui habitant in Monte Agattulo, Caſtellum de Sala cum ſuis pertinentiis, & cum . . . . . ſionibus, quæ ſunt*

A *in ſuburbano territorio Ferrariæ, & Curtem de Cavello, & Manſiones infra Civitatem Boloniam, cum Eccleſia, & vineis, terris, quæ fuerunt Reginbonis, & manſos duos de Alimanis, Curtem de Monte cum omnibus ſuis pertinentiis, Curtem de Spaniaco cum Eccleſia, Curtem de Balone cum ſuis pertinentiis, & Runco Columbino, Curtem de Cornitulo cum Valle, Curtem de Moncello juxta Blanconiſe, cum Runcis, qui ſunt in Via Riolo, terciam partem de Corticella Deuri, Curtem de Viliniato, Caſtellum de Arceto, Villam de Melitulo, & omnibus pertinentiis, terris, & Plebes duas, unam Sancti Proſperi, alteram Sancti Martini in honore dicatas, cum omnibus earum pertinentiis,* & Decimis B ſimiliter omnium hominum habitantium Parmam, laborantium ſuburbanis terris, quæ dividuntur a Plebibus, *nec non terciam partem Telonei ejuſdem Civitatis, nec non Baſilicam Sanctæ Chriſtinæ, quæ ſtat ſuper Portam Civitatis, cum ſuis pertinentiis, ſeu ubique locorum ſub noſtro Imperio, tam in planiciebus, quàm in Montibus, molendinis, piſcationibus, ſilvis, aquis, tam quod in præſenti habent, quàm in antea Chriſti miſericordia aquirere poterunt uſque in finem Seculi. Eo tenore, ut nullus Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, ſeu ulla Imperii noſtri magna parvaque perſona eos inquietare, moleſtare, vel diſveſtire præſumat. Si quis vero hujus defenſionis Præceptum infringe-* C *re temtaverit, componat centum Libras auri cocti ad medietatem Cameræ noſtræ, & medietatem prælibatis ſanctæ Parmenſis Eccleſiæ Canonicis. Quod ut verius credatur, diligentiuſque obſervetur, ſigillo noſtro ſignare juſſimus.*

Signum Domni Ottonis  *glorioſiſſimi Imperatoris Auguſti.*

Locus Sigilli ✠ cerei deperditi.

. . . . *Cancellarius vice Petri Epiſcopi recognovi.*

Data . . . . Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXCVI. Indictione VIIII. Anno autem Tertii Ottonis regnantis XIII. Imperii Primo.

Actum Romæ.

Hæc de Canonicis. Quod eſt ad Monachos, & ipſis quoque Epiſcopi Decimas complures contulere Rubeus in Hiſtor. Ravennat. ad Annum DCCCCXCII. tradit, indulſiſſe Johannem Archiepiſcopum Aſulſo Epiſcopo Adrienſi, *ut templo Divæ Mariæ e Gavello Decimas daret totius fundi de Gavello: quod fecit eodem* D *Anno Aſulfus XVIII. Kalendas Septembris pro oblatione & illuminatione animæ ſuæ.* Chartam oblationis hujus, quam ſervavit nobis Peregrinus Priſcianus in Collectaneis ſuis MStis, quæ in Eſtenſi Bibliotheca adſervantur, heic ereptam tenebris volo.

Inve-

Inveſtitura Decimarum fundi Gavelli data ab Aſulfo Epiſcopo Adrienſe, Dominico Abbati ejuſdem loci, Anno 992.

IN *nomine Dei eterni. Anno Domini Nongenteſimo Nonaginta Duo. Tempore* Domni Ottoni Tertii, *Indictione Quinta. Acceſſit* Domnus Aſulfus Epiſcopus Adrienſis Ecclesie, *pro oblatione & illuminatione anime ſue, & ſuorum Predeceſſorum*, inveſtivit Dominicum Abbatem ejuſdem loci de totas Decimas totius fundi de Gavello; *cujus altercatione orta diſtrictus eſt per juramentum horum bonorum virorum, videlicet Adam de Nigo de Gavello, Angilberti de Gavello, Mauretii de Decimo, Bonaldi de Decimo. A ſera fundus de Decimo, & Caput Trentule. A Meridie Canale de Venetia in joſum uſque ad Canale de Caucomanco. A mane fundus de Quinto. A Septemtrione fundus Mediane, & fundus . . . . . . Itaque &* has Decimas *donavit Ecclesie Sancte Marie, & confirmavit ſub pena unius Libre optimi auri. In preſentia horum predictorum virorum, & Joannis de Sarzano, & Arnulfi filii ejus, & Martini de Decimo, Glauſi de Rodige, Dominici de Valentino.*

Et ego Jacobus hujus pagine Notarius per mandatum Domni Epiſcopi hanc cartam rogatus ſcripſi.

Et ego Antonius ſacri Palatii Notarius exemplavi hunc Inſtrumentum factum per Jacobum Notarium jam dicti Domni Epiſcopi . . . .

Debebantur etiam Decimæ Epiſcopis ex Monaſteriorum prædiis. Has ergo *Tedaldus Epiſcopus Arretinus* Monaſterio Benedictinorum Sanctarum Lucillæ & Floræ illius Urbis dono dedit, ut conſtabit ex Charta, quam authenticam vidi in Archivo ejuſdem Cœnobii.

Teudaldus Epiſcopus Arretinus Monaſterio Sanctarum Floræ & Lucillæ largitur Decimas omnium bonorum Monaſterii ipſius ad ſuum Epiſcopatum ſpectantes, Anno 1023.

IN *Dei nomine. Anno Dominice Incarnationis Milleſimo Vigeſimo Tertio, Anno autem Imperii* Domni Heinrici Romanorum Imperatoris Auguſti *Decimo, Menſe Auguſti, Indictione Sexta. Omnibus fidelibus ſancte Aretine Ecclesie notum eſſe volumus, qualiter in Dei nomine ego* Teudaldus *ſancte* Aretine Sedis Antiſtes, *pro Dei amore, anteceſſorum, ſucceſſorumque noſtrorum Antiſtitum animarum remedio, ad augendum victum atque ſtipendium Cenobitarum Fratrum ibi Deo ſervientium, augere atque conferre, & in perpetuum largire curavimus integrum redditum* omnium Decimationum, que debentur noſtro Epiſcopio, *de omnibus caſis, & rebus, terris, & vineis, domnicatis, & Manſis, que pertinent Ecclesie & Monaſterio Sanctæ Flore Virginis, conſiſtenti in Aritienſi Comitatu, quo preeſt* Abbas Rodulfus. *Prefato autem religioſo Abbati, eorumque ſucceſſoribus in perpetuis largimus atque concedimus ad augendum eorum ſtipendium, ut dictum eſt*, totum redditum omnium Decimationum cunctarum terrarum ad denominatum pertinentium Monaſterium, *ea videlicet conditione, ut idem Rodulfus Abbas, ejuſque ſucceſſores Abbates in perpetuum annualiter cum cunctis Fratribus Sacerdotibus in eodem conſiſtentibus Monaſterio in feſtivitate Sancti Michaëlis Archangeli in Menſe . . . . . quibus licitum fuerit, pro anima noſtra, & anteceſſorum, ſucceſſorumque noſtrorum Pontificum Miſſas canent, & Sacrificium offerant. Et quod omnibus fieri abbominamur modis, ſi ego ipſe Theodaldus Aretinus Pontifex, aut aliquis ex ſucceſſoribus noſtris Epiſcopis, quod Deus prohibeat, predictam Decimationem totius terre, prefato pertinentis Monaſterio, tollere, ſubtrahere vel minuare preſumpſerimus, aut tollentibus vel ſubtrahentibus ipſam Decimationem conſenſum, auctoritatem, vel licentiam ſive permiſſum largire preſumpſerimus, quicumque hoc adtemptare niſus fuerit, anathematis conſtringatur vinculo. Ut noſtra firmior maneat conceſſio, obligamus nos, noſtroſque ſucceſſores Pontifices tibi Rodulfo Abbati, tuiſque ſucceſſoribus Abbatibus, ſicut dictum eſt, Decimationem prefatam vobis tollere vel minuare preſumpſerimus, aut tollentibus vel minuantibus auctoritatem vel conſenſum dederimus, componere promitto ego Teudaldus Epiſcopus, & obligo me meoſque ſucceſſores Pontifices tibi Rodulfo Abbati, tuiſque ſucceſſoribus Abbatibus penam per argentum optimum Libras centum vobis componere & perſolvere debeamus. Unde hæc Carta conceſſionis a me Teodaldo facta eſt, & rogavimus Andream Notarium, ut eam ſcriberet in Comitatu Aretino.*

Ego Teodaldus Epiſcopus *ſubſcripſi.*

✠ *Ego Georgius Presbyter & Vicedominus ſubſcripſi.*

Lambertus Judex rogatus teſtis ſubſcripſi.

Andreas Notarius ſcripſit & complevit.

Ut omnes norunt, *Tedaldus* iſte germanus frater fuit *Bonifacii Marchionis*, & Ducis Tuſciæ, de quo ſupra egimus; eumque multis commendat Donizo in Vita Comitiſſæ Mathildis Libro primo Cap. 4. & ſequenti. Quid etiam præſtiterint Patavini Epiſcopi erga inſigne Monaſterium Benedictinorum Sanctæ Juſtinæ ab iis conditum, ſubſequens Charta oſtendet, quam ex Regeſto ejuſdem Cœnobii ego olim deſcribebam. Heic autem deprehenduntur exordia celeberrimi loci, unde poſtea per Italiam manavit nobiliſſima Congregatio Caſinenſium adhuc vigens, ſimulque enumerantur *Decimæ* & *Quartæ* eidem Monaſterio donatæ: qua de re vide Diſſertationem **XXXIV.** *de Diplomatis*.

Bur-

Burchardus Epiſcopus Patavinus Monaſterio Sanctæ Juſtinæ omnes anteceſſorum ſuorum Epiſcoporum donationes confirmat, & nova adjicit, Anno 1034.

IN *nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti; Anno Incarnationis ejuſdem Redemptoris noſtri MXXXIV. Octavo* Domni Conradi Imperatoris Auguſti *Anno, Indictione Secunda. Ego in Dei omnipotentis nomine* Burchardus *ſanctæ* Patavenſis Eccleſiæ Epiſcopus, *cum legamus, Apoſtolum per enumerationem multorum, quos pro Chriſto pertulit, laborum, omnia eſſe exteriora retuliſſe in comparacione illius ſollicitudinis, quam de omnibus habebat Eccleſiis, infeliciſſimos & miſerrimos credimus exiſtere, qui de ſibi ſaltem commiſſis eamdem ſollicitudinem habere contendunt. Hanc igitur ſollicitudinem venerabilis* Gauslinus Patavenſis Epiſcopus *vigilanter exhibuit, quando ſuper omnia, quæ bona egit diligencia, de ſibi commiſſis non modicam habuit, videlicet de Eccleſia Sanctæ Juſtinæ Virginis, quæ ſita eſt foris Civitatem Patavenſem, quam olim quaſi deſtructam ac deſolatam pene ab omnibus . . . . . . pro Dei amore & veneracione ejuſdem Sanctæ Juſtinæ Monaſterium ibi conſtruxit, & Abbatem atque Monachos ordinavit, atque ex ipſius Epiſcopii rebus donacionem tantam donavit, ut aliquantulum ibi Deo ſervientes poſſint vivere. Poſt hunc igitur* Urſus *venerabilis* ejuſdem *ſanctæ* Sedis Epiſcopus, *ſicut multum vixerat, ita multùm Monaſterium auxerat hoc modo. Conceſſit ergo illic Molinos quatuor in fluvio, qui dicitur Rotrone. Et Eccleſiam unam in honore Sancti Archangeli dedicatam, in loco, qui dicitur Vantio: & terra, quæ vocatur Senedo, cum ſuis finibus & terratico & terra: & Vineas, qui dicitur Pratonovo: & Vineas de loco, qui dicitur Radena. Item Eccleſia Sancti Martini prope Monteſilice cum caſis &c.* cum Quartis & Decimis, *maſſariciis etiam de loco Tribiano, & in Pronominas & in Caput Silvæ, & in Aire. Curtem verò unam, quæ dicitur Manſionem in Comitatu Vicentino, cum Capella, quæ eſt conſecrata in honore Sancti Galli, cum omnibus rebus &c. Quapropter & ego Burchardus ejuſdem ſanctæ Patavinæ quamvis indignus Epiſcopus, timens Dei judicium de futura examinacione, qua unicuique ſecundùm ſuum laborem meritum diſtribuitur, do & confirmo ejuſdem Sanctæ Juſtinæ Cœnobio foris Civitate ſcito, omnia, quæ mei Anteceſſores dabant, & proprie dabant. Inſuper etiam pro remedio animæ meæ, & anteceſſorum & ſucceſſorum meorum, pro ut mihi facultas impreſentiarum eſt, concedo & perpetualiter confirmo omnia hæc, quorum nomina ſubſcripta ſunt. In primis namque offertam ejuſdem Monaſterii Sanctæ Juſtinæ ex integro. Eccleſiam vero Sancti Angeli* cum Decimis & Quartis. *Conceſſimus inſuper* Decimas de Curte, *quæ dicitur* Mazerata, & Quartis; Decimas de Corniclana; Decimas de Braidepalea; Decimas de Caſamurata; Decimas de Vico Leonis; Decimas de Carpeneto; & Decimas de Robolone, *ſimul & cluſura. Hæc igitur omnia, quæ hic commemorantur, & ipſi Servi Dei nunc habent & habituri vel adquiſituri ſunt quocumque recto modo vel lege & noſtra conceſſione, & ſucceſſorum meorum, & cum laudacione noſtrorum Clericorum & Laicorum, concedo eis per hujus Decreti paginam, cum omnibus ſuis pertinentiis & condicionibus,* Decimis *&c. atque omnia, quæ legaliter ad præſcripta loca pertinere videntur.*

Ego Burchardus Patavenſis Epiſcopus *ſcribendo propria manu confirmavi & corroboravi.*

Ego Eldinus Archipresbiter in hanc paginam offerſionis conſenſi & ſubſcripſi.

Ego Ino Presbiter manu mea ſubſcripſi.

Ego Johannes Presbiter manu mea ſubſcripſi. &c.

Signum ✠ manibus Johannes Scutiber teſte. &c.

Signum ✠ manibus Bernardo teſte.

Signum ✠ manibus Adam teſte. Omnes iſtos Vaſſi Doni Burchardi Epiſcopi.

Quid nomine *Quartarum* in hac donatione ſignificetur, decernere non auſim. Præter Quartam oblationum Eccleſiæ, de qua multus eſt ſermo in ſacris Canonibus, & quam commemorat apud Ughellium Charta Rotaldi Veronenſis Epiſcopi ſupra laudata, erant *Quartæ*, quæ ex reditibus prædiorum Eccleſiæ præſtabantur. Erant & *Quartæ Decimationum*, uti Du-Cangius in Gloſſario oſtendit. Quidnam ex his velit Charta Patavina, manifeſtum quidem fuit Patavii, quum ea ſcriberentur, ſed obſcurum temporibus noſtris, aut ſaltem mihi. Cum his quæſo confer Chartam, quam ex Archivo Archiepiſcopii Lucenſis deſcripſi, ubi occurrit *Quarta portio de Decimatione Longobardorum*: quæ verba ſignificare videntur quartam partem Decimarum Epiſcopo debitarum ruralibus Parochis fuiſſe aſſignatam.

Sententia Gregorii Cardinalis Apoſtolicæ Sedis Legati in Placito Lucenſi de controverſia Decimarum inter Adam Plebanum Buzanenſem, & Johannem Abbatem, Anno 1113.

Dum in Dei nomine, infra Lucenſe Civitatem in Canonica Sancti Martini reſedente Gregorio Cardinale Legato Apoſtolice Sedis, *adeſſent cum eo .... ſcupo, reſedentibus cum illis Canonicis ejuſdem Eccleſie Sancti Martini, ſcilicet Huberto Archipresbytero, & Ugo Archidiacono, & Rainerio Primicerio .... Benedicto Diacono, cum aliis omnibus Confratribus, & Ricardo Judice, & Ublaudo Cauſidico, & Conrado Notario, & Guido quondam Ildebrandi, & Bruno quondam ..... & Johanne Mactemtani, Plobanus nomine Adam Eccleſie Sancte Marie, Sanctique Johannis Pattiſte de Maſſa Buzaneſe, reclamavit jan dicto Cardinali adversùs Abbatem de Monaſterio Sancte Marie de Buzano, de tertia portione mortuorum, de omnibus hominibus abitantibus in loco Buzano*, & de quarta portione de Decimatione Longobardorum, & de aliis hominibus abitantibus in confinibus de loco Bujano, *quas ei injuſte auferebat. Incepto itaque judicio, predictus Adam Plebanus hoſtendit ſcriptionem, quam quidam* Johannes Abbas *de eodem loco Bujano facta abebat in manum* Anſelmi Epiſcupi Lucane Eccleſie, *de jan dicte partis mortuorum & Decimationum non debeat moleſtare vel inquietare jam dictam Plebem. Ad hec ex parte jan dicti Abbatis ſic reſponſum fuit, quod* Decimatione Longobardorum *aliquis Plobanus non ...... tertiam vero portionem mortuorum poſſeſſam abebat per quadraginta annos quiete. Et ipſe Plebanus dicebat, quod ipſam poſſeſſionem interruptam aberet per predictos quadraginta annos, in Placito hoc reclamatum abebat, & predictam portionem ſepe relecta abebat. Tunc jan dictus Gregorius Cardinalis & Legatus Romane Sedis, auditas utriuſque rationes, talem ſententiam predictam litem difinivit proferens in ſententia ſic ...... tus eſt, quod* quartam portionem de Decimatione *non debere auferre a Plebe. Hoc Preceptum fuit*

A
Anſelmi Epiſcupi, quod omnes Plebes ſui Epiſcupatus quartam portionem omnium Decimationum *aberent. Et ipſe Cardinalis & Legatus firmiter precepit jan dicto* Vitali Abbati, *quod amplius jam dictam Plebem nec ipſe neque ſui Succeſſores inquietarent vel moleſtarent. De tertia portione mortuorum ſic definivit: ſi ipſe Plebanus juraſſet, & ſi ipſe aberet interrumtam poſſeſſionem, aut per reclamationem, aut per recoltum, amplius ipſe ...... ex hoc non ſe intromitteret. Statim Martinus Presbiter ejuſdem Plebes cum parabula Andruini Diaconi ſui Confratri juravit, quod predictam poſſeſſionem interrutam erat per .... tionem in Sinodo, & per recoltum. Et ipſe Abbas dedit inveſti-*
B
tionem in manum predicti Cardinalis & Legati, obedire & obſervare hoc omni tempore ipſe & ſui Succeſſores.

Exinde hanc Notitia ego Hugo Notarius Domni Regis ex juſſione jam dicti Gregorii Cardinalis & Legati ſcripſi.

Actum Luca, Anno Domini noſtri Jeſu Chriſti Milleſimo Centeſimo Tertiodecimo, XVII. Kalendas Hoctobris, Indictione Septima.

Conradus Notarius Domni Imperatoris, qui ibidem fuit.

Ut hoc etiam addam, Monaſterio Sanctæ Mariæ ad Carceres, a Principibus Ateſtinis in agro Ateſtino jamdiu exſtructo, erant multa bona in Curia Sancti Zenonis Diſtrictus Veronenſis ſita. En ut *Theobaldus Veronenſis An-*
C
tiſtes Canonicis Regularibus in eodem Ateſtino Monaſterio habitantibus Decimas eorumdem prædiorum dimittit ac donat. Chartam ego deſcripſi e Regeſto antiquo ipſius Cœnobii, quod Venetiis vidi apud Nobiles viros Carminatos Patricios Venetos, in quos Monaſterii illius bona una cum Chartis ad ipſum ſpectantibus translata fuere. Interfuerunt teſtes *Fulco & Albertus Marchiones* Eſtenſes, de quibus plura attuli in Antiquitatibus Eſtenſibus.

Inveſtitura Decimarum de omnibus terris, quas Monaſterium Sanctæ Mariæ ad Carceres habet in Curia Sancti Zenonis, data a Theobaldo Epiſcopo Veronenſe Dominico Priori ejuſdem Monaſterii, Anno 1150.

In nomine Domini Dei & Hominis. Anno ejuſdem MCL. Menſe Decembri, die Sabbati XIV. Indictione XIII. preſentia bonorum hominum, quorum nomina leguntur inferius. Thebaldus *Dei gratia* Verone Epiſcopus *pro remedio anime ſue, ſuorumque Predeceſſorum, cum baculo, quem in manu tenebat, inveſtivit* Dominicum Priorem Sancte Marie de Carcere de Decima cum omni jure Decimationis omnium terrarum, *quas nunc habet Sancte Marie de Carcere Eccleſia, vel erit de cetero acquiſitura in fondo & Curia Sancti Zenonis Veronenſis Dioceſis. Unde duplam warentationem defenſionemque promiſit.*

Actum ante Eccleſiam Trium Comitatuum. Rogati ſunt teſtes Fulco & Albertus Marchio-
D
nes, *Albertus de Bahone, Tintinus de Lendenaria, Albericus frater ejus, Rolandus de Urbana, Marrabotus de Verona, Ugo Judex de Padua cum aliis non paucis.*

Ego Thebaldus Veronenſis Epiſcopus *ſubſcripſi.*

Ego Adam Cauſidicus interfui & ſubſcripſi.

Jonas Cauſidicus idemque Tabellio ſupradictus interfui & rogatus ſcripſi.

Ita & in Sanctimoniales conſtat fuiſſe tranſlatum jus Decimandi in aliquo Vico: quod non ab aliis illæ accepiſſe videntur, niſi ab Epiſcopis in eas munificis. Monaſterio ſacrarum Virginum Sanctæ Euphemiæ Mutinenſium Urbanus Papa III. Anno Chriſti MCLXXXVII. confirmavit *Decimas molendini Epiſcopi quod eſt*

eſt in Porta Cittanovæ : & Decimas & reditus in Sorbaria : & Decimas , quas a quadraginta annis Eccleſia veſtra rationabiliter & pacifice *tenuit* . Bullam , quam authenticam vidi , in illuſtris & antiquiſſimi loci decus exerere volo, deſumtam ex Archivo ejuſdem Monaſterii.

Urbani III. Bulla , qua Monialibus Sanctæ Euphemiæ Mutinenſis omnia illorum bona & privilegia confirmat, Anno 1187.

URbanus Epiſcopus *ſervus ſervorum Dei, dilectis in Chriſto filiabus* Marie Abbatiſſe Sancte Euſemie Mutinenſis, *ejuſque Sororibus tam preſentibus quam futuris Monaſticam vitam profeſſis in perpetuum . Prudentibus Virginibus , que ſub habitu religionis accenſis lampadibus per opera ſanctitatis ſe jugiter preparant ire obviam Sponſo , Sedes Apoſtolica debet preſidium impertiri , ne forte cujuslibet temeritatis incurſus aut eas a propoſito revocet , aut robur , quod abſit , ſacre religionis infringat . Eapropter , dilecte in Chriſto filie , veſtris juſtis poſtulationibus clementer annuimus , & prefatam Eccleſiam Sancte Euſemie , in qua divino eſtis obſequio mancipate , ſub beati Petri, & noſtra protectione ſuſcipimus , & preſentis ſcripti Privilegio communimus . In primis ſiquidem ſtatuentes , ut Ordo Monaſticus, qui ſecundùm Deum , & beati Benedicti Regulam in eodem loco inſtitutus eſſe dinoſcitur , perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter obſervetur . Propterea quaſcumque poſſeſſiones , quecumque bona eadem Eccleſia in preſentiarum juſte & canonice poſſidet , aut in futurum conceſſione Pontificum , largitione Regum , vel Principum oblatione fidelium , ſeu aliis juſtis modis preſtante Domino poterit adipiſci, firma vobis veſtriſque ſuccedentibus & illibata permaneant . In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis . Locum ipſum , in quo prefata Eccleſia ſita eſt , cum omnibus pertinentiis ſuis ; poſſeſſiones , quas habetis in Civitate & extra Civitatem, ſcilicet domos , caſamenta , & ortos cum omnibus pertinentiis ; molendinum , quod eſt in Porta Bajoarie*; Decimas quoque molendini Epiſcopi, quod eſt in Porta Citanove ; *Braidam , quam olim tenuit Johannes Bonifacii ; Braidam vineatam, quam tenent Domini de Marano in locatione ; Braidas etiam alias & redditus , quos habetis extra Civitatem ; Terras, quas olim tenuit Hugolinus & Pincerna de Giſano ; Poſſeſſiones & redditus , quos habetis apud Sanctum Petrum de Inſula , & in Sulignano*; Decimas & redditus , quos habetis in Sorbaria; *& quicquid habetis in Vignola , & in ceteris aliis locis* ; Decimas etiam , quas a quadraginta annis Eccleſia veſtra rationabiliter & pacifice tenuit , *vobis nihilominus auctoritate Apoſtolica confirmamus , Privilegiis noſtris ex hoc nullum prejudicium habituris . Sane novalium veſtrorum , que propriis manibus aut ſumptibus colitis , ſive de nutrimentis animalium veſtrorum* Decimas *a vobis nullus extorquere preſumat . Liceat quoque vobis , perſonas e ſeculo fugientes , liberas & abſolutas ad converſionem recipere , & eas ſine contradictione aliqua retinere . Prohibemus inſuper, ne ulli Sororum veſtrarum poſt factam in eodem Loco profeſſionem fas ſit ſine Abbatiſſe ſue licentia , niſi arctioris Religionis optentu , de eodem loco diſcedere ; diſcedentem vero abſque communium Literarum cautione nullus audeat retinere . Cum autem generale Interdictum Terre fuerit , liceat vobis , clauſis januis , excluſis excommunicatis & interdictis, non pulſatis campanis , ſuppreſsâ voce divina Officia celebrare . Auctoritate quoque Apoſtolica prohibemus , ne quis in vos vel Eccleſiam veſtram excommunicationis , ſuſpenſionis , vel interdicti ſententiam , ſine manifeſta & rationabili cauſa promulget , aut novas & indebitas exactiones vobis vel hominibus veſtris imponat . Sepulturam quoque ipſius loci liberam eſſe decernimus , ut eorum devotioni , & extreme voluntati, qui ſe illic ſepeliri deliberaverit , niſi fortè excommunicati ſint vel interdicti , nullus obſiſtat , ſalva tamen juſtitia illarum Eccleſiarum , a quibus mortuorum corpora aſſumuntur . Obeunte vero te nunc ejuſdem Eccleſie Abbatiſſa, vel tuarum qualibet ſuccedentium , nulla ibi qualibet ſubreptionis aſtutiâ ſeu violentiâ preponatur , niſi quam Sorores communi conſenſu , vel Sororum major pars conſilii ſanioris ſecundùm Dei timorem, & beati Benedicti Regulam providerint eligendam . Decernimus ergo, ut nulli &c. Salvâ Sedis Apoſtolice auctoritate , & Dioceſani Epiſcopi canonicâ juſtitiâ . Si qua igitur in futurum &c.*




BENE VALETE

Ego Urbanus Catholice Eccleſie Epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Henricus Albanenſis Epiſcopus ſubſcripſi .
Ego Paulus Preneſtinus Epiſcopus ſubſcripſi .
Ego Theobaldus Hoſtienſis & Velletrenſis Epiſcopus ſubſcripſi .
Ego Petrus de Bon. Presbyter Cardinalis tituli Sancte Suſanne ſubſcripſi .
Ego Laborans Presbyter Cardinalis Sancte Marie trans Tiberim titulo Calixti ſubſcripſi .
Ego Pandulfus Presbyter Cardinalis titulo duodecim Apoſtolorum ſubſcripſi .

Ego Melior Presbyter Cardinalis Sanctorum Johannis & Pauli titulo Pamachii ſubſcripſi.
Ego Adelardus titulo Sancti Marcelli Presbyter Cardinalis ſubſcripſi.
Ego Jacintus Sancte Marie in Coſmidyn Diaconus Cardinalis ſubſcripſi.
Ego Gratianus Sanctorum Coſme & Damiani Diaconus Cardinalis ſubſcripſi.
Ego Rollandus Sancte Marie in Porticu Diaconus Cardinalis ſubſcripſi.
Ego Petrus Sancti Nicolai in Carcere Tuliano ſubſcripſi.
Ego Radulfus Sancti Georgii ad Velum Aureum Diaconus Cardinalis ſubſcripſi.
Datum Verone, per manum Alberti Sancte Romane Eccleſie Presbyteri Cardinalis & Cancellarii, Secundo Nonas Junii, Indictione Quinta, Incarnationis Dominice Anno MCLXXXVII. Pontificatus vero Domni Urbani Pape III. Anno Secundo.

Pendet hæc Bulla Plumbea.



Denique ut pateat, in Sæculares quoque viros translatum olim fuiſſe jus Decimarum ad unos Epiſcopos pertinentium, præſto mihi ſunt, ut alia monumenta omittam, acta inter *Azonem VI. Marchionem Eſtenſem*, & *Iſaachum Epiſcopum Adrienſem*. Nimirum titulo Feudi a Præſule illo Curiam Adriani, nunc *l'Iſola d'Ariano*, recepit Marchio, *ſecundùm quod ſui Anteceſſores olim tenuerunt*. Contra variorum locorum *Decimæ* ab eodem Marchione Epiſcopo reſtituuntur. Excerpſi hæc omnia ex ſæpe memorati Priſciani Collectaneis MStis, in Bibliotheca Eſtenſi adſervatis.

Ceſſio nonnullarum Decimarum facta Iſaacho Epiſcopo Adrienſi ab Azone VI. Marchione Eſtenſi pro cambio Caſtri Adriani, Anno 1195.

D*Ie Sabbati Decimo intrante Menſe Junii, in Rodigio ſub porticu* domus Cuporum Marchionis, *in preſentia Presbiteri Mediiabbatis, Presbiteri Johannis Capellani Epiſcopi, Presbiteri Mauriſii, Placiti Clerici, Manfredini de Timeclo, Taurelli de Auguello, Bartholomei de Martito Turſo, Gregorii ejus fratris, Petri de Caſtilleno, Johannis Dominici ejus fratris, Jacomini de Giſia, Guizardini Opicii de Mara, Marii, & aliorum. Ibique* Dominus Azo Eſtenſis Marchio *pro cambio Caſtri Adriani cum ſuis pertinentiis, quod* Dominus Yſac Adrienſis Epiſcopus *ibidem Domino Marchioni ad Pheudum dederat, in manum ipſius Domini Epiſcopi* refutavit totam ſuam Decimam, quam habet, vel habere potuerit in terra & aqua in pertinentia Mardimagi; & totam Decimam ſuam, quam in pertinentia Rodigii a latere Sanctæ Juſtinæ in terra & aqua, novam & veterem habet vel habere potuerit, exceptâ Decimâ pertinentiæ Grumpi, & Decimam pertinentiæ Conchederamo. Refutavit ſimiliter totam Decimam, quam habet, vel habere poterit in pertinentia Arquadæ. Et in omnibus prædictarum Decimarum refutationibus, a ſuis Majoribus vel ab eo infeudata exceptuavit. *Et dedit Catanium ad dandam tenutam prædictarum Decimarum Domino Epiſcopo jam dicto. Inſuper nominatus* Dominus Azo *ſub pena centum Librarum Imperialium per ſe ſuoſque heredes Adrienſi Epiſcopo præfato, ſuiſque ſucceſſoribus, ſtipulatione promiſit prædictas Decimas ab omni homine legitime defendere & auctorizare.*

Actum eſt hoc Anno Domini Milleſimo Centeſimo Nonageſimo Quinto, Indicione XIII.

Ego Gerardus Sacri Palatii Notarius interfui, & hoc Breve ſcripſi.

Inve-

Inveſtitura Caſtri & Curiæ Adriani data ab Iſaacho Epiſcopo Adrienſe Azoni VI. Marchioni Eſtenſi, Anno 1195.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Anno Dominicæ Nativitatis Milleſimo Centeſimo Nonageſimo Quinto, die V. exeunte Menſe Decembris, Indictione XIII. in preſentia Sacerdotum Johannis Capellani Adrienſis Epiſcopi, Odorici Monteſilicis, Bartholomei de Villa, Suſinelli Ferrariæ, Ottolini de Maxnardo, Ubertini Claudi, Fulcolini ejus filii, Panis de Campo Vicentiæ, Gerardi Notarii, Gambarini de Caſtello Veronæ, Odonis filii Alberici de Fonta de Monteſilice, Henrigeti de Saratico, Alberici de Faventia, & aliorum multorum. In prædictorum præſentia Dominus Iſach Adrienſis Epiſcopus *inveſtivit* Dominum Azonem Eſtenſem Marchionem *ad Feudum, ſecundùm quod aliud ſuum Feudum ab Adrienſi Epiſcopatu habet, de tota Curia, & Cura, ſeu pertinentia Adriani, excepto de Decima & poſſeſſionibus Eccleſiarum prædictæ Curiæ & pertinentiæ Adriani, & excepto de nemore, quod Epiſcopus & ſui ſucceſſores convenienter tantùm quantùm ad utilitatem Adrienſis Epiſcopatus ſufficiat, habere debet. Ita tamen quod prædictus Marchio, nec ejus heredes, totam prædictam Curiam vel majorem partem infeudare non poſſit. Et hoc totum fecit Epiſcopus ad hoc, quod prædictus Marchio conveniens cambium, ſecundùm quod ſtatutum erat, Epiſcopo de tota jam dicta Curia, ſeu Cura dare debeat.*

Actum in Caſtro Adriani ante Eccleſiam Sancti Nicolai. Et ſciendum, quod jam dictus Epiſcopus dedit Taurellum filium Agolini de Rodigio, qui mittat jam dictum Marchionem in tenutam de jam dicto Feudo.

Ego Manfredinus ſacri Palatii, atque Domini Frederici Imperatoris Notarius, hanc Cartam, ut ſupra legitur, juſſu prædictorum Dominorum ſcripſi & firmavi.

Altera Inveſtitura Caſtri & Curiæ Adriani data Azoni VI. Marchioni Eſtenſi ab Iſaacho Epiſcopo Adrienſe, coram Guilielmo Archiepiſcopo Ravennate, Anno 1195.

IN nomine Domini. Milleſimo Centeſimo Nonageſimo Quinto, Indictione XIII. die Quinto exeunte Menſe Decembri. Literæ recordationis ad memoriam habendam, qualiter Dominus Yſach Adrienſis Epiſcopus *inveſtivit* Dominum Azonem Marchionem *ad Feudum & nomine Feudi, & recipientem pro ſe & ſuis heredibus, ſecundùm quod ſui anteceſſores olim tenuerunt, & poſſederunt a dicto Epiſcopatu Adrienſi, de Caſtro Adriani, & pertinenciis dictæ Curiæ Adriani, excepto de Decima dicti Caſtri Adriani: quam Decimam tenuit in ſe; & excepto de Nemore, quod Epiſcopus & ſui anteceſſores convenienter tantùm quantùm ad utilitatem Adrienſis Epiſcopatus ſufficiat.* Et etiam inveſtivit dictum Dominum Azonem de omnibus infraſcriptis Decimis. In primis de tota Decima Sarzani. Item de medietate Decimæ Mardimagi. Item de tota Decima Buſii. Item de tota Decima Coſtæ. Item de tota Decima Arquadæ. Item de tota Decima Gragnani. Item de tota Decima Conchederamo. Item de tota Decima Roverdecreti. Item de tota Decima Grompi, ubicumque conſiſtant. *Qua inveſtitione facta prædictus Dominus Azo Eſtenſis Marchio, nomine antedicto, omnibus capitulis Fidelitatis ſibi expreſſis, prædicto Domino Epiſcopo & ſuis Catholicis ſucceſſoribus, & Eccleſiæ Adrienſi, tactis ſacroſanctis Evangeliis, oſculo pacis inter eos, Fidelitatem juravit.*

Et hoc actum eſt in Caſtro Argentæ. Ad hoc fuerunt teſtes Dominus Gulielmus *Dei gratia Sanctæ* Ravennatis Eccleſiæ Archiepiſcopus, *Petrusbonus de Paganis, Oldoricus Montiſſilicis, Bartholomeus Nepos dicti Archiepiſcopi, Otolenus de Mainardo, Ubertinus Claudi, Fuſcolinus a Filiis, Gerardus Notarius, & alii plures.*

Et ego Jacominus Domini Henrici Imperatoris Notarius, ad hæc præſens interfui, & ut vidi & audivi atque intellexi, rogatus ſcribere ſcripſi.

Hiſce addo Chartam, quam ad me miſit amantiſſimus mei vir Joſeph Antenor Scalabrinius, mihi non ſemel laudatus, quum & ipſa ad hocce argumentum ſpectet.

Inve-

Inveſtitura Decimarum data Aldigerio Judici a Gratiano Epiſcopo Ferrarienſi, Anno 1083.

IN *nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Anno Dominicæ Incarnationis Milleſimo Octuageſimo Tertio*, in electione Gregorii Papæ *Anno primo*, *Regnante* Domno Henrico quondam Henrici Imperatoris filio *Anno XX. ſexto Februarii*, *indictione VI. in Epiſcopio & Palatio Sancti Georgii. Breve recordationis ad memoriam retinendam, qualiter* Domnus Gratianus, *dum teneret Curiam præſentibus Vaſallis*, inveſtivit Aldigerium Judicem de Decimis omnium poſſeſſionum ſuarum, *quas habet & acquirere poteſt tam ipſe quam ſui heredes* in toto Epiſcopatu Ferrariæ; *domo Aldigerorum dedit* hanc Decimam Eccleſiæ Sanctæ Crucis. *Quam inveſtitionem fecit Domnus Gratianus Epiſcopus in præſentia Petri Taurelli, Guielmi de Marcheſella, & Petri de Arimondo, & Verardus, & Rotebono, & Ubertego, & Helmo & multi alii.*

Et me præſentem Domnum Gregorium Presbyterum & ſanctæ Ferrarienſis Eccleſiæ Notarium de Civitate Ferrariæ, in qua & nos firmavimus ſub Indictionibus ſupraſcriptis omnibus.

Signum manus teſtium, ideſt

✠ *Petri Taurelli,*
✠ *Guielmi de Marcheſella,*
✠ *Et Petri de Arimondo,*
✠ *Verardus de Sichelma,*
✠ *Et Guerzo.*

Et multi alii teſtium in omnibus, ſicut ſuperius legitur.

Præcedenti quoque Sæculo X. in uſu fuiſſe ejuſmodi Decimarum mercatum, minime ſane probandum, docuit me Charta Lucenſis Archiepiſcopii, ſcripta Anno DCCCCXCI. in

A qua *Theudicius Comes quondam Gerardi filius* Emphyteuſis titulo accipit a *Gerardo Lucenſe Epiſcopo* varia bona ſpectantia ad Eccleſiam Sancti Juſti, Plebem Baptiſmalem in loco Padule, una cum *Decimis* Villarum eidem Plebi ſubjectarum, *pro ſe ac heredibus ſuis*. E quibus intelligas, quare circiter Annum Chriſti MCL. Gerohus Præpoſitus Reicherſpergenſis in Libro de corrupto Eccleſiæ Statu, quem Baluzius publici juris fecit Tomo quincto Miſcellaneorum, hæc ſcripſerit pag. 90. *Similiter*, inquit, *& inter Laicos vix invenias in ordine Militari aliquem ſuis contentum ſtipendiis, ad Sæcularem videlicet Militiam pertinentibus, ita ut non ha-* B *beant Decimas, militiæ Spirituali potius quàm Sæculari divinâ ordinatione deſtinatas*. Quibus autem ex rebus alicubi, ſi non ubique, Decimæ penderentur, edocebit nos Charta, ex Archivo Patrum Ordinis Sancti Auguſtini Senenſium deprompta, quam debeo ſæpe laudato Huberto Benvogliento olim ejuſdem Civitatis Patricio. Hinc eruet Lector, ſimulque cum admiratione intelliget, quàm rigide olim nonnulli Epiſcopi Decimas a Populo exigerent. Nimirum pendebantur eis Decimæ tam *ex labore*, ideſt culturâ agrorum, quàm *ex venditione*, *beſtiis*, *vitulis*, *porcis*, *pecoribus*, *jumentis*, *volatilibus*, *ſive qualibet re*, *ferro*, *argento*, *ſeu exoſa* (corru- C ptam ab Amanuenſibus hanc vocem puto) hominum habitantium in Villis Epiſcopatus Roſellenſis, nunc Groſſetani. Animadvertas etiam velim, *Berardum Epiſcopum Roſellenſem*, ad quem Charta, nunc mihi evulganda, ſpectat, ignotum fuiſſe Ughellio, ac proinde addendum catalogo eorumdem Præſulum in Italia Sacra.

Berardus Roſellenſis Epiſcopus varias Decimas in Emphyteuſim concedit Rainerio Abbati Sancti Bartholomæi Seſtingenſis, Anno 1118.

IN *nomine Sancte & individue Trinitatis. Anno ab Incarnationis ejus, hoc eſt Milleſimo Centeſimo octavo Decimo, Menſis ideſt Auguſti, Inditione Undecima. Manifeſtus ſum ego* Berardus *venerabilis* Epiſcopus Eccleſie Sancti Laurentii Epiſcopatus Roſellenſis, *quia per hunc ſcriptum & noſtra convenientia ad* Libellarium nomine *dare atque confirmare previdi tibi* Ranerio *venerabili* Abati Eccleſie & Monaſterii beati Sancti Bartholomei Apoſtoli, *que eſt poſita in loco & vocabulo Seſtinge: ideſt integram medietatem de omni redditu & debito illo ex illis Villis, nominative Seſtinge, & Curte Ramberti, & Valle . . . . ſa, & Prugnani, & Viko, & Caldane, & Creſcie, & Collicle, & Tile, & Ranoclagia, & Perita, & de quanto ſupraſcripte Eccleſie & Monaſterii Sancti Bartholomei adquiſitum habet tam per Cartulam quàm per inveſtitionem, ſcilicet de Alma, & Planculana, & Caralle, & Tatte, & Ravi, & Tablino, & Prata, vel de omnibus aliis Terris & rebus, quas ſupraſcriptum Monaſterium habet adquiſitum, & ſunt pertinentem predictis Monaſterii, quantum debitum & redditum ſingulis hominibus in predictis Villis illis*, que ex Decimatione illorum debiti ſunt reddendum Domui & Epiſcopatui noſtro Sancti Laurentii,

D tam laborem, quàm & vinditionem, & de beſtiis, & vitulis, & porcis, & pecoribus, & jumentis, & volatilibus, ſeu qualibet rem, ferrum, arigentum, ſeu exoſam, ſupraſcriptis hominibus de Tapaſcio uſque in Bronam conſuetudo fuerit reddendum. *Excepto & antepono* illam Decimationem, quam Dodo Epiſcopus dedit per Libellum Teutioni Presbitero, & Urſoni Presbitero. *Nam illa alia omnia & in omnibus ſupraſcriptam medietatem, ſicut Rainerius filius Reffridi per Libellum abuit, in integrum, ſicut ſupra legitur, tibi qui ſupra Rainerio Abati, & in tuis ſucceſſoribus* eam Decimationem *videor habendum, tenendum, recolien-* E *dum, & frugendum, & poſſidendum; ſingulos annos in Menſe Auguſti dare vel exolvere debeatis exinde a penſione denariis de arigento bono & Lucenſi numerus Solidos quatuor & non amplius, per vos aut per Miſſo veſtro, nobis aut ad Miſſo noſtro, & amplius non vobis exinde nulla ſuperimponamus per quodvis ingenium. Si vero adimplentes hec omnia, que ſupra legitur, non vobis exinde foras expellere aut tollere vel ſubtraère ſeu minuare queſierimus per quodvis ingenium: tunc ſpondeo ego qui ſupra Berardus Epiſcopus una cum meis ſucceſſoribus componere tibi qui ſupra Rainerio Abati vel tuis ſucceſſoribus*

bus penam numerum arigenti obtimi Libras viginti. Item repromitto ego, qui ſupra, Rainerius Abbas una cum meis ſucceſſoribus tibi, qui ſupra, Berardo Epiſcopo vel tuis ſucceſſoribus hec omnia adinplere & obſervare, que ſupra legitur. Si non adinpleverimus hec omnia, que ſupra legitur, tunc ſpondeo ego, qui ſupra, Rainerius Abbas una cum meis ſucceſſoribus conponere tibi, qui ſupra Berardo Epiſcopo vel tuis ſucceſſoribus, conponere ſimile pena, ut ſupra, quia inter nos taliter convenit.

In Hiſtoria Bergomate P. Cæleſtini, Literas habemus Adelberti Epiſcopi Bergomatis, quas tamen certas præſtare nolim, immo ſpurias ſuſpicor, quum ſcriptæ dicantur *Regnante Hugone pio Imperatore in Italia*, & notis chronologicis careant. Ibi ſumme pius Præſul Præpoſito Eccleſiæ beati Alexandri donat *omnes Decimas grani cujuſcumque fuerit, & vini, & lignorum, & animalium, boum, porcorum, caprarum*, per aliquot millia paſſuum Bergomatis agri. Dixi nuper, alienum a veritate videri, quod habetur de *Hugone Imperatore*, quando norunt omnes, numquam ipſum ad Imperialem dignitatem conſcendiſſe. Reponat heic aliquis, in Tomo V. Ital. Sacr. pag. 1482. in Appendice ad Epiſcopos Aprutinenſes, Chartam legi ſcriptam *Ab Incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti ſunt Anni Nongenteſimi Vigeſimi Sexti, & regnante Domno Ugone gratia Dei Rege Imperatore Auguſto ſextadecimâ.* Verùm & Charta illa ſuppoſitionis faciem præſefert, ut eædem notæ indicant, atque ibi fortaſſe legendum *Auguſti die ſextadecimâ*. Illud tamen non negabo, videlicet Hugonem Regem ad Imperatorium decus diu inhiaſſe, (non tamen Anno Chriſti DCCCCXXVI.) & Romam propterea petiiſſe, ibique etiam per aliquod tempus dominatum fuiſſe: quod anſam fortaſſis alicui dederit, eumdem appellandi Imperatorem. Vide etiam Diſſertationem XLI. *de Nominibus*, ubi rurſus Ugo Rex *Auguſtus* nuncupatur. Hæc obiter. Nihil tamen adeo luculente oſtendere poſſit, quàm late ſeſe olim extenderint Decimarum jura, quàm Charta ab eodem Ughellio producta Tomo 6 in Epiſcopis Caſertanis. Ibi Carolus II. Rex Siciliæ & Apuliæ, Anno Domini MCCCIII. *Azzoni Caſertano Præſuli* confirmat *Decimas de calcariis terrarum, redditibus in pecunia, ſeu de Tarenis, redditibus gallinarum, caponum & aliorum pullorum, de ſcaticis* (fortè *de eſcaticis*) *porcellis, agnis, ſpallis, olivis, jardinis, uvis vindemialibus, omnibus pratis . . . . armentis jumentorum, bubalorum, vaccarum, gregibus ovium & porcorum, pecunia fidantiæ, firraneorum* (legendum videtur *foreſtarum*, ut infra) *præterquam de forfacturis* &c. *de victualibus omnibus provenientibus ex cæſis montis Gloppæ* &c. *medietatis olivarum, pomorum omnium* &c. *toto vino, olivis, & victualibus omnibus, paſſagio lintrium, ſeu ſcaphæ* &c. *jure plateatici, proventibus bajulationis* &c. *de lino, frumento, hordeo* &c. Addendum tamen eſt, ejuſmodi Decimas Caſertanæ Eccleſiæ donatas antea fuiſſe a piis hominibus *pro ſuorum remiſſione peccaminum*, ideoque ſpectaſſe ad Epiſcopum non ex communi jure Canonum, ſed ex peculiari propter largitatem Fidelium. Eò tamen res tamdem devenit, ut *Decimarum* jura non ſecus, atque Allodia, venumdarentur, donarentur, permutarentur: ex quo factum eſt, ut noſtris quoque temporibus apud quoſdam Nobiles Laicos idem jus in locis nonnullis veluti Allodiale conſervetur. Vide ſubſequentem Chartam, quam legi in antiquo Regeſto Monaſterii Eſtenſis de Carceribus apud Carminatos Patricios Venetos.

Azo VI. Marchio Eſtenſis, Gerardus Epiſcopus Patavinus, & Canonici Regulares Monaſterii Sanctæ Mariæ ad Carceres territorii Eſtenſis, inter ſe commutationem de quibuſdam rebus faciunt, Anno 1198.

IN *Dei nomine. Amen. Anno MCXCVIII. die III. exeunte Aprili, Indictione Prima. In preſentia Domni Zamboni Arch . . . . . Padue, Magiſtri Epiſcopelli, Domni Manfredi Archipresbiteri de Eſte, Domni Jacobi Presbiteri, Domni Enrigeti de Urbana, & aliorum plurium: Dominus Bartholomeus de Villa filius quondam Domini Bartholomei ceſſit, refutavit, ac dedit* Domino Azoni Marchioni d'Eſte totam Decimam, & jus Decimationis, que ab eo habebatur in Feudum in Plebatu Vigozoli, & in ejus fundo, & in ipſo Vigozolo, ſcilicet quartam partem totius Decime. Et ibi in continenti ſupraſcriptus Dominus Marchio Azo eamdem refutavit & dedit Domino Gerardo Paduano Epiſcopo. *Et ibi ſupraſcriptus Dominus Gerardus Epiſcopus* inveſtivit Domnum Livaldum Priorem Sanctæ Mariæ de Carcere, *recipientem pro ſupraſcripta Eccleſia* titulo permutationis, de tota ſupraſcripta Decima Vigozoli & ejus Plebatus, ut amodo ſupraſcripta Eccleſia jure proprietatis ſupraſcriptam Decimam poſſideat & habeat. *Et ibi Domnus Livaldus de conſenſu ſuorum Fratrum inveſtivit & dedit Domino Gerardo Epiſcopo Paduano totam terram & omnes poſſeſſiones, quas Eccleſia predicta habet in Plebatu Ville. Et hoc quidem jure permutationis fecit. Et invicem ſupraſcriptus Prior de evictione & defenſione inter ſe promiſerunt. Et ſi aliqua deceptio in ſupradicta permutatione eſſet, invicem ſe remiſerunt, & precepit unus alteri, ut intret in tenutam. Et ibi in continenti predictus Epiſcopus inveſtivit Marchionem Azonem de ſupraſcripta terra Plebatus Ville ad feudum. Et Dominus Marchio Azo inveſtivit Dominum Bartholomeum de Villa de tota ſupradicta terra Plebatus Ville ad feudum.*

Actum eſt in Palatio Sancte Marie ad Carceres.

Ego Clemens Henrici Imperatoris Notarius interfui, & hec juſſu partium ſcripſi.

Neque ipſi Romani Pontifices olim ejuſmodi conſuetudinem transferendi in Sæculares viros jus Decimarum improbaſſe videntur. En quid egerit Alexander II. Papa, tamquam Lucenſis Epiſcopus, cum quippe Epiſcopatum retinuit ſimul cum Romano Pontificatu. Chartham vidi authenticam in Carthophylacio Archiepiſcopii Lucenſis: *Anno Milleſimo Sexageſimo Quarto, XIV. Kalendas Auguſti, Indictione Secunda. Manifeſtu ſum ego Walfredus Comes filio bone memorie Ardinghi, qui fuit ſimul Comes, quia*

tu

tu Alexander Sancte Romane Eccleſie Preſul & Lucenſis Epiſcopus, per Cartula Livellario nomine, ac cenſum & perſolvendum dediſti mihi &c. Heic enumerantur varia bona, *in Ceula pertinentes de Eccleſia & Plebem Sancte Marie, & Sancti Blaſi, Sanctique Nicholai, & Sancti Johannis Battiſte, quod eſt Plebem Battiſmale, ſita in loco & finibus, ubi dicitur Suvilliane*. Tum recenſentur *Decimæ in Villis & Caſtellis illis, ubi dicitur Caſanova, Monte, qui dicitur Culacci, Sancto Petro Juniciano, Orneto, Solaio, Cameliano*. Reliqua loca omitto. Penſio perſolvenda ſtatuitur argenti Solidis quindecim monetæ Lucenſis. Alias ſimiles Chartas ejuſdem Alexandri Pontificis inſpexi. Præter Decimas, *Nonæ* etiam commemorantur apud antiquos. Inter Leges Langobardicas Caroli Magni, Part. II. Tomi I. Rerum Italicar. Lex ſexageſima hæc habet: *Præcipimus, ut quicumque de rebus Eccleſiaſticis habent, pleniter ſecundùm morem regionis Nonas & Decimas ad ipſas Eccleſias donent*. Vox *donare* idem eſt ac *dare* ſive *tribuere* in hoc loco; eamque adhuc Gallica Lingua adhibet: Audi & Legem 156. ejuſdem Caroli: *De Rebus Eccleſiarum, unde nunc cenſus exeunt, Decima & Nona ſint ſoluta*. Terræ quæcumque, ſive Alodes, ſive Beneficiales aut Emphyteuticæ, Epiſcopo, in cujus Diœceſi erant, aut Parocho, in cujus erant Parochia, pro diverſitate regionum, Decimam omnium fructuum debebant. Qui verò terram aliquam Eccleſiæ propriam excolendam accipiebat, præter Decimas cuicumque agro communes, Nonam quoque partem fructuum perſolvere cogebatur Eccleſiæ, ut nunc dicimus, directæ Dominæ terræ illius. Proinde quæ ſupra nobis occurrerunt *Quartæ*, fortaſſis eâdem ratione intelligendæ ſunt fuiſſe quarta pars proventuum, quæ Eccleſiæ de terris ſuis propriis a colonis aut emphyteutis debebatur. In Charta *conventionis* initæ Anno MCCCCXXI. inter Nicolaum Marchionem Eſtenſem Dominum Ferrariæ atque aliarum Urbium, ac Thomam Perondulum Archiepiſcopum Ravennatem pro Oppido Argentæ, Marchio concedit eidem Præſuli *Decimam, & jus Decimandi totam Villam Paviolæ, ſecundùm formam & modum, ſecundùm quem ipſe Dominus Marchio & ſui Anteceſſores decimare conſueverunt. Quod ſi contingat, ex dicta Decima, vel ex fructibus omnibus poſſeſſionum & Villæ prædictæ, de jure vel de conſuetudine, ſolvi aliquod Quarteſium, vel Quartam Decimarum alicui Eccleſiæ, & maxime Plebi Sancti Donati* &c. idem Marchio promiſit, *Decimam prædictam & poſſeſſiones & Villam præfatam liberare & liberam facere a dicto Quarteſio, ſine ſolutione dicti Quarteſii, faciendo dictas Eccleſias ſtare contentas per cambium* &c. Norunt autem Eruditi, quibus antiqui Canones, & Decretum ipſius Gratiani perſpecta ſunt, Monachos ipſos, ut antea monui, olim adactos fuiſſe ad pendendam e ſuis prædiis Decimam Epiſcopis, aut Parochialibus Eccleſiis. Hanc autem remittere plerique Paſtores Religionis cauſsâ conſueverunt. Idque præcipue factum, ut ſolertiores Monachi & Canonici Regulares eſſent ad Hoſpitalitatem exercendam erga Peregrinos & Pauperes, ad quod etiam opus Epiſcopi interdum donabant Decimas ſibi ex Laicorum fundis debitas. In hanc rem producere juvabit Chartam, quam e Regeſto olim Monaſterii Eſtenſis ad Carceres, mihi ſupra laudato, deſcripſi,

Bellinus Patavinus Epiſcopus Canonicis Regularibus Monaſterii Sanctæ Mariæ ad Carceres in territorio Eſtenſi, tres partes Decimarum de terris Scudaſciæ largitur, Anno 1144.

In nomine Dei æterni. Anno ejuſdem Incarnationis MCXLIV. Octavodecimo Kalendas Julii, Indictione Septima. Bellinus Paduanus Epiſcopus, *licèt indignus, tibi* Dominico *venerabili* Priori Canonicæ Sanctæ Mariæ *de loco qui dicitur* ad Carceres, *ejuſque ſucceſſoribus in perpetuum. Caritatem, quæ a mero pietatis fonte deſcendit, votis omnibus diligere, complectique debetis &c. Ut igitur hujus caritatis in aliqua particula participes fieri mereamur, cordis in mandibulis ruminantes, ad memoriam reduximus, teque tuamque Congregationem, cui præes, jugiter in paupertatis camino decoqui, & rerum familiarium penuria uſque adeo deprimi, quod nec Clauſtralibus regulariter exercitiis vacare, nec* in ſuſceptione Pauperum & Hoſpitum neceſſariam exhibitionem facere *poteſtis. Proinde neceſſitati veſtræ ſubvenire, manumque conſolationis porrigere, pro ut ad præſens poſſimus, dignum eſſe putamus. Pro remedio itaque animæ noſtræ, omniumque prædeceſſorum & ſucceſſorum noſtrorum Catholicorum, concedimus atque largimur tibi, tuæque Congregationi, tuiſque ſucceſſoribus*, tres portiones omnium Decimarum illarum frugum, *quæ jam natæ ſunt, queve naſcentur in perpetuum in amplis de Scudaſcia, quæ noviter runcata ſunt, queve runcabuntur, & ſpecialiter in Caracetulo, in Fracta, Trium Comitatuum, & in Aucano. Nam quartam portionem, quibus competit, reſervamus Eccleſiis. Has denique* Decimas *ſub tali verbo conditione concedimus, ut eas dumtaxat ad proprios uſus Fratrum*, & ad Pauperum & Hoſpitum ſuſtentationem *colligatis & habeatis, interdictâ penitus inbeneficiandi, locandi, vel ſub aliquo titulo alienandi licentiâ. At vero ſi quis ex vobis vel ſucceſſoribus veſtris aliquid horum fecerit, quod factum fuerit, ſit vacuum prorſus & inutile, nihilque proſit: perſona quoque dantis excommunicationi ſubjaceat, donec reſipuerit & ſatisfecerit. Unde ſi ego, aut ex ſucceſſoribus noſtris contra hanc Cartulam venire preſumſerit, tunc obligamus nos, & ſucceſſores noſtros componere res ablatas in duplum, & inſuper omni tempore in guarentatione ac defenſione perſiſtere. Præterea Privilegium ab anteceſſore noſtro bonæ memoriæ* Sinibaldo *vitæ canonice indultum, & omnia, quæ in eo continentur, plenarie laudamus & confirmamus. Ne autem ea que hucuſque leguntur ab humana memoria decidant, ſed firmiter a nobis facta eſſe credantur, hanc conceſſionis, & liberalitatis paginam Jenanno publico Tabellioni ſcribendam tradidimus, propriique Sigilli noſtri impreſſione corroboramus*.

Actum & datum Paduæ feliciter.

Vidiſti

Vidiſti Decimas haſce Canonicis Regularibus conceſſas, *ut eas dumtaxat ad proprios uſus Fratrum, & ad Pauperum & Hoſpitum ſuſtentationem* colligant. In Diſſertatione ſubſequenti *de Hoſpitalibus* mecum animadvertet Lector, quàm familiare tunc fuerit Monachis, aliiſque Eccleſiaſticis Collegiis, Peregrinos, Ægros, A aliosque Pauperes ad hoſpitium recipere. Tantum hac in re nonnullorum ſtudium fuit, ut & ipſi de menſa ſua quodammodo Decimam Pauperibus conferrent. Id conſtabit ex Charta lacera, quam ex Archivo Monachorum Olivetanorum Sanctæ Mariæ ad Organum Veronæ deſcriptam nunc publici juris facio.

Viti Abbatis Sanctæ Mariæ ad Organum decretum de danda Decima panis & ovorum Pauperibus, Anno 1006.

. . . . *Igitur ego* Vitus . . . . . . *no*, *licet indignus*, *divino præventus preſidio*, *totiuſque noſtræ Congregationis fretus cohortamine*, *non . . . . . . tatis nobis*, *ac Congregationi*, *vel predeceſſoribus*, *ſeu ſucceſſoribus noſtris*, *nec non & univerſis fidelibus . . . . . futura*, Decimas omnium panum, qui cocti in Cellerario a fartoribus in cuſtodiam penoris Monaſterii . . . . . ovorum, quæ vectigaliter antiquitus Monaſterio ad fictum redduntur *pro noſtris animabus . . . . . ſterium ſito*, Pauperibus erogandas *humiliter* ſancimus. *Notificamus inſuper*, *ut ſi noſtrorum . . . . . . largiendo amplius addere voluerit*, *vel aliquis fidelis pro ſuæ animæ remedio caritatem . . . . . . retributione perfrui feliciter valeat &c. . . . . . . Milleſimo Centeſimo Sexto . . . . . .*

Actum in Clauſtro Sanctæ Mariæ in Chriſti nomine feliciter. Amen.


B Similia occurrunt in Bullario Caſinenſi. Sed minime deerant Præſules alii & Parochi, qui nullam erga Monachos indulgentiam exercebant, atque ab iis Decimas rigide exigere ſoliti fuerunt. Romani ergo Pontifices Monaſteriis, quibus exemtio a Decimis per Epiſcopos conceſſa fuerat, ipſam confirmabant; eam autem invitis Epiſcopis, concedere nequaquam conſuevere. Sæculo tamen Duodecimo id moris invectum eſt, ut ſi quos agros ad culturam Monachi redigebant, & quos etiam manibus ſuis excolebant, hos immunes a Decimarum onere haberent. Id in multis Romanorum Pontificum Bullis per Margarinum in Bullario Caſinenſi editis legas. *Novalia*, ſive *Novales* agros appellabant ejuſmodi arva. C Ego uno aut altero exemplo rem confirmabo. Primum erit Bulla Alexandri III. Papæ, cujus archetypum adſervant Monachi Benedictini Mediolanenſes in Cœnobio Sancti Simpliciani.

Alexander Papa III. Abbati Monaſterii Mediolanenſis Sancti Simpliciani omnia illius jura & Privilegia confirmat, Anno 1178.

ALexander Epiſcopus *ſervus ſervorum Dei*, *dilectis filiis* Oprando Abbati Monaſterii Sancti Simpliciani, *ejuſque Fratribus*, *tam præſentibus quàm futuris regularem vitam profeſſis in perpetuum. Quotiens illud a nobis petitur*, *quod Religioni & honeſtati convenire dinoſcitur*, *animo nos decet libenti concedere*, *& preſentium deſideriis congruum impertiri conſenſum. Ea propter*, *dilectiſſimi in Domino Filii*, *veſtris juſtis poſtulationibus clementer annuimus*, *& felicis recordationis patris & prædeceſſoris noſtri Papæ Eugenii veſtigiis inhærentes*, *præfatum Monaſterium*, *in quo divino mancipati eſtis obſequio*, *ſub beati Petri & noſtrâ protectione ſuſcipimus*, *& præſentis ſcripti Privilegio communimus. In primis ſiquidem ſtatuentes*, *ut Ordo Monaſticus*, *qui ſecundùm Dei timorem*, *& beati Benedicti Regulam in Monaſterio veſtro ſtatutus eſſe dinoſcitur*, *perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter obſervetur. Præterea quaſcumque poſſeſſiones*, *quæcumque bona idem Monaſterium in præſentiarum juſte & canonice poſſidet*, *aut in futurum conceſſione Pontificum*, *largitione Regum vel Principum*, *oblatione fidelium*, *ſeu aliis juſtis modis*, *præſtante Domino poterit adipiſci*, *firma vobis*, *veſtriſque ſucceſſoribus & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Eccleſiam videlicet Sanctorum Martyrum Protaſii & Gervaſii*, *atque Capellam Sancti Cypriani cum eorum Parochia*, *& omnibus ſuis pertinentiis*; *Eccleſiam beati Michaëlis*, *quæ dicitur ad Aquæductum*; *Eccleſiam beati Anto-* D *nini de Seniano*, *cum omnibus ad eam pertinentibus*; *Eccleſiam Sancti Salvatoris*; *Eccleſiam beatorum Martyrum Protaſii & Gervaſii ſitam in loco Tregaſio cum Decima*, *& omnibus ſuis pertinentiis*; *Curiam de Affori cum duabus Capellis*, *videlicet Sancti Petri*, *quæ dicitur ad Monachos*, *& Sancti Clementis*; *Eccleſiam Sancti Salvatoris de loco Bruzano*; *Eccleſiam Sancti Gaudentii de Faroa cum omnibus eorum poſſeſſionibus*; *jus quod habetis in Eccleſia Sancti Viti de Lantaze*; *Eccleſiam Sancti Ambroſii de Croveno*, *cum ſuis poſſeſſionibus*; *Eccleſiam Sancti Orici de Fenegro*, *cum omnibus ad eam pertinentibus*; *Curiam de Luirate cum quatuor Capellis*, *videlicet Sancti Martini*, *& Sancti Michaëlis*, *Sancti Petri*, *& Sancti Protaſii*, *cum* E *Parochia*, *Caſtro*, *diſtricto*, *& omnibus ſuis pertinentiis*; *Eccleſias Sancti Syri*, *Sancti Victoris*, *& Sancti Kaloceri de Sepriate*, *cum Parochia*, *& aliis ſuis pertinentiis*; *Eccleſiam Sanctæ Fidis de Summa*, *cum Caſtro & diſtricto*, *& omnibus ſuis pertinentiis*; *Poſſeſſiones*, *quas habetis in Trivilio Craſſo*, *cum Caſtro*, *Villa*, *diſtricto*, *& aliis ſuis pertinentiis*, *in Talamona*, *Morbenio*, Decimas *cum diſtrictis*, *& in Lugari*, *in Sudri*, *in Veddo*, *Priſtino*, *Groſſo*, *cum omnibus ſuis pertinentiis*; *Hoſpitale*, *quod in Parochia veſtra juxta Eccleſiam beati Simpliciani in prædio veſtro conſtructum eſt*; *quicquid in Decimis*, *ſive in libertatibus*, *vel conſuetudinibus ab Epiſcopis vel Regibus legitime vobis conceſſum eſt*. Sane Novalium veſtrorum, quæ propriis manibus, aut ſumpti-

bus colitis, ſive de nutrimentis veſtrorum animalium, nullus a vobis Decimas exigere vel extorquere præſumat. *Liceat quoque vobis, Clericos vel Laicos e ſeculo fugientes, liberos & abſolutos ad converſionem recipere, & eos ſine contradictione aliqua retinere. Obeunte vero te, nunc ejuſdem Loci Abbate, vel tuorum quolibet ſucceſſorum, nullus ibi qualibet ſurreptionis aſtutia ſeu violentia præponatur, niſi quem Fratres communi conſenſu, vel Fratrum pars ſanioris conſilii, ſecundùm Deum & beati Benedicti Regulam præviderunt eligendum. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatum Monaſterium temere perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, aut aliquibus vexationibus fatigare, ſed omnia integra conſerventur eorum, pro quorum gubernatione & ſuſtentatione conceſſa ſunt, uſibus*

A *omnimodis profutura, ſalvâ Sedis Apoſtolicæ auctoritate, & Mediolanenſis Archiepiſcopi canonicâ juſtitiâ. Si qua igitur in futurum Eccleſiaſtica, Seculariſve perſona hanc noſtræ conſtitutionis paginam ſciens contra eam temere venire temptaverit, ſecundo, tertiove commonita, niſi reatum ſuum dignâ ſatisfactione correxerit, poteſtatis, honoriſque ſui dignitate careat, reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat; & a ſacratiſſimo Corpore & Sanguine Dei & Domini Redemptoris noſtri Jeſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem Loco ſua jura ſervantibus ſit pax Domini*
B *noſtri Jeſu Chriſti, quatinus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen, amen, amen.*



Ego Alexander Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus *ſubſcripſi.*



Ego Hubaldus Hoſtienſis Epiſcopus ſubſcripſi.
Ego Philippus Presbyter Cardinalis Sanctorum Johannis & Pauli & Pammachii ſubſcripſi.
Ego Johannes Presbyter Cardinalis Sancti Vitalis tituli Veſtinæ ſubſcripſi.
Ego Petrus Presbyter Cardinalis titulo Sanctæ Suſannæ ſubſcripſi.
Ego Petrus Presbyter Cardinalis titulo Sancti Griſogoni ſubſcripſi.
Ego Cinthius Presbyter Cardinalis titulo Sanctæ Cæciliæ ſubſcripſi.
Ego Hugo Presbyter Cardinalis titulo Sancti Clementis ſubſcripſi.
Ego Jacintus Diaconus Cardinalis titulo Sanctæ Mariæ ſubſcripſi.
Ego Ardicio Diaconus Cardinalis titulo Sancti Theodori in Coſmedin ſubſcripſi.
Ego Laborans Diaconus Cardinalis Sanctæ Mariæ in Porticu *ſubſcripſi.*
Ego Rainerius Diaconus Cardinalis Sancti Georgii ad Velum aureum ſubſcripſi.
Ego Gratianus Diaconus Cardinalis Sanctorum Coſmæ & Damiani ſubſcripſi.
Ego Matthæus Sanctæ Mariæ Novæ Diaconus Cardinalis ſubſcripſi.

Datum Laterani per manum Alberti ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbyteri Cardinalis & Cancellarii, XIII. Kalendas Aprilis, Indictione XI. Incarnationis Dominicæ Anno Milleſimo Centeſimo Septuageſimo Octavo, Pontificatus verò Domini Alexandri Papæ Tertii Anno Vigeſimo.

Alterum exemplum ſubdo Bullæ Eugenii III. quam ex Archivo Noſocomii Senenſis Sanctæ Mariæ de Scala exſcripſit amicus
C olim meus Hubertus Benvoglientus. Pro *Anno MCXLVI.* ſcribendum cenſeo ibi MCXLVII.

Eugenii

Eugenii III. Papæ Bulla, qua omnia jura confirmat Canonicis Regularibus de Vivo, Anno 1147.

EUgenius Epiſcopus, *ſervus ſervorum Dei. Dilectis filiis* Ruſtico Priori *de Vivo, ejuſdemque Fratribus tam preſentibus quàm futuris, Regularem vitam profeſſis in perpetuum. Pie poſtulatio voluntatis effectu debet &c. Monaſterium de Vivo, in quo divino vacatis ſervitio, preſentis ſcripti paginâ communimus. Statuentes, ut quaſcumque poſſeſſiones &c. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: Monaſterium videlicet Sancti Petri in Campo; Monaſterium Sancti Benedicti de Mojano; Monaſterium Sancti Petri in Arnano, cum omnibus bonis & poſſeſſionibus ſuis, quemadmodum a fratre noſtro* Martino Cluſino Epiſcopo *ad reformandam Religionem vobis canonice conceſſa ſunt, & ſcripto ſuo firmata. Quia verò Monachi & Religioſi viri de aliorum fide-* A *lium elemoſinis atque beneficentia debent vivere, auctoritate Apoſtolica conſtituimus*, ut de laboribus, quos propriis manibus, ſumptibuſque colligitis, alicui dare Decimas non cogamini. *Manſuro quoque in perpetuum per Dei gratiam decreto ſancimus, ut Clericos vel Laicos e Seculo fugientes, dummodo nulli conditioni teneantur obnoxii, poſtulatâ ab Epiſcopis ſuis licentiâ, ad converſionem ſuſcipiendi, eiſque Monaſticæ profeſſionis habitum tribuendi facultatem liberam habeatis, abſque aliquorum contradictione ſive moleſtia. Sicque ab omnium hominum infeſtationibus expediti, omnipotentis Dei ſervitio libere & abſque moleſtia inſiſtatis. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum &c. ſalvâ Apoſtolica auctoritate, & Cluſini Epiſcopi canonicâ juſtitiâ. Si qua igitur &c.*



Ego Eugenius Catholice Eccleſie Epiſcopus *ſubſcripſi.*



Ego Theodewinus Sancte Rufine Epiſcopus ſubſcripſi.
Ego Albericus Hoſtienſis Epiſcopus ſubſcripſi.
Ego Iſmarus Tuſculanus Epiſcopus ſubſcripſi.
Ego Hubaldus Presbyter Cardinalis titulo Sanctorum Johannis & Pauli ſubſcripſi.
Ego Guido Presbyter Cardinalis titulo Sancti Laurentii in Damaſo ſubſcripſi.
Ego Oddo Diaconus Cardinalis Sancti Georgii ad Velum aureum ſubſcripſi.
Ego Octavianus Diaconus Cardinalis Sancti Nicolai in Carcere Tulliano ſubſcripſi.
Ego Guido Diaconus Cardinalis Sancte Marie in Porticu ſubſcripſi.
Ego Jacintus Diaconus Cardinalis Sancte Marie in Coſmedin ſubſcripſi.

Datum apud Marturam per manum Guidonis ſancte Romane Eccleſie Diaconi Cardinalis & Cancellarii, Idibus Januariis, Indictione X. Incarnationis Domini noſtri Jeſu Chriſti Anno MCXLVI. Pontificatus verò Domni Eugenii Tertii Pape Anno II.

Hoc autem conſtitutum fuiſſe in Concilio Romano, nimirum ut terræ a Monachis & Canonicis *propriis ſumtibus* vel *laboribus* excultæ, ab onere Decimarum forent immunes, B edocebit nos ſubſequens Charta, cujus authenticum exemplum Mediolani adſervant Sanctimoniales Sanctæ Mariæ in Valle.

Robaldus Archiepiſcopus Mediolanenſis ſecundum ſtatuta Apoſtolicæ Sedis mandat, ne Moniales Sanctæ Mariæ de Montano Decimas cuiquam perſolvant de terris, quas ipſæ ſuis ſumtibus excolunt, circiter Annum 1139.

ROBALDUS *Dei gratiâ ſanctæ* Mediolanenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus. *Dilectæ in Chriſto filiæ* .... Monaſterii Sanctæ Genitricis Virginis Mariæ de Montano Abbatiſſæ, *& ejus Sororibus tam præſentibus quàm futuris in perpetuum. Venerabilis Pater noſter &* Dominus Papa Innocentius, *in Piſana reſidens Synodo, aſtantibus religioſis Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, & aliis Sacerdotibus, Clericis, hoc promulgavit decretum, ut videlicet* Monachi, & Regulares Canonici de laboribus terrarum, quas propriis excolunt ſumptibus, Decimas nullactenus tribuant: quod etiam in Concilio nuper Romæ celebrato innovatum Apoſtolicâ ſanxit authoritate. *Nos itaque prædicti Domini noſtri & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ autohoritate ſuffulti, definitiva ſtatuimus ſententia, uti Abbatiſſa Monaſterii de Montano, & ejus Sorores ſub Regula beati Benedicti, ut credimus regulariter degentes, quæ modò ſunt, vel pro tempore fuerint*, de laboribus terrarum, quas propriis excolunt ſumptibus, Præpoſito de Roſiate, & ejus Fratribus, ſeu alieno Clerico vel Laico, de cetero Decimam minime perſolvant. *Si quis igitur, quod abſit, Præpoſitus, Sacerdos, ſeu Diaconus, vel Subdiaconus a prædictis Monialibus amodo, contemtâ ſanctæ Romanæ Eccleſiæ authoritate*, Decimam exigere vel extorquere præſumpſerit, *vel propter hoc eas perſequendo turbaverit, gradus ſui periculo ſubjacebit: ſi verò Clericus vel Laicus fuerit, excommunicationi ſubjaceat.*

Ego Robaldus *Dei gratiâ* Mediolanenſis Archiepiſcopus *ſubſcripſi.*
Ego Tedaldus Archipresbiter ſubſcripſi.
Ego Landulfus Presbiter ſubſcripſi.
Ego Wido *Presbiter ſubſcripſi.*
Ego Guifredus Presbiter ſubſcripſi.
Ego Obitus Subdiaconus & Cimiliarcha ſubſcripſi.
Ego Adelardus Diaconus ſubſcripſi.
Ego Anſelmus indignus Diaconus ſubſcripſi.
Ego Wilielmus *Diaconus ſubſcripſi.*
Ego Jordanus Diaconus ſubſcripſi.
Ego Oprandus Camerarius ſubſcripſi.
Ego Galdinus Cancellarius a me dictato ſubſcripſi.

Ita in Bulla Gregorii VIII. Papæ, datâ *Regii VIII. Kalendas Decembris, Indictione VI.* ideſt Anno Chriſti MCLXXXVII. & in alterâ datâ

A *Mutinæ X. Kalendas Decembris Indictione VI.* Michaëli Abbati Monaſterii Mutinenſis Sancti Petri, interdicitur, *ne quis de laboribus veſtris, quos per Converſos veſtros & animalia & inſtrumenta veſtra in Curte de Creſpollano facitis, ubi vineas, hortos, & terram uno aratro vel pluribus modicùm excolendam habetis, a vobis Decimas extorquere præſumat.* Hinc habes, quid ſignificaret, *propriis ſumtibus* agros excolere. Adhibebantur *Converſi* ad ejuſmodi laborem, ac proinde opinari licet, multos ex iis numeratos fuiſſe in Monaſteriis. Atque hæc de *Decimis*. Præter Feuda & Emphyteuſes, quibus Eccleſiaſtici Proceres multa bona in Laicos olim effudêre, tertius etiam modus fuit concedendi eis ad certum tempus Eccleſiarum Ca- B ſtella, aliaſque temporales ditiones, hoc eſt *ad Guardiam*, ſive *ad Cuſtodiam*, cujus Cuſtodiæ tamen finis poſtea advenire fere numquam ſolebat. Nam quum bella ingruerent, aut futura apparerent, agnoſcentes Epiſcopi & Abbates, non ſat virium ſibi eſſe ad ſua Caſtra tuenda, ea commendabant potentioribus viris. Interdum quoque ab ipſis potentibus modò juſte, modo injuſte occupabantur Caſtella Eccleſiarum; quumque ea Paſtores recuperare non poſſent, poſt titulo *Guardiæ*, ſeu *Cuſtodiæ*, Laici ea poſſidere, ibique dominari pergerent uſque ad certum temporis aut annorum ſpatium. Exemplum mihi ſuppeditat nobiliſſima Eſtenſium C Principum Familia. Inter Azzonem VI. Marchionem Eſtenſem & Ferrarienſes ex una parte, & Archiepiſcopos Ravennates, Remque publicam illius Urbis ex altera, contentiones multæ fuerant, propter Civitatem ſive Oppidum *Argentæ*. Hanc Ravennatibus eripuerant Ferrarienſes. Sed Anno MCCVIII. pollicitus eſt Marchio ſe reſtituturum Eccleſiæ Ravennati illud Oppidum, *& etiam jus, & omnem rationem & actionem, & luſum*, (fortaſſis *uſum*) *quod, vel quæ, vel quam ego vel prædicta pars mea de Ferraria habet* &c. *in prædicto Caſtro Argentæ.* Chartam publici juris fecit Rubeus Lib. 6. Hiſtor. Ravennatis. Verùm ſive quod promiſſa nullus effectus fuerit ſubſequutus, ſive D quod nova irarum ſemina germinarint, Anno MCCXII. inita eſt nova concordia, per quam Archiepiſcopus Ubaldus ſub aliquibus conditionibus eidem Azzoni Marchioni Argentam *in Guardia* dimiſit. Inſtrumenta profero ex Archivo Eſtenſi depromta.

Conceſſio Caſtri Argentæ ſacta ab Ubaldo Archiepiſcopo Ravennate Azzoni VI. Marchioni Eſtenſi cum pactis & fidejuſſionibus, Anno 1212.

IN *Chriſti nomine. Anno Domini MCCXII. tempore* Innocenti Pape, & Otthonis Imperatoris, *die VIII. exeunte Menſe Martii, Indictione XV. apud Ficarolum, in Camera Canonice Eccleſie Sancti Salvatoris, in preſentia Presbiteri Alberti Cardinalis ſancte Ravennatenſis Eccleſie, Petri Reginenſis Cantoris ejuſdem Eccleſie, Domini Petri Traverſarie, Domini Bonifacii, & Magiſtri Johannis, teſtium ad hoc rogatorum. Concordia inter* Dominum Ubaldum Archiepiſcopum Ravennatenſem, & Dominum Azzonem Marchionem Eſtenſem *talis facta eſt*. Quia conceſſit ei Dominus Archiepiſcopus in Guardia Caſtrum Argente, *& conceſſit ei Ripaticum totum & medietatem bonorum, & Placitorum in Argenta & ejus Curte:* & cuſtodiet *ad honorem & utilitatem Domini Archiepiſcopi & Eccleſie Ravennatenſi*; & ipſo Domino Archiepiſcopo reſtituet, *quando* Dominus Archiepiſcopus ab eo petierit per ſe vel per ſuum certum Nuntium infra unum menſem, *ſicuti fuerit melioratum & infortiatum, libere & abſolute; & hoc modo reſtituet ipſum Communi Ravenne; ita quod partes Ravenne communi concordia hoc velint cum voluntate Archiepiſcopi, vel ſine voluntate Archiepiſcopi, ſi non fuerit Archiepiſcopus, infra duos Menſes. Nec faciet ibi ſtare aliquem hominem de Bononia de cuſtodia, neque pro Domino, neque de Ferraria pro Domino. Et de ipſo Caſtro & tota ejus Curte in terra & aqua promiſit Dominus Marchio non facere Domino Archiepiſcopo aliquam injuriam vel gravamen, nec per ſe nec per aliquem hominem pro eo; imo adjutor erit ad defendendum & manutenendum contra omnes homines in terra & in aqua, donec Caſtrum habebit. Vicecomitem Domini Archiepiſcopi cum ſua Maſnada in Caſtro permittet habitare, & Burgis, & Dominum Archiepiſcopum cum ſua familia, ſi habitare & ſtare ibi voluerit. Concordiam cum Salinguerra & ſua parte non faciet, in qua non ponat Dominum Archiepiſcopum & Eccleſiam Ravenne in pace & concordia. Et omnia*

A

iſta firma tenebit, & faciet ejus filium Aldrovandinum, *ut dictum eſt, attendere & adimplere. Et faciet Dominum Petrum Traverſariam, Comitem de Sancto Bonifacio, Marchionem Guidonem Lupum, Albertum de Baone, Guilielmum Rangonum, & alios, quot & quales Dominus Archiepiſcopus voluerit de Ferraria, promittere & obligare & jurare, quod ipſi facient, ipſum Dominum Marchionem Eſtenſem omnia prædicta attendere & obſervare ad terminum & terminos, quem aut quos Dominus Archiepiſcopus ei dedit per ſe, vel per ſuum Nuntium. Et corporaliter* Dominus Azzo Eſtenſis Marchio, *ut ſuperius dictum eſt, attendere juravit. Inſuper ibidem coram eiſdem ſupranominatis*

B

teſtibus Dominus Petrus Traverſaria promiſit Domino Archiepiſcopo, & juravit omnia predicta, quantum in ſe eſt, attendere, & facere Dominum Marchionem & ejus filium Aldrovandinum attendere & obſervare. Quod ſi non fieret, obligavit Domino Archiepiſcopo omnia ſua bona, que habet in toto plano Ravenne, quocunque jure poſſideat, dando Domino Archiepiſcopo licentiam intrandi & ſtandi in tenutam omnium predictarum rerum, quandocumque voluerit ſuâ auctoritate, & pro eo ſe prius fidem conſtituit, donec omnia predicta fuerint obſervata, non faciendo ei ullam moleſtiam neque controverſiam de predicta obligatione. Et eodem die in Ferraria, in Camera Epiſcopi, in preſentia

C

omnium ſupradictorum teſtium, Dominus Archiepiſcopus prenominatus eandem conceſſionem, quam fecerat Domino Azzoni Marchioni Eſtenſi, fecit ejus filio Aldrovandino de Caſtro Argente, *& aliis omnibus; & verſa vice Aldrovandinus in omnibus & per omnia ipſi Domino Archiepiſcopo, ut pater ejus fecerat, attendere promiſit atque juravit.*

Et ego Manfredinus Dei gratia Imperialis Aule, Ferrarieque Notarius preſens rogatus & audivi & ſcripſi, & Dominus Marchio promiſit ei, quod Caſtrum Argente muraret & meliorabit.

Fidejuſſiones ab Ottolino de Mainardis, aliiſque Nobilibus Ferrarienſibus facta Archiepiſcopo Ravennati pro Caſtro Argentæ, tradito Azzoni VI. Marchioni Eſtenſi, Anno 1212.

IN *Chriſti nomine. Anno ejuſdem MCCXII. tempore* Innocentii Pape, & Otthonis Imperatoris, *die VII. intrante Menſe Aprilis, Indictione XV. Ferrarie, in Camera Palatii Epiſcopi, in preſentia Domini Gandolphini de Caſtelnovo, Arduini, Johannis Notarii, & Enrigatii Notarii, teſtium rogatorum. Dominus Ottholinus de Mainardis promiſit Domino Bonifacio Vicecomiti, & in hoc facto Nuntio Domi-*ni Ubaldi Archiepiſcopi Ravenne, *vice & nomine ipſius Domini Archiepiſcopi, quantum in ſe eſt, omnia attendere & obſervare; & facere* Dominum Azzonem Marchionem Eſtenſem & ejus filium Aldrovandinum *attendere & obſervare, ſecundùm quod promiſerat & juraverant de concordia inter eos facta* de Caſtro Argente.

D

Quod ſi non fieret, obligavit ei omnia bona ſua, que habet in toto diſtrictu Ferrarie, quocumque jure poſſideat, dando licentiam intrandi & ſtandi in tenutam omnium ſupradictarum rerum, quandocumque voluerit, ſuâ auctoritate, & pro eo ſe poſſidere precario conſtituit, donec omnia fuerint obſervata, non faciendo ei ullam moleſtiam neque controverſiam de predicta obligatione, & omnia ſic attendere juravit. Et eodem modo in omnibus & per omnia, ſecundùm quod Dominus Ottholinus fecit, ita promiſit & ſe obligavit, & per ſe attendere juravit Dominus Guizardinus Contrarius, Dominus Guilielmus de Joculo, Guido Poltrotii, Dominus Marcheſinus Parvus, Dominus Guido Vicedomini, Dominus Jacobus de Pagano, Dominus Attinginus, Dominus

minus Albertinus de Petro de Caſſano, Dominus Guido Contrarius, Guido de Domino Marcheſino, Dominus Aldrovandinus de Suſinello, Roba, Dominus Saracinus de Pagano, Dominus Jacobus de Fontana, Dominus Jacobinus de Trotta, Jacobinus Robe, Dominus Jacobinus de Vecla, Dominus Gavinellus, & Dominus Linguetta.

Et ego Manfredinus Dei gratia Imperialis Aule, Ferrarieque Notarius preſens rogatus ut audivi intellexi & vidi, ita ſcripſi.

Neque ſecus egit Romana ipſa Eccleſia cum veteris ævi potentibus; nam quando, ultra quàm vellet, reſiſtentes ipſos ſentiebat, ſatis ſibi conſultum arbitrabatur, eis concedendo ſub titulo *Cuſtodiæ* Terras in controverſiam adductas. Preſſerant copiæ Romani Pontificis (quis fuerit, neſcio) longâ obſidione fortiſſimum Caſtrum Fumonis, quod a quamplurimis annis *Cuſtodiæ* nobilium virorum fuerat ab Eccleſia Romana commendatum. Attamen ſatius duxit Romanus ille Pontifex, rurſus ipſum tradere eiſdem cuſtodiendum, ſed novis conditionibus adjectis: quod patebit e ſubſequenti Charta, in Regeſto Cencii Camerarii nobis ſervata.

Caſtrum Fumonis a Romano Pontifice traditur Cuſtodiæ Gregorii & Bertraimi nobilium virorum, Anno ....

Cum per miſericordiam Dei & beatorum Apoſtolorum merita Caſtrum Fumonis, quod ad jus & proprietatem beati Petri pertinere conſtat, *cum multo labore & expenſis, & continuâ decem hebdomadarum obſidione in primo Anno Pontificatus noſtri, Menſe ſcilicet Julio, a nobis recuperatum fuiſſet, conſuetâ Sedis Apoſtolicæ miſericordiâ moti, & quorumdam fidelium noſtrorum precibus, de conſilio Fratrum noſtrorum, ipſum Caſtrum Gregorio cum filiis ſuis, ſicut idem Gregorius, & Pater ejus, & Bertraimus, Avus ejuſdem Bertraimi, & fratrum ſuorum a prædeceſſoribus noſtris ipſum quondam habuiſſe noſcuntur,* in Cuſtodiam conceſſimus, *ipſis eiſdem in noſtra & Fratrum noſtrorum præſentia recognoſcentibus, & in plena Curia profitentibus, ſe in eodem Caſtro nihil prorſus juris habere, niſi quod anteceſſoribus eorum a prædeceſſoribus noſtris* in Cuſtodiam *datum fuit. Statuimus autem, quod prædictus* Gregorius Cuſtodiam Turris habeat, *reliqua omnia tam poſſeſſiones quàm homines & domos ipſe cum Nepotibus ſuis ita æquali portione habeat, ſicut inter eum & Bertraimum patruum ſuum fuit ex antiquo diviſum. Claves verò Portæ ab eo, qui utrique parti placuerit, & qui communiter fidelitatem utrique parti fecerit, debent teneri, & ei expenſæ & victualia communiter miniſtrari. Homines autem ipſius Caſtri, qui ad Gregorium pertinent, ei de mandato noſtro fidelitatem jurarunt: & ii, qui ad Bertraimum & fratres ſuos pertinent, eis fidelitatem ſimiliter præſtiterunt, ſalvâ in omnibus fidelitate noſtrâ. Quod ſi Gregorius Bertraimum & fratres ſuos ſuper ea parte Caſtri, quam eis conceſſimus, voluerit impedire, vel aliquam eis moleſtiam facere, niſi fortè de mandato noſtro vel ſucceſſorum noſtrorum procederet, homines utriuſque partis jurarunt, quod ipſum Bertraimum & fratres ejus adversùs Gregorium adjuvabunt, & ne hoc fiat, quibuſcumque poterunt modis efficient. Et omnes juraverunt utrique parti ſe Caſtrum ipſum contra omnes homines pro poſſe ſuo defenſuros, niſi per nos aut aliquem de mandato noſtro Caſtrum idem impugnaretur. Si verò verſâ vice Bertraimus & fratres ejus Gregorium ſuper ea parte Caſtri, quam ei conceſſimus, & ſuper cuſtodia Turris voluerint impedire, vel aliquam ei inferre moleſtiam, niſi fortè id de mandato noſtro vel ſucceſſorum noſtrorum fieret, homines utriuſque partis ſimili juramento tenentur. Juraverunt etiam Homines ipſius Caſtri, quod ſi altera, vel utraque pars adverſùs nos vel adverſùs Catholicos ſucceſſores noſtros voluerit malignari, aut malitiam aliquam exercere, illos omnino deſerent, & ne id fiat, quibuſcumque modis poterunt, laborabunt. Inſuper altera pars alteri parti juramentum ſecuritatis in præſentia noſtra præſtitit, & fidejuſſores nobis pro centum Libris Papienſis Monetæ quiſque eorum ſuper his omnibus obligavit. Fidejuſſores ſiquidem ex parte Gregorii ſunt: Ogerius Ottonis pro centum Solidis Papienſis monetæ: Girardus de Anticulo pro centum Solidis: Petrus Domni Rimandi pro centum Solidis: Leo Domni Landi de Berardo pro centum Solidis: Creſcentius Lazarii pro centum Solidis: Otto Domni Landi pro centum Solidis: Gregorius Landi Domni Berardi pro centum Solidis: Carbo Domni Ptolemæi pro centum Solidis: Henricus Domni Lazarii pro centum Solidis: Ogerius Domni Michaëlis pro centum Solidis: Johannes Markeſe pro centum Solidis: Ogerius Infans pro centum Solidis: Ogerius Donnæ Theodoræ pro centum Solidis: Albertus Retruſus pro centum Solidis: Landus Datusdiabolo pro centum Solidis: Rainaldus Alberti pro centum Solidis: Tuſcaniſius pro centum Solidis: Iltus de Milo pro centum Solidis: Johannes Scalſagallina pro centum Solidis: Landus Mainardi pro centum Solidis: Ex parte verò Bertraimi & fratrum ſuorum fidejuſſores ſunt hi: Rollandus Domni Rogerii pro centum Solidis Denariorum Papienſium: Landus de Judice pro centum Solidis: Rofredus de Alberico pro centum Solidis: Rollandus Mancinus pro centum Solidis: Carbo de Ptolemæo pro centum Solidis: Rao de Jachla pro centum Solidis: Ægidius de Marino pro centum Solidis: Albertus de Sancto Ægidio pro centum Solidis: Ugerius de Odo pro centum Solidis: Ægidius de Benedicta pro centum Solidis: Matthæus de Tortiſciana pro centum Solidis: Philippus de Jacobo pro centum Solidis. Johannes de Alberto pro centum Solidis: Guidottus pro centum Solidis: Leo de Lando pro centum Solidis: Gregorius de Lando pro centum Solidis: Ugerius de Theodora pro centum Solidis: Creſcentius de Lazario pro centum Solidis: Oddo de Lando pro centum Solidis: Henricus de Lazario pro centum Solidis. Conſtituimus præterea, ut neutra pars aliquid de poſſeſſionibus ejuſdem Caſtri, filiæ vel ſorori in dotem concedat, & nihil exinde cuilibet perſonæ tribuat, vel aliquo titulo alienet. Nos verò de arbitrio noſtro & de conſilio utriuſque partis Feuda Militibus diſtribuimus, qui fidelitatem nobis & Catholicis ſucceſſoribus ſolummodo præſtiterunt, & ſecuritatem utrique parti fecerunt. Juraverunt etiam, quod ſi*

ſi altera vel utraque pars adverſùs nos vel adverſùs Catholicos ſucceſſores noſtros , ſicut ſuperius diximus , voluerint malignari , aut malitiam exercere , illos omnino deſerent , & ne id fiat , quibus modis poterunt , laborabunt . Præterea utraque pars Catholicis ſucceſſoribus noſtris abſque alio beneficio debebit fidelitatem præſtare. Inſuper quatuor homines de his , qui ad Gregorium pertinent , & ſex de his , qui ad Bertraimum & fratres ejus , & quinque modios terræ de parte Gregorii , totidem verò de parte Bertraimi & fratrum ſuorum , cum vineis ad Feudum unius Militis nobis reſervavimus, & Amato Advocato in Feudum conceſſimus.

De quonam Romano Pontifice in Charta iſta agatur , ſi petas, non pigeat te conſulere Auctorem Vitæ Gregorii IX. Papæ , Tomo III. Rer. Italicar. editæ, pag. 579. qui de illo Pontifice hæc habet : *Munitiſſimum Caſtrum Fumonis , ſtructurâ nobili & grandi poſſeſſione ditatum , quod Eccleſiæ Romanæ demanium aſſerunt publice Documenta, Nobiles quidam ipſius Papæ propinqui, quorum Cuſtodiæ fuit antiquâ Sedis Apoſtolicæ liberalitate commiſſum , detentione ita longâ , quaſi jure dominii vendicabant , per quos etiam itinera publica dubia reddebantur . Sed non acquieſcens carni & ſanguini Pontifex venerandus , illud Eccleſiæ matri reſtituit arctâ obſidione devictum , de pietatis manu trium millium Librarum eis quantitate ſolutâ.* Acta ſunt hæc Anno MCCXXXII. ut Raynaldus cenſuit, ſeu potius Anno MCCXXXIII. ut infra apparebit . Attamen tribuere non audeo Inſtrumentum hoc eidem Gregorio IX. Papæ . Nam uti ex ipſo Pontificio Scriptore diſcimus , retinuit hic Papa poſſeſſionem Fumonis; in Charta verò reſtitutam vidimus Nobilibus iis viris . Anno autem MCCXXXIII. Domini ſeu Cuſtodes Fumonis , *Alexander* , *Otto* , & *Bartholomæus* in aliis tabulis *reſignaverunt tam Arcem quàm Caſtrum Fumonis cum omni jure & diſtrictu ſuo , ſanctiſſimo Patri Domino Gregorio Nono Papæ* . Heic autem memorantur *Gregorius & Bertraimus* Cuſtodes ejuſdem Caſtri. Haſce etiam tabulas mihi memoratas addere nunc juvat, ex prælaudato MSto Cencii Regeſto depromtas.

Ceſſio Caſtri Fumonis facta Gregorio IX. Papæ a Nobilibus viris Alexandro , Ottone, & Bartholomæo, Anno 1233.

IN nomine Domini , Amen . Anno ejus Milleſimo Ducenteſimo Trigeſimo Tertio , Pontificatus Domni Gregorii IX. Papæ Anno Septimo, Indictione Septimâ, Menſis Novembris die II. Dominus Alexander , Dominus Otto, & Dominus Bartholomeus de Fumone *in præſentia mei Scrinarii, & teſtium ſubſcriptorum, recognoverunt , & confeſſi ſunt ,* quod tam ipſi , quàm progenitores eorum fuerunt Cuſtodes *Romanæ Eccleſiæ* Roccæ & Caſtri Fumonis : quam Cuſtodiam ipſi & anteceſſores eorum habuerunt a Romanis Pontificibus , *qui pro tempore Sedi beati* Petri *Apoſtoli præfuerunt . Et ideo ne fidem fallere viderentur* , libere & abſolute reſignaverunt tàm Arcem quàm Caſtrum prædictum Fumonis cum omni jure & diſtrictu ſuo , ſanctiſſimo Patri Domino Gregorio Nono Papæ , *ad ipſius requiſitionem , ad diſponendum & ordinandum de eo, pro ut ſuæ Sanctitati placuerit . Et quia dum prædicti Caſtri dicti Dominus Alexander, Otto , & Bartholomæus , & progenitores eorum* Cuſtodiam *habuerunt , quædam ipſi , vel anteceſſores eorum habuernnt alienationis titulo conquiſita de tenimentis proximis vicinorum , hæc eadem cum præmiſſis Arce & Caſtro in jus Romanæ Eccleſiæ ad perpetuum dominium tranſtulerunt , exceptâ Terrâ de Preturo poſitâ in territorio Alatrino , quam pro ſe Dominus Alexander excepit. Quæ omnia defendere ab omni perſona promiſerunt legitime ſub pœna dupli in legitimam ſtipulationem deducta . Quod ſi contingere , ut vel prædicti Domini Alexander , Otto , & Bartholomæus, aut eorum parentes in præjudicium vel fraudem Romanæ Eccleſiæ ſeu ipſum Caſtrum, vel ejus partem, aut aliquid de poſſeſſionibus tenimenti ejuſdem , alicui Univerſitati, vel Eccleſiaſticæ aut Seculari perſonæ, quod abſit , forſitan alienaſſent , obligaverunt ſe pœnali ſtipulatione Domino Benedicto Domini Papæ Camerario, recipienti procuratorio nomine pro præmiſſo Domino Papa & Romana Eccleſia , ad pœnam mille Librarum Denariorum Senatus , ſolvendam ipſi Romanæ Eccleſiæ , ſi jura conventionis non conſervarent illæſa . Et dederunt poteſtatem procuratorio nomine ipſi Domino Benedicto occupandi poſſeſſionem omnium præmiſſorum adquiſitionum ſuâ auctoritate . Conſtituentes , ſe ea nomine Romanæ Eccleſiæ poſſidere precario , donec præmiſſorum poſſeſſionem ipſe Dominus Benedictus , vel cui Domnus Papa ſeu ipſe mandaret, acciperet. Ad majorem autem firmitatem omnium præmiſſorum ipſi Dominus Alexander Otto , & Bartholomæus , tactis ſacroſanctis Euangeliis, juraverunt per ſe ſuoſque heredes omnia præmiſſa rata & firma habere, & contra ea nullo excogitato ingenio facere vel venire . Et quia iidem Domini Alexander , Otto , & Bartholomæus ſe, & ſuos anteceſſores multas expenſas & gravia damna* pro prædicta Cuſtodia dicti Caſtri Fumonis *ſuſtinuiſſe dicebant , volens Dominus Papa laboribus & expenſis eorum conſulere , in præſentia mea, & ſubſcriptorum teſtium , fecit eis ſolvi in argento , in Moneta videlicet Sterlingorum , ſex millia Librarum Denariorum Senatus , quos fecerunt deferri & aſportari pro ſuæ voluntatis arbitrio in præſentia mea , & teſtium ſubſcriptorum : confitentes & recognoſcentes de damnis , expenſis & de præmiſſis adquiſitionibus translatis in jus Romanæ Eccleſiæ ſibi pleniſſime ſatisfactum de præmiſſa pecunia in jam dicto argento. Et renuntiaverunt exceptioni non numeratæ ſeu non ponderatæ pecuniæ , & omnibus aliis exceptionibus quæ ad reſolvendum præmiſſum contractum eis opitulari potuiſſent , aut poſſent forſitan in futurum. Cujus rei rogati ſunt teſtes Dominus Donus Poteſtas Anagniæ, & Dominus Johannes Judex dictæ Poteſtatis , Magiſter Roffridus Huberti , Dominus Petrus Lodoiſii , & Dominus Tholomæus ejus filius, Dominus Tranſmundus de Zeneato , Magiſter Martinus de Brixia Scriptor Domini Papæ , Magiſter Amato , Frater Jacobus Frater Hoſpitalis , Randiſius de Porciano , Nicolaus Pacitus Apothecarius , & Otto Nicolai Seniorilis, teſtes.*

Et

Et ego Johannes Taffurus Anagninus, ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Scriniarius, hoc Inſtrumentum propria manu ſcripſi, & ſignum feci.

Immo longe ante Annum MCCXXXIII. iidem Alexander ac Otto ſimilem Honorio III. Pontifici ceſſionem fecerant: cujus rei teſtem habeo alteram Chartam, nunc oblivioni eripiendam; ita ut jam videas, non ſemel muniti ſſimi ejus Caſtri cauſsâ inter Romanos Pontifices, eoſdemque Nobiles viros exarſiſſe controverſias.

Inſtrumentum, quo Alexander de Fumone, & Oddo frater ejus reſignaverunt Caſtrum de Fumone cum pertinentiis ſuis in manu Anagnini Epiſcopi nomine Romanæ Eccleſiæ, præſtito juramento, Anno 1216.

IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. Anno Domini Milleſimo Ducenteſimo Decimo Sexto, Pontificatus Domini Honorii III. Papæ Anno Primo, Indictione Quintâ, Menſis Decembris die X. Dominus Alexander de Fumone cum Oddone fratre ſuo, *& Dominus Thomas, libero arbitrio, ſpontaneaque eorum bona voluntate, tactis ſacroſanctis Evangeliis juraverunt præciſe ſtare mandatis Domini Honorii ſummi Pontificis, in manu* Domini Johannis Agnanini Epiſcopi, *& Magiſtri Tullii Subdiaconi & Capellani ejuſdem Domini Papæ, ad hoc ſpecialiter miſſorum, in præſentia mei Johannis Anagnini Scriniarii, & ſubſcriptorum teſtium ad hoc ſpecialiter rogatorum. Poſt ſacramentum verò factum præcepit eis Epiſcopus Anagninus cum dicto Magiſtro Tullio ex parte Domini Papæ*, ut reſignarent eis Turrim, Roccam, & totum Caſtrum cum pertinentiis ſuis *præciſe, libere & abſolute ſine aliqua contradictione. Et ſic factum eſt, Poſt receptionem verò dictæ Roccæ & Caſtri Domino Gratiano Petri Leonis, & Domino Adinulfo fratri Domini Oſtienſis Epiſcopi, & Domino Johanni de Judice pro Romana Eccleſia recommendaverunt dictam Arcem cum Caſtro, & fecerunt ibi poni pro honore Romanæ Eccleſiæ Vexillum. Prædicti verò Domini recognoverunt, jus & proprietatem ipſius Caſtri ad Romanam Eccleſiam pertinere. Hæc autem omnia facta ſunt, ſalvo in omnibus & per omnia jure Dominorum ipſorum, quod eis & quocumque modo, dum tamen prævia ratione, in Caſtro competit memorato. Cujus rei rogati ſunt teſtes Petrus Maltallatus, Andreas Johannis Heremitæ de Anagnia, Andreas Prior Sancti Laurentii de Piſcina, Guido Johannis de Magno, Presbyter Gimundus Abbas Sancti Angeli de Fumone, Presbyter Accattans Capellanus Sancti Petri, Nicolaus Præpoſitus Sanctæ Mariæ, Flodericus, Sabene, Bonuſcannu, Johannes Avoltore, Deodatus Ægidii, Valentinus, Nicolaus Penini, Bartholomæus Rubeus, Johannes de Pontecorvo.*

Eodem Menſe die XI. Dominus Johannes Anagninus Epiſcopus & Magiſter Tullius Subdiaconus & Capellanus Domini Honorii ſummi Pontificis, ad hoc ſpecialiter miſſi, de mandato & auctoritate ejuſdem Domini Papæ, recommendaverunt Arcem, Roccam, & Caſtrum Fumonis integraliter Domino Alexandro cum Oddone fratre ſuo, & Domino Thomæ, mandantes eiſdem, quod Cuſtodiant & teneant ipſam Arcem & Caſtrum ad honorem & utilitatem & devotionem Romanæ Eccleſiæ, & Domini Honorii III. Papæ, *ſalvo in omnibus & per omnia omni jure prædictorum Dominorum, quod eis, previâ ratione, quocumque modo in Caſtro competit memorato. Unde hi rogati ſunt teſtes: Dominus Gratianus Petri Leonis de Roma, Dominus Adinulfus de Matthia, Dominus Johannes de Judice, Dominus Petrus Maltallatus de Anagnia, Dominus Gregorius Domini Foreſſi, Dominus Nicolaus Domini Bartholomæi de Alatro, Dominus Lando Domini Leonis, Dominus Matthias Vetulus de Ferentino, Raynaldus Cunzo, Flodericus, Bartholomæus Rubeus, Nicolaus Henrici, Lucas, Nicolaus Johannis Baronis, Bonaldus, Sebaſtianus de Carutio, Johannes Avoltore, Tholomæus, Magiſter Benedictus, Magiſter Raynaldus de Fumone.*

Ego Johannes Mel Scriniarius Anagninus iis omnibus interfui, & de mandato ſupradictorum Dominorum Cardinalium, & a partibus & teſtibus rogatus, hoc Inſtrumentum ſcripſi, & ſignum poſui.

Ceterum apud veteres non minus quàm apud nos in uſu fuere *Emphyteuſes* uſque ad tertiam vel quartam generationem, aut ad amplius, minuſve tempus. Quodque præcipue animadverti, ejuſmodi Emphyteuſes ſub nomine *Locationis* interdum confectæ fuerunt. Suum heic locum meretur Charta Locationis Præneſtinæ Civitatis, Sæculo Chriſti Decimo factæ Stephaniæ nobili *Senatrici Romanæ*; ex qua diſces, quantam in perniciem jam tum abiiſſent fortunæ Romanæ Eccleſiæ, quando & in feminas ejuſdem Civitates diſtraherentur. E Codice ſupra memorato Cencii Camerarii has ipſas tabulas deſcripſi una cum titulo ibi appoſito.

Loca-

Locatio Præneſtinæ Civitatis facta (a Johanne XIII. Papa) *Dominæ Stefaniæ Senatrici* ſub annua penſione decem Solidorum auri Romanæ Eccleſiæ ſacienda, Anno 970.

JOhannes Epiſcopus, *ſervus ſervorum Dei*, A *dilectiſſimæ in Domino filiæ* Stefaniæ *clariſſimæ* Senatrici, tuiſque filiis ac nepotibus. *Quotiens illa a nobis tribui ſperantur, quæ rationi incunctanter conveniunt, animo nos decet libenti concedere, & petentium deſideriis congruum impertiri ſuffragium*. At ideo quia poſtulaſtis a nobis, quatenus daremus & concederemus atque traderemus tibi, tuiſque filiis ac nepotibus *per noſtram Apoſtolicam auctoritatem* Civitatem Præneſtinam cum omnibus pertinentiis, cum omni publica datione & functione, quæ ad ſupraſcriptam Civitatem pertinet, *inter affines & terminos novos & antiquos: ideſt Rivus, qui appellatur Latus, a ſecundo Lavicana,* B *& a tertio latere Monticellus de Maximo, & a quarto latere Pons de Cicala, & a quinto latere Aqua Alta, & a ſexto latere Vallis de Caporatie, & a ſeptimo latere Mons qui dicitur de Foliano. Unde concedimus, tradimus, & a præſenti XIV. Indictione corroboramus per hanc noſtræ Apoſtolicæ auctoritatis ſcriptionem, omnium noſtrorum ſucceſſorum Pontificum, omniumque hominum contradictione remota, ut perſolvat penſionem in noſtro Palatio per ſingulos annos decem auri Solidos, difficultate poſtpoſitâ; omnemque, qua indiget, meliorationem, ſeu defenſionem, indifferenter vos ſine dubio procurantes efficiatis;* C *nullaque præterea ad dandum annue penſionem a vobis mora proveniat, ſed ultro Actionariis ſanctæ noſtræ Eccleſiæ apto tempore perſolvantur. Nam ſi aliter, quod abſit, a vobis mora provenerit de ſupraſcripta melioratione ſeu defenſione, nec non & perſolvenda annue penſione, ſtatuimus fore invalidam hanc noſtram præceptionem. Poſt verò obitum veſtrum memorata Civitas cum omnibus ſuis meliorationibus ad jus ſanctæ noſtræ Eccleſiæ modis omnibus revertatur.*

✠ BENE VALETE.

Scripta per manum Stephani Scriniarii ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, in Menſe Novembri, Indictione XIV.

Datum XVI. Kalendas Januarii per manum Widonis Epiſcopi *& Bibliothecarii ſanctæ Sedis Apoſtolicæ, Anno Pontificatus Donni noſtri Johannis ſanctiſſimi XIII. Papæ Sexto, Imperii verò Dominorum Imperatorum noſtrorum Ottonis Majoris Auguſti Nono, Minoris verò filii ejus III. Indictione ſupraſcripta XIV.*

Hæc Charta ſumta eſt de Tomo charticino bullato, quod inventum eſt apud Sanctam Mariam in Monaſterio.

Poſterioribus etiam Sæculis ejuſmodi *Locationes* diuturni temporis fuiſſe in uſu videntur, uti ex ſubſequenti Charta patebit. Verùm animadverte, non novam Locationem in ea fieri, ſed antiquiſſimas renovari *ad exemplar felicis memoriæ Johannis IX. & Paſchalis II. prædeceſſorum ipſius Domini Innocentii*. Nihil autem inter ejuſmodi *Locationes*, & *Emphyteuſes*, diſcriminis erat.

Renovatio Locationis Caſtri Fruſinonis facta ab Innocentio III. Papa compluribus ejuſdem Caſtri dominis, Anno 1207.

I*N nomine Domini. Anno Domini Milleſimo Ducenteſimo Septimo, Pontificatus* Domini Innocentii Papæ III. *Anno Nono, Indictione X. Menſe Septembri die V. Nos Stephanus de Foſſanova, Domini Innocentii Papæ III. Camerarius, præcepto & auctoritate ipſius, ſub ejuſdem Domini Papæ præſentia, & venerabilium* D *Patrum & Dominorum, Nicolai Tuſculani Epiſcopi, Cinthii Sancti Laurentii in Lucina Presbyteri Cardinalis, Petri Sanctæ Pudentianæ Presbyteri Cardinalis, Rogerii Sanctæ Anaſtaſiæ Presbyteri Cardinalis, Stephani Sancti Chriſogoni Presbyteri Cardinalis, Johannis ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cancellarii, ſanctæ Mariæ in Coſmedin Diaconi Cardinalis, Uberti Sancti Angeli Diaconi Cardinalis, Octaviani Sanctorum Sergii & Bacchi Diaconi Cardinalis, Gregorii Sancti Theodori Diaconi Cardinalis*. Ad exemplar felicis memoriæ Johannis IX. Papæ & Paſchalis II. prædeceſſorum ipſius Domini Innocentii, *procuratorio nomine* renovamus Locationem vobis Dominis de Fruſinone, E *ſanctæ Romanæ Eccleſiæ fidelibus, videlicet Siginulfo, Adinulfo, Baroni, Beraldo Colliſmedii, Tebaldo Vetulo, Johanni filio Orlandi, Alberto Peccatello, Landoni Retruſo, Landulfo nepoti ſuo, Guttifrido Longo, Thebaldo Monacho, Petro Cunto, Johanni Caputio, Guillelmino Colliſmedii, Giſo, Gerardo Pallarolo, Scalzagallinæ, Thomaſio Scalzagallinæ, Thomaſio Marzocclo, Raimundo, Johanni, & Oggerio filiis Belizi, Anterio, Henrico, Bertreymo, Oggerio, Adenulfo, Biviano, Adinulfo Sclaricæ, Johanni Sperato, Afflatitio, Johanni Odoriſcii, Gerardo Lupo, Bartholomæo filio Petri Nubilonis, Paulo Nubilonis, Oggerio & Siginulfo filiis Viviani Pallaroli, Oddoni filio Bertreymi, Gualvagno & Thomæ filiis Gualvagni, Egidio, Johanni Tappoto, Pelagio, Johanni Gerardi, Gerardo Baldini*. Vobis, veſtriſque heredibus locamus & concedimus Caſtrum Fruſinonis uſque in veſtram tertiam generationem, quemadmodum prædeceſſores veſtri legitime tenuerunt. *Cum domibus, vineis, terris, ſilvis, aquis, pratis & paſcuis, cultis & incultis, arboribus pomiferis, aquimolis, & cum omnibus pertinentiis & territorio ſuo, quod habet hos affines. A primo latere Fractas de Arcu, qui dividit inter Fruſinonem & Aletrum; a ſecundo latere Rivum Sancti Angeli, qui dividit inter Fruſinonem & Ferentinum; a tertio latere Campum Sancti Antonini, qui eſt finis inter Fruſinonem & Ceccanum; & a quarto latere Turrice, terminans inter prædictum Caſtrum & Vetulanam Civitatem, quæ juris ſanctæ Romanæ Eccleſiæ eſſe dignoſcitur.* Hanc ſiquidem Locationem vobis veſtriſque here-

heredibus facimus hoc tenore, ut videlicet in unoquoque tertio genere ipſius Caſtri Locatio ab Apoſtolica Sede renovetur, & pro renovatione ipſa decem Libras puri argenti heredes veſtri, quibus fiet Locatio, Apoſtolicæ Sedi perſolvent. *Verùm pro penſione trium Solidorum aureorum, quam Eccleſiæ Romanæ tenebamini ſolvere annuatim, ſicut prædictus Papa Paſchalis decrevit, & in Inſtrumento publico exinde confecto perſpeximus contineri, de voluntate & conſenſu veſtro olim hujuſmodi commutatio facta eſt, ut videlicet Eccleſia Romana in Caſtro prædicto quadraginta octo homines habeat, qui de cetero, ſicut hactenus, teneantur Romanæ Eccleſiæ reſpondere. Domum autem de Siconibus, quæ nunc multiplicata eſt per ſobolis propagationem, ſedile unius Molendini, & Caſalinum cujuſdam domus, quæ ibidem Apoſtolica Sedes hactenus abſolute noſcitur habuiſſe, & nunc & in poſterum libere poſſidebit. Quia verò poſſeſſiones & bona prædictorum hominum, & Domus de Siconibus diſtrahi vel alienari non debent in damnum & præjudicium Apoſtolicæ Sedis, ne ipſa debita ſervitia & conſueta amittat, poſſeſſiones & bona ipſa ad cujuſcumque manus devenerint, vel devenerunt, hactenus alienata vel diſtracta reſtituantur, & in poteſtatem & proprietatem & utilitatem ejus abſque cujuſlibet contradictione redibunt, ut jus Eccleſiæ Romanæ illibate & integre conſervetur. Vobis itaque veſtriſque heredibus liberam auctoritate Apoſtolica tribuimus facultatem ipſum Caſtrum poſſidendi, fruendi, utendi, meliorandi ſecundum approbatam conſuetudinem & antiquam, ſalvis fidelitatibus, bandis, Placitis, foriſfacturis, fodris, albergariis, expeditione & parlamento, guerra & pace, ad mandatum Curiæ facienda, & aliis rationibus, quæ ibidem Romana Eccleſia habere conſuevit.*

Actum Ferentini coram venerabili Domino Papa Innocentio, Menſe, Indictione, & Die ſupraſcriptis. Hi rogati ſunt teſtes: Johannes Domini Palmerii, Miles Ferentini, teſtis: Rogerius frater Domini Camerarii teſtis: Tolomæus Ambroſii Miles Ferentini, teſtis: Traſmundus Matthæi de Ilto Miles Ferentini, teſtis: Samſon Miles Ceccani, teſtis: Vivianus Sancti Germani, teſtis: Lando conſobrinus Domini Camerarii, teſtis.

Ego Robertus Setinus ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Judex & Notarius, mandato venerabilis Domini Innocentii Papæ Tertii, ejuſque Camerarii Domini Stephani de Foſſanova, ſupradicta fideliter ſcripſi.

Ritus quoque eſt ab antiquiſſimis Sæculis fluens ille, quo interdicitur Emphyteutæ, ne ad Manus mortuas, ſive ad pia Loca, aut Collegia ac Univerſitates, aut ad Potentes transferat ullo umquam tempore fundos emphyteutico jure poſſeſſos. Inter alias Chartas ejuſdem uſus teſtes unam ſeligo, ex Archivo inſignis Monaſterii Sublacenſis depromtam. Ibi quoque *Locationis* titulo conceditur terra illa excolenda; attamen quum Locatio *in tertium gradum, tertiam perſonam, tertiam generationem* extendatur, vides nihil differre ab Emphyteuſibus ejuſdem generis. In duas etiam extraneas perſonas transfundere licebat hoc prædium, *excepitis piis Locis, vel publicis num* . . . . . (fortaſſe *Numeris*, hoc eſt, cohortibus) *Militum, ſeu bando*: quibus verbis tum Nobiles tum Militares viros deſignatos puto. Fortaſſis errore deſcribentis *Johannes X.* heic dicitur, qui in Hiſtoria Eccleſiaſtica eſt *Undecimus*. Attamen Johannes X. Pſeudo-Papa potius, quàm Papa fuit.

Marcus Presbyter, aliique affines in Emphyteuſim accipiunt a Schola Romana Cantorum quaſdam terras excolendas, Anno 934.

A*nno Quarto Pontificatus* Domni Johanni *ſummi Pontifici & univerſali X.* Pape, *Indictione VII. Menſe Aprilis, die XXV. Placuit igitur cum Chriſti auxilio atque convenit inter Johannes venerabilis Subdiaconus ſancte Romane Eccleſie, & Primicerio Schole Cantorum, que appellatur Orphanotropio, conſentiente Schola Cantorum, jubente Domno Johanne X. Papa, & ex diverſo Marco religioſo Presbitero, ſeu & Petronia honeſta femina, atque Andrea amabili viro, ſeu Stephania jugalibus, ut cum Domini adjutorio ſuſcipere debeant a ſupraſcripto Johanne Subdiacono, conſentiente ſibi cuncta Schola Cantorum, ſicut & ſuſceperunt ſupraſcripti Marco Presbitero ſeu Petronia atque Andrea ſeu Stephania jugalibus, honeſti viri & femine, ſicut & ſuſceperunt* conductionis titulo, *ideſt terra ſementaricia ad modiorum plus minus XXV. cum parietinis deſertis, & cum omnibus ad eas generaliter, & in integro pertinentibus, poſita foris Portam Majorem, & inter affines a tribus lateribus Vie publice circumdantur, & a quarto latere Arcum marmoreum majore ante ipſa Porta juris Schole Cantorum. Ita ut ſuorum ſtudio, eorumque labore, ſupraſcripto Marco, ſeu ipſis prænominatis perſonis intra ipſa cum omnibus ad eam pertinentibus omnibus, tenere & poſſidere debeant, & ad meliorem faciendum Domino juvante cultum perducant ipſi, heredeſque ipſorum profuturi* uſque in tertium gradum, tertiam perſonam, tertiam generationem, qui ſunt ipſi ſupraſcripti, & filiis, nepoteſque eorum ex filiis legitimis procreatis. Quod ſi filii aut nepotes minime fuerint, duobus etiam extraneis perſonis cui voluerint relinquendi habeant licentiam (excepto Piis Locis, vel Publicis num . . . . . Militum ſeu bando) ſervatâ dumtaxat in omnibus proprietate ſupraſcripte Schole Cantorum. *Pro qua etiam terra cum parietinis vel cum omnibus generaliter ad eas pertinentibus, ut ſuperius legitur, dare atque inferre debeant ipſo infraſcripto Marco cum aliis perſonis ſuperius nominatis, heredeſque eorumque rationibus in ſupradicta Schola ſingulis quinque annis ſine aliqua mora vel dilatione, penſione nomine Denarios bono optimo numero ſex.* Completa verò tertia generatione *Terra ipſa cum omnibus ad eas pertinentibus, ſicuti fuerit culta & meliorata, ad jus ſupraſcripte Schole, cujus eſt proprietas, modis omnibus revertatur, ut quiſquis curam geſſerit, iterum locandi quibus maluerit ſine aliqua ambiguitate licentia ſit. De qua re, & de quibus omnibus jurantes dicunt utraſque partes per Dominum omnipotentem, ſancteque Sedi Apoſtolice, ſeu ſalutem viri beatiſſimi Apoſtolici*

ci Domni Johannis X. Pape, hec omnia que hujus Charte placiti, conventioniſque ſeriem textus eloquitur, inviolabiliter obſervare & adimplere promittunt. Quod ſi quiſquam eorum contra hujus Placiti, conventioniſque ſeriem in toto, parteve ejus quolibet modo venire temptaverit, det pars infidelis parti fidem ſervanti ante omne litis initium pene nomine auri uncie ſex obritias: & poſt ſolutam penam hec Charte ſeriem in ſua nihilominus maneat firmitate. Has autem duas Chartas uniformes uno tempore conſcriptas, Marco, & Adriano Scriniario & Tabellioni Urbis Rome ſcribenti pariter dictaverunt, eaſque propriis manibus roborantes, & teſtibus a ſe rogatis obtulerunt ſubſcribendam, & ſibi invicem tradidere ſub ſtipulatione & ſponſione ſolemniter interpoſita, in Menſe & Indictione ſupraſcripta VII.

Johanne Subdiaconus & Primicerius Schole Cantorum manu ſua roboravit, & teſtes ſubſcribendos rogavit.

Teſtes V R S B.

Sergius S B.
Johannes Conſul.
Rodulfus Conſul.

 *Conſul.*

Adrianus Scriniarius & Tabellio Urbis Rome complevit & abſolvit.

Aliæ tamen Chartæ non deſunt, in quibus liberum nonnullis Eccleſiis relinquitur, acquirere ſibi fundos Laicis viris in Emphyteuſim traditos; atque is mos præcipue apud Ravennates invaluiſſe videtur. Tabulas in hanc rem exero, ad me miſſas a Cl. Viro Rogerio Calbio Ravennate, qui Medicinam non minus, quàm reliquas Liberales Artes feliciſſime excolit, ut ejus editi Libri teſtantur.

Johannis Abbatis Monaſterii Ravennatis Sancti Johannis Evangeliſtæ Charta, per quam multa bona confirmat Eccleſiæ Sanctæ Mariæ in Portu, & facultatem acquirendi Emphyteuſes ejuſdem Monaſterii concedit, Anno 1108.

IN nomine Domini. Anno ab Incarnatione Domini Milleſimo Centeſimo Octavo, die XI. Menſis Aprilis, Indictione Prima, Ravennæ. Omnibus manifeſtum eſt, & congrua ratione diſpoſitum, libenter debemus eorum deſideriis annuere, pro quibus venerabilium Locorum ..... utilitatibus, meliorandique cauſa pro tempore. Et ego quidem Donnus Johannes *gratia Dei* Abbas Monaſterii Sancti Joannis Apoſtoli & Evangeliſtæ, *cum conſenſu Monachorum ejuſdem Monaſterii tibi* Domno Petro Clerico & Rectori Eccleſiæ Sanctæ Mariæ in Portu acceptori tam pro te, quàm tuis ſucceſſoribus, quàm Collegio preſenti, quam futuro, in perpetuum permanendum, *per* Emphiteoticarium jus *a preſenti die concedo quàm confirmo ratione juris noſtri Monaſterii, ideſt predictam Eccleſiam Sanctæ Mariæ in Portu, cum omnibus oblationibus quàm rebus mobilibus quàm immobilibus, quas nunc vel in futurum predicta Eccleſia habuerit quàm cum tota terra, quam habuerunt, quàm detinuerunt Honeſtus filius quondam Petri de Honeſto, quàm Almericus, quàm Gerardus filius quondam Gerardi de Stiberto, & filius quondam Andreæ de Attone, jure noſtri Monaſterii in Corigio Majori, a primo latere Bidens percurrit, a ſecundo latere medius Badarenus, a tertio mare duo milia intra, atque a quarto latere Viola, quæ percurrit a mari uſque ad Bidentem juxta caput antiquæ Pinetæ: ad habendas, tenendas, poſſidendas predictas omnes res cum ſuis ſucceſſoribus in perpetuum. Et inſuper concedo tibi petitori, tuiſque ſucceſſoribus in perpetuum jus ordinandi, tam diſponendi, quàm quidquid tibi & tuis ſucceſſoribus placuerit, exinde faciendi, ſicut ordinavi & confirmavi in perpetuum ſub penſione, quam mihi & meis ſucceſſoribus tuque tui ſucceſſores dare debeatis pro jam dictis omnibus rebus omni anno ſcilicet unam Libram ceræ in feſtivitate Sancti Joannis Evangeliſtæ, aut in conſacratione ejuſdem Eccleſiæ, vel viſitatione ipſius Sancti Johannis, donec ego & ſucceſſores mei quàm Collegium tibi tuiſque ſucceſſoribus atque Collegio predictæ Eccleſiæ ſive privatæ perſonæ tam Eccleſiaſticæ quàm omnes predictas res deffenderimus. Si autem juſte quàm rationabiliter eas defendere quàm auctorizare non poterimus, nihil nobis de his, quæ predicta ſunt, ſubjacere debeatis. Quod ſi prædictam Penſionem ſingulis annis nobis non dederitis, eam in duplum nobis emendare debeatis de his tantum annis, in quibus ſoluta non fuerit. Et inſuper concedo pro me, quàm pro meis ſucceſſoribus, tibi tuiſque ſucceſſoribus,* quod ſi acquiſieritis de rebus noſtri Monaſterii ab aliqua perſona, quæ eas jure noſtri Monaſterii tenuerit, debeamus nos inde renovare, *quam Calciarios quàm penſiones a vobis ſuſcipere ſecundùm uſum Eccleſiarum iſtius Civitatis, & non liceat mihi Abbati, neque meis ſucceſſoribus aut Collegio preſenti quàm futuro predictam Eccleſiam, neque predictas terras, neque ullas res ejus Eccleſie, quas habet modo, vel in futurum habuerit aliqua occaſione, vel aliquo modo invadere, ſeu præocupare, vel dare, aut alienare, vel tranſcribere, ſeu permutare, aut cambiare, vel in pignus mittere alicui Eccleſie, vel privatæ Perſonæ majoris vel minoris. Quam ſi nos tenemus in dictam Eccleſiam vel predictas res jure alterius Eccleſiæ, non liceat vobis eam Eccleſiam, vel eas res illi Eccleſiæ reſtituere vel reffutare, aut aliquo modo concedere. Et ego predictus Abbas cum meis ſucceſſoribus & Collegio preſenti quam futuro tibi predicto Petro Clerico quàm Rectori prefatæ Eccleſiæ, tuiſque ſucceſſoribus quàm Collegio, predictam Eccleſiam, quàm predictas omnes res ab omni jure alterius Eccleſiæ ſi juſte quàm rationabiliter facere poterimus, quàm ab omni perſona hominum quàm autorizare promittimus, ſive experiamini, ſeu communicamini ſine dolo quàm fraude. Quod ſi omnia ſupradicta non obſervaverimus, quod contra hec in vel agere aut contendere voluerimus, tunc daturum & compoſiturum me eſſe promitto, meoſque ſucceſſores quàm Collegium tibi petitori, tuiſque ſucceſſoribus quàm Collegio veſtræ Eccleſiæ ante omne litis initium aut interpella-*

tionem penæ nomine deductæ in ſtipulatione auri optimi Libras decem, quæ poſt ſolutionem penæ maneat firma hæc CartaEmphyteuſis in perpetuum.

Quod verò paginam Emphyteuſis ego Petrus Ravennas Tabellio ſcripſi poſt traditam complevi & abſolvi.

Ego Johannes Abbas *in hac Emphiteuſim factam ſcripſi.*

Ego Gandeſus in hac Emphiteuſi . . . . . conſenſi ſcripſi.

Ego Marcus Presbiter & Monachus in hac Emphitcoſi conceſſione ſcripſi.

Ego Joannes Monacus & Subdiaconus conſenſi ſcripſi.

Ego Albericus Presbiter conſenſi ſcripſi.

Ego Ruſticus hujus rei conſcripſi.

Ego Saxolinus hujus rei conſenſi ſcripſi.

Ego Gerardinus conſenſi ſcripſi.

Notitia teſtium idem Saxolinus Florentinæ Civitatis . . . . . Ruſticus Cauſidicus Fiſcalienſis, Gerardus Tiberti.

Ego Joannes Dei gratia Tabellio Ravennas exemplavi ut in authentica vidique legi, pro ut melius recognovi, nec addens nec minuens, ſub Anno Incarnationis Domini MCLXXXIII. die VIII. Menſis Madii, Indictione Prima, Ravennæ.

A Neque omittendus alius contractus, qui in Civitate potiſſimum Ferrarienſi familiaris eſt, nempe concedere domos aut agros *ad uſum* ſub ſtatâ penſione. Et quamquam is ab *Emphyteuſi* differat, attamen vario nomine idem ſignificare videtur. Hac de re conſulenda ſunt ejus atque aliarum Urbium Statuta. Mihi ſatis erit, heic producere Chartam, quam authenticam legi, atque e ruderibus Archivi Monaſterii Nonantulani depromſi. Poſſidet a multis Sæculis Populus Nonantulanus vaſtum Nemus, alioſque agros, omnia ſibi a liberalitate Goteſcalchi (*Gatiſcalchus* ab Ughellio appellatur Tomo V. Ital. Sacræ in Epiſcopis Tarviſinis) Abbatis Imperialis Monaſterii Nonantulani, in
B agro Mutinenſi exſiſtentis, conceſſa. Quibus conditionibus hæc largitus fuerit Abbas, Charta difertis verbis expreſſit, nempe ut Populus muniret Caſtrum, illudque & diſtrictum *contra omnem hominem* tueretur, nullâ penſionis obligatione adjectâ. Quonam autem titulo, hoc eſt, num Feudi, an Libelli, ſive Emphyteuſis, an Uſus, ea conceſſa fuerint, Lectori dijudicandum relinquo. Illud extra dubitationem eſt, eumdem Populum potiri adhuc, & frui ejuſmodi conceſſione.

Goteſcalchi Abbatis Nonantulani tabulæ, quibus multa Populo Nonantulano largitur, Anno 1058.

IN nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Anno ab Incarnatione ejus Milleſimo Quinquageſimo Octavo, Pridie Nonas Januarii, Indictione Undecima. Dominus omnipotens ac Redemptor noſter animas, quas Chriſtus condidit, ad ſtudium ſalutis ſemper invitat. Ideo ego Goteſcalchus *humilis* Abbas Monaſterio Sancti Silveſtri ſiti Nonantula, *una cum conſcilio Fratrum Monachorum ejuſdem Monaſterii, propter Deum, & pro ſalute atque utilitate ſupradicte Sancti Silveſtri Eccleſiæ, ſeu remedio animarum noſtrarum, providimus bonum & utiliter eſſe ordinare & concedere cuncto noſtro* Populo Nonantulenſi *nunc habitanti, & in futuro habitaturo: Ut nec ego qui ſupra Goteſcalchus Abbas, neque aliquis e meus ſucceſſor, nec Prepoſitus, aut Avocatus, ſive Vicedominus aut Gaſtaldio, ſeu Portonarius, vel Decanus, neque aliquis noſter, vel eorum Miſſus, ſeu noſtra, vel illorum ſubmiſſa perſona, audeat vel preſumat aliquem hominem habitantem vel habitaturum, ſeu domum habentem vel habiturum in Caſtro Nonantula, & infra iſtos fines: A mane eſt Foſſa, que dicitur Poliſinus; a meridie eſt Via, que dicitur Aliſcoſula . . . . . ad dictam Foſſam, incipiente ipſa Via a Via, que ducit a Vincaricia; a ſera ipſa Via de Vincaricia, que tranſiens per Gadiatam, perveniens uſque ad Viam, que dicitur Fraſcaria, que etiam Via Major dicitur; a ſubto eſt ipſa Via Fraſcaricia, que, ut ſupra, dicitur Major: apprehendere, neque aſſalire, vel percutere, aut occidere, neque ſua bona per vim ei tollere, vel pignorare, neque domum aliquam frangere, niſi ſecundùm quod Lex precipit, ſalva tamen donnicata juſtitia. Inſuper etiam ſtatuimus concedere cuncto predicto Populo Nonantulenſi, ſicut ſupra legitur, omnem terram conſtitutam infra ſupraſcriptos fines, a nobis vel a noſtris anteceſſoribus conceſſam, vel a nobis ſeu a noſtris ſucceſſoribus concedendam: ut ſi aliquis eorum ſine filio, vel nepote aut pronepote ex filio legitimo mortuus fuerit,*

C *tunc filiæ & nepciæ legitime habeant; & ſi filium, aut nepotem vel pronepotem, ſeu filiam aut nepciam, ut ſupra legitur, non habuerit, & fratrem legitimum, vel filium fratris legitimum habuerit, ipſi habeant. Et ſi aliquem de ſupradictis non habuerit, ipſi qui proximior ei eſt, cum minori precio, quàm alicui, concedere debeamus: ſalvo tamen omni bono uſu, quem prefatus Populus nuper habuit.*

Quin etiam placuit nobis concedere omni jam dicto Populo, qualiter ſupra legitur, omnem terram, Silvas, & Paludes, atque Paſcua ſuper ſe habentes, que nunc eſt donnicata noſtra, que in his ſubter ſcriptis finibus ſunt conſtituta; ſcilicet a mane Flumen, quod dicitur Gallicus;
D *a meridie Strata, que dicitur Claudia; a ſera Via, que ducit per Albareto, & in joſum per Zeſem uſque ad limitem, qui dicitur de Ploppe; a ſubto ipſe limes uſque in ſupraſcriptum Flumen Gallicum currentem per Pontemlongum; ad communem utilitatem ſupraſcripti Populi, ut ſupra legitur, utendum & pabulandum, atque ligna incidendum, ſeu eorum fines defenſandum, ſalva tamen donnicata juſtitia. Tali verò ordine, ut nec mihi, cui ſupra Goteſchalco Abbati, neque alicui meo ſucceſſori liceat, de predicta terra, Silvas, & Paludes, atque Paſcua ſe habente, nunc donnicata, alicui neque per Feudum, neque per Precariam, neque per Libellum, neque aliquo modo dare vel tradere ſeu concede-*
E *re, niſi ad communem utilitatem ſupraſcripto Populo, ſicut ſupra legitur. Pro quibus ſupraſcriptis omnibus rebus idem verò Populus promittit & obligacionem facit pro ſe ſuiſque heredibus mihi ſupraſcripto Goteſcalcho Abbati meiſque ſucceſſoribus in predicto Caſtro tres partes cum muro & foſſato circumdare, pro ut unicuique pars pertinuerit; quarta verò parte cum duabus Turribus, ſcilicet a Meridie & a ſubto, mihi, cui ſupra Goteſcalcho Abbati, meiſque ſucceſſoribus faciendum reſervata; in his ſex annis venturis adimplendum: atque predictum Caſtrum & Cortem infras ſupraſcriptos fines adju-*

adjutorem & defenſorem eſſe contra omnem hominem per rectam fidem. De quibus omnibus cauſis penam inter nos poſuimus, ut ſi quis ex nobis aut heredibus vel ſucceſſoribus noſtris ſe de hac conveniencia removere queſierit, & non permanſerit in his omnibus, que ſupra leguntur, ut componat illa pars, que non ſervaverit hoc, a parte fidem ſervantis, pene nomine argenti de bonis Denariis Papienſibus Libras centum. De Populo tamen, qui ea, que ſupra dicta ſunt, non obſervaverit, ſi de majoribus, componat Libras tres Denariorum ſupraſcriptorum, & ſi de mediocribus eſt, Libras duas de predictis Denariis, ſi verò de minoribus fuerit, viginti Solidos predictorum Denariorum componat; & poſt penam ſolutam hec omnia, ſicut ſupra legitur, in ſua permaneat firmitate, quia ſic inter nos convenit. Unde due Carte convenientie uno tinore ſunt ſcripte.

Actum in ſupraſcripto loco Nonantule feliciter.

Signa ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ *manuum Alberti filio Roberti, & Mainfredi filio ejus, & Ugonis filius Oddonis, atque Ardoini ejus nepus, namque Rainardi filius Girardi de Canole, ſeu Enrici filio Pagani, etiam Ungarelli de Campillio, qui in his omnibus, ſicut ſupra legitur, rogati ſunt teſtes.*

Petrus Notarius ſacri Palatii ſcripſi, poſt traditam complevit & dedit.

Denique monitum Lectorem volo, non raro occurrere in antiquis Chartis ſeu Diplomatis, *Chartulatos*, ſeu *Chartularios*, & *Libellarios*. In Lege centeſima Langobardica Caroli Magni Part. II. Tomi I. Rer. Italicarum ſtatuitur, *ut Servi, Aldiones, Libellarii antiqui, vel alii noviter facti, qui non per fraudem, neque per malum ingenium de Publico ſervitio ſe ſubtrahentes, ſed per ſolam neceſſitatem & paupertatem terram Eccleſiaſticam colunt, vel colendam ſuſcipiunt, non a Comite vel aliquo Miniſtro illius, ad ullam angariam ſeu ſervitium Publicum vel privatum cogantur*. In ejuſdem Caroli Magni Lege duodecima mentio eſt de *Cerariis, Tabulariis & Cartulariis*. Ita in Chronicis Caſaurienſi & Farfenſi commemoratos non ſemel videmus *Servos, Ancillas, Chartularios, Commenditos, Aldiones, Libellarios*. Baluzius in Notis ad Capitularia, & Du-Cangius in Gloſſario Latino, tradunt, nihil aliud fuiſſe *Chartularios*, niſi Libertos, ſive Servos manumiſſos per *Chartulam*: *Libellarios* verò, manumiſſos per *Libellum*. Equidem difficilem me non præbebo ad credendum, *Chartularii* nomine deſignatum fuiſſe Libertum, quum in Lege XIII. Langobardica Pippini Italiæ Regis *homo Denarialis*, ideſt manumiſſus per denarium, ab hereditate excludatur, quouſque *in tertiam generationem perveniat*. Tum additur: *Et homo Chartularius ſimiliter*: quæ indicant, & hunc ad Libertorum genus eſſe referendum. Attamen diligentius hanc in rem inquirendum puto, quum in Additamentis ad idem Chronicon Caſaurienſe, Part. II. Tomi II. Rer. Italicar. pag. 944. Monachi petant *juſtitiam de iſto Licuteri, quatenus res Candeli de Suliano, & res Romani, & res de germanis ſuis de Paterno, qui fuerunt Chartulati Allonis, qui olim Caſtaldio fuit, & modò ipſe eſt Monachus, & Chartulatus de ſupradicto Monaſterio de omne re ſua, contendit nobis*. Heic non alius *Chartulatus* videtur, quam qui per *Chartulam* aliquid jure *Emphyteutico*, ſive *Emphyteotecario*, ut ajebant, ab altero ſibi conquiſierat, atque uſufructuario tantùm nomine, dum viveret, retinebat. Certe *Allo* iſte *Caſtaldio* fuerat, non Libertus. Monachiſmum verò profeſſus, ſua omnia in proprietatem Monaſterio tradiderat, uſufructu dumtaxat diebus vitæ ſuæ ſibi reſervato. Ac propterea ut ille *Chartulatus* evaſerat Monaſterii, ita & Romanus, ejuſque germani, appellati videntur *Chartulati Allonis*, quod ejus agros titulo Emphyteuſis ad vitam tenerent. Adde & alteram Chartam ibidem pag. 947. ubi Romanus Abbas Anno DCCCLXXVI. inveſtitur *de rebus, quæ fuerunt Urſonis Caſtaldionis, & Ermeſindæ, & de omnibus, quæcumque jam antea per inveſtituram a patre Domni Ludovici Imperatoris tenuerunt comparatione, Chartulatione, donatione ſeu conquiſito*. Viden, quomodo *Chartulatio* unus e titulis fuerit, quibus fundi olim acquirerentur? At vix aliud ea vox ſignificarit quàm Emphyteuſim. Veri etiam ſimilius eſt, *Libellarios* in vetuſtis Chartis ſæpe memoratos, idem cum *Chartulatis* ſignificaſſe, quum adhuc in Italia *Libellariorum* nomine (*Livellarj*) deſignemus Emphyteutas. Poſſidebantur nempe fundi *Libellario* ſeu *Emphyteuticario* jure, aut *Beneficiario*. Et ſicuti *Emphyteuticarii* & *Beneficiarii*, ſeu *Beneficiati*, homines appellabantur, ita & Libellarii, qui per *Libellum* aliquid ab altero recognoſcebant, ſive qui *Libellario nomine*, *Libellario jure*, uti ajebant, fundum aliquem tenuerunt. Quare *Chartulati* ac *Libellarii* majoris explicationis cauſâ Emphyteutæ commemorati videntur in antiquis Diplomatis, quamquam fieri etiam potuerit, ut neceſſitatis cauſâ id factum fuerit, quum non unius ſpeciei eſſent Emphyteuſes cunctæ. *Precarii* quoque appellati Emphyteutæ fuerunt. Tomo II Ital. Sacr. in Epiſcopis Parmenſib. in Diplomatis Caroli Craſſi Anno Chriſti DCCCLXXX. atque Ottonis Magni Anno DCCCCLXII. Epiſcopo Parmenſi facultas conceditur diſtringendi *familias omnium reſidentium ſuper præfatæ Eccleſiæ terras, ſive Libellariorum, ſive Precariorum, ſeu Caſtellanorum*. En ut *Libellarii* non ſecus atque *Precarii*, homines fuere *reſidentes* (quo nomine *Liberi* homines deſignantur) ſuper terris Epiſcopii Parmenſis. Juſta opinandi cauſſa eſt, agi heic de Emphyteutis, ſive ii Liberi, ſive Liberti fuerint. Ita in Diplomate Anni DCCCCXXXVI. apud Campium Tomo primo pag. 485. Hiſtor. Eccleſiæ Placentinæ, Hugo & Lotharius Italiæ Reges Abbati Tollenſi omnia confirmant *cum Servis & Ancillis utriuſque ſexus, cum Aldiis & Aldiabus, cum liberis hominibus Commenditiis, Libellariis, ſeu ſuper ipſam terram Reſidentibus*. Et ſane quum immunitates non tantùm Eccleſiis, earumque fundis concederentur, ſed & earum Emphyteutis, ſæpe fateri cogeremur excluſos a privilegio Emphyteutas eoſdem, niſi *Libellariorum* nomine eoſdem deſignatos arbitraremur. Proinde quum in Diplomate Ludovici II. Anno DCCCLXXIII. apud Puricellium in Monumentis Baſilicæ Ambroſianæ, lego confirmata Abbati Ambroſiano omnia ejus bona *cum Servis & Ancillis, Aldionibus, Libellariis, Cartulariis, & Commenditis ipſorum*; & in altero Caroli Craſſi Anno DCCCLXXXI. reperio *Commendatos, Libellarios, ſeu Cartularios*, opinari pergo, *Libellariorum* nomine Emphyteutas potius ſignificari, ſive ii fuerint Liberi, ſive Liberti, donec meliora argumenta afferantur, quæ me de ejuſmodi opinione dejiciant.

HISTORIÆ
ROMANÆ
FRAGMENTA

Ab Anno Chriſti MCCCXXVII. uſque ad MCCCLIV.

NEAPOLITANA, SIVE ROMANA DIALECTO SCRIPTA,

AUCTORE ANONYMO,

NUNC PRIMUM EDITA EX MSto CODICE ROMANO.

IN HIS HABETUR

VITA NICOLAI LAURENTII

(ſive *DI COLA DI RIENZO*)

TRIBUNI ROMANORUM,

ANTEA EVULGATA.

IN COMMODUM LECTORUM OMNIA LATIO DONAVIT

PETRUS HERCULES GHERARDIUS

MUTINENSIS,

HEBRAICÆ ET GRÆCÆ LINGUÆ IN PATRIO LYCÆO PROFESSOR.

IN ROMANAE HISTORIAE FRAGMENTA

PRAEFATIO

LUDOVICI ANTONII MURATORII.

NOn nunc primùm a me Lector accipiet *Vitam Nicolai Laurentii* (vulgo *Cola de Rienzo*) Neapolitanâ ſive Romanâ Dialecto conſcriptam. Prodiit illa non ſemel (eam quippe ineunte Saeculo Chriſti Decimo ſeptimo, bis typis tradidit Andreas Feus Braccianenſis Typographus) atque a Literatis Viris multo plauſu excepta fuit, majorique voluptate perlecta. Eamdem inferre in meam Rerum Italicarum Collectionem animus mihi erat; at dum MStos Codices conquiro, accuratioris aut amplioris editionis deſiderio ductus, & ſpes mihi facta non mediocris additamenti diu ſuſpenſum me tenet, ſuus Opuſculo locus in eadem Collectione ereptus fuit. Quare ipſum in hoc altero Opere Lectori offero, utpote Italicae Hiſtoriae fragmentum non parvi faciendum, atque eo etiam nomine, quod vix alius Liber Saeculi illius tantam delectationem poſſit adferre legenti. Quod plus eſt, non Nicolai dumtaxat Vitam profero jamdiu Eruditis notam, ſed etiam alteram non levem partem Hiſtoriae ab eodem Auctore profectam, & nondum editam adtexo. Scilicet qui primus Vitam Nicolai aereis typis tradidit, unice in ipſius geſta intentus, cetera contemſit, quae tamen & ipſa nemo neget quin luce digniſſima ſint. Erant mihi nonnulla partis hujus nondum vulgatae Capitula: ſed plura, dum viveret amicus meus Hyacinthus Mannius Juriſconſultus Nurſinus, reperit in MSto Codice nobilis Magnatis Caeſaris Baldinotti Ducis, eaque inde, ſinente humaniſſimo viro, deſcripta ad me miſit. Ab Anno Chriſti MCCCXXVII. uſque ad MCCCLIV. res vivente ſe geſtas Scriptor iſte literis conſignarat. Dolendum tamen, excidiſſe jamdiu aliquot Capitula, quorum tantummodo argumentum, non verò textum, nobis ſervavit Codex Baldinottus. Neque lacunas haſce implere poſſe aliunde mihi datum fuit.

Sed quis Auctor Hiſtoriae hujus? Fuerunt olim, qui *Thomam Fortifioccam* cenſuere, eâ tantùm ratione adducti, quod Lib. 2. Cap. 2. hujus Operis iſta leguntur: *Poſt eum ſurrexit alter, qui Scribae Senatus munere fungebatur, Thomas Fortifioccae nuncupatus, & Nicolaum ſubſannationibus additis irriſit*. Tum Cap. 14. ejuſdem Libri haec habentur: *Duos Scribas Senatus capi juſſit, & eis ignominiae mitram, ceu falſariis impoſuit, multoque aere eoſdem damnavit, mille Librarum nempe mulctâ utrumque judicans. Uni nomen Thomas Fortifioccae fuit*. At haec ipſa ſatis perſuadere poſſunt, immerito tributum fuiſſe Librum iſtum *Fortifioccae*. Veri numquam ſimile fuerit, hunc voluiſſe tantam ſui ignominiam referre, atque ad poſteros tranſmittere. Neque propterea, quod is Scriba Senatus fuerit, Scriptor quoque Hiſtoriarum cenſendus fuit. Et ſane in poſtrema editione Vitae Nicolai, nullam Fortifioccae, quaſi Auctoris, mentionem habes. Igitur qui monumenta haec memoriae prodidit, incertus adhuc, & Anonymus eſt: neque ulla dubitatio oboriri poteſt, quin eidem Scriptori, qui nobis Vitam Nicolai Laurentii dedit, priorem quoque Hiſtoriae partem nunc mihi edendam debeamus. Unum utriuſque foetus parentem Codex Baldinottus exhibet; idque luculentius confirmatum ſentias a ſtilo, qui utrobique idem eſt, mirabili videlicet ſimplicitate, lepore, ac vivacitate deductus, atque ab eâdem vulgi Romani, ut opinor, Dialecto, quae fortaſſis a Neapolitanâ eo tempore parum diſtabat. Tam graphice verò ſingula deſcribit Auctor, ut Saeculi illius mores ac ritus veluti ſub oculis pictos habeas, integrumque Opus unumquemque ad legendum alliciat. Quare eo etiam lubentius illud hiſce Libris meis adjunctum volui, in quibus praecipue de moribus Italorum, dum Saecula barbarica fluerent,

agendum ſuſcepi. Verùm Neapolitana ipſa ſeu Romana Dialectus, aliis Italiae Populis parum perſpecta, compluribus impedimento futura fuiſſet ad aſſequendas res omnes, eoque magis charites interſperſas hujuſce Hiſtoriae. Praeterea qui extra Italiam Linguae noſtrae operam dedere, ſi ad haec legenda accederent, in nimias, ut puto, tenebras incurrerent. Quare ut nemo Eruditorum hujuſce Opuſculi lectione & fructu fraudaretur, illud Latine reddendum curavi ab amantiſſimo mei Petro Hercule Gherardio J. U. D. & Linguarum Orientalium Profeſſore in Academia Mutinenſi. Quod ſi fortè abſtruſa quaedam vocabula aut ſenſa occurrent, quae peritiorem exigere potuiſſent Interpretem, moroſus nimium, & paene dixi humanitatis oblitus foret, qui nullam excuſationem admitteret, & laudabili hominis conſilio maledicta tantùm referret. Ceterum cum Vita Nicolai Laurentii Tribuni componenda ſunt, quae de illo habet non unus Scriptor, in Rerum Italicarum Collectione a me editus. Proſtat etiam, atque in omnium manibus verſatur ejus Elogium inter Carmina Italica, ſimulque inter Epiſtolas Franciſci Petrarchae, qui prima illius geſta contemplatus, atque in admirationem raptus, nimis multa de eo praeſagiebat. Sed virum de fama tantùm norat Petrarcha, quum ea ſcripſit. Enthuſiaſtam & Phantaſticum Heroëm ſubſequuta ejus geſta prodiderunt, in quo multae virtutes fuerunt, ſed una deſiderata potiſſimum fuit, omnium maxima, & dux ceterarum, Prudentia videlicet, cujus loco, paene dixi, inſania ſucceſſit. Ad hanc autem Vitam elimandam, comtioremque efficiendam, praeſto mihi fuit geminus Codex MStus, alter in Eſtenſi Bibliotheca, alter Bononiae adſervatus. Habebit fortaſſe Lector, unde meam hanc, quàm praecedentes editiones, pluris faciat.

HISTORIÆ ROMANÆ FRAGMENTA.

LIBRO PRIMO.

CAPITOLO PRIMO.

Prologo , dove ſe demoſtra la raſcione per la quale queſta Opera fu fatta.

Dice lo glorioſo Santo Iſidoro ne lo Livro de le Etimologie, che lo primo huomo, che trovaſſe lettera, fu uno Greco, lo quale habe nome Cadmo. Nante lo tiempo de queſſo non era lettera. Donne, quanno faceva beſuogno de fare aicuna coſa memorabile a ſcrivere, non ſi poteva. Donne le memorie ſe facevano con ſcoiture in ſaſſi e pataffi, li quali ſi ponevano nelle locora famoſe, dove demorava moititudine de ienti : o vero ſe ponevano là , dove ſtate erano le coſe fatte ; como una granne vattaglia , o vero vittoria , triſtezze, diſconfitte inſcolpiano, & aitri animali in ſaſſo , overo iente armata , in ſegno de tale memoria. Et queſti ſaſſi fondavano in quelle locora , dove le coſe fatte erano in ſegno de perpetua memoria. Livro non facevano , cha lettera non ſe trovava appo li Greci. E queſſo muodo ſervaro li Romani per tutta Italia & in Francia ; maſſimamente in Roma , che facenno ſapere a li loro ſucceſſori loro fatti, fecero Arcora trionfali con vittaglie , huomini armati , cavalli, e aitre coſe, como ſi trovano in........ e in Arimino . Da poi che Cadmo comenzao a trovare le lettere, le iente comenzao a ſcrivere le coſe , elli fatti per la devolezza de la memoria, e maſſime li fatti avanzarmi e magnifichi, como Tito Livio fece lo Livro da lo comenzamento de Roma fino a lo tiempo de Ottaviano : como ſcriſſe Lucano li fatti de' Ceſari ; Saluſtio, e moiti aitri Scrittori non laſſaro la memoria de moite coſe antepaſſate de Roma.

Dunqua io , lo quale (como piaciuto ene a Dio) haio veduto coſe de moita memoria per la loro granne eſſellentia de novitate in queſto muno , laſſario paſſare queſſe coſe ſenza aicuna ſcrittura ? Certo non fuoro convenevole , che de eſſe remanga tenebre de ignoranza pe pegrizia de ſcrivere . Anco ne voglio fare ſpeziale Livro e narrazione . L'opera ene granne e bella . Queſſo affanno prenno pe moite caſcioni . La prima , cha homo trovarao aicuna coſa ſcritta , la quale ſe revederao avenire in ſimile , donne conoſcerao chello de Salamone ene vero . Dice Salamone : Non è coſa nova ſotto lo Sole . Che coſa pare nova, ſtata ene. *L'aitra caſcione de queſſo è , cha quì ſi trovano moito belli e buoni eſempii , donne porrao homo aicuna coſa peri-*

LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIMUM.

Prologus, quo rationes adducuntur, quibus Opus iſtud ab Auctore ſuo fuit concinnatum.

IN Libro Ethimologiarum glorioſus Sanctus Iſidorus aſſerit , quemdam Græcum ex omnibus mortalibus primum , Cadmum nomine, Literarum elementa inveniſſe . Ante Cadmi ævum nullus fuit Literarum uſus . Quamobrem minime ſervari poterat recordatio rerum earum, quæ poſterorum memoriæ tradi merebantur . Memorabilium actuum monumenta ſaxis incidebantur , & epitaphiis inſculpta repræſentabantur , quæ in celebrioribus locis , hominum incolatu & multitudine frequentatis , collocabantur . Ibi vero præſertim poſita conſpiciebantur , ubi res ipſæ jam antea geſtæ fuerant , puta ingens armorum conflictus , ſeu victoria, vel triſtis quippiam caſus , vel ſingularis aliqua clades . Saxis præterea inſculpebantur aut animalia, aut armatorum hominum ſpecies in ejuſmodi monumentorum indicium. Atque eoſdem lapides ipſiſſimis illis locis impoſuerunt Veteres in perpetuæ recordationis ſignum , ubi illuſtria & memorabilia geſta evenerant . Libros nullus conſarcinabat , nec ſcribebat , quod apud Græcos nullum Literarum elementum tunc inveniebatur . Per univerſam Italiam , in Gallia, ac præſertim Romæ pariformiter egerunt Romani , qui , ut ad poſteros memoriam geſtarum rerum tranſmitterent , triumphales Arcus, bellorum certamina , armatos viros, equos, & alia exhibentes oculis , condiderunt , quales ſane invenimus . . . . . . & in Urbe Ariminenſi . Poſtquam Cadmus Literarum elementa reperit, tunc cœperunt homines res & actus ſuos, præcipue vero celebriora ac illuſtriora geſta , literis & ſcripturæ conſignare , hac via humanæ recordationis lubricitati conſulentes . Ita egiſſe novimus Titum Livium , qui Librum ab Urbe condita uſque ad Octaviani tempora compoſuit . Ita Lucanum , qui actus Cæſarum deſcripſit, ita Salluſtium, multoſque alios Scriptores , qui literis commendarunt plurimas res anteactas Romanæ Civitatis.

Queî igitur ego ipſe (cui a Deo Optimo Maximo datum fuit , res multâ memoriâ dignas , & ſumme ob ipſarum novitatem excellentes, in hoc orbe intueri) eas abſque ulla ſcriptione ſilentio præterire potero? Sane dedeceret, eaſdem ignorantiæ tenebris conſepultas remanere ob ſcribendi deſidiam . Itaque de illis ſingularem Librum ac narrationem inſtituere mihi animus eſt . Ingens quidem ac pulcrum hoc Opus erit. Iſtiuſmodi labor multas ob cauſas eſt mihi ſuſcipiendus . Primo , qui perleget , quidpiam fortaſſe heic reperiet , quod in poſterum contingere ſimiliter denuo videbit . Ex quo Salomonis dictum illud verum eſſe cognoſcet . Inquit Salomon : *Nihil eſt novum ſub Sole . Quod æſtimatur novum , antea jam accidit*. Secundo,

pericoloſa ſchifare, aicuna porrao eleiere e adoperare. Sì che lo leiere de queſſa Opera non paſſarao ſenza frutto de utilitate. La terza caſcione è, ch' aio reſpetto a la magnificencia de queſſa novitate, como de ſopra detto ene. Cha coſa de poco eſſere homo non cura. Laſſala ſtare. Coſa granne ſcrivi. La quarta caſcione ene quella, che moſſe Tito Livio. Dice Tito Livio ne la prima Decada, e fao menzione de Aliſſandro de Macedonia; quanta iente habe da pede e da cavallo; quanto tiempo durao ſoa ſignoria; quanto ſi ſteſe per lo munno. E dice, che ſoa grannezza fu nulla coſa in comparazione de' Romani. Queſſo dicenno, reſponne ad una queſtione, la quale homo li poteva fare, e dicere : In el narrare le Storie de' Romani, como te impacci de li fatti de Aliſſandro? *Reſponne Tito Livio e dice :* Queſſo faccio per ponere requie a lo animo mio. *Quaſi dica; lo animo mio ene ſtimolato de ſcrivere queſſa materia. Voglione toccare. Poi me ſe poſa conſolato lo mio animo. Così dico io : l'animo mio ſtimolato non poſa, finente che io non haio meſſe in ſcritto queſſe belle coſe e novitati, le quali vedute haio in mea vita. La quinta caſcione ene anche quella, che ſcrive Tito Livio ne lo Proemio de lo ſio Livro della prima Decada. Dice :* Mentre che ſto occupato a ſcrivere queſſe coſe, ſo' remoto e non veio le crudelitati, le quali per tanti tiempi la noſtra Cittade hao vedute. *Così dico io; mentre che prenno diletto in queſſa Opera, ſto remoto, e non ſento la guerra e li affanni, li quali curro per lo paieſe; li quali per le moite trivulazioni ſiento triſti e miſerabili non ſolamente chi li pate, ma chi li aſcoita. Quello, che io ſcrivo, ſi ene fermamente vero.*

E di ciò mi ſia teſtimonio Dio, e quelli, li quali de mò vivo con meco, che le infraſcritte coſe foro vere. E io, che vidi e ſentille, maſſimamente aicuna coſa, che fu in mio paieſe, inteſi da perzone fide digne, le quali concordavano ad uno. E de ciò io poneraio certi ſegnali ſecunno la materia curza, li quali fuoro concurrenti con eſſe coſe. Queſſi ſegnali farao lo leiere eſſere certo e non ſoſpetto de mio dicere. Anco queſſa Cronica ſcrivo in vulgare, perchè de eſſa porà trovare utilitade onne iente, le quale ſemplicemente leiere ſao, como ſoco vulgari Mercatanti, & aitra moita bona iente, la quale per lettera non intenne. Dunqua pe comune utilitate e diletto fò queſſa Opera vulgare, benchè l'haia ià fatta pe lettera con uno La-

A cundo, plura delectabilia ac utilia exempla in hoc Libro proponentur, ex quorum obſervatione vel pericula effugere, vel eorum imitationem in praxi eligere poterunt homines. Quare non infructuoſa nec inutilis erit hujuſce Operis mei lectio. Tertio, quia, ut ſuperius dixi, dignam adnotatione cenſui magnificentiam ac novitatem harum rerum mihi ſcribendarum. Nemo ea, quæ parvi momenti ſunt, æſtimat, ſed inſalutata dimittit. Rem grandem is ſibi conſcribendam ſumit. Quarto ad id me impulit ea ratio, quæ Titum Livium permovit. In prima Decade Titus Livius mentionem agens Alexandri Macedonis, quot pedites, quotque equites in exercitu ſuo habuerit ille, quanto B tempore dominationem ſuam protraxerit, & quantum in orbem fuerit hæc propagata, enarrat. Macedonis amplitudinem, Romanorum magnificentiæ comparatam, nihili ſane habendam eſſe aſſerit. Ita ſcribens, objectioni, quam ſibi aliquis texere poterat, reſpondet : *Quum Hiſtorias Romanorum elucubrandas ſuſceperis, cur animum tuum ad Alexandri geſta divertis?* Reponit (*a*) Titus Livius, aitque : *Hoc ipſum ago, animo meo quietem quæſiturus*. Ac ſi dicat : Spiritus meus ad pertractandam, diſponendamque materiem hanc excitatur. De ipſa diſſerere volo. Poſtquam animus meus voti compos factus fuerit, & ſolabitur & conquieſcet. Non aliter dicam ego. Spiritus meus C ſolicite irrequietus agitatur, uſque dum ego ſcriptis commendarim delectabiles & novas res illas, quas, dum vixi, oculis conſpexi. Quinto in cauſa illud ipſum eſt, quod refert Titus Livius in Præfatione (*b*) Libri ſui primæ Decadis, ubi ait : *Dum in hiſce ſcribendis detineor, longe abſum, nec immanitates, quas præteritis temporibus tamdiu Urbs noſtra vidit, intueor*. Similia & ego dico. Dum in elucubrando hoc Opere delector, remotus dego, nec bella, nec prœliorum damna, quæ per regionem noſtram excurrunt, experior. Illa ob multas ærumnas triſtia ac deplorabilia ſentiunt nedum ii, qui ea patiuntur, ſed & qui audiunt. Quidquid heic ſcribam, firmiter pro D vero habeatur velim.

Teſtem advoco Deum & homines, quibuſcum hodie vivo, res mihi enarrandas & veras fuiſſe & viſu ac auditu mihi bene perſpectas. Quoſdam caſus, qui in patria mea evenerunt, ab hominibus fide dignis præſertim intellexi, quos in unum, dum referebant, conſentire cognovi. Hinc certa ſecundùm materiæ exigentiam indicia apponam, quæ cum ipſis caſibus concurrerunt. Ejuſmodi indicia certiorem legentibus narrationem meam reddent, meque dicentem ſuſpicione liberabunt. Porro Chronicon iſtud vulgari idiomate noſtro exarare propoſui, ut quælibet hominum conditio utilitatem ex ipſo derivare in ſe poſſit, & ii præciE pue, qui ſimpliciter & ſuperficie tenus literas norunt, ut ſunt vulgares mercatores, aliique multi

(*a*) Titus Livius Hiſtoriarum Lib. IX. Cap. XVII. hæc habet : *Nihil minus quæſitum a principio hujus Operis videri poteſt, quàm ut plus juſto ab rerum ordine declinarem, varietatibuſque diſtinguendo opera; & legentibus velut diverticula amœna, & requiem animo meo quærerem.*

(*b*) Titus Livius in Præfatione Hiſtoriarum ſuarum hæc inquit : *Ego contra hoc quoque laboris præmium petam; uti me a conſpectu malorum, quæ noſtra tot per annos vidit ætas, tantiſper certe, dum priſca illa tota mente repeto, avertam, omnis expers curæ, quæ ſcribentis animum etſi non flectere a vero, ſolicitum tamen efficere poſſit.*

Latino moito. Ma l'Opera non ene tanto ordinata, nè tanto copioſa, como queſſa. Anche queſſa Opera diſtinguo per Capitoli, perchè volenno trovare coſe belle, ſenza affanno ſe pozza trovare. A

CAPITOLO SECUNNO.

Como Jacovo di Saviello Senatore fu cacciato de Campituoglio per lo Puopolo. E della Cavallaria de Miſſore Stefano de la Colonna, e Miſſore Napolione de li Orzini. B

CAPITOLO TERZO.

Como fu ſconfitto lo Prencipe de la Morea a Porta di Caſtello Santo Agnilo. E como fu trovato Guelfo e Gabellino. E delle condizioni di Dante, e que fine habe ſoa vita.

CAPITOLO QUARTO.

De Papa Janni. E de la venuta de lo Bavaro a Roma, e de la ſoa partenza. E de lo Antipapa, lo quale fece.

CAPITOLO QUINTO.

De lo moſtro, che nacque in Roma. E de lo Legato de lo Papa, lo quale fò cacciato da Bologna. C

CAPITOLO SESTO.

Como Frate Venturino venne a Roma co' le Palommelle. E de lo Campanile de Santo Pietro, lo quale fò arzo.

CAPITOLO SETTIMO.

De Papa Benedetto. E de lo tetto de Santo Pietro de Roma, lo quale fò renovato.

CAPITOLO OTTAVO.

De la Cometa, la quale apparze in Lommardia. E de la deſolaziona di Miſſore Maſtino Tiranno pe li Veneziani. D

CAPITOLO NONO.

De la aſpera e crudele fame. E della vattaglia de Parabianco in Lombardia. E de li modi novi de le veſtimenta.

CAPITOLO DECIMO.

De la morte de lo Re Ruberto. E de la venuta che fece la Reina de Ungaria in Roma.

CAPITOLO UNDECIMO.

De la ſconfitta de Spagnia. E de la toita de la Sinſera. E de lo aſſedio de Subaltare. E

CAPITOLO DUODECIMO.

Como fo cacciato da Fiorenza lo Duca de Atene. Como morio Papa Benedetto, e fo creato Papa Chimento.

CAPITOLO DECIMOTERZO.

De la Crociata, la quale fo fatta in Turchia a le Eſmirre.

CA-

multi e vulgo boni viri, qui literas non didicerunt. In commune igitur bonum ac delectationem Opus hoc meum Vulgari Lingua compoſitum prodibit, licèt aliàs jam antea Latino ſermone illud ipſum concinnarim: quod tamen nec tam bene ordinatum, nec tam copioſum extat, quam hoc ipſum. Demum Opus hoc meum per Capitula dividam, ut facilius & abſque labore quilibet delectabiles res, quæ in eo ſcribentur, invenire valeat.

CAP. II.

Quomodo Jacobus de Sabello Senator expulſus fuit de Capitolio a Populo Romano. De militia equitum Domini Stephani de Columna, & Domini Neapoleonis de Urſinis.

CAP. III.

De clade Principis Peloponneſi apud Portam Sancti Angeli. Quomodo Guelphæ & Gibellinæ factionum nomina erupere. De Dantis Poëtæ conditionibus, & de ejuſdem obitu.

CAP. IV.

De Papa Johanne. De adventu Bavari Romam, & de ejus receſſu. De Antipapa per Bavarum conſtituto.

CAP. V.

De monſtro Romæ edito. De Legato Pontificis Bononiá expulſo

CAP. VI.

De adventu Romam Fratris Venturini cum Societate Columbellarum. Item de ſacra Turri Sancti Petri incendio conſumta.

CAP. VII.

De Papa Benedicto. De tecto Baſilicæ Sancti Petri in Urbe renovato.

CAP. VIII.

De Comete, qui in Lombardia apparuit. De deſolatione, quam Veneti Domino Maſtino Tyranno intulerunt.

CAP. IX.

De aſpera & crudeli fame. De prœlio Parabiaghi in Lombardia. De novis generibus veſtium.

CAP. X.

De morte Regis Roberti. De adventu Reginæ Hungariæ Romam.

CAP. XI.

De clade Saracenorum in Hiſpania. De captione Algeziræ. De obſidione Calpe, ſive Gibelterræ.

CAP. XII.

Quomodo Florentiá pulſus fuit Dux Athenarum. Quomodo diem extremum obiit Papa Benedictus. Quomodo creatus fuit Papa Clemens.

CAP. XIII.

De Crucesignatorum exercitu, qui in Turcico Imperio apud Smirnam factus fuit.

CAP.

A CAPITOLO DECIMOQUARTO.
De la ſconfitta de Francia, dove morio lo Re de Boemia, e lo Re de Francia fo ſconfitto. E de lo Re de Engelterra.

CAPITOLO DECIMOQUINTO.
De lo grandiſſimo diluvio e piena de acqua.

CAPITOLO DECIMOSESTO.
De la Galea ſorrenata e derobata in piaia Romana.

CAPITOLO DECIMOSETTIMO.
De Leonardo de Orvieto tenagliato per Roma.

B CAPITOLO DECIMOOTTAVO.
De li gran fatti, li quali fece Cola de Rienzo, lo quale fo Tribuno de Roma Auguſto.

CAPITOLO DECIMONONO.
De la morte de Antrea Re de Puglia, lo quale fo appeſo. E como fo comenzata a fare de tale morte iuſtizia.

CAPITOLO VIGESIMO.
De la venuta de lo Re de Ungaria in Italia. E de la morte del Duca di Durazzo, lo quale fo decollato.

C CAPITOLO VIGESIMOPRIMO.
De la crudele mortalitate per tutto lo munno. E de le Scale de Santa Maria de Araceli.

CAPITOLO VIGESIMOSECONDO.
De lo terratriemolo, lo quale fo in Italia.

CAPITOLO VIGESIMOTERZO.
Dello quinquageſimo Jubileo in Roma. De la tornata, la quale fece lo Re de Ungaria in Roma e in Puglia.

CAPITOLO VIGESIMOQUARTO.
Como Peroſcini aſſediaro Bettona, e desfecero la Terra da' fonnamenti, e tagliaro la
D teſta a Miſſore Criſpoldo traditore.

CAPITOLO VIGESIMOQUINTO.
Como le Campane de Santo Pietro meſſero. E como perdio lo Papa la Signoria de lo Senato. E como Papa Chimento morio.

CAPITOLO VIGESIMOSESTO.
Como lo Senatore fo allapidato da' Romani. E de li magnifichi fatti, li quali fece fare Miſſore Egidio Concheſe de Spagnia Legato Cardenale, per recuperare lo Patrimonio, la Marca de Ancona, e Romagna.

E CAPITOLO VIGESIMOSETTIMO.
Como Miſſore Cola de Rienzo tornato in Roma reaſſonſe lo dominio con moite allegrezze. E come fo acciſo pe lo Puopulo de Roma crudamente.

CAPITOLO VIGESIMOOTTAVO.
De la venuta de Carlo Imperatore a Roma, e de la ſoa coronazione, e de la ſoa partenza a la Alamagnia. CA-

CAP. XIV.
De clade Gallorum, in qua occubuit Rex Bohemiæ. Quomodo Rex Franciæ fuit profligatus a Rege Angliæ.

CAP. XV.
De maximo diluvio & aquarum inundatione.

CAP. XVI.
De triremi in arenam impacta, & mercibus exſpoliata in Romano litore.

CAP. XVII.
De Leonardo Urbevetano per Romanam Civitatem candentibus forcipibus dilaniato.

CAP. XVIII. (a)
De memorabilibus geſtis Nicolai Laurentii, qui fuit Tribunus Auguſtus Romanorum.

CAP. XIX.
De obitu Andreæ Regis Apuliæ, ſuſpendio interfecti. Quomodo de Andreæ ejuſdem nece judicium fuit inſtitutum.

CAP. XX.
De adventu Regis Hungariæ in Italiam. De morte Ducis Dyrrhachii, qui fuit decollatus.

CAP. XXI.
De ſæva peſte per totum orbem. De Scalis Sanctæ Mariæ Aræ Cœli.

CAP. XXII.
De terræmotu per Italiam.

CAP. XXIII. (b)
De quinquageſimo Jubilæo Romæ. De reditu Romam Regis Hungariæ. De ejus profectione in Apuliam.

CAP. XXIV.
Quomodo Peruſini obſederunt Bettonium, & a fundamentis illud everterunt, & Domino Criſpoldo proditori caput amputarunt.

CAP. XXV.
Quomodo Campanæ Sancti Petri impoſitæ fuerunt in ſacra Turri. Quomodo Pontifex amiſit dominium Senatus. Quomodo Papa Clemens ad plures abiit.

CAP. XXVI.
Quomodo Senatorem lapidibus obrutum Romani occiderunt. De magnificis actibus Domini Ægidii Caucenſis ex Hiſpania Cardinalis Legati in recuperando Eccleſiæ Patrimonium, Marchiam Anconitanam, & Romandiolam.

CAP. XXVII.
Quomodo Dominus Nicolaus Laurentii reverſus Romam dominium multo cum gaudio reſumſit. Et quomodo a Populo Romano crudeliter eſt interfectus.

CAP. XXVIII.
De adventu Caroli Imperatoris Romam, & de ejus coronatione, ac reditu in Alemanniam.
CAP.

(a) Capitulum hoc in varias ſectiones & capitula diviſum habetur infra in Libro Secundo, cui titulus *Vita Nicolai Laurentii*.
(b) Ab hoc Capitulo exordium ſumit infra Liber Tertius Vitæ Nicolai Laurentii.

CAPITOLO SECONDO.

Como Jacovo di Saviello Senatore fo cacciato de Campituoglio pe lo Puopolo. E de la Cavallaria di Miſſore Stefano de la Colonna, e Miſſore Napolione de li Orzini.

Dunqua da quale novitate comenzarao? Io comenzarao dallo tiempo di Jacovo de Saviello. Eſſendo Senatore ſolo per lo Re Roberto, fo cacciato de Campituoglio da li Sinnici. Li Sinnici fuoro Stefano de la Colonna, Signore di Paleſtrina, e Poncello, e Miſſore Orſo, Signore de lo Caſtiello Santo Agnilo. Queſſi ſe reduſſero nell' Aracielo, e ſonata la campana, fecero adunare lo Puopolo, la moita cavallaria armata, e li moiti pedoni. Tutta Roma ſtava armata. Bene me ne ricordo como per ſuonno. Io ſtava in Santa Maria de lo Piubbico. E vidi paſſare la traccia de li cavalieri armati, lo quali traievano a Campituoglio. Forte givano rogoglioſi. Moiti erano, e bene a cavallo, e bene armati. L'ultimo di quelli (ſe bene mi ricordo) portava una iuba de zennado roſcio, e una cuffia de zennado ghiallo in capo, una mazza a' canali in mano. Paſſavano pe la ſtrada ritta pe la poſſana, dove demorano li Ferrari da canto de Caſa de Paolo Jovenale. La traccia era longa. La campana ſonava. Lo Popolo ſe armava. Io ſtava in Santa Maria de lo Piubbico. A queſſe coſe poneva ciera. Jacovo de Saviello Senatore ſtavaſe in Campituoglio. Eraſe ſteccoinato intorno. Non vaize niente ſio infortellare, cha ſ'altro fu Stefano ſio zio, e Poncello Sinnici de Roma, e doicemente lo preſero per mano, e miſerolo a cavallo, acciocchè non aveſſi pericolo ne la perzona. Fu aicuno, che penzao e diſſe : Stefano, come puoi fare tanta onta a tio Nepote? *La reſponſta de Stefano fo ſuperva :* Con doi denari di ceraſe lo rappagaraio. *Ma queſſi denari non ſi trovaro.*

Anche comenzo io da lo tiempo, che queſſi dui Baroni fuoro fatti Cavalieri per lo Puopolo de Roma, vagniati de Acqua roſata per li ventotto boni huomeni in Santa Maria dell' Aracielo a granne onore. L'uno fo chiamato Miſſore Stefano, l'aitro Miſſore Napulione. Granne fo la feſta, granne fo l'onore là in Campituoglio. Ne la Piazza di Santa Maria fuoro ſparze travacche e paviglioni. Là erano tromme e ceramelle & omne inſtrumento. Bedeſi rompere d'aſte, correre de' cavalli, e pettorali de ſonagli. Moite erano le Banniere. Più erano le reconeſcanze. Moita feſta ſe faceva. Moito li fo fatto onore nella Chieſa de Santa Maria dell' Aracielo. Stavano doi lietti li più onorati. Ben parevano coſa Reale. Queſſe coſe me ne ricordo, como per ſuonno. Correvano Anni Domini MCCCXXVII. Anche li ſopraditti Cavalieri vagniati ne giro a lo Re Roberto a Napoli, lo quale li cenſe la ſpada. La quale coſa moito diſpiacque a lo Puopolo Romano. Certo di queſſe coſe io non comenzo, che abbenchè così fuſſino, io era in tanta teneritate de etade, che connoſcimiento non avea elettivo. Anche boglio comen-

CAP. II.

Quomodo Jacobus de Sabello Senator expulſus fuit de Capitolio a Populo Romano. De equitatu Domini Stephani de Columna, & Domini Neapoleonis de Urſinis.

A Quanam novitate ſermonis exordia ducam? Tempora Jacobi de Sabello dicendi initium facient. Is quum Senatorem unice pro Rege Roberto ageret, a Syndicis e Capitolio ejectus fuit. Syndicatus officio tunc fungebantur Stephanus de Columna Dominus Præneſte, & Poncellus, & Dominus Urſus, qui Caſtro Sancti Angeli dominabatur. Hi ad Aram Cœli convenerunt. Pulſu campanæ coëgerunt Populum, multoſque armatos equites ac plures pedites. Univerſa Romana Civitas arma arripuerat. Geſtorum iſtiuſmodi recordatio veluti per ſomnium meæ menti obverſatur. Tunc ego in Sancta Maria de Publico conſiſtens, armatorum equitum turmas pertranſeuntes, qui Capitolium petebant, oculis vidi. Celeriter ac ſuperbe equitatus incedebat. Multi erant, ac optimis inſidentes equis, apte armis muniti progrediebantur. Ex equitatu noviſſimus (ſi bene memini) ſiricea rubei coloris veſte indutus, & reticulo item ſiriceo glauci coloris caput habens contectum, ſtriatam clavam manu ferebat. Per rectam viam illi tranſierunt, ubi Fabri ferrarii morantur juxta Pauli Juvenalis domum. Eorumdem equitum acies longum viæ ſpatium occupabant. Ad campanæ pulſum Populus armis inſtruebatur. Ego, ut dixi, ad Templum Sanctæ Mariæ de Publico habitabam. Rebus ejuſmodi oculos & mentem addebam. Jacobus de Sabello in Capitolio erat. Vallo ſe ſe circum munierat. Munimentum nihil ei profuit, nam Stephanus Jacobi patruus, & Poncellus, Syndici Romanæ Urbis aſcenderunt, & manu eum comiter apprehendentes, equo impoſuerunt, ne alicui vitæ diſcrimini obnoxius eſſet. Ex adſtantibus quidam ingenioſe dixit: *Quomodo Nepoti tuo, Stephane, tantam injuriam irrogare potes?* Ambitioſe reſpondit Stephanus: *Ceraſorum duobus denariis hunc mihi amicum rurſus reddam.* At denarii illi numquam fuerunt inventi.

C tulit quidam Monachus Sancti Pauli Romæ . Huic nomen erat Frater Monozella , qui poſt obitum prædeceſſoris ſui in Abbatem illius Monaſterii fuerat electus . Monachus iſte Romanam Urbem noctu circumvagari delectabiliter amabat , matutina amantium carmina recitans, & muſicale fidium inſtrumentum digitis pulſans. Erat enim gratioſus fidicen æque ac Odarum , quæ ſaltando canuntur, modulator . Nobilium atria aulaſque introibat , nuptiarum tripudiis intererat , & per aulas ac vineas *ad calatas* (ita enim loquuntur Romani) gradiebatur, hoc eſt ubi choreæ agebantur . Proh qualem & quantum mœrorem ſimul ac dolorem Sancto Patriarchæ Benedicto afferebat Monachus ejus,
D quum ſaltabat & choreas ducebat! Itaque poſtquam creatus fuit Abbas , quum ad ſanctiſſimum Papam Benedictum acceſſiſſet , eum ita alloquutus eſt: *Sancte Pater : Ego electus ſum Abbas Sancti Pauli Romæ* . At Pontifici innoteſcebant conditiones & mores illorum , qui ad conſpectum ejus veniebant. Inquit igitur Papa: *Canere didiciſti ne ?* Reſpondit Electus : *Novi utique* . Addidit Pontifex : *Cantilenam dicere volo* . Repoſuit Abbas : *Cantilenas utique novi.* Subdit Papa : *Sonandine peritus es ?* Reſpondit Electus : *Utique didici* . Inquit Pontifex : *Noſti ne organa & fides pulſare ?* Dixit Abbas : *Per quam nimis & bene* . Tunc Papa, immutato ſermonis , ac vocis tono , ſubjunxit : *Num*
E *Abbatem venerabilis Monaſterii Sancti Pauli vagum ſcurram agere decet! Diſcede hinc , & redi ad propria* . Hoc modo confuſus & objurgatus ad ſuos remeavit Abbas . Ceterum Papa Benedictus denuo confirmavit inquiſitionis acta, quæ adversùs Bavarum anteceſſor ſuus antea efformaverat .

Poſtmodum decrevit ac effecit , ut univerſum tectum Eccleſiæ Sancti Johannis de Laterano , quod uſque ad medietatem intectum tunc uſque manſerat , perficeretur . Exinde totum tectum Baſilicæ Sancti Petri Majoris Romæ , opere nobiliori & politiori renovari juſſit . Currebat Annus Milleſi-

mus

pomaſtro de tutta l'opera habe nome Maſtro Ballo de Colonna, eccellentiſſimo falenname, lo quale fo de tanta eccellentia, che ſappe nanti dicere de ponto lo die e l'hora, ne la quale quello tetto fo in tutto fornito. E per ſio ſapere poſava li travi vecchi, e tirava li nuovi ſuſo aito, più preſtamente, che ſe fuſſi un' ociello. Uno homo ſtava cavaicato ne lo capo uno, uno aitro ne lo aitro. Io non voizera eſſere ſtato uno de quelli. Quanno lo tetto vecchio ſe poſava, fonce trovato uno eſmeſuratiſſimo trave de mirabile groſſezza: lo lo vidi. Dieci piedi era gruoſſo: tutto era affaſciato de funi per la moita antiquitate. Pe la granne groſſezza era tanto durato queſſo trave. Era de Abeto, como li aitri. E fonce trovato ſcritto de lettere cavata coſì, quaſi dica: Queſſo ene de quelli travi, li quali puſe in queſſo tetto lo bono Conſtantino. *Era antico, quanto che l'*Alleluja. *Queſſo trave ne fo poſato, e dentro de eſſo fuoro trovate caverne e cupeine, fatte sì pe la antiquitate, sì pe le fere, le quali haveano roſicato, e fatta ventro havitatione. Cha ſe fuoro trovati dentro Sorci eſmeſuratiſſimi annidati, e fuoronce trovate vaire materie. E che più ene, Goipi co li loro nidi. Chi lo vide, non lo potea credere. Queſſo nuobbele trave fo ſpezzato, e de eſſo fuoro fatte tavole neceſſarie per l'opera novella. E moiti ientili Romani ne habbero tavole da manicare.*

Una maraviglia boglio contare. Per fare queſſo tetto fuoro adunati tutti li ſavii Maſtri, li quali havere ſi potiero dentro de Roma e fora. Intra li quali fo uno de li buoni de lo munno, lo quale habbe nome Nicola de Agniletto de Vetralla. Queſſo ſtava ſuſo in uno Arcotrave a lavorare. Lo trave era puoſto sù ne lo muro aito. Con una ſecure in mano facea queſſo Maſtro lavorieri, lo quale biſognava. Lo Maſtro ſtava in piedi. Forze lo trave non ſtava oguale e anche ſtava pendente. Lo peſo era granne. Lo trave sbinchiao, e nello sbinchiare allaricao, e ne lo allaricare ſe moſſe de luogo e revoltaoſe. Poco fo, cha lo Maſtro non cadè a terra. Deo uno adatto ſaito, e remaſe puro in piedi. Granne paura habe lo Maſtro de cadere a terra eſſo co

A mus (a) Tercenteſimus Quadrageſimus Primus, de menſe . . . . quum opus illud completum fuit. Octoginta millibus Aureis conſtitit. Operi fabrorum Præfectus fuit Magiſter Baidus de Columna, præſtantiſſimus Faber lignarius. Is tali tantâque artis ſuæ peritiâ excelluit, ut diem ac horam ipſam prænuntiarit, quibus tectum illud ex omni parte completum proditurum erat. Baldus autem ope cognitionis ſuæ expedite adeo ac celeriter trabes vetuſtas ad terram demittebat, & novas in altum attractas remittebat, ut ipſum volitanti avi meritò poſſes comparare. In exſequutione operis hujuſce ita diſpoſiti videbantur fabri, ut ſcilicet eorum unus ad unam trabis B extremitatem, trabi ipſi in obequitantis modum impoſitus, conſiſteret, & ad alteram extremitatem alter ſimiliter trabi inſideret. Certe ego unus ex iiſdem fabris eſſe noluiſſem. Dum contignatio vetuſti tecti ad ſolum deponebatur, ex trabibus una, mole enormiſſima & craſſitudine admirabilis, inventa fuit. Illam ego oculis vidi. Decempedalis craſſities ipſius trabis erat. Ubique circum funibus ligata & in faſciarum morem obvoluta cernebatur ob multam ejus vetuſtatem. Ex enormi craſſitudine ſua trabs eadem diutiſſime perduraverat. Abiegna, uti ceteræ trabes, erat. Epigraphe inſcripta, literis in trabe excavatis, legebatur in hunc modum, ac ſi diceret: *Hæc eſt ex trabibus* C *una, quas in hoc tecto laudabilis Conſtantinus appoſuit.* Pari antiquitate trabs cum *Alleluja* certabat. Poſtquam trabs hæc in ſolo collocata fuit, intus ipſam repertæ fuerunt cavernæ, foramina, & antra, tum propter temporum vetuſtatem, cum propter ferarum rabiem, quæ lignum corroſerant, & intra eam trabem ſpecus ſuos & domicilia ſibi paraverant. Et ſane mures immanes in nidis ibi conſiſtentes deprehenſi fuerunt, ubi etiam rerum aliarum illatarum diverſa genera reperta fuere. Quod vero admirabilius eſt, martes nidos ſuos ibi poſuerant. Qui hæc viderunt propriis oculis, ægre fere credebant. Hæc autem nobilis trabs fracta ac diſciſſa fuit, ex qua tabulæ opificio no- D vo neceſſariæ fabrefactæ fuerunt. Quamplures nobiles Romani ex eadem trabe tabulas ad menſarum uſum aptiſſimas extraxerunt.

Mirum interim enarrare mihi lubet. Ut iſtius tecti opus conficeretur, coadunati convenerunt cuncti peritiores Artifices, qui intus & extra Urbem Romæ inveniri potuerunt. Inter eos unus ex melioribus orbis exſtitit, cui nomen erat Nicolaus Angelotti de Foro Caſſii. Nicolaus ſupra Epiſtilium quoddam conſiſtebat ac operabatur. Trabs quædam in extrema parte altitudinis muri erat impoſita. Faber ipſe cum ſecuri in manu opportunum opus exercebat. Pedibus erectus ille ſupra ſtabat. Forte trabs eadem inæqualiter ſe habebat, quin etiam E ex parte pendebat. Trabis pondus ingens erat. Trabs interim quaſſata eſt, & dum quaſſaretur, obliquata ac luxata fuit. Quumque luxaretur ac diſtorqueretur, loco dimota eſt, & ſe ſe in alte-

(a) *Odoricus Raynaldus in Annalib. Eccleſiaſ. ad finem Anni Chriſti 1335. Opus tecti Sancti Petri de Urbe, excurrente Septimo Pontificatus Benedicti XII Anno, ex hac Inſcriptione perfectum fuiſſe animadvertit:* BENEDICTUS PAPA XII. THOLOSANUS FECIT FIERI DE NOVO TECTA HUJUS BASILICÆ ANNO AB INCARNATIONE DOMINI MCCCXLI. MAGISTER PAULUS DE SENIS ME FECIT. Vide etiam Bonannum in Hiſtor. Templi Vatican. Cap. IX.

co lo trave. Ella ſoa paura non poteo naſconnere, cha ſubbetamente la metà de la varva le deventao canuta. Speſſe voite da poi ſe la radeva. Speſſo dicea, cha quella canitezza fo per paura che habbe, cha non veniſſe a balle eſſo co lo trave. Lo ſomigliante avvenne a Corradino Re. Da poi che fo ſconfitto a la vittoria, e preſo ad Aſtura, lo Re Carlo li fece tagliare la teſta. Soi capelli erano tanto belli, che quanno crullava la teſta, parea che fili de auro ſe moveſſino attorno ad una colonna de ariento. In quella notte, la quale demorao in preſone, li capelli, che auro fuoro, deventaro canuti. La dimane, quanno fo decollato, moito parea mutato de biondo in canuto. E queſſa mutazione fo in una notte. Aicuno me poterà addomannare, perchè la paura fao la canutezza. In queſſo reſponne Avicenna e dice, che quanno l'homo ſtao in loco moito aito, tutta la vertute ſe reduce a confortare la vertute animale de lo cerebro, che non . . . . E perciò le membra tremanno percoſſe, denudano da la vertute reggitiva. Così in ſimile caſo lo calore de la circonferentia vao a lo ſpeſſo de miezo pe ſalvareſe, e la cotica ſe denuda de ſio vigore in tal modo, che li peli non ſe cape la ſoa tentura. E ſegno de ciò ene, che ſente homo quella parte formicolare. E queſſo moito incontra a quelli, li quali uſano per mare. Anche addomannarco aicuno, perchè queſſo fo canuto più che l'uno lato che dall' aitro. Che io dico, che quello movimento fo ſubeto in quella parte, che fo più preſſo a lo pericolo, quella recepeo la impreſſione; l'aitra fo più deſpoſta ad ſalute, perciò non fo canuta.

CAPITOLO OTTAVO.

De la Cometa, la quale apparze ne le parti de Lommardia. E de la abbaſſazione di Miſſore Maſtino Tiranno per li Venetiani.

Correvano Anni Domini MCCCXXXVII. de lo meſe de Agoſto. Apparze ne la parte de Lommardia una Cometa moito reſplennente e bella. Durao dii tre. In airo poi deſpierze. Queſſa Cometa parea che fuſſi una Stella lucentiſſima più de le aitre, & eſtenneva dereto a ſe una coma deſtinta pezuta a muodo de una ſpata, e pendea la ponta ſopra de Verona. Queſſa Cometa ſtava da uno de li lati. Non giva nè sù nè giù, ma ritta ſe ſteneva, como fuſſi una fiamma de foco. Moito commoſſe la iente ad ammirazione, que bolea dicere queſſa novitate. Dice Ariſtotele ne la Meteora, cha queſſa non ene vera ſtella. Anche ene una eſalazione fatta ne la ſourana parte de lo airo, e faoſe

alterum latus convertit. Parum abfuit, quin Nicolaus ad terram caderet. At ipſe ſaltu opportune facto adjutus, pedibus erectus remanſit. Vehementer expavit, timens ne ad imum ſolum una cum trabe prorueret. Neque timorem ſuum celare potuit, nam protinus dimidium barbæ ejus incanuit. Sæpius poſtmodum barbam radebat. Sæpe dicebat, canitiem illam ſibi obveniſſe ob metum, quem conceperat, ne deorſum ad terram una cum trabe præceps decideret. Id ipſum Conradino Regi contigit. Huic profligato poſt victoriam, quam obtinuerat, captoque ad arcem Aſturæ, Carolus Rex caput amputare fecit. Tanta autem fuit Conradino capillorum venuſtas, ut quum caput dimoveret, aurea filamenta circum argenteam columnam moveri viderentur. Itaque nocte illa, qua in carcere incluſus necem ſuam exſpectavit, capilli Conradini, qui jam antea velut aurum ſplenduerant, in canos immutati fuerunt. Subſequenti propterea craſtina die, qua ſecuri percuſſus obiit, crinis de flavo in canum converſus nimium apparuit. Hæc immutatio una nocte evenit. Fortaſſe aliquis me interrogabit, quomodo ex timore canities oboriatur. Avicenna (a) reſpondens ait, hominis in loco perquam alto ſtantis virtutem omnem animalem ſe ſe reducere ad roborandos animales ſpiritus cerebri, quod haud . . . . . . Quamobrem percuſſa membra contremiſcunt, & regimine virtutis ac robore deſtituuntur. Similiter in pari caſu calor circumferentiæ ad ſpiſſitudinem in centro unitur, ut ſalvetur, ex quo cutis tunc vigore proprio ac priſtino ita denudatur, ut pili amplius non imbibantur infectione ſua. In cujus rei indicium homo partem illam corporis herpete vellicari ſibi experitur. Id frequentius illis accidit, qui mare navigant. Præterea ſi quis me percontetur, cur Nicolaus faber in una potius quàm in altera parte barbæ canus effectus fuerit, reſpondebo, motum illum in ea parte ſubito fuiſſe, quæ periculo proximior exſtitit. Ob id pars eadem corporis impreſſionem ejuſmodi ſuſcepit. Pars altera, quæ plus a periculo abfuit, canitiem evaſit.

CAP. VIII.

De Comete, qui viſus eſt in partibus Lombardiæ. De depreſſione Domino Maſtino Tyranno a Venetis irrogata.

Currente Anno Domini Milleſimo Trecenteſimo Trigeſimo Septimo, menſe Auguſto, apparuit in partibus Lombardiæ Cometes admodum lucidus ac viſu delectabilis. Triduo perduravit. Quarto die ab intuentium oculis ſe ſubtraxit. Cometes iſte ceu ſplendidiſſima ceterarum ſtella videbatur, & poſt ſe ipſum comam quamdam minutis fruſtulis lucidis diſtinctam in enſis modum pertrahens extendebat. Cuſpis comæ ſupra Civitatem Veronæ pendebat. Cometes idem in uno ex lateribus conſiſtebat, nec ſurſum nec deorſum inclinans procedebat, ſed rectâ protendebatur, ac ſi ignea flamma eſſet. Tunc Populi in admirationem illius admodum pertracti commovebantur, per-qui-

(a) *Conſule, ſi lubet, Avicennam in Fen Secunda Tertii Canonis de Paſſionibus Nervorum, Capitul. XI. ejuſque Expoſitores Gentilem de Fulginio, & Jacobum de Partibus de ea re differentes.*

faoſe de materia humida e caida , la quale ſale ſu , e accendeſe , e dura tanto , quanto la materia donne ſe fao . Anche dice , che queſſo mai non appare , che non ſignifichi novitati granni , ſpecialmente ſopra li Principi de la terra , e commotione di Reiami , e morte e caduta di potienti . In bona fe', che così fo . Che como queſſa desparze, così pe la Lommardia ſe deſteſe la novella , che Padova fo perduta , e ſe la habero Venetiani , e preſero dentro Miſſore Alberto de la Scala de Verona , e fo mandato in Venezia in preſione . Anche ſequitao la deſtruzione e la ruina di Miſſore Maſtino de la Scala , lo quale fo tanto potiente e Tiranno , che ſe voize fare Rege de corona . E poi perdio onne coſa , e venne a convenevole ſtato . La quale novità fo per queſſa via .

Co la morte di Miſſore Cane de la Scala rimaſe uno ſtò Nipote . Maſtino habe nome . Queſſo Miſſore Maſtino fò de li maiuri Tiranni de Lommardia . Quello che più Cittate habe , più potentia , più Caſtella , più Communanze , più grania . Habe Verona , Vicenza , Treviſi , Padova , Civitale , Crema , Breſcia , Reggio , Parma . In Toſcana habe Lucca , la Luniſciana . Di quinnici groſſe Cittate fò Signiore . Parma venze a forza de guerra . Mentre che ſoa hoſte ſe poſava ſopra aicuna Cittate , dirizzavale ſopra quaranta Trabocchi . Mai non ſe partiva , finente che non era Signiore . Voleva eſſere Signiore sì pe forza sì per amore . Po' miſe piede in Toſcana . Habe Lucca , e ingannao Fiorentini , donne Fiorentini li ordinao quella ruina , la quale li benne de ſopra . Po' menacciava di volere Ferrara , e Bolognia . Una coſa facea a li Nuobbeli , li quali li daevano le Cittati ; cha li tenea con ſeco , e dava loro granne protezione . Moiti erano li Baroni , moiti erano li ſollati da piede e da cavallo , moiti li buffoni , moiti ſoi bifalconi , palafreni, pontani , deſtrieri da gioſtra . Granne era lo armecare . Vedeſi levare capucci de capo: vedeſi Todiſchi inchinare. Conviti eſmeſurati . Tromme e ceramelle , cornamuſe e naccare ſonare . Vedeſi tributi benire : muli con ſome ſcaricare. Gioſtre , e lo mii e bello armecare . Cantare , danzare , ſaltare . Onne bello e doice deletto fare. Drappi Franceſchi, Tartareſchi . . . . . . velluti 'ntagliare , panni laorati , ſmaitati , naorati portare .

Quan-

A quirentes , quidnam novitas illa portenderet . In Meteorologicis edocet Ariſtoteles (*a*), Cometem haud verum ſidus eſſe . Nam ad ſuperiorem aëris regionem attollitur exhalatio, quæ ex materia partim humidâ partim calidâ componitur , & in altum erigitur , accenditurque ac tamdiu perdurat, quamdiu materia, ex qua formatur , ſubſiſtit . Inſuper dicit Ariſtoteles , Cometas numquam apparere, quin ingentes novitates præſignificent , præſertim in orbis Principibus, puta regnorum commotiones, mortes, ac dejectiones Potentum . Revera id contigit. Nam ut Cometes iſte evanuit , per Lombardiam illico fama cucurrit , Patavinam Urbem captam fuiſſe , eâque potitos Venetos , qui in-
B tra Civitatem quum captivum feciſſent Dominum Albertum de Scala de Verona , eumdem Venetias ad carceres miſerunt . Item ſucceſſit deſtructio ac ruina Domini Maſtini de Scala , qui Tyrannus adeo potens fuit , ut in Regem coronari voluerit . Is poſtmodum omnia fere amiſit , & ad humiliorem conditionis gradum redactus eſt . Maſtini caſus in hunc modum evenit .

Poſt obitum Domini Canis de Scala ſuperfuit ejus Nepos , cui nomen Maſtinus fuit. Hic Dominus Maſtinus , unus ex majoribus Lombardiæ Tyrannis , multas Urbes poſſedit , plura Caſtra , & plura Communia rexit , multâque potentiâ ac magnificentiâ enituit . Vero-
C nam , Vicentiam , Tarviſium , Patavium, Bellunum , Cremam , Brixiam , Regium, & Parmam , dominio ſuo ſubjectas habuit . In Tuſcia Lucam, & Lunenſem agrum tenuit. Quindecim amplis Civitatibus dominatione ſua præfuit . Parmam armorum & bellorum vi ſibi ſubegit . Quum exercitus ejus adversùs aliquam Urbem caſtra locabat , Civitatem ipſam quadraginta Catapultis ſeu Trabuchis impetebat . Ab incepto manum numquam retrahebat, quouſque urbis dominium obtineret , volentibus aut nolentibus civibus . Exinde in Tuſciam ingreſſus , Lucam ſibi conquiſivit , & Florentinos decepit , qui poſtmodum ruinam, qua Maſtinus oppreſſus ab alto potentiæ ſuæ decidit ,
D eidem moliti ſunt . Poſtea Ferrariæ ac Bononiæ Civitates imperio ſuo ſubdere minabatur . Id non illaudabile agebat ; Nobiles viros , qui urbes ipſi ultro ſubjiciebant , ſecum tenebat , & magna protectione fovebat. Multi Dynaſtæ in ejus famulitio , multi pedites ac milites in exercitu , multi ſcurræ domi , multi falconum cuſtodes , agaſones , milites prætoriani, multique ad haſtiludia equi Maſtino fuerunt . Frequenter confictorum prœliorum ſpectacula exhibebat. Vidiſſes tunc in Maſtini obſequium omnes capita cucullis denudare , Germanoſque Maſtinum humiliter ſalutare . In opiparis ac lautiſſimis conviviis tubas, fiſtulas, tibias, tympana concrepare audiviſſes . Tributa ac vecti-
E galia ad Maſtinum mitti , muloſque ſarcinas deponere conſpexiſſes . Haſtiludentes huc illucque delectabiliter decurrebant . Cantus , choreæ,

(*a*) Ariſtoteles Lib. I. Meteorologicor. Cap. VI. poſtquam priſcorum de Cometis opiniones aliquot retulit , & earumdem ſolutiones propoſuit , hanc denique rationem adfert , ut Cometes non eſſe vera ſidera evincat : *Inſuper & ratione hoc ipſum patet . Nam ſtellæ tametſi majores minoreſve appareant , attamen per ſe individuæ videntur eſſe . Ut igitur ſi indiviſibiles eſſent , ſuo contactu magnitudinem haud quaquam majorem redderent , ſic etiam quum indiviſibiles non ſint , ſed appareant , ſuo coitu & concurſu nihilo majorem præferre molem videbuntur .*

Quanno queſſo Signiore cavaicava, tutta Verona crullava. Quanno menacciava, tutta la Lommardia tremava. Infra le aitre magnificentie ſie ſe racconta, che ottanta taglieri de credenza habe una voita, che voize pranzare in camera. E onne tagliero habe uno deſchetto, che habe doi Baroni. Judici, Miedici, Literati, Virtuoſi de onne connitione, avea proviſione in ſoa Terra. La ſoa fama ſonava in Corte de Roma. Non hao ſimele in Italia. Hora ſe magnifica Miſſore Maſtino. E conziderranno eſſere tanto potiente, gloriavaſe non cognoſcere fragilitate humano. Quanno ſe vidè in tanta grannezza e aiteria, fece fare Palazza, como ſe vede, in Verona. E pe fare le fonnamenta, guaſtao Chieſa (Santo Salvato' habe nome.) Mai bene no li preſe. Da puoi comenzao a deſprezzare li Tiranni de Lommardia. Non curava de gire a parlamiento con eſſi. Puoi fece fare una Corona, tutta adornata de perne, zaffiri, balaſci, robini, ſmarale, valore de Fiorini venti milia. Queſſa Corona fece fare, perchè habe intentione de farſe incoronare Re de Lommardia, e de freſco. La fece de fatto per innuſtria e pe ſagacitate de ſio pietto, e pe dare a intennere, che pe ſienno de anni havea guadagniato ſio Reame. Quanno queſſo habe fatto, l'animo de li Tiranni de Lommardia fuoro forte turvati. Bene penzaro via de non eſſere ſubietti a loro paro. Queſſo Miſſore Maſtino fo Cavalieri de lo Bavaro, e fo homo aſſai ſavio de teſta: iuſto Signore. Pe tutto lo ſio Renno givaſe ſicuro con aoro in mano. Granne juſtitia facea. Fo homo bruno, peloſo, varvuto, con uno granniſſimo ventre. Maſtro de verra. Cinquanta palafreni havea de ſoa caſa. Onne dì mutava roba. Doi milia Cavalieri cavaicavano con eſſo, quanno cavaicava. Doi milia fanti da pede armati, eletti, co le ſpate in mano, givanoli intorno. E ſoa perzona, mentre che ſequitao la vertute, crebbe. Poi che in ſupervia comenzao a corromperſe de luſſuria, forte deventao luſſurioſo. Che aveſſe detoperate cinquanta polzelle in una Quatraieſima, ſe avantao. Queſſi vitii lo fecero cadere da ſio ornato ſtato. Po' manicava la carne lo Venerdì e lo Sabato, e la Quatraieſima. Non curava de ſcommunicatione. Lo muodo che cadè de ſoa aitezza, fo queſſo.

Havea uno ſio frate, lo quale havea nome Miſſore Alberto. Fo mannato a reiere Padova. Chello mannao a muodo reale. Conti, Baroni, ſollati, & aitra moita iente habe con ſeco. Belliſſima fo ſoa compagnia. Queſſo Miſſore Alberto tenea queſſa via. Entrava ne le Monaſteria de le donne religioſe. Demoravace tre o quatro dii. Po' viſitava lo aitro. Dounqua era

A reæ, ſaltationes heic & illic agebantur. Jucunda ac dulcia oblectamenta proponebantur. Gallicæ & Tartaricæ telæ . . . . . . ſerica villoſa incidebantur. Panni fabrefacti, & ornamenta enchauſto obducta ac deaurata deferebantur.

Quum Dominus Maſtinus obequitabat, tota Veronenſis Urbs pertimeſcebat. Quum minabatur, tota Lombardia contremiſcebat. Præ ceteris ejus magnificentiis hæc enarratur. Quadam die Maſtinus octoginta quadras ab abaco tunc habuit, quum in cubiculo ſuo prandere voluit. At quælibet quadra unam menſulam habuit, ad quam duo Dynaſtæ aſſidebant. Judices, Medici, Literati, & Sapientes viri cujuslibet conditionis in ejus Urbe ſtipendia reci-
B piebant. Maſtini fama in Romana Curia reſonabat. Nullus in Italia par ei habebatur. Nunc extollitur Domini Maſtini magnificentia. Is ſe adeo potentem conſiderans gloriabatur, ſe non cognoſcere, quid eſſet humanarum rerum imbecillitas. Quum ad talem tantumque ſplendorem ac potentiam ſe provectum vidit, Palatia conſtrui juſſit, qualia cernuntur in Civitate Verona. Ut ædium fundamenta jacerentur, Eccleſiam Sancti Salvatoris deſtruxit. Id male poſtmodum Maſtino ceſſit. Deinde ceteros Lombardiæ Tyrannos contemnere cœpit. Ad eorum comitia convenire non curabat. Demum Coronam margaritis, ſapphyris, balaſcis, pyropis, & ſmaragdis prorſus ornatam, viginti
C millium Aureorum pretio conſtantem, fabrefieri juſſit. Iſtiuſmodi Coronam exſtruxit, quòd ſibi in animo eſſet in Regem Lombardiæ provehi, & quamprimum. Et ſane Coronam hanc ex ingenio & ſagacitate animi ſui fecit, ut omnibus perſuaderet, ſe prudentiâ ac ætatis beneficio Regnum ſibimet comparaviſſe. Quum hæc omnia perfeciſſet Maſtinus, Tyrannorum Lombardorum animi vehementer perturbati fuere. Modos igitur excogitare cœperunt, quibus Tyranno pari minime ſubderentur. Ceterum Dominus Maſtinus fuit Miles a Ludovico Bavaro conſtitutus, vir utique multæ prudentiæ & æquitatis. Sub cujus imperio per univerſum Regnum ſuum quilibet tutiſſimus cum
D auro præ manibus incedebat. Jus & juſtitiam promte reddebat, & exacte exercebat. Vultu nigricabat, piloſus, & barbatus, ventre tumeſcebat. Bellicæ artis peritiſſimus, quinquaginta gradarios equos domi ſuæ nutriebat. Quotidie veſtimenta immutabat. Duo millia equitum, quum eques procedebat, Maſtinum comitabantur. Duo millia peditum armatorum electorum, denudatos enſes manibus geſtantium, eum circumſtipabant. Dum virtutibus adhæſit, famâ & potentiâ crevit. Poſtquam in ſuperbiam abreptus eſt, & in luxuriam declinavit, luxurioſus vitioſuſque admodum cœpit eſſe. Quinquaginta virgines in una Quadrageſima ſtupraſſe, impudenter gloriabatur.
E Hæc ſcelera Maſtinum ab excelſo faſtigio dejecerunt. Ab eſu carnium vetito diebus Veneris & Sabbati, & Quadrageſimali tempore minime abſtinuit. Anathemata Eccleſiaſtica nihili pendebat. Modum, quo ex altitudine ſua decidit, interim audi.

Maſtino frater fuit, Dominus Albertus nomine. Is ad regimen Patavii tranſmiſſus ivit, regali pompâ & famulitio ſociatus. Comites, Dynaſtas, milites, alioſque permultos habuit in comitiva, quæ quidem pulcherrima fuit. Porro prædictus Dominus Albertus, quum Patavii fuit, malum hunc morem tenuit. Monaſteria Virginum Deo dicatarum introibat. In

illis

era una bella Monaca, detoperava. Po' uſava paravole laide ſempre e datoperoſe. Miſſore Marſilio da Carrara, e Miſſore Ubertiello da Carrara, erano li maiuri de Padova; quelli, li quali li haveano dato la Signoria. E ſoi parienti erano. Queſſo Miſſore Ubertiello havea una ſoa bella donna. Per tutta die, per tutte hore non finava Miſſore Alberto de ſpacciare e dicere: O Miſſore Ubertiello, manuca bene, cha te haio fatto Re doi voite queſſa notte. *Mai non finava. Ad onne tratto queſſo diceva. Miſſore Ubertiello rideva. Co lo riſo ſe la paſſava. Lo ridere non deſſegnava. Miſſore Alberto havea con ſeco una Compagnia deſordenata: iente valoroſa e sboccata. Ciarloni non vardavano que ſe faceſſino e diceſſino. Li ſimiglianti coſtumi conveniva che aveſſi lo Signiore. Hora continua Miſſore Alberto lo deſordenato favellare, e non ſe ne sà remanere. Tuttavia dice a Miſſore Ubertiello:* Tre voite te haio fatto cocoro in queſſa notte. *Queſſa vellania dicere non laſſava nè per ſoa gentilezza, nè per ſoa honoranza de la conſorte, nè pe parentele, nè pe bene volere, ne per honeſtate, nè per aicuna via. Miſſore Ubertiello de ciò creppava. Più non potea ſoſtenere.*

Marſilio fo uno ſavio Cavalieri, e moito ſcaitrito e ſecreto. De coipo cavaicao a Verona e parlao con Miſſore Maſtino. E deoli ad intennere, che potea eſſere lo più granne homo, che fuſſi mai ne la contrada. E che potea domare lo rogoglio e le grannezze de' Venetiani. E deoli lo muodo e l'ordene pe queſſa via: Miſſore Maſtino; tu hai ne lo terreno de Padova una Villa, la quale ſe dice Bovolenta. Queſſa Bovolenta ſe deſtenne ne le paludi de canto la marina. Antiquamente ſe ſtavano ſi' là, e facevaſe lo Sale. Tu homo granne ſe fai lo Sale in chio terreno, nullo te poterao vetare la toa raſcione. Quanno li Veneziani vederaco, che tu farai lo Sale, o vero te farao tributo de moita moneta, overo loro Sale non tanto valerao. E quella moneta, la quale hao la Cammora de' Venetiani pe lo Sale, l'averai, donne farai maiure a lo doppio, e li poveri Venetiani verraco a la voſtra mercede. Anco in toa ſcuſa manna là una ammaſciata, dicenno, che queſſo non l'haranno i Veneziani per igniuria. Conciofia coſa che voi uſate voſtra raſcione nettamente, e non volite perdere le raſcioni de lo Padovano. Non esforzate aicuno. Ne lo loco uſato volite fare lo Sale in voſtro terreno, per avere la Doana, e de granne pecunia pe le ſpeſe, le quali occorreranno pe li ſollati & aitre grannezze fare. *Queſſo uoſſo miſe in canna Miſſore Marſilio a Miſſore Maſtino. Creſe lo Tiranno a li fallaci detti, credennoſi volare più aito, che Dio no li conſentiva. Allhora incontinente commanna, che ne la Villa de Bovolenta canto la marina a li Starni foſſe fatto uno bello Caſtiello de lennname, lo quale diligentemente foſſe vardiato pe vardie de li Salinari. E fece fare la fila, e miſe li operarii. E liberamente fo comenzato a fare lo Sale bello e aſſai buono de lo munno. Como l'opera pretioſa veniva, li fatti givano de ponto. In-*

A illis triduo aut quatriduo moram trahebat. Exinde ad alia Monaſteria ſe conferebat. Ubicumque elegans & venuſta Monialis aliqua erat, Albertus eâ inhoneſte utebatur. Ad hæc, turpia verba paſſim adhibere conſuevit. Dominus Marſilius de Carraria, & Dominus Ubertinus de Carraria, inter præcipuos Proceres Urbis Patavinæ, Scaligero dominationem Civitatis tradiderant, & eidem affinitate conjungebantur. Domino Ubertino uxor ſpecie ſatis decora erat. Quotidie ac fere per omnes horas non ceſſabat Dominus Albertus jactanter dicere: *O Domine Ubertine, manduca bene. Ego enim te Regem hac nocte bis effeci.* Numquam ab his dicendis temperabat. Dominus Uberti-
B nus ridebat, & ridendo diſſimulabat. Ubertini riſus dolorem animi contegebat. Dominus Albertus ſocios ſecum ducebat moribus incompoſitos, audaces, & linguâ effrænes. Inaniter verba effutientes, quid facerent, quidve dicerent, nullatenus perpendebant. Non diſſimilium morum eſſe eorum dominum opus certe erat. Hinc proſequitur Dominus Albertus immoderanter & inverecunde turpia verba funditare, nec ſe ſe cohibere valet. Adhuc Domino Ubertino dicit: *Ter hac nocte cornutum te feci.* Nullus urbanitatis intuitus, nullus uxori nobili debitus honor, nulla affinitatis ratio, nulla amicitiæ recordatio, nulla vis honeſtatis, nullumque aliud modeſtiæ argumentum, Alber-
C tum ipſum retrahebant, quin Ubertino injurioſum ejuſmodi opprobrium repeteret. Dominus Ubertinus animo præ rabie diſrumpebatur. Non amplius poterat tolerare.

Marſilius fuit prudens Miles, aſtutus admodum, & ſilentii tenax, ac diſſimulandi peritus. Veronam illico eques ſe contulit, ubi cum Domino Maſtino colloquutus eſt. Itaque Scaligero perſuadere cœpit, eum evadere poſſe ſublimiorem ac potentiorem ceteris omnibus, qui in regionibus illis tunc viverent, & audaciam ac imperium Venetorum poſſe domari. Modum ac ordinem, quibus voti compos efficeretur, his verbis aperuit Marſilius dicens: *Domine Maſtine; Tu in agro Patavino Villam, quæ Buvolenta nuncupatur, modò poſſides. Bu-*
D *volenta ad paludes juxta maritimam extenditur. Antiquitus paludes uſque ad eum locum protendebantur, ibique Sal conficiebatur. Dives ac magnus eris, ſi in illa regionis parte Salem efformari juſſeris. Nemo te a jure tuo exercendo poterit impedire. Quum Veneti videbunt, te Salem fabricare, vel multi æris tributum tibi impendent, vel non tanti eorum Sal valebit. Pecuniæ obventionem, quam nunc Venetorum ærarium ex Salis confectione percipit, tu ipſe tuam facies, ex qua duplo ditior eris. Depreſſi autem Veneti ad te ſupplices accedent. Ceterum ut omnem culpam a te dimoveas, legationem Venetis mitte. Referant Legati tui, te*
E *exiſtimare, hoc, quod de Sale feceris, nullatenus ægre vel ad injuriam Venetos habituros eſſe. Quum tu jure tuo ſincere utaris, nec a juribus in Patavina ditione, quæ tenes, cadere velis, & nemini ob id vim irroges. In conſueto loco ſignificent Legati te Salem fabricaturum eſſe, ut tellonii vectigal conſequaris, & neceſſitati multi æris conſulas, quod tibi pro conſcribendis militibus, aliiſque magnis rebus agendis erogari continget.* Os iſtud Dominus Marſilius in gulam injecit Domino Maſtino. Fidem habuit Tyrannus fallacibus his dictis, crediditque ſe altius fore volaturum, quam quod Deo placebat. Tunc protinus juſſit Maſtinus, ut in Villa

Intanto , como ordinato era , gionze a Venetia Miſſore Marſilio , informato de lo fatto , e gìo per Ammaſciatore , como avea domannato . Fo denanti a lo Duca & a li Maiurenti , e diſſe quella ammaſciata . In quelle paravole male mutao li ponti , cha li fece ſonare de aitro ſuono , e deoli aitra ſententia , e diſſe : Signori Veneziani : Miſſore Maſtino intenne de fare lo Sale ne lo ſio terreno per havere quella pecunia , la quale voi avete , e torvela de mano pe ſignoriarve , e per abbaſſare le voſtre Saline . Se queſſe perdete , non ſete cobelle . Lo frutto de la Cammora de Venezia è lo Sale . Moito bene operate in que' lochi i fatti voſtri *Più non diſſe . Aſſai habe fatto e detto , che habe acceſo lo fuoco tra' Veneziani e Miſſore Maſtino .*

Allhora Veneziani fecero fare una ammaſciata pretioſa e moito adorna . Dodici Maiurenti de Venetia fuoro granniſſimi mercatanti e ricchiſſime perzone , ſavii e diſcreti , tutti veſtiti de una roba , panni deviſati di ſcarlatti e di velluti verdi , & aitri lavorieri , forrati de Vari , moito aſſettati . La gonnella era longa fi' a li piedi . La guarnaccia corta fi' a mieza gamma . Il giubbone corto fi' a lo ienuocchio . Le capuccie con piccoli pizzi . In capo la capella . De ſeta de ſotto , apiſtigliati de piſtiglioni de ariento naorati . Correie ſmaitate in centa . Bene pargo ornati de ſtraniera deviſanza . Con donzelli aſſai & aitra famiglia paſſano lo mare, e in terra ferma montano in loro piccoli palafrenotti , e vengono a Verona. Viengo trottanno lo uno dereto a lo aitro , como fuſſino Miedici . Moita iente loro traſſe a bedere . Granne maraviglia ſe fao homo de così nova deviſanza . Parevate de bedere lo ioco de Teſtaccio de Roma. Quanno li Ammaſciatori fuoro entrati in Verona , tutta Verona curze a bederli . Così li guardava homo fitto , como foſſino Lopi . E queſſo perchè lo avito loro era moito deviſato da lo avito de li Cortiſciani . Imperciocchè queſſi portavano coſe de nuobbeli panni , ſtretti a la Catalana , forrate de ſrigolane e di ſine de ſopra : Cappe Alamanne forrate de Vari : Capucci a le gote con freſi de aoro intorno a le ſpalle : Correie in centa , con ſpranche de ariento inaorato : in piedi le caize . Moito vanno deſtri pe la Sala . Moito cavaicano i detti pe la Cittate. Puoi ſe ne giro li dodici Ammaſciatori denanti a Miſſore Maſtino . Naturalmente la favella de' Venetiani è regoglioſa . Senza humanitate parlaro a Miſſore Maſtino così : Lo Communo de Venezia te prega . che tu non vuobii perdere Venezia pe lo Sale ; e non vuobii fare quello , che toi anteceſſori non fecero , e quello che non è ſtato fatto in noſtri dii. Lo Sale è de' Veneziani , e non è de' Padovani . De fare cotaie Sale te convieo remanere , ſi non vuoi turvare li Homeni de Venetia , e ſe vuoi remanere tu nuoſtro amico . *A queſſa*

A la Buvolentæ ſecus maritimam ad Starna conſtrueretur ligneum condecens Caſtrum , quod diligenter cuſtodiretur ad præſidium opificum Salis . Neceſſariarum arearum ad Salis opus ſerie prædiſpoſita , operarios conſtituit . Quamobrem tunc libere Salis purioris & melioris quam alibi fabrica incepta fuit . Igitur opere hoc utiliſſimo proſpere ſuccedente , cetera egregie ac ordinate procedebant . Interim, quemadmodum fuerat præſtitutum , Venetias conceſſit Dominus Marſilius , facti totius conſcius , qui ad eamdem Urbem ceu Maſtini Legatus , ut petierat , perrexit . Ducem & Primores Reipublicæ adivit, quibus legationem ſuam retulit . At verbis jam antea cum Maſtino con- B ceptis puncta pauſaſque immutavit , adeo ut contrario ſono eadem protulerit , ipſiſque diverſum ſenſum dederit, dicens : *Domini Veneti ; Dominus Maſtinus in ditione ſua Salem fabricare decrevit , ut pecuniam illam , quam vos ex Sale percipitis , conſequatur . E veſtris manibus Salis conſtructionem ideo vult rapere , ut vobis dominari poſſit , utque imminuat Salinas veſtras . Si has amittitis, nihil eſtis. Ex Sale Ærarium Venetiarum proventus multos habet , & ex Salis reditibus , quem in locis illis efformatis, plurimum utilitatis negotiis veſtris obvenit .* Plura haud dixit . Per hæc enim ſatis adeo egit dixitque, ut ignem illico inter Venetos & Dominum Maſtinum excitarit.

C Tunc Veneti legationem ſplendidam ac ornatiſſimam pararunt . Duodecim ex Primoribus Venetiarum electi fuere , ampliſſimi mercatores , opulentiſſimi viri , homines utique prudentes , providique , ac omnes conſimili indumento contecti , pannis nimirum coccineis , & ſerico villoſo coloris viridis , aliiſque artefactis ornamentis , Variorum pellibus ſubſutis , & corpori admodum accommodatis . Cyclas ad pedes uſque protendebatur . Toga ad medietatem cruris uſque extendebatur . Tunica decurtata uſque ad genu porrigebatur . Cuculli tenuibus pinnulis circumſutis ornabantur . Capite pileos geſtabant . Sericeâ telâ ſubſutæ veſtes erant , globulis argenteis inauratis diſtin- D ctæ . Cingulis enchauſto obductis cingebantur. Certe indumentis exotici peregrinique cultus induti videbantur . Plurium adoleſcentum , & aliorum domeſticorum famulitio ſtipati mare tranſeunt, atque ad continentem deducti, mannulos ſuos conſcendunt , & Veronam veniunt . Unus poſt alium in equis ſuccuſſantes Urbem introeünt, ac ſi totidem Medici eſſent. Populi multitudo ad eos videndos concurrit . Unuſquiſque obſtupeſcit intuens novarum veſtium genus . Credidiſſes ſane te conſpicere ludum Teſtacei Romæ . Quum Legati Venetorum Veronenſem Civitatem introgreſſi fuerunt , tota Veronæ Urbs , ut eos oculis cerneret , cucurrit . Quilibet enim in Legatos viſu adeo hære- E bat , ac ſi lupi eſſent . Stupori cauſam dederunt veſtimenta Legatorum , quæ diverſa admodum erant ab indumentis Aulicorum Maſtini . Iſti enim nobilium pannorum tunicas deferebant , Catalaunico more conſtrictas , ſericoque ſubſutas ; ſupra quas palliis Alamannicis, Variorum pellibus ſuppoſitis induebantur . Cucullos ad genas habebant , cum ſimbriis aureis circum humeros . Baltheis præcingebantur , quos argenteis fibulis inauratis connectebant . In pedibus calceos tenebant . Agiles multumque corpore expediti per Aulam Maſtini incedunt. Per Urbem frequenter obequitant. Poſtmodum duodecim Venetorum Legati præſentiam

A *queſſa Ammaſciata reſpuſe lo Maſtino e diſſe:* Verrete crai a domane a pranzare in mea Corte co'n meco, e là haverete la reſpuoſta.

B *Lo ſequente die lo convito fo apparecchiato granniſſimo. In quella Sala fo apparecchiato per più de ottociento perzone. A la prima taola aitre ſcudelle non ce fuoro, ſe non de bono ariento, nè aitre vaſſella. A queſſo convito Veneziani bennero. I quali dodici tutti fuoro poſti ad una taola in pede de la Sala, in beduta de tutta la Corte per là venuta. Lavate che habero le mano, non ſe deſpogliaro loro larghi tabarretti; anco con eſſi ſe miſero a taola. Granne era lo ridere, che homo facea de eſſi. Così ſtaevano aſſemoti, como foſſino Patarini o vero ſcommunicati. Tutta la iente li reguardava como Lopi. Staeva Miſſore Maſtino in capo de la taola, più aito de tutta la antica aitra* C *Baronia, ſervito a taola como Re. Tutta ſoa Nobilitate de Corte bedea a ſoa veduta. Coſa nulla era celata. Or bedeſi vidanne benire. Cavalieri a ſperoni de aoro ſervivano denanti. Leguti, Viole, Cornamuſe, Ribecbe, & aitri inſtrumenti moito facea doice ſonare. Bene parea in Paradiſo demorare vivamente. Viengo vidanne. Buffoni riccamente veſtuti. Tale cantava, tale ballava, tale motteava. Onne uno ſe sforzava* . . . .
Non ſe laſſao da lo muro cacciare. Muſtrano de havere core. Non curano de valeſtra nè de minaccie. Lo romore ene granne. Lance e ſaette volavano. Deh quanto ene coſa horribbele! Allhora Miſſore Pietro Roſcio con ſie belle D *maſnade ſe tenne ſecreto. E queſſo de fora ad una Porta, la quale ſe dice Porta de Ponte Cuorvo. E là ſtette, mentre che la vattaglia era a la Porta de Santa Croce. Queſſa Porta de Ponte Cuorvo havea in vardia Miſſore Marſilio da Carrara. Sù ne la mieſa Terza lo Fattore di Miſſore Marſilio opierze la Porta, & abaſſao li ponti, e miſe dentro Miſſore Pietro Roſcio ſenza coipo de ſpata. Hora ne veo pe la ſtrada a la Piazza lo Capitanio de Venetiani con moita gruoſſa pedonaglia e cavallaria. Sull'hora de Terza era in eſſo Ponte. Miſſore Alberto ſe era levato da dormire. Cavaicava ſio bello palafreno, beſtuto con uno ſolo guarnello, accompagniato con ſolo Miſſore Marſilio. Una vaſtoncella in mano tenea. Pe la Terra giva* E *traſtullanno.* Omnis ejus armatorum multitudo pugnans reſiſtebat ad Portam. *Como Miſſore Alberto accapitao in capo de la ſtrada, vide lo granniſſimo Confalone de Santo Marco de Venetia. Vide, cha ne la Piazza giogneva granne ſtuolo, granne maſnade de iente. Oldio tromme e ciaramelle. Maravigliaoſe forte, e diſſe a Miſſore Marſilio:* Que iente ene queſſa? *A ciò Miſſore Marſilio reſpuſe e diſſe:* Queſſo ene Miſſore Pietro de Roſcio, lo quale hao havuta gola de bederete. *Diſſe Miſſore Alber-*

tiam Domini Maſtini adierunt. Venetorum ſermo naturâ imperioſus eſt. Abſque ulla verborum comitate Scaligero hæc verba fecerunt: *Commune Venetiarum a te poſcit, ne ob Salis cauſam Venetias perdere velis: neque id faciendum ſuſcipias, quod anteceſſores tui numquam egere, quodque diebus noſtris nullatenus peractum eſt. Conficiendi Salis jus ad Venetos, non ad Patavinos, ſpectat. Tibi quidem a Sale efformando ceſſandum eſt, niſi velis Commune Venetiarum perturbare, & ſi amas in amicitia nobiſcum perſeverare.* Legatorum verbis hæc pauca reſpondit Maſtinus: *Cras mecum pranſuri ad hanc meam Aulam iterum venietis. Tunc reſponſum vobis faciam.*

Sequenti die ampliſſimum convivium parari juſſit. In ipſa Aula inſtructa fuit menſa, octingentis & amplius commenſalibus ſufficiens. Primæ menſæ non aliæ quàm argenteæ ſcutellæ appoſitæ fuerunt, nec ullum aliud alterius materiei vaſculum apparuit. Convivio huic Veneti Legati interfuere, qui quidem duodecim numero inſimul ad menſam conſederunt in extremitate Aulæ diſpoſitam, in conſpectu totius Curiæ Scaligeri, quæ ob id eo convenerat. Poſtquam manus abſterſerunt, neutiquam ſe ipſos propriis amplis palliolis exuerunt, ſed ipſis induti, menſæ accubuerunt. Ingens omnium erat de Venetorum Legatis riſus. Ita enim a reliquis ſejuncti aſſidebant, ac ſi Patarini, aut excommunicati cenſerentur. Tota multitudo in eos (ceu Lupi eſſent) fixerat oculos. In capite menſæ Dominus Maſtinus, ceteris nobilioribus Dynaſtis in eminentiori loco altior, ſedebat. Huic in regalem modum inſervientes miniſtrabant. Ipſe autem obtutu ſuo univerſam Curiæ ſuæ Nobilitatem facile intuebatur. Maſtino nihil occultabatur. Tunc fercula & epulæ allatæ fuerunt. Milites ad aurea calcaria primi ante omnes Tyranno prandenti inſerviebant. Jucundiſſimum ſonum edebant teſtudines fidicinum, tibiæ, fiſtulæ, citharæ, ac alia muſicalia inſtrumenta. In paradiſo moram trahere tunc qui aderant & audiebant, ſibi videbantur. Interim aliæ dapes ac cibi apponuntur. Ex ſcurris magnifice indutis aliqui cantabant, ſaltabant alii, nonnulli dicteria effutiebant. Unuſquiſque quantum poterat, contendebat . . . . . (*a*) . . . .
A muro ne dejiciantur, reſiſtunt. Animo & viribus ſe pollere oſtendunt. Baliſtarum ictus & minantium voces aſpernantur. Clamor ingens attollitur. In aëra lanceæ ac ſagittæ volitabant. Proh quantum id erat viſu horribile! Tunc Dominus Petrus Rubeus cum electis militum ſuorum aciebus occulte delituit extra ad Portam Pontis Corvi. Ibi perſtitit, donec prœlium agebatur ad Portam Sanctæ Crucis. Porta autem Pontis Corvi cuſtodiebatur a Domino Marſilio de Carraria. Circa dimidium Tertiarum Villicus Domini Marſilii Portam aperuit, pontes dimiſit, & Dominum Petrum Rubeum abſque vel uno gladiorum ictu in Urbem Patavinam recepit. Tunc per viam, quæ ad Plateam ducit, ambulabat Venetorum militum dux, multâ peditum & equitum manu ſociatus. Circa horam Tertiarum in eodem Ponte ipſe erat. Dominus Albertus e cubito ſurrexerat. Eleganti equo inſidens equitabat, ſupparo unice indutus, atque uno Domino Marſilio comitante. Virgulam manu geſtabat. Per Civitatem ſemet oblectando progrediebatur *Omnis ejus*

(*a*) *Heic Codex MStus mutilus eſt, & plura in eo deſiderantur:*

berto : Moreraio io ? *Diſſe Miſſore Marſilio :* Nò, Torna in reto. Và ne la mia camora . *Così fo fatto , Tornao Miſſore Alberto , e miſeſi ne la camóra di Miſſore Marſilio , e là fo inzerrato con una chiave Venetiana. La Piazza preſero , e toizero le arme e li cavalli a tutta la foreſteria di Miſſore Alberto . E preſo eſſo con ſoa Baronia, ſopra una nave lo mannaro in preſone a Venetia , e là ſtette ſi' che la verra fo finita. Allhora apparze quella Cometa, de la quale de ſopra dicto ene . E preſero Venetiani vardia . Da le Porte de Padova* ſine mora *ieſcono fora a fare terribbele verra a quello de la Scala . Vao Miſſore Pietro de Roſcio ardenno e conzumanno le Terre . Preſe pe forza Monſcilice , e là fo acciſo . E per tanto non laſſano Veneziani de fare la dura verra,*

Allhora perdio la Cittate de Breſcia . Onne perzona ſe li rebella . Nulla reſiſtentia fao . Miſſore Maſtino conziderанno la ſoa diſavventura , deſperato, con ſoie mano acciſe lo Veſcovo de Verona , lo quale era de ſoa iente, & occiſelo sù pe le ſcale de lo Veſcovato. Albuino vaſtardo de Miſſore Cane lo ſcannao . Sotto lo capitale de lo lietto de queſſo Veſcovo fo trovato uno ſpiecchio naorato con moite diviſe carattere. Ne lo manico era una feura . La lettera dicea : Queſto ene Fiorono . *Poi li fo trovato uno liſcriniuolo, ne lo quale ſtava pento uno Diavolo , lo quale abbracciava uno homo , & uno aitro Diavolo li daeva una cortellata in pietto in quello luoco , ne lo quale eſſo relevata havea la feruta . Queſſo fece Miſſore Maſtino, havenno paura de lo Veſcovo , non li toglieſſi la ſignoria. La verra durao bene anni doi. Ultimamente Miſſore Maſtino era ſtraccato , nè potea più . Venne a pace con Veneziani , & a patti . Li patti fuoro queſſi . Lo primo : eſſo fece refutanza de la moneta , la quale havea in Venezia , la quale haveano deſpeſa i Veneziani . Lo ſecunno ; che mannao le robe de lo Communo de Venezia , la quale buttao ventiquattro milliara de Fiorini; per onne roba doi millia . Lo tierzo : che i Veneziani voizero Treviſi ; sì che convenne , che pe la fatica de Veneziani Miſſore Maſtino li donaſſe Treviſi . Verona e Vicenza li laſſaro per lo amore di Dio e pe miſericordia . Le aitre Terre , como Padova e Civitale remaſero a Puopolo . Allhora li Veneziani li remannaro Miſſore Alberto lo fratiello con quelli Nuobbeli , li quali teneano preſoni . A tutta queſſa verra Fiorentini tennero mano , e fecero con loro denari quello aiutorio che baſtao Hora è tornato lo Maſtino de la Scala de granne aitezza ad humile ſtato . Non perciò in tanta humilitate , che in ſoa veteranezza non moriſſe granne Signore de Verona e de Vicenza , homo de verra . Fece fare in ſoa vita uno Munimento de marmo , dove fo ſepellito in Caſa de' Frati Mi-*

A *ejus armatorum multitudo pugnans reſiſtebat ad Portam .* Quum Dominus Albertus ad viæ caput pervenit , ampliſſimum Sancti Marci Venetiarum Vexillum conſpexit . Vidit etiam ad Plateam advenire copioſum militum agmen , ingenteſque armatorum acies. Tubarum & tympanorum clangorem audivit . Vehementer obſtupeſcens , Domino Marſilio dixit : *Quænam ſunt gentes iſtæ !* Tunc Dominus Marſilius reſpondit: *Ille eſt Dominus Petrus de Rubeis, qui nimio videndi te deſiderio heic pertractus venit.* Subdidit Dominus Albertus: *Numquid ego moriar ?* Cui Dominus Marſilius : *Nequaquam . Retrogredere , ac in meo cubiculo te include .* Id egit Dominus Albertus, qui reverſus, B cubiculum Domini Marſilii intravit, & in eo incluſus fuit clave Veneta . Plateam interim Veneti ceperunt , & armis ac equis omnes adventitios exteroſque milites Domini Alberti exſpoliarunt . Quumque ipſum Albertum una cum ceteris Dynaſtis ejus cepiſſent , in navi captivum miſerunt ad Venetos carceres , in quibus detentus ſtetit, uſquedum bello finis impoſitus fuit . Tunc in Cœlo viſus eſt Cometes , de quo ſuperius jam ſcripſimus . Tunc Veneti ſibi ipſis admodum præcaverunt . E Portis Patavii *ſine mora* exeunt, ut terribile bellum Scaligero irrogent . Dominus Petrus Rubeus properat , Villas ac terras incendiis & direptionibus vaſtans . Armorum vi Monteſilice potitus , ibi C occiſus interiit . Non ob id Veneti ceſſant , quin durius bellum agant.

Tunc erepta Scaligero fuit Civitas Brixiæ . Quilibet ab eo defecit . Nemo pro eo ſtetit. Dominus Maſtinus infortunium ſuum perpendens , deſperatione percitus , manibus propriis Epiſcopum Veronæ interfecit , qui ei affinitate conjungebatur , eumque ſuper ſcalis Epiſcopatus interemit . Albuinus filius naturalis Domini Canis poſtremum vulnus Epiſcopi jugulo intulit. Sub cervicali lecti ejuſdem Antiſtitis ſpeculum quoddam deauratum , diverſis characteribus diſtinctum , inventum fuit , in cujus manubrio imago quædam videbatur cum hac epigraphe . *Hic eſt Floronus* ; ideſt Diabolus . D Deinde repertum fuit ſcriniolum , in quo depictus apparebat Diabolus, hominem amplectens, & alius Dæmon , qui hominem in pectore cultro vulnerabat in ipſo loco , in quo impactum eidem Præſuli Veronenſi vulnus fuit . Id egit Dominus Maſtinus timens, ne Epiſcopus dominium ſibi ſurriperet . Bellum biennio duravit. Poſtremo Dominus Maſtinus bello fatigatus erat adeo , ut viribus pæne deſtitutus videretur . Quamobrem pacem & pacta cum Venetis iniit . Pacis conditiones hæ fuerunt . Primo Maſtinus renuntiavit æri & pecuniis , quas Venetiis habebat , quaſque Veneti impenderant. Secundo miſit veſtes & indumenta Communi Venetorum , quorum ſingula duobus mil- E libus Aureis conſtabant, & quæ in totum pretio viginti quatuor millium Aureorum conſtiterunt. Tertio, quoniam Veneti voluerunt Tarviſinam Civitatem , Maſtino opus fuit , ut ob ſumtus in bello a Venetis impenſos dono eiſdem Venetis daret Tarviſii Urbem . Veronam & Vicentiam Veneti Scaligero miſericorditer ac intuitu caritatis erga Deum dimiſerunt . Ceteræ Civitates , Patavium nempe , ac Bellunum ad Populi regimen remanſerunt. Tunc Veneti remiſerunt Dominum Albertum Maſtini fratrem una cum Nobilibus , quos in carceribus detinuerant . Florentini huic bello manus & ſubſidia continuo contulerunt , & ex ſuo ærario op-

Minuri là dove poſano le donne. In quello Munimento non ſtao Inſcrittione nè de Dio nè de' Santi. Anco ci è ſtato ſcoipito cacciaſſioni, cavalli, cani, aſtorri, & aitre paganie. La opera de' Veneziani con queſſo Tiranno fo, come la opera de' Romani, li quali mannaro l'ammaſciadore a Benevento. Li Beneventani ſparzero adduoſſo a li ammaſciatori de la orina. Per la quale coſa Romani fuoro turvati, e per eſſi fo deſtrutta la Provincia de Sannio, e fo ſurrogata a lo Communo de Roma, como Tito Livio ſcrive.

CAPITOLO NONO.

Dell' aſpera e crudele fame. E de la vattaglia de Parabianco in Lommardia. E de li novielli modi de le veſtimenta.

A Nunc durum & aſperum bellum terrâ marique ſuſcipitur. Dominus Petrus Zenus Venetus mare intrat, & circumeundo totum Turcicum Imperium peragrat. Civitates juxta maris litora igne incendit, ibi autem præſertim ſævit, ubi claſſis ſua conſiſtit. Nullum malis remedium eſt. Poſtmodum ſors obtulit Zeno ingentis lucri, novæque piſcationis occaſionem. Quinque naves Turcarum per maritimam excurrebant. Græcos viros, Græcaſque mulieres abducebant captivas, quos quaſque cum bonis, pecudibus, armentis, ceteràque domeſticâ ſupellectile ceperant, oriundos ex Urbibus ac Oppidis ſecus mare poſitis. A Turcis in captivitatem trahebantur, rebus omnibus exſpoliati. B Græcorum oppida, pagi, & loca arſionibus vaſtabantur. Quum Dominus Petrus a longe naves hoſtium conſpexit, fortunam ſibi tunc arridere intellexit. Vela proinde triremium ſuarum ventis expandit. Quare ea celeritate, qua Milvus Coturnicem apprehendit, Petrus Turcarum naves aſſequitur. Cognoſcens autem eas prædam avehere, dixit: *Tantumne opprobrium laturi ſumus?* Duodecim triremes Zeno erant. A prora in ventrem Turcicarum navium triremes Petri navigia feriebant, ipſaque affligebant. Turcarum rates non amplæ molis, nec ingentis ſtructuræ videbantur. Tres in pelago ſubmerſæ perierunt cum iis omnibus, quæ intra continebantur. C Nullus inde ſalvus evaſit. Duæ aliæ naves hoſtium circumdatæ captæ fuerunt. In quarum una Amelius maris, quem Magiſtrum ac Dominum idiomate noſtro vocare poſſemus, navigabat. Nomen ipſi Muſtafa erat. Veneti has duas rates non perfregerunt, quia parum reſtitere. Satius propterea Zeno viſum eſt, homines, qui in ipſis erant, vivos ſervare. Quum Turcæ ab eorum navibus educebantur, unus poſt alium fune præcingebatur. Eorum ſinguli manus ad pectora decuſſatas tenentes procedebant, & capita ſubmiſſe dimittebant, ac ſi reverenter ſalutarent, ajebantque: *Ano Stauros, Stauros*; quæ interpretari licet: *Nobis ignoſcite. Crucem optamus, & Chriſto nomen* D *dare cupimus.*

Nunc audax & bellicoſus vir Dominus Petrus Zenus cum hac præda Smyrnam repetit. Dum laudatus Muſtafa in vinculis detinebatur, epiſtolam Turcicâ Linguâ ſibi conſcriptam accepit, quam ei una ex concubinis ſuis miſerat. In litera incluſerat pellex crinium perquam flavorum capillamentum. Poſt hæc Zenus obequitans per terram, maxima hoſtilibus regionibus damna irrogat. Omnia ea loca Turcarum magnum in diſcrimen adducit. Oppida illa de Petro nimium ſibi pertimeſcunt. Quum Dominus Petrus Zenus terram eques vexat, Dominus Martinus Zaccharias in mari Turcas bello impetit. Ita quum unus, Genuenſis ſcilicet, E mari; alter, Venetus nimirum, terrâ, Turcicum Imperium vaſtationibus, cædibus, incendiis, ac periculis perturbant. Superiores arces, ac propugnacula hoſtium Chriſtianis impetentibus minime poterant repugnare. Turcæ in Altologenſi Civitate ſemetipſos opponere parant. Dominus Petrus Zenus Venetus, & Dominus Martinus Zaccharias Genuenſis, intrepidi duo Duces erant, cuicumque bellico negotio aptiſſimi, ſtaturâ corporis proceri, ceu duo longiora haſtilia, cutis colore nigricantes, armis bene muniti, & ceteris omnibus apte inſtructi. Nocebat Chriſtianis, equitatu caruiſſe. Pauci quidem equites in eorum exercitu

aoro , perzone de granne fatto . Erace lo Patriarca Miſſore Manuelle da Ca Marino da Venetia , Frate Menure . Erace uno nuobbeliſſimo Barone de Francia . Fiore de Belgioia havea nome . Queſſo Fiore de Belgioia ſe trovao a fonnare le mura co lo Patriarca , como dicto ene . Pedoni ce erano da quinnici milia , non armati così ſoffecientemente, como ſe deo, perchè la coſa non era penzata , e in longa contrata.

Era de lo meſe de Jennaro , Anno Domini MCCCXLV. ne lo die de la feſtivitate de Santo Antonio . Sentio lo Patriarca , che la iente de' Turchi era moitiplicata in tanto , che credeva eſſere aſſalito drento da lo ſio redutto . De ciò habe ferma fede Havuto conziglio co li maiuri de la Chriſtianitate , cioene Miſſore Pietro Zeno , Miſſore Martino Zaccaria , Fiore de Belgioia de Francia , Miſſore Olfo de Cipri , e Malerva Coneſtabele lo Alemanno , fo deliverato de non moſtrarſi temoroſi . Anco de fare reſiſtentia a muodo de homini coſtanti . Era una Chieſa antiquiſſima , la quale hao nome Santo Ianni . Diceſi , che lo biato Santo Ianni la edificao . Queſſa Chieſa fo lo Veſcovato de quella Terra , nanti cha foſſi deſtrutta la Cittate , mentre ſe havitava da li Chriſtiani . Po' la deſtruttione era rimaſta campeſtre . Queſſa Chieſa era da doi valeſtrate longa da lo muro noviello . Non era coita drento de lo cegnimento . In queſſa Chieſa entrao lo Patriarca co li ſopradicti Baroni in numero de quaranta . Moito rengratiano Dio de tanto benefizio , che haco recuperata la Chieſa de' Chriſtiani , la quale era perduta . Ammirano le mura , la treuna , la aitezza , e benedico Dio e Santo Ianni , che ſia Chieſa hao recuperata . Po' là fo celevrata la Meſſa con granniſſima ſolennitate . Con lacrime , devotione , & allegrezza pregaro Dio , che così ſucceda in tutta la Turchia . In doi muodi raſciona la iente de queſſa novitate . Aicuno dice , che , mentre lo Patriarca co li quaranta ſopradicti cantava la Meſſa , li Turchi benevano in granne moititudine . Queſſi pe la coſta naſcoſti fra li arvori entraro ne la Chieſa de Santo Ianni , e là , mentre la Meſſa ſe cantava , preſero li ſopraditti quaranta , e là sì li acciſero e decapitaronli . Succurzo non habero , cha la iente da pede era aicuna coſa lontana . Aicuno me dice per aitra via , & ene veriſimile . Diſſe , chi lo vide perzonalmente , e ſi lo fermao per ſacramento. Diſſe queſſo, che ne lo die de Santo Antonio de Iennaro ne la Chieſa de Santo Ianni fora da le Eſmirre , fo cantata la Meſſa con moita ſolennitate . Po' la Meſſa lo Patriarca predicao moito bene , e confortao li Chriſtiani a perſequitare la iente infidele , e recuperare le Terre de' Chriſtiani , e liberare le Chieſe ſoe de mano de li cani . Po' diſſe: Forze che Dio me boleſſi viſitare, ſacciate, che ne la mea gamma ritta haio una ſanice . *Po' fece la croce, e deo la ſoa benedittione ad tutto quello Puopolo . Da quinnici milia Chriſtiani erano da pede . Po'*

A citu numerabantur , Ceterum aderat tunc bellis idoneus Comeſtabilis Alamannicus, Malherba cognomine , de quo ſuperius meminimus , qui poſt cladem Parabiaghi in campis Mediolanenſibus acceptam , ex voto advenerat ære proprio per integrum annum cum vigintiquinque equitibus militaturus . Aderat etiam Dominus Adolphus nepos Regis Cypri cum quinquaginta equitibus Militibus ad aurea calcaria, viris ſane geſtarum rerum gloriâ celebratis. Militabat inſuper in eodem exercitu Patriarcha ſæpe dictus Dominus Emmanuel *di Ca Marino*, ex Ordine Fratrum Minorum, Venetus patriâ. Intererat præterea nobiliſſimus Dynaſta Gallicus , quem Florem de Belgioia appellari diximus . B Hic Flos tunc cum Patriarcha fuit , quum mœnium , de quibus jam præfati ſumus, fundamenta jacta fuere . Peditum ibi erant quindecim millia , armis non ita , ut par erat, contecta , quia res ipſa improviſo contigerat , emerſeratque in regione a patriis laribus diſſita.

Currebat Januarius menſis , Anno Domini Milleſimo Trecenteſimo Quadrageſimo Quinto, & ſolemnis Sancti Antonii dies celebrabatur . Tunc reſcivit Patriarcha , Turcarum copias adeo multiplicatas excreviſſe, ut ſuſpicatus fuerit , ab hoſtibus ſe intra muri circuitum fore concludendum atque vexandum . In hac opinione firmiter perſtitit . Habito conſilio cum primoribus Chriſtianorum , videlicet cum Do- C mino Petro Zeno, Domino Martino Zaccharia, Flore de Belgioia, Domino Adolpho Cyprico, & Malherba Comeſtabile Germanico , decretum fuit , ne quidpiam timoris Chriſtiani præſeferrent. Quin immo uno conſenſu ſtatuerunt, fortiter reluctari hoſtibus , ceu conſtantes & imperterritos viros decebat . Ibi erat Eccleſia antiquiſſima , nomini & cultui Sancti Johannis dicata . Ajunt , beatum Evangeliſtam illam jam conſtruxiſſe . In eadem Eccleſia Epiſcopatus illius Urbis conſtitutus fuit , antequam Civitas ipſa everteretur, a Chriſtianis olim inhabitata . Poſt cujus everſionem locus ille campeſtris remanſerat. Diſtabat Eccleſia hæc duobus baliſtarum ictibus a recenti ædificato muro . D Extra mœnium circuitum ſita erat . Eccleſiam Patriarcha cum prælaudatis primoribus, nobilibuſque , quadraginta numero , introivit . Multas Deo gratias agunt , quod ejus beneficio redemiſſent Chriſtianorum Eccleſiam , quæ antea perdita erat . Muros , amplitudinem , celſitudinem , & ſtructuram Eccleſiæ admirantur, Deoque ac Evangeliſtæ benedicunt , quod illius Templum receperint Chriſtiani . Exinde Miſſæ ſacrificium maxima cum ſolemnitate ibi celebratum fuit . Deum Optimum Maximum cum lacrymis devote & alacriter exorant , ut identidem id eveniat in toto Turcico Imperio . Dupliciter de hac novitate hominum ſermo emerſit . Dixerunt aliqui , Turcarum magnam E multitudinem adveniſſe , dum Patriarcha jam memoratus , adſtantibus quadraginta proceribus , Miſſæ ſacrificium cantabat . Addunt , Turcas per clivos inter arborum ſpiſſitudinem ſe occultaſſe , & quum Miſſa peragebatur , in Eccleſiam Sancti Johannis ingreſſos, in quadraginta primores Chriſtianos irruiſſe , ibique eoſdem interfeciſſe , & capita ipſis obtruncaſſe . Chriſtianis reliquus exercitus nullam opem ferre potuit , quod peditum cohortes acieſque aliquantulum diſtarent ab eis . Nonnulli diverſimode (quod veroſimilius eſt) caſum hunc referunt. Qui rem ipſam ſuiſmet oculis vidit , jurejurando aſſeverat, ejuſmodi infortunium Chriſtia-

Po' queſſo lo Patriarca ſe armao de tutte arme , corazze , falle , e maniche : una varvuta in teſta : coſſali di fierro tutti laorati . De ſopra all' arme ſe attao uno rico manto Veſcovile , lo quale ſe dice Piviale , *tutto laorato a ſeta e ad aoro fino filato , adornato de perne e prete pretioſe , como ſe convieo a così aito Prelato . In mamo una ſpata luciente teneva . Ad cavallo in uno potiente deſtrieri . Bene pareva Barone , Dao de li ſperoni , e vao a lo martirio de bono core . Sequita po' eſſo Miſſore Pietro Zeno da Venezia , e Miſſore Martino Zaccaria de Genoa , armati , adornati , como ſe può credere . Là loro eſſere a la vattaglia fo ſenza proviſione . La iente non era coneſtavilata . Bene haveano ſentuto lo romore de li Turchi, ma non credevano, che tanto d'apprieſſo fuſſino li aguaiti e le poſte fra eſſi . Como ieſciero , non tennero la dritta via , Anco dechinaro a la ſiniſtra pe la largura . Lo Puopolo bono piezzo po' eſſi ſi tenne da la parte deſtra . Credevanoſe ſequitare chi non giva denanti . Quanto più vaco , meno trovano . Erano quelle locora non domeſtiche . Anco pauroſe pe li moiti impedimienti de murotte , fonnamenti de caſe e de Torri . Locora ſenza vie , locora da intanare iente . Quanno li tre , lo Patriarca , Miſſore Pietro Zeno , e Miſſore Martino Zaccaria fuoro aiquanto delongati , ſe retrovaro ſoli ſenza ſequito ne lo laberinto de le deſerte caſe . Là de ſubbeto ſe deſcopierze la puoſta de' Turchi ſenza romore . Fuoro 'ntorniati . Nolli vaize ſcrullare loro ſpate , nolli vaize deſeſa . Fuoro in terra iettati da' cavalli . Loro teſte ſubbetamente fuoro partite da lo vuſto . Tre Baroni recepiero lo ſanto martirio , e fuoro fatti Cavalieri de Chriſto . Quelli cani Turchi le loro teſte ne portaro . Portaro le arme loro , e li belli adornamenti . Anco ne menaro li loro deſtrieri . Le corpora nudi in terra laſſaro .* Ad Præſulem tamen plangibilior caſus fuit . Nam eques inſuper (Pardo nomen erat) in virum ſacrum ſceleratas primùm manus injecit, clavâque ferreâ ictus cumulans , moribundum ſemianimemque Pontificem lævâ tenuit , arreptoque gladio caput obtruncavit , nudatumque cadaver ad terram prolapſum dimiſit , venerabilemque calvariem ornato involvens pallio , ad ſuos abiit .

Hora

A ſtianis hoc modo obveniſſe . Die Sancti Antonii menſe Januario in Eccleſia Sancti Johannis extra Smyrnenſem Civitatem, Miſſa multo cum cantu ſolemniter fuit celebrata . Peracto Miſſæ ſacrificio Patriarcha elegantem prædicationem habuit , & Chriſtianos incitavit , ut infideles Turcas perſequerentur, & Chriſtianorum Urbes recuperarent , atque Chriſti templa e manibus impiorum eriperent . Ad hæc Præſul ipſe dixit : *Si forte Deus me voluerit viſitare , ſcitote me in dextera tibia mea cicatricem adhuc habere* . Proinde Crucis ſigno facto , toti Populo illi Chriſtianorum manibus & voce ſua benedixit . Quindecim millia Chriſtianorum peditum tunc numerata fuere .

B Poſt hæc Patriarcha omni armatura ſemet contexit , loricâ , brachialibus , tibialibus , ocreiſque . Capiti caſſidem ferream impoſuit . Tegmina ferro fabrefacta coxis aptavit. Armaturæ demum pretioſum ſuperinduxit Epiſcopale pallium, quod *Pluviale* appellatur , undequaque ſerico , & auro puriori neto conſertum, margaritis, exquiſitiſque lapillis ornatum, quemadmodum tam ſublimem Antiſtitem decebat . Manu fulgidum enſem geſtabat . Equum generoſum inſcenderat . Dynaſtam Patriarcha ſane referebat . Tunc calcaribus equum ſuum incitavit , & martyrio obviam optima voluntate proceſſit . Poſt Patriarcham perrexit Dominus Petrus Zenus Venetus , & Dominus Martinus
C Zaccharias Genuenſis, uterque armis munitus , & eleganter ornatus , quemadmodum par eſt credere . At quum hi ad ineundum prœlium ſe obtulerunt , omni ſubſidio ac proviſione caruere . Exercitus , qui poſt eos remanſerat , ductoribus & tribunis , ac ducibus, qui acies ordinarent ac regerent , deſtituebatur . Turcarum clamorem & murmur Chriſtiani auribus utique perceperant ; ſed nullatenus credebant , inſidias tam proxime ipſis appoſitas diſpoſitaſque fuiſſe . Quum primores exierunt , rectâ minime perrexerunt . Ad ſiniſtram immo flexere per latos agros . Populus diu poſt Patriarcham ſocioſque ſuos incedens , ad dexteram partem declinavit . Putabant, veſtigia ſe premere
D præeuntium , qui neutiquam anteibant . Quo plus progreditur exercitus , eo minus primores invenit . Loca illa haud domeſtica erant. Præ multis impedimentis macerierum , ruderumque domuum ac turrium , periculoſiora nanciſcebantur loca , invia quidem , ac opportuna gentibus , quæ in inſidiis deliteſcerent. Poſtquam Patriarcha Emmanuel, Dominus Petrus Zenus , & Dominus Zaccharias aliquantulum receſſerant , ſolos tunc ſe viderunt , nullis comitantibus, in labyrintho deſertarum domuum . Ibi protinus Turcarum inſidiantium abſque ullo ſtrepitu dolos agnoverunt . Ibi Turcæ erumpentes circumdederunt eos . Nil tribus hiſce viris profuit enſes impu-
E gnare , ictus vibrare , ac ferire . Fruſtra obſtiterunt . Ex equis dejecti in terram corruêre. Eorum capita illico a corporibus Turcæ reſecarunt . Iidem tres Dynaſtæ glorioſi martyrii coronam recipientes in Chriſti cœleſtem militiam ſunt adſciti . Perfidi hoſtes martyrum capita ſecum detulerunt . Illorum arma , indumenta , ornatuſque rapuere . Equos ipſorum inſuper abduxerunt . Cadavera humi ſtrata ac nuda jacuere. *Ad Præſulem tamen plangibilior caſus fuit . Nam eques inſuper (Pardo nomen erat) in virum ſacrum ſceleratas primùm manus injecit , clavâque ferreâ ictus cumulans , moribundum , ſemianimemque Pontificem læva tenuit,*

Hora ieſce fora pienamente la iente . Ne la ieſcita fo ſaputa la morte de lo Patriarca , e de li doi Carſioni , perchè fuoro trovate le corpora da la codata de lo ſtuolo . Granne ene la triſtezza , granne lo pianto , maiure la vergogna de tornare . Ciaſcuno otta de morire . Ieſce fora a li nudi campi lo adorno Cavalieri Franceſco , Fiore de Belgioia , adorno con arme ſmaitate , laorate de nuobbele maieſtria . Allegramente vao a prennere la corona . Ieſce fora Miſſore Olfo nipote de lo Re de Cipri , adorno como Reale . Ieſce fora Malerva lo Todiſco lo buono Coneſtavile de' ſeſſanta cavalieri . Po' ieſce tutto lo aitro Puopolo . Como fuoro a li diſcopierti campi , bedeſi cavalli currere , bedeſi volare de freccie , iettare de lancie , ferire de ſpate . Moita iente de là e de chà cade . Non ce ſe trova reparo . Fiore de Belgioia non voize campare . Sperona ſio deſtrieri . Con una ſpata in mano defennennoſe , muorto cade fra quella canaglia . Miſſore Olfo nipote de lo Re de Cipri fo paſſato da doi freccie , e ſe morio . Malerva lo Todiſco fo ſcorticato da li cani . Moiti Chriſtiani moriro , moiti ne fuoro preſuni , moiti ne fuoro coronati de lo ſanto martirio . Chi fo arzo poco de longa da le Eſmirre , chi fo ſcorticato , chi decollato . A la fine Chriſtiani non potevano più ſoſtenere . Daco la voita in reto , e tornao a le Eſmirre , e miſero lo mare intorno a le foſſe , e ſalvaroſe da lo furore de quelli cani , li quali benivano taglianno , e occidenno Chriſtiani , e prennenno .

Coſì habe fine lo accidere , chiuſe le Puorte de le Eſmirre , e data l'acqua 'ntorno . Infiniti tamen *ne fuoro muorti de li Turchi , preſi , e ſcorticati . Scoita bella noviella . Diſſeme uno , lo quale tutte queſſe coſe vide , che moiti Turchi fuoro preſi ; fra li quali ne fo uno moito graſſo . Queſſo così graſſo fo ſcorticato vivo , e lo cuoio laſſaro cadere ioſo , como le brache , e laſſarolo . Como fo laſſato , gio humilmente . Po' che fo ne lo ſecuro (bedere bene ſe potea) voizeſe lo Turco ſcorticato , e con doi mano facea le ficora a li Chriſtiani . Hora ſe chiudo Chriſtiani ne le Eſmirre . Non hao Caporale . Vao la noviella a la Cittate de Venetia . Vao in Corte de Roma . Vao pe tutta Chriſtianitate . Vao denanti a lo Papa , e alli Cardinali . Fuorte ſe dole la Corte de la acerva morte de lo Patriarca , e de la rotta de' Chriſtiani . Uno granne conzilio fo fatto in Venetia fra li Maiurenti e lo Duca . Fo deliverato , che tutta loro potentia poneſſino in vennicare l'onta del loro Cittatino . Anco pe vencere la pontaglia , e tenere le Eſmirre a mano potiente . Queſſo fare non ſe potea ſenza vraccio Papale . L'ammaſciata de Venetiani fo denanti a lo Papa in Avignione . E domannaroli humilmente la Crociata ſopra li Turchi . Papa Chimento recipeo gratioſamente queſſi ammaſciatori , & offierze ſoa voluntate bona . Allhora vao la boce pe tutta Chriſtianitate*

tate

A *nuit , arreptoque gladio caput obtruncavit , nudatumque cadaver ad terram prolapſum dimiſit , venerabilemque calvariem ornato involvens pallio , ad ſuos abiit .*

Nunc in campum univerſus prodit Chriſtianorum exercitus . Quo prodeunte , innotuit mors Patriarchæ , duorumque Heroum . Etenim eorum cadavera inventa fuerunt a comitiva exercitus . Ingens enaſcitur mœror , ingensque luctus . Major autem erumpit pudor retrocedendi . Quilibet potius mori optat . In apertos agros exit armatus Miles Gallicus Flos de Belgioia , armis enchauſto obductis & nobili artificio fabrefactis munitus . Alacriter coronam martyrii ſuſcepturus incedit . Poſt Florem
B in campum proſilit Dominus Adolphus nepos Regis Cypri, ceu vir regalis comtus . Subſequitur Malherba Germanus , optimus Comeſtabilis , ſexaginta equorum ductor . Poſtea procedit reliquus Populus . Quum in aperto campo omnes fuere , tunc equorum decurſiones , ſagittarum volitantium emiſſiones , lancearum ictus , gladiorum & enſium vulnerantium percuſſiones viſæ fuerunt . Hinc & inde plurimi occumbunt . Nullum tanto malo remedium habetur . Flos de Belgioia ſaluti ſuæ noluit conſulere . Equum immo calcaribus adegit . Enſem tenens manu , dum ſe defendebat , cæſus inter Turcarum fæcem exſpiravit . Dominus Adolphus nepos Regis Cypri confoſſus a
C duabus ſagittis interiit . Malherba ad infidelibus excoriatus periit . Multi Chriſtianorum occiſi vitâ abierunt, multi in captivitatem ad hoſtium manus devenere , & multi palmam glorioſi martyrii reportarunt . Nonnulli vivi comburio non multo longe ab Urbe Smyrnenſi , quidam decorticati , quidam capitibus obtruncati defecere . Demum Chriſtiani nec reſiſtere nec reluctari amplius poterant . Terga vertunt , & Smyrnam remeant . Exinde aquam maris foveis circum immittunt . Ita , qui ſuperfuerant , incolumes evaſere a furore crudelium hoſtium , qui irruentes cædebant , detruncabant , capiebant, interficiebantque Chriſtianos .

D In hunc modum ſtragi & occiſionibus finis eſt impoſitus . Occluſis portis Smyrnæ, immiſſam circum Urbem aquam derivarunt . Turcarum innumeri *tamen* capti, excoriati, & enecati a Chriſtianis perierunt . Nunc audi lepidum caſum . Quidam , qui hæc omnia , dum fiebant , conſpexit , mihi dixit , multos ex hoſtibus in Chriſtianorum poteſtatem veniſſe , inter quos fuit neſcio quis Turca corpore admodum obæſus . Huic ita pingui vivo pellem Chriſtiani detraxerunt , & ipſum cum corio ad terram pendente , in femoralium formam , dimiſerunt . Turca dimiſſus , humiliter ac tacite primò abiit . At quum ſe in loco tuto conſiſtere vidit (& ſane ab intuentibus conſpici poterat)
E faciem ſuam decorticatus , ut erat , convertit , & ambabus manibus injuriarum indicia digitis ſuis contra Chriſtianos faciebat . Nunc ſe in Urbe Smyrnenſi Chriſtiani includunt . Nullus eis erat decurio . Rei peractæ nuntium ad Civitatem Venetiarum pervenit . Romanæ Curiæ ſimiliter innotuit . Per univerſum Chriſtianum Orbem ejuſmodi caſus fama perrexit . Ad Pontificis ſummi & Cardinalium aures delata fuit . Acriter Romana Curia de acerba morte Patriarchæ & Chriſtianorum clade conqueritur . Venetiis Senatores & Patritii eorumque Dux concilium frequentiſſimum habuere . Decreverunt , ut omnis

omnis

tate de la Crociata fare. Remiſſione de pena e de colpa ad chi ſerviva. Chi ſe moriva, dritto givaſene a li piedi di Dio, non piecanno nè da lato ritto nè ſiniſtro. Predicata non fo queſſa Crociata pe li puorti de la Chieſa, nè ſervato l'ordene, lo quale ſe devea ſervare, ſe non che ſolo tanto la boce moſſe la iente, che granne commotione fo fatta.

Hora ſe apparecchia la moita iente a bolere morire pe Dio. Homini, femene, Preiti, Frati. Tale venne poſſeſſioni, tale arneſe. Moveſi chi hao la moneta. Chi non l'hao, vao cercanno. Tale vao mennicanno pe Dio, per potereſe connucere a la frontaglia. Ne la Chriſtianitate non fo Cittate, nè Caſtiello, nè Communanza, che non ne beniſſe la moita iente. De tale Cittate doicento, de tale treciento, de tale cinqueciento, de tale mille. Conzidera quanta moititudine fo. Anco ſe veſtivano in tale camiſce bianche. De ſopra haveano Croci roſcie de panno roſcio. Moito ſtaevano conti pe le piazze con così fatto veſtimento. Tutte le ſtrade bedeſi renovare de così fatta iente. Camminante onne perzona arrivava ad Ancona. Là entra in mare, e paſſa a le Eſmirre. Anco ſervavano un' aitra connitione, che li odioſi rennevanoſe ferma pace. Po' ſe beſtevano lo ſopradetto havito. Quanno lo Papa Chimento vide tanta commotione, e che retenere non ſe poteva, parzeli meglio dare a tanta moititudine uno capo, che ſenza Capopuopolo bene non ſtaeva. Commannao a Miſſore Guido Dalfino de Vienna, che queſſo peſo portaſſi. Obedio lo Dalfino a lo ſanto Patre. Prenne lo Confallono de la Croce, e con ſoa cavallaria paſſa la Proenza. Veo in Italia. Arrivao ad Ancona, e puoi a Negroponte. Pe lo cammino ſoa moglie la ſoa donna morio. In tanto a le Eſmirre gione lo granne Puopolo. Tutto die le navi de' Venetiani queſſa iente portavano. Quanta moneta guadagniavano quelle navi! Quanto ſcorticavano! De uno vile bagattino non faceano corteſia. Viengo quelli de Corone, quelli de Modone, quelli de Fogliara, quelli de Patraſſo, quelli de Malvaſia. Veo la bella e honeſta iente de Filadelfia bene a cavallo, bene armata. In queſſo mieſo moiti bidalichi fuoro fatti pe la libertate de lo ire non ſenza danno. Piacque in tanto a li Venetiani de fare aicuna triegua, fi' che lo Dalfino benuto foſſi. La 'mmaſciata ne gìo ad Aitoluogo da parte de li Venetiani pe la triegua. Domannavano le Eſmirre interamente.

Quan-

A nis Venetorum potentia exereretur, tum ad ultionem de nece concivis ſui ſuſcipiendam, tum ad pugnam continuandam, reſtaurandamque, ac Smyrnam validâ & potenti manu defendendam. Hæc autem abſque Pontificis ſubſidio agi nequibant. Venetorum Legatio Papam Avenione degentem convenit, & humiliter ab eo petiit, ut Cruceſignatorum exercitus adversùs Turcas indiceretur. Perhumane Clemens Papa Legatos ipſos ſuſcepit, quibus bonam voluntatem ſuam obtulit. Tunc per omnem Chriſtianum Orbem fama inſonuit, de Cruceſignatorum exercitu congregando. Ad exercitum euntibus concedebatur pœnæ & culpæ delictorum remiſſio. Morituris promitte- B batur, quod rectâ ad cœlorum Regnum ad Numinis pedes proficiſcerentur, ad lævam nec ad dexteram ullatenus declinaturi. Hæc ad Crucem ſuſcipiendam adhortatio per omnes Chriſtiani imperii provincias minime prædicata fuit, neque ſervatus ordo, quem cuſtodiri neceſſe erat. Ejuſce rei fama una Populos adeo commovit, ut vehemens animorum & hominum ardor ac deſiderium undique emerſerit.

Nunc gentium multitudo pro Chriſti nomine mortem ſubitura ad Crucem amplectendam ſe apparat. Viri, mulieres, regularium Ordinum religioſi, Eccleſiaſtici ſeculares, iter arripiunt. Hi prædia pretio diſtrahunt, illi utenſilia & ſupellectiles vendunt. Quibus pecunia C erat, ii ad exercitum ſe conferebant. Quibus res anguſtior domi erat, hi pecuniam quæritabant. Ut ad expeditionem hanc militarem progredi poſſent, non defuere, qui ob amorem Dei ſubſidia mendicarunt. In univerſo Chriſtianorum Orbe nec Urbs nec Oppidum nec Reſpublica ulla extitit, ex quibus innumera gens ad Crucem accipiendam non venerit. Ex una civitate ducenti, ex alia trecenti, ex hac quingenti, ex illa mille convenerunt. Hinc potes perpendere, Lector, quam ingens Cruceſignatorum cœtus ille fuerit. Ceterum ſubuculis albis induebantur, quibus ſuperponebant inſutas Cruces rubeas coccinei panni. Per urbium fora & plateas ii, qui ejuſ- D modi amictu contegebantur, a ceteris omnibus admodum ſecernebantur. Viæ omnes hominibus in hunc modum indutis replebantur, aliiſque ſupervenientibus renovabantur. Cruceſignati itinerantes Anconam procedebant. Ibi eorum quilibet mare intrabat, & ad Smyrnenſem Civitatem transfretabat. Hoc item præcipue ea occaſione præſtabatur, ut qui invicem inimicitias & odia fovebant, veram pacem mutuo ſibi redderent, & poſtmodum ſupra deſcriptis veſtibus induerentur. Quum Papa Clemens talem tantamque concurrentium commotionem agnovit, qui ſane cohiberi non poterant, ſatius judicavit tantæ multitudini ductorem aſſignare, nam hæc abſque duce regi & E ſubſiſtere nullatenus poterat. Domino Guidoni Viennenſi Delphino præcepit propterea, ut onus ejuſmodi ſubiret. Delphinus Pontificis mandato morem geſſit. Vexillum Crucis ſuſcipiens, cum equitatu ſuo per Provinciam tranſiit. In Italiam veniens, Anconam petiit. Exinde ad Euboicam Inſulam ſe contulit. Delphini uxor in itinere ad plures abiit. Interea innumerabilis Cruceſignatorum Populus Smyrnam contendit. Quotidie Chriſtiani Venetorum navibus advehebantur. Proh quam multum æris & pecuniarum collegerunt nautici vectores! Proh quanta vi a pertranſeuntibus pecuniam emunxere! Ne vile quidem teruncium transfretan-

tan-

Quanno la 'mmaſciata fo ionta, Morbaſciano iaceva in terra, appoiato ſopra lo ſiniſtro vraccio, e ſi penſava. Gruoſſo era, e tanto eſmeſuratamente, che parea uno votticiello lo ſio ventre. Beſtuto de biſſio moito nuobbelmente laorato a ſeta. Denanti le benivano ſcudella de preta, ſtoriate, e lucienti. Prenne de vidanna con zuccaro, con latte de miennole, ova, ſpetie, e riſi. Teneva in mano uno cocchiaro de aoro, e fortemente devorava. Udita che habe la 'mmaſciata, non ſe levao sù da ſio pranzo, ma fra le aitre paravole diſſe : Noi ſapemo bene, che pe cierto lo Dalfino ſopra noi veo. Mentre che durano doi noſtri proſperoſi amici, li quali demurano fra la iente Chriſtiana, noa non dubitamo. *Diſſero li ammaſciatori*: Quali ſoco queſſi vuoſtri amici? *Reſpuſe Morbaſciano per interprete in Lengua Latina, e diſſe* : Sono Guelfo e Gibellino. *Intanto ionze lo Dalfino de Vienna ne le Eſinirre. Trenta cavalieri havea e non più. De coipo como ionze, così fece. Fece 'nzerrare le Puorte, e teneva la iente a freno, nè li laſſava havere libertate de lo ieſcire. Preſure e currerie fuoro fatte. Moiti Turchi fuoro preſi. La iente ne benne moita da Roma, da la Alamagnia, de Francia, de Piccardia. Non ce remaſe Cittate. Deciotto . . . . durao queſſo aſſedio, e queſſa pontaglia. Quinnici milia Chriſtiani nce retrovaro ad uno punto. Po' queſſo la coſa comenzao a declinare. Lo callo era granne. La polvere sì granne, che fi' a mezza gamma lo homo ſe ficcava ne la polvere. La iente infermava fuorte. Morivano como le pecora. La careſtia ce era granne. Lo Maſtro de lo Hoſpitale di Rodi vetava, che le navi de' Venetiani non beniſſino. Anco mannava lo fodero e le arme a li Turchi. Donne la iente ſe turvava. Granne parte ſe mette in mare e torna. Granne parte ſe ne vao. Poca iente remaneva. Quanno la iente ſe partiva, tutta la moneta che haveano, li era toita pe le guardie de' Venetiani. Fuorte erano cercati. Lo Dalfino fonnao aite mura più larghe con Torri, Puorte, e foſſati de bona e fierma preta. Li Veneziani puzero li loro Guardiani. E fi' a lo die de hoie la tiengo quella Terra. Fatte queſſe nove e ſecure mura, lo Dalfino non habe più loco. Partioſe da le Eſmirre, e tornaoſe in ſio paieſe. Aitra coſa nulla de novitate fatta per eſſo non ſo. Queſſo tal fine habe la Crociata de le Eſmirre.*

CAPI-

A tantibus dimittebant. Adveniunt Coronenſes, Methonenſes, Phocænſes, Patrenſes, & Epidaurii. Elegans & bene ornatus Philadelphiorum Populus equis apte & armis probe munitus apparuit. Inter hæc multæ armorum velitationes pro itinerum ſecuritate, non abſque Crucefignatorum jactura detrimentoque, factæ fuerunt. Tum Venetis inducias aliquantiſper facere placuit, uſquedum Delphinus ad exercitum proceſſiſſet. Legatio Venetorum pro induciis pertractandis ad Altologenſem Urbem perrexit. Legati Smyrnenſem Civitatem integre depoſcebant.

Quum ad Morbaſcianum acceſſerunt, humi ſedentem invenere, lævo brachio innixum, & B cogitabundum. Corporis obæſitate enormiter adeo intumeſcebat, ut dolioli amplitudinem ventris ſui prominenti mole æquaret. Byſſo elegantiſſime cum ſerico fabrefacto induebatur. Ante eum deferebantur cibi ſcutellis figlinis graphice depictis ac relucentibus. Dapibus ſaccharo conditis, lacte ex amygdalis confecto, ovis, aromatibus, & oryzis veſcebatur. Manu aureum cochleare geſtabat, voraciterque comedebat. Poſtquam legationis ſeriem Morbaſcianus audivit, a prandio ſuo minime ſurrexit, ſed inter cetera hæc dixit: *Novimus utique, Delphinum pro certo adversùs nos quamprimum venturum eſſe. At nullatenus pertimeſcimus, uſquedum duo felices amici noſtri vigent, qui* C *inter Chriſtianorum Populos morantur*. Tunc Legati quæſierunt dicentes: *Quinam ſunt hi veſtri amici?* Repoſuit Morbaſcianus: *Ii ſunt Guelfus & Gibellinus*. Hæc ſane Latino idiomate per interpretem Legatis eiſdem ille reſpondit. Interea Delphinus Viennenſis Smyrnam applicuit. Triginta equites, & non plures, ſecum duxit. Protinus ut Smyrnæ fuit, hunc ordinem regiminis ſervavit. Portas occludi fecit, & milites refrænavit, nulli veniam exeundi permittens. Incurſiones & captiones factæ fuerunt. Turcarum multos Chriſtiani cepere. Crucefignatorum quamplurimi a Romana Urbe, ab Alemanniæ regionibus, a Galliæ & Picardiæ provinciis Smyrnam appulerunt. D Nulla Civitas fuit, quæ non aliquem mitteret. Decem & octo . . . . . . obſidio hæc, & iſtiuſmodi certamen, perdurarunt. Quindecim millia Chriſtianorum uno tempore ibi inventa fuere. Poſt hæc res deficere cœpit. Aëris calor eſſerveſcebat nimis. Pulvis adeo ingens in viis erat, ut homines ad medietatem uſque tibiarum in pulvere incederent. Crucefignati multum ægrotabant. Ceu pecudes moriebantur. Rerum & victualium inopia ſæviebat. Magiſter Hoſpitalis Inſulæ Rhodi impediebat, quo minus Venetorum naves Smyrnam venirent. Inſuper victualia ac arma Turcis ſubminiſtrabat. Ob id Chriſtianorum exercitus ſumme affligebatur. Crucefignatorum plerique mari ſe E committentes remearunt, & plurimi abſceſſere. Pauci quidem remanſerunt. Quum gens recedebat, universâ pecuniâ, quæ ipſi erat, a Venetorum cuſtodibus exſpoliabatur. A diſceſſuris nummi & cuncta pecunia exquirebatur, ac auferebatur. Delphinus alta mœnia & ampliora cum turribus & foveis, conſtructa firmis marmoribus electiſque ſaxis, a fundamentis erexit. Veneti præſidia & cuſtodes ſuos ibi collocarunt. Uſque adhuc Urbi illi dominantur. Perfecto recentium tutorumque mœnium opere Delphinus moram ulterius ibi protrahere nequivit. Smyrnâ abſceſſit, & ad patria loca ſua remeavit. Nil aliud novi egit. Talem finem

nem

CAPITOLO DECIMOQUARTO.

De la ſconfitta de Francia là dove morio lo Re de Boemia. E lo Re de Francia d'appriesſo a Pariſci fo ſconfitto da lo Re de Engelterra Adoardo.

CUrrevano Anni Domini MCCCXLVI. quanno fo fatta la horribbele ſconfitta in Francia d'appriesſo a Pariſci a lo Monte de Creſcì, e fo ſconfitto Filippo de Valoiſe Re de Francia, e fo vencetore Adoardo Re de Engelterra. La quale novità fo pe queſſa via. La caſcione de la guerra fra lo Re de Francia e lo Re de Engelterra fo queſſa, & aitra non fo. Fo uno Re de Francia moito ſavio e bono e iùſto, lo quale habe nome Filippo lo Bono. Queſſo Filippo veramente habe lo ſegno de la Croce ne la ſpalla ritta. Anco iocava con lo lione sì domeſticamente, como aicuno iocara con uno caciolino. Queſſo Re Filippo in ſoa veteranezza non ſe trovao herede maſchio. Solo una figlia havea, la quale deo pe moiera ad Adoardo Re de Engelterra. La Reina Iſabella era chiamata. Quanno queſſo Re Filippo benne a morte, non havenno figlio, non voize laſſare ſio Reamo ſenza Governatore. Era in Francia uno nuobbele Conte. Queſſo era ſio pariente, non perciò de la vera linea. Anco era lo più ſavio, ſaputo, ſcaitrito, de ſenno de tutta Francia. Anco era prodo, cha era ſtato a lo ſtuolo in Lommardia. Laſſao lo Re queſſo Conte de Valoiſe ſio Fattore e dizpenzatore de tutto lo Reamo. Onne coſa li commiſe in mano. E così morio e paſſao de queſſa vita. Remaſe Filippo de Valoiſe. Comenzao a reiere lo Reame bene e ſaviamente. Vedenno cha non havea contrario, e vedenno che de lo Re non era figlio maſchio, compuſeſi co li Baroni de lo Reamo. Compuſeſi co lo Papa e sì ſe fece incoronare. Fo onto e ſacrato in Ruen, e ſio figlio Ianni fo Duca de Normannia. Da po' che Adoardo Re de Engelterra ſappe, che Filippo havea preſa la Corona de Francia, iurao pe la maieſtate de ſio Reamo, mai non dare poſa a' Franceſchi, fi' che non racquiſtava lo Reamo, lo quale decadeva ad ſoa matre. Poco li valevano le 'mmaſciate; poco li valevano le loſinghe: poco li valeva lo Papa con ſoa Corte.

Allhora moſſe ſio ſtuolo. Soa granne huoſte deſcenne per Engelterra, e con ſio naviglio regale paſſa lo mare, e bennc in terra fierma ne lo terreno de Francia. Lo numero de la ſoa iente fo diciotto milia homini da cavallo e non più. Trenta milia arcieri da pede, conziderati li famigli, fanti, cuochi, e tutta l'aitra iente. Ene una uſanza de li Ingleſi, che onne famiglio de la caſa hao uno arco. Quanno laſcia ſio officio, uſa lo arco, e ſtao per arcieri. Là fo

A nem habuit Cruceſignatorum adversùs Turcas expeditio.

CAP. XIV.

De cæde Gallorum, in qua occubuit Rex Bohemiæ. Quomodo Rex Franciæ prope Pariſiorum Urbem bello fuit profligatus ab Eduardo Rege Anglorum.

DEcurrebat Annus Domini Milleſimus Trecenteſimus Quadrageſimus Sextus, quum in Francia accidit horribilis clades, non multo longe a Pariſiorum Civitate, ad Montem Creſciaci. Ibi profligatus fuit Philippus de Valois B Rex Franciæ, & victoriam de eo retulit Eduardus Angliæ Rex. Quomodo caſus ille evenerit, nunc audi. Certe occaſio belli, quod inter utrumque Regem exarſit, hæc, & non alia, extitit. Gallorum Regno præfuit quidam Rex admodum prudens, pius, ac juſtus, Philippus nomine, Bonus cognomine appellabatur. Hic in dextro humero Crucis Dominicæ aſſumtum ſignum verè geſſit. Hic etiam adeo familiariter cum leone ludebat, ac ſi cum catello quiſpiam jocaretur. Philippus iſte Rex in ſenectute ſua nullum heredem maſculum filium poſt ſe reliquit. Filia tantummodo eî erat, quam in matrimonium locaverat Eduardo II. Angliæ Regi. Regina Eliſabeth nuncupa- C batur. Quum Rex Philippus ad ultimum vitæ devenit, filiorum ſobole carens, Regnum ſuum abſque gubernatore noluit deſerere. Tunc quidam nobilitate præclarus Comes in Francia vivebat. Sanguine cum Philippo Rege jungebatur, non tamen ex vera ejus ſtirpe genitus. Comes idem prudentiâ, ſapientiâ, calliditateque ceteris omnibus, qui tum in Francia florerent, antecellebat. In armis fortis ac præſtans, in Lombardorum partibus jam militaverat. Comitem hunc Rex inſtituit actorem ſuum, ac adminiſtratorem totius Regni. Ejus arbitrio omnia credidit. Poſt hæc Rex ipſe vitam cum morte commutavit. Itaque ſuperſtes Philippus de Valois moderari Regnum clementiſſime ac D prudentiſſime cœpit. Videns autem ſibi neminem adverſari, nec præmortuo Regi filios ullatenus ſupereſſe, cum Dynaſtis & primoribus Francici Regni pacta iniit. Cum ſummo Pontifice conventiones item firmavit, & ut in Regem coronaretur, obtinuit. Sacro regali oleo Rothomagi delibutus fuit, ejuſque filius Johannes Normanniæ Dux eſt conſtitutus. Poſtquam Eduardus III. Rex Anglorum reſcivit, Philippum Valeſium coronam Regni Franciæ ſumſiſſe, per majeſtatem Anglici Regni ſui jurejurando aſſeveravit, ſe a moleſtiis Francico Regno irrogandis numquam deſtiturum, uſquedum Regnum ipſum non recuperaſſet, quod ad matrem ſuam obvenire debere ex hereditate E dicebat. Nil profecere legationes ad Philippum miſſæ, nihil potuerunt blandimenta, nec quidquam effecerunt Romani Pontificis & ejus Curiæ officia.

Tunc Eduardus III. exercitum in Gallos movit. Ingens Anglorum claſſis ex Anglia deſcendens, cum navibus regiis mare prætergreſſa, in Franciæ continenti pedem fixit. Numerus copiarum Eduardi decem & octo millibus equitibus, & non ultra, conſtituit. Triginta millibus arcatoribus peditibus inſtructus erat peditatus, computatis famulis, ſervis, coquis, calonibus, aliiſque ejuſmodi hominibus. Apud Anglos in more eſt, ut quilibet de familia arcum

ſo lo Re Adoardo . Là ſo ſio figlio Adoardetto, Prence de Galles . Là ſo la Reina , Conti , Cavalieri , e Baroni aſſai . Carrette haveano da tre milia , piene de ciò , che facea meſtieri a la huoſte. Po' che li Engleſi habero paſſato lo mare , poſati in terra fierma , la prima coſa notabbele , che lo Re Adoardo faceſſi , ſo che tutto lo ſio naviglio fece tornare in Engelterra . De ciò dubitao la ſoa iente , e domannao : Perquè queſſo ? *Reſpuſe lo Re , e diſſe :* Io non boglio , che haiate ſperanza ne lo tornare. Siate prodi . *Po' ſe benne deſciennenno pe la coſta de Normannia canto la marina , tenenno curze de più de doicento miglia . Po' aſſediao una fuorte Terra , la quale era capo de quelli paieſi . Saluppo havea nome . E sì la preſe pe forza , e tennela per ſi . E veo ardenno e refocanno Ville e Caſtella , predanno , e accidenno . Non ſe trova reparo . Da longa moſtra a lo Re Filippo lo granne danno, che facea . Moita iente prenneva e derobava . Dao pe terra fortezze e torri, che ad eſſo contraſtavano. Po' ſcriſſe a lo Re Filippo , che lo aſpettaſſi , e che bolea eſſere con eſſo a campo a la vattaglia , e a ciò domannaſſi lo termine . Lo Re Filippo domannao termine dii quinnici e non più , quanto eſſo mannaſſi pe ſio figlio Ianni . Ianni Duca de Normannia ſtaeva in Vaſcogna ad huoſte ſopra uno Caſtiello , lo quale hao nome Arpiglione . Là ſopra uno fiume ſtaeva ſoa potientiſſima huoſte . Travacche e paviglioni e onne guarnimento abbannonao in campo , da po' che inteſe lo comannamento de ſio patre . Nulla demoranza fece . Muoſſeſe con granne ſoa iente . Solamente ne portao le arme e li cavalli. Fuorte cavaicava dii quinnici. Non vaize ſio fuorte cavaicare , cha quanno ionze , erano paſſati dii trenta. La varatta era fornita . Non potea a ſio patre dare ſuccurzo . Non poteo eſſere a la ſembiaglia . Hora tornemo a la materia .*

Lo Re Filippo havenno promeſſo de eſſere a lo campo , bene ſapea , che li ſoi Baroni non li erano leali. Bene ſapea, che ſoa Baronia havea tratti li Engleſi, & allocatili in mieſo de Francia . Troppo ſe dole , cha bede li ſoi nemici liberamente vagare pe tutta la Francia ſenza reparo . Pure ſe forniſce de iente aſſai e bella e bona . Habe dodici milia cavalieri . Habe da dodeci milia pedoni . Habe lo Re de Boemia (Ianni habe nome) con mille Todiſchi . Queſſo Re Ianni ſe delettava de gire a ſuollo . Anco habe lo Re de Maiorica (Ianni lo ſio nome) lo quale era cacciato da lo ſio Reamo . Staeva e prenneva ſuollo . Anco habe Lodovico Conte de Flandria , lo quale era cacciato da ſio Contado . Anco habe Miſſore Ottone de Oria , e Miſſore Carlo de Grimaldi con cinque milia valeſtrieri Genoiſi . Moiti habe Conti e Baroni , e iente aſſai . Hora ne veo a lo Re de Engelterra. Con ſio esfuorzo ionze de notte in una Valle larghiſ-ſima,

A cum habeat. Quum domeſticus famulus ab officio ſuo vacat , arcum ſuſcipit, & ceu arcator in exercitum procedit . Ibi igitur fuit Rex Eduardus una cum filio ſuo Eduardulo Principe Valliæ . Adſuit etiam Regina conjux , Comites , Milites , Proceres , & quamplures Dynaſtæ . Curruum triamillia Angli adduxerant, neceſſariis omnibus exercitui onuſtorum . Poſtquam Angli mare trajecerunt, & in litore conſtitere , primum notabilius a Rege eorum perpetratum hoc ipſum fuit , quòd nempe Eduardus decrevit , ut univerſa claſſis in Angliam regrederetur . De navigii reditu exercitus Anglicus ſuſpicionem concipiens , Regem interrogavit dicens: *Quare id egiſti?* Reſpondit Eduardus: *Nullam vobis ſupereſſe ſpem volo, qua
B patriam remeare poſſe credatis . Fortes eſtote.* Iter poſtmodum arripiens , per Normanniæ oram ſecus mare inceſſit , & excurſiones per ſpatium ducentorum & amplius millium paſſuum egit . Exinde bene munitam Civitatem (Salupum ſive Cadomum nomen Urbi erat) , regionis illius metropolim obſedit. Hanc vi captam , ſuo dominio ſubjecit . Hinc ſuccendens quæque obvia , Villas , & Caſtra , omnia cædibus & rapinis implebat . Nullus Eduardo obſiſtere valebat . A longe oſtendit Philippo Regi enormia damna , quæ irrogat . Plures capiebat & exſpoliabat . Arces , turres , & propugnacula ſibimet adverſantia ſolo æquabat . Poſtmodum
C Regi Franciæ per epiſtolam ſcripſit , ut ſe exſpectaret: quippe decreverat ad certamen cum eodem Philippo in campum deſcendere . Ut Philippus diem prœlii eligeret, quærebat. Philippus præſtitui ſibi curriculum dierum quindecim & non ultra popoſcit , quo ſpatio revocare ad ſe poſſet Johannem filium ſuum . Johannes Dux Normanniæ tunc in Vaſconia cum exercitu contra quoddam Caſtrum (Arpilionem vocabulo) morabatur . Ibi ad quoddam flumen caſtra poſuerat potentiſſimus Johannis exercitus . Tentoria & cetera militaria munimenta in campo Dux ipſe dereliquit, poſtquam juſſionem patris intellexit . Nullâ morâ factâ abſceſſit. Copias ſuas innumeras movit . Arma
D ſolummodo & equos ſecum adduxit . Celeriter per quindecim dierum curſum equitavit . Nihil Johanni profuit equitandi ſolicitudo ; nam quum ad patris exercitum advenit , triginta dies abierant . Bellum inter Anglos & Gallos actum jam fuerat . Philippo opem amplius ferre non poterat . Conflictui intereſſe Johannes nequibat. Nunc ad rei ſeriem ſtilum dicendi convertamus .

Rex Philippus, quum promiſiſſet, ſe in campum venturum , noverat ſane, primores Regni ſui fidem ſibi haud ſervare . Equidem reſciverat, Dynaſtas attraxiſſe hoſtilem exercitum, & in meditullio Regni Franciæ locaviſſe . Nimis conquerebatur, quum per univerſam Franciam
E Anglos libere pervagari conſpiciebat nullo obſtaculo . Nihilominus electis aptiſque militibus conſcriptis , copias collegit . Duodecim millia equitum & duodecim millia peditum ei fuere . Rex Bohemiæ , Johannes nomine , cum mille Germanis Philippo conſociatus eſt . Hic Rex ad ſtipendia aliena militare amabat . Inſuper ſibi confœderatum habuit Philippus Regem Majoricæ Johannem, qui Regno ſuo pulſus exulabat , & ſtipendia a Francico Rege accipiebat . Ludovicus etiam Comes Flandriæ Philippo ſe conjunxerat . A Comitatu ſuo Ludovicus extorris erat . Dominum Ottonem de Auria & Dominum Carolum de Grimaldis cum quinque mil-

ſima , la quale ſtao apprieſſo de Pariſci otto leghe . Quella Valle iace fra uno Caſtiello , lo quale ſe dice Monte de Creſcì . Da lo aitro lato ſtao una Villa de più de quattro milia perzone, la quale hao nome Albavilla . Fra queſſe doi Terre ne li campi piani a pede de la coſta de Creſcì allocao tutta la ſoa iente , e puſe ſoa huoſte . Quanno queſſa iente ionta fo, e la huoſte allocata , era notte , & era hora , che ſonava la ſquilla . Li currieri , che nanti curriero, e li ſpioni , li quali ſe accoſtaro a Pariſci , e a San Dioniſi, odiero le Campane de Santo Dioniſi de Francia , e le Campane de Santa Maria de Ciampollo , che a la ſquilla ſonavano . Anco odiero tutti li matutini de li Religioſi , e delle Cappelle , che dereto li ſeguitavano .

Quanno la novella fo ſaputa in Pariſci , che li Engleſi haveano puoſto lo campo , tutta iente Regale preſe le arme . E fo tanta la moititudine , che l'armatura fo vennuta doiciento Fiorini . L'alba de lo die ſe fece . Piacque a lo Re Filippo, che lo Re de Boemia fuſſi Capitanio ienerale , e ieſciſſe fora a lo reparo : e così fece . Jeſce fora de Pariſci Janni Re de Boemia, figlio de Errico 'mperadore , Janni Re de Maiorica , Lodovico Conte de Flandria , e tutta l'aitra Baronia . Ne lo ieſcire fora li Engleſi vardano da longa pe ſtrata ritta de Pariſci , la quale ſtao in una adatta beduta . Guardanno li Engleſi , ſentiero lo traiere fora la venuta de li Franceſchi a lo campo . Queſſo connubbero a lo ſcianniare de li elmi lucienti e de li cimieri . Anco da le banniere , le quali faceano viſta a li raggi de lo Sole , che naſceva allhora . Allhora opierze la viſta Adoardo , e connubbe infallibilmente , che vattaglia non potea ſchifare . E conziderata la moititudine de Franceſchi, non ene maraviglia che affriſſeſi uno puoco . Dubitao e ruppe boce , e diſſe : Ahi Dio ! Aiutami. *Po' prieſtamente fra puoca de hora fece attorniare ſoa huoſte con bone catene de fierro , con pali de fierro moito ſpeſſo ficcati in terra . Queſſo attorniamento era fatto a la rotonna a muodo de uno fierro da cavallo , da onne parte chiuſo , ſaivo che denanti li laſſao uno granne guado a muodo de porta pe fare le 'ntrate e le ieſſute . Po' ſe fece carvonara . Ruppe là , dove lo luoco era debile . Onne Engleſe havea opera . Po' attorniao queſſe catene co le carrette , le quali haveano menate . Puſe una carretta a lato all' aitra , e li temoni aizao ritto in airo . Bene pareva una bona Cittate murata . Stavano le carrette ſpeſſe . Po' ordinao ſoa iente . Così da lo lato ſiniſtro ne la coſta de Creſcì era una montatella . Là era uno poco de ſelvotta . Erace anco lo grano , lo quale non era metuto . Era de lo meſe de Settiemmoro a dii tre . Pe la granne freddura in quello paieſe , lo Settiemmoro lo grano ſe matura . Là in quella ſelvotta e fra lo grano naſcuſe , e allocao dieci milia arcieri de Engilterra da pede . Po' puſe ad onne carretta uno barilo pieno de ſaiette , e ad onne barilo deo doi valeſtrieri . Po' puſe fora de la ſoa huoſte cinqueciento cavalieri de bono apprieſto .*

A millibus baliſtariis Genuenſibus ad ſe Philippus pertraxerat . Multi Comites , primores , Dynaſtæ , ac alii quamplurimi ſub ejuſdem Regis vexillis militaturi convenerant . Nunc ad Regem Angliæ redeamus . Eduardus cum omni virium ſuarum conamine , noctis tempore in quamdam ſpatioſiſſimam Vallem , octo leucarum ſpatio Pariſiis diſſitam , advenit . Vallis hæc ab uno latere Caſtrum , quod Mons Creſciaci dicitur , habet . Ab alio latere Urbem , a quatuor millibus accolis & ultra habitatam , quæ Abba villa vocatur . Inter hæc duo loca , in agrorum planitie ad pedes clivi Creſciaci montis , Eduardus peditatum , equitatum , totumque exercitum ſuum caſtra figere juſſit .
B Quum Angli illuc pervenere , & caſtra poſuerunt , nox erat & hora , qua nocturna campana pulſabatur . Curſores Anglici exercitus præcurrerant , & exploratores præiverant . Hi Pariſiis appropinquantes , & ad Sanctum Dionyſium Franciæ accedentes , ſonitus campanarum Sancti Dionyſii auribus acceperunt , nec non tinnitus campanarum Sanctæ Mariæ Ciampolli, quæ reſonabant . Præterea Matutinales campanas regularium Ordinum, ac Ædium, quæ poſt eas pulſabantur , tinnire audierunt .

Quum hæc novitas innotuit , Anglicos ſcilicet caſtra metatos fuiſſe , univerſæ Regis Philippi copiæ arma ceperunt . Tanta fuit armatorum multitudo, ut lorica ducentis aureis venumdaretur .
C Aurora diei ſubinde apparuit . Franciæ Regi conſultius viſum tunc fuit , ut Rex Bohemiæ exercitui , uti Imperator , præeſſet , & ad repugnandum hoſtibus egrederetur Pariſiis . Id quidem egit Johannes Rex Bohemiæ, filius Henrici Imperatoris, cum quo exierunt Johannes Rex Majoricæ , Ludovicus Comes Flandriæ , ceterique Dynaſtæ . Gallorum copias , ex Pariſienſi Urbe digredientes, Angli conſpexerunt a longe per viam , quæ rectâ Pariſios reſpicit , ad viſum ſatis apte diſpoſitam . Igitur tunc innotuit Anglis Gallorum ad campum adventus . Id vero cognoverunt ob illuceſcentium caſſidum fulgorem , & criſtarum galeis impoſitarum motum . Ex vexillis etiam, quæ a radiis orientis ſolis feriebantur , id
D perceperunt . Tunc Eduardus oculos aperuit , & incunctanter prævidit , irreparabile prœlium imminere . At quum ad multitudinem adventantium Gallorum mentem animumque addidiſſet , haud mirum fuit , Regem ipſum ſpiritu nonnihil perturbatum fuiſſe . Dubitans propterea , in hæc verba prorupit: *Ah Deus ! Opitulare mihi.* Poſtmodum brevi horæ ſpatio exercitum ſuum validis ferreis catenis , ferreiſque frequentibus palis humi infixis , circumvallari fecit . Ejuſmodi munimen in gyrum conſtruxerat in modum equinæ ſoleæ , ex omni parte clauſum , niſi quod ante ſpatioſum hiatum reliquerat ad portæ formam , ut exercitus ingredi
E & regredi libere poſſet . Exinde foveas excavari præcepit ad ipſius munitionis tutelam . Ibi autem exitum relinqui voluit , ubi locus debilior videbatur . Quilibet Anglus ſe exercebat, quilibet operabatur . Ad hæc catenas ſic prædiſpoſitas circumdedit curribus cum exercitu avectis . Unum currum alteri junxit , & eorum temones in altum ad aëra elatos erexit . Sane munimenta hæc Anglicorum, Urbem bene vallatam repræſentabant . Frequentes currus erant . Poſt hæc acies ſuas Eduardus ordinavit . A lævo latere in clivo Creſciaci parvulus quidam exſurgebat aſcenſus . Ibi quædam ſilvula cernebatur . Frumentum in ſpicis ager adhuc

ſto . Loro Capitanio ſo Adoardo Prence de Galles ſio figlio . Queſſa fo la prima vattaglia . Dereto a queſſi cinqueciento puſe doi ale, ciaſcheduna de cinqueciento boni cavalieri , l'una da lo lato ritto , l'aitra da lo lato manco . Queſſa fo la ſecunna vattaglia . Po' queſſi cinqueciento ne puſe mille . Queſſa fo la terza vattaglia . Po' queſſi mille rechiuſoſe con tutta l'aitra cavallaria drento de la huoſte drento da le catene . Queſſo fatto, confortao li ſuoi , e accomannaoſe a Dio e diſſe : Ah Dio defenni e aiuta la raſcione . *Queſſa fo ſoa Coneſtavilia. Queſſa fo ſoa bella ordenanza .*

De Sabbato fo a li dii tre de Settiemmoro . Ieſcìo fora de Pariſci lo Re de Boemia a lo campo , e puſeſe non moito da longa de li Engleſi . Era lo Re de Boemia pullino . Non bedeva bene . La prima coſa domannao de la Coneſtavilia de lo Re Adoardo . Quanno inteſe così fatta Coneſtavilia , ſubbetamente diſſe: Non ſemo perdienti . Engleſi perderaco non puoco ſenza nuoſtro granne danno . *Po' domannao , che tiempo fuſſi . Folli reſpuoſto e detto , che ſopra li Engleſi lo airo ſtaeva pulito como zaffiro : ſopra li Franceſchi ſtaeva lo tiempo atto a piova . Allhora diſſe :* La vattaglia non fao pe noa . Fao per eſſi . *Po' mannao la 'mmaſciata a lo Re Filippo in Pariſci. Li 'mmaſciatori diſſero così :* Re Filippo , quanno piaccia a la Aitezza vuoſtra , la vattaglia non può eſſere , cha ſenza danno . Non ene utilitate nulla . Meglio veo , che ſtaiamo fiermi a li paſſi . Lo Re de Engilterra partire ſe vorrao. Quanno ſe partirao , noi li ſaremo dereto a le ſpalle . Haveremo de eſſo mercato . *Lo Re Filippo fo fuorte turvato . Fra le aitre paravole diſſe coſi :* Veome voluntate de annegare nell'acqua de Senna , quanno lo migliore Capitanio de lo munno hao paura . *Le quali paravole li ammaſciatori non celaro a lo Re de Boemia . Lo Re de Boemia allhora diſſe così :* Hoie bene ſe parerao, cha io non haio paura. Anco bene ſe parerao, che lo commattere ene più paſcia che ardire . *Allhora comannao, che le vattaglie ordenate correſſino nanti . Queſſe curzero . Aiquanto era , che havea ordenate nove vattaglie . Ma le tre fuoro le famoſe, le più principali . La prima vattaglia fo di Miſſore Ottone de Oria e di Miſſore Carlo de li Grimaldi, Capitanii de cinque milia Genoiſi valeſtrieri da pede . La ſecunna fo lo Re de Maiorica co lo Conte de Fiandra con tre milia cavalieri . Po' fuoro moite particulari vattaglie . La tierza fo eſſo Re de Boemia con mille Todiſchi , e quattro milia Franceſchi , e ſio figlio Carlo apprieſſo .*

La prima vattaglia , che beniſſe a lo campo la dimane tiempori , fuoro li valeſtrieri Genoiſi

A adhuc ſervabat , quod ruſtici nondum meſſuerant . Currebat tunc Septembris dies tertia . Ex nimia regionum illarum aëris frigiditate , Septembri triticum matureſcit . In eadem ſilvula & inter ariſtas in abdito & in inſidiis conſtituit Rex Angliæ decem millia arcatorum peditum . Poſtea cuilibet currui cadum unum ſagittis plenum appoſuit . Cuique cado duos baliſtarios aſſignavit . Extra exercitum ſuum quingentos equites bene inſtructos locavit . Eis Dux fuit Eduardus Princeps Valliæ filius ejus . Hoc fuit primum agmen . Poſt hoſce quingentos equites repoſuit duas alas, quarum unaquæque quingentis validis equitibus conſtabat . Una ad dexterum , altera ad lævum latus ſiſtebat .
B Hæc fuit ſecunda acies . Poſt duas quingentorum alas , mille alios equites collocavit . Et hoc fuit tertium agmen . Poſt hos mille ſemet incluſit cum reliquo omni equitatu ſuo intra campum catenis præcinctum , curribuſque vallatum. His peractis ſuos exhortari cœpit. Supplicationes Deo porrigens , dixit : *Ad Deus ! Tuere & juva juſtitiam* . Hæc fuit Eduardi exercitus forma , hic ſpecioſus acierum, copiarumque ſuarum ordo .

Die Sabbati , tertiâ Septembris , Rex Bohemiæ Pariſiis egreſſus , caſtrametatus ſubſtitit non multum longe ab Anglis. Huic Regi luminum acies obtuſa erat . Oculorum viſu laborabat . In primis ſciſcitatus eſt de ordine Anglici exer-
C citus . De quorum ſtatu certior factus , protinus dixit: *Neutiquam ſuccumbemus : Angli graviter opprimentur cum exiguo noſtrorum detrimento* . Deinde interrogavit , quænam eſſet aëris conditio . Reſponderunt , caſtris hoſtium ſerenum cœlum ceu ſapphyrum imminere , Gallico autem exercitui pluvioſum aërem inſtare . Tunc Rex ſubdidit : *Prœlium nobis minime profuturum eſt . Hoſtibus erit utile* . Poſtea legationem Philippo Regi , Pariſiis moranti , miſit . Legati Regi retulerunt hæc : *Rex Philippe : niſi aliter Celſitudini veſtræ lubeat , pugna cum Anglis non abſque jactura noſtra eſt eventura . Nullum ex ea emolumentum capiemus . Melius erit , nos ad tranſitus cuſtodien-*
D *dos firmiter conſiſtere . Eduardus Rex Angliæ digredi ſtatuet. Anglorum diſcedentium & abeuntium terga agrediemur. De hoſtibus ipſis triumphum agemus* . Animo conſternatus Philippus, inter cetera verba in hunc modum loquutus eſt: *Me ſubit furor , ut memet in aquam fluminis Sequanæ demergam, quando omnium Mundi Ducum fortiſſimus adeo metuit* . Philippi verba Legati Regi Bohemiæ neutiquam occultarunt . Quæ quum Bohemus reſcivit , ita illico inquit: *Hodie quidem manifeſtum fiet , me nullo timore affici . Inſuper palam erit , pugnam iniiſſe , ſtultitiæ potius, quàm fortitudini eſſe adſcribendum* . Tunc præcepit , ut præſtituta armatorum agmina præcurrerent . Currendo præceſ-
E ſerunt . Paulo ante novem acies prædiſpoſuerat. Verùm præcipuæ & celebriores fuere tres. Primam duxere Dominus Otto de Auria , & Dominus Carolus de Grimaldis, Duces ambo quinquemillium baliſtariorum Genuenſium peditum. Secundæ præfuit Rex Majoricæ una cum Comite Flandrenſi cum tribus millibus equitibus . Poſt hoſce venerunt quamplura particularia agmina armatorum. Tertiæ demum aciei præivit idem Rex Bohemiæ cum mille Alamannis, & quatuor millibus Gallis, juxta quem incedebat Carolus filius ejus.

Primum agminum , quod in campum mane deſcendit , fuit Genuenſium legio e baliſtario-

numero cinque milia . A queſſi fo comannato , che montaſſino ne la coſta de Creſcì pe ſopraſtare a li Engleſi , che haveano occupato lo cuolle , e puoſti li impedimenti fra lo grano . Dunqua ſe puſero in uno aitro monticiello da longa . Po' ſopravenne una ſciagura . Era ſtata uno poco de pioverella . La terra era infuſa e muolle . Quanno boleano caricare la valeſtra, mettevano lo pede ne la ſtaffa . Lo pede sfuiva . Non poteano ficcare lo pede in terra . Allhora ſe levao uno viſviglio infra li Franceſchi . Dubitavano cha li Genoiſi fuſſino traditori , perchè non haveano receputa la paca . Dicevano : Queſſi non valeſtreraco . Se valeſtreraco , ietteraco haſte ſenza fierro. Dunqua muorano Genoiſi . *Queſſo dicenno Franceſchi , ſe muoſſero a furore contra li loro ſollati . Traievano crudelmente le ſpate e le lance . Genoiſi fuoro tutti acciſi fi' ad uno . Mormoraoſe Miſſore Ottone a lo Re de la morte de ſoa ient? , lo quale reſpuſe e diſſe:* Non havemo beſuogno de pedoni . Iente havemo aſſai . *Queſſa fo la prima varatta . Cinque milia Genoiſi fuoro acciſi ad una hora.*

Hora ſe advocò a le frontiere le punte de le vattaglie . Ianni Re de Maiorica , e Adoardo Duca de Galles . Ne la adduoſſa fo sì granne lo ſtrillare , sì granne lo ſcuoppio e lo romore de le haſte , che parze , che doi montagnie ſe urtaſſino inziemmora . Tale dao , tal toglie . Sonano inſtrumenti , tromme , cornamuſe aſſai . In queſſa vattaglia fo una tale novitate . Lo Prence de Galles havea ſperonato lo ſio cavallo moito drento da li nemici . Solo granne danno facea . Uno Conte , lo quale ſe appellava lo Conte Valentino , lo bide e lo conubbe . Creſcſe havere fuorte vadagniato . Pe lo granne peſce prennere lo amo iettao . Accoſtao ſio cavallo quetamente , e avvracciao Adoardo Prence de Galles . Po' lo preſe pe le catenelle de la corazza , e diſſe : Tu ſei mio preſone . *Allhora ſe fermao , e fuortemente lo traieva da la ſchiera , e connucealo in ſoa libera balia . Mentre che così lo Conte Valentino menava lo figlio de lo Re de Engilterra, ſopravenne lo Conte de Lancione, lo quale era frate carnale a lo Re Filippo . E bedenno , che Adoardetto era perduto e legato como pecorella , diſſe queſſe paravole fuorte iratamente :* Ahi Conte Valentino ! Como fuſti tu tanto ardito de menare in preſune mio Cuſcino ? *E queſſo dicenno , non aſpettao reſpuoſta nulla . Anche ſe fiongao , e aizao ſoa mazza de fierro 'naorata , la quale tenea in mano , e ferio lo Conte Valentino ne la teſta . E ſpeſſianno li coipi lo uno dopo lo aitro , lo Conte Valentino perdio vigore , laſſao lo freno e le catenelle de Adoardetto ; e muorto cadde in terra da ſio cavallo . Allhora Adoardetto ſperonao .* Nimium *allegro tornao a la ſoa ſchiera , la quale già havea comenzato ad affacciare. Queſſa novitate bide Ludovico Conte de Flandria , lo quale , como dicto ene , era cacciato da lo ſio Contado . Stava a ſuollo in Pariſci pe granne tiempo . Era homo veglio , perzona bona e honeſta . Amava moito lo Re Filippo e lo ſio honore . Conubbe , cha lo tradimento era in mieſo de li Baroni de Francia . Più non poteo celare la ſoa voglia , che non diceſſi lo vero . Soavemente aizao la boce e diſſe :* Ahi Conte Lancione!

rum quinque millibus conſtans . Iis injunctum fuerat , ut aſcenderent clivum Creſciaci , ut Anglis , qui collem occupaverant , & inſidias ac impedimenta inter frumenti ariſtas poſuerant, imminere poſſent . Itaque Genuenſes in quodam alio monticulo a longe ſe collocarunt. Tunc infortunium accidit . Paulo ante modicus imber ceciderat . Humus ex infusâ aquâ mollis ac lubrica erat . Quum Genuenſes arcus ſagittis oneraturi erant , pedem ſtapiæ baliſtæ immittebant . At pes , in quo ſtabant , elabebatur. Pedem ſolo figere nequibant . Tunc murmur inter Gallos obortum eſt. Suſpicabantur enim , Genuenſes proditionem animo concepiſſe , quòd ſtipendia non receperant. Dicebant Galli : *Hi ſagittas non emittent . Quod ſi emittent , haſtas certe abſque cuſpide projicient. Itaque moriantur Genuenſes .* Hæc muſſitantes Galli adversùs ſtipendiarios milites ſuos Genuenſes , in eos furenter inſurrexerunt . Crudeliter enſes & enſium laminas e vaginis educebant . Tunc Genuenſes omnes a primo ad ultimum interfecti a Gallis fuere . Dominus Otto de Auria conquerebatur cum Rege de nece ſuorum baliſtariorum . Rex Ottoni reſpondens dixit : *Peditibus non egemus . Milites abunde nobis ſuperſunt .* Hoc fuit primum armorum certamen . Quinque millia Genuenſium uno tempore gladio cæſa interiere .

Hinc coiere cornua agminum ad frontes invicem pugnatura . Johannes ſcilicet Rex Majoricæ , & Eduardus Dux Valliæ . In armorum impetu , rixâ , & concertatione pugnantium ingens adeo ſtridor , ingenſque haſtarum fragor erupit , ut duos montes inſimul concuti credidiſſes . Vulnerant hi , illi vulnerantur . Tubæ , fiſtulæ , aliaque plura ejuſmodi inſtrumenta obſtrepunt. In illo conflictu hoc novum contigit . Princeps Valliæ , qui equum ſuum calcaribus incitaverat , in hoſtes admodum penetraverat . Solus ingentem ſtragem edebat . Quidam Comes , cui nomen erat Valentinus , Principem vidit , & recognovit . Magnum lucrum ſe habiturum eſſe ſperavit . Ut piſcem hunc caperet, hamum injecit . Tacitus ad eum cum equo ſuo appropinquavit , & Eduardum Valliæ Principem complexus eſt brachiis. Tum per catenulas thoracis eum tenens , dixit: *Captivus meus es* . Conſtitit autem Comes, & valide Principem ex agmine pertrahens, ipſum jam captum libere educebat . Dum taliter Comes Valentinus filium Regis Angliæ ſecum ducebat, Comes Alenconii ſupervenit , Philippi Regis frater carnalis . Videns Alenconienſis Eduardulum , qui in poteſtatem Valentini venerat , ceu pecudem abduci , irato minacique vultu hæc protulit : *Ah Comes Valentine ! Quei adeo audax fuiſti, ut conſobrinum meum captum pertraheres ?* Hæc dicens , nullam reſponſionem ſibi dari exſpectans, illico in Valentinum irruit. Clavam ferream inauratam extollens , quam manu geſtabat , Comitem ipſum in capite percuſſit , iteranſque ſucceſſive & continuo plures ictus, Valentinum ſemianimem coëgit, ut frænum equi , & catenulas thoracis Eduarduli dimitteret , qui tamdem ex equo in terram decidens interfectus occubuit . Tunc Valliæ Princeps captivitate liberatus, calcaribus ſonipedem exſtimulavit . Nimium alacer ad aciem armatorum ſuorum ſe recepit , qui manus conferere cum hoſtibus jam cœperant . Eventum iſtiuſmodi vidit Ludovicus Comes Flandrenſis, quem e Comitatu ſuo depulſum antea fuiſſe narravimus . Ludovicus enim Pariſiis ſtipendia militaria

ne ! Queſta non ene leanza , nè bontade , la quale dovete ſervare a la Corona. La guerra era venta , dove l'hai fatta perduta . *Quanno lo Conte Lancione odìo queſſo , non voize odire più . Voize la teſta de lo ſio deſtrieri , e con quella medeſima mazza tanto coipio lo Conte de Flandria vecchiarello , che lo acciſe . Ene cruda coſa , che ad queſſo ſiamo connutti , che pe dicere lo vero , e reprennere lo malo fatto , deggia homo perire . Non fo aicuno de la Compagnia de lo Conte de Flandria , tanto ardito , che ne faceſſe fiato . Solo uno deſtretto famiglio ſio domeſtico , homo da pede , de vile lennaio , bedenno tanta crudelitate , impunniao uno ſio ſtuocco , e sì lo impontao ne lo vientre a lo Conte Lancione , e sì lo paſſao oitra in parte , sì che lo Conte de Lancione traditore de ſio frate là ne lo campo morio . Queſſo famiglio , lo quale acciſe lo Conte Lancione , gìo denanti a lo Re Filippo , e diſſe , che avea muorto ſio frate pe vennetta de lo ſio Signiore , e de lo tradimento , lo quale eſſo fece . E queſſo provao pe bona teſtimonianza . Queſſo odenno lo Re Filippo , li perdonao , e de eſſo non voize vennetta .*

Mentre queſſe coſe ſe faceano, li Arcieri Engleſi deſcennevano da la coſta infra lo grano , e non finavano de iettare freccie infra la cavallaria . Stiennono le arcora , e ſaiettano de chà e de là . Onne iente pericolavano . Ne lo lato manco sfonnavano li cavalli , donne la huoſte fo moito mancata . La iente feruta dao a lo tornare . Li cavalli cado muorti . Li Engleſi ſe ſiongano . Quella vattaglia fo perduta . In tante moite vattaglie e belle coneſtavilie fo la più famoſa una innuſtria, che ſervaro li Engleſi da cavallo . Quanno bedeano lo homo loro muorto , ne remetteano uno aitro . In luoco de lo feruto remetteano lo ſano . In luoco de lo ſtanco mettevano lo fieſco . Po' commutavano , cha li cinqueciento de la ala ritta bennero a le fronti denanti . In luoco loro benea la metà de li mille, i quali ſtaveano a la terza vattaglia . E quelli denanti tornaro a li mille. E così commutavano la ala manca , e la ſchiera guardiadereto . La gruoſſa Regale ſtava ſempre fierma in ſio luogo . Non ſe fuora moſſa ſenza granne caſcione . Lo Re Ianni de Maiorica in queſſo ſtuormo non ſe morio, ma fo feruto nella faccia . Moito crudamente eſſo morio in ſio paieſe . Bolenno tornare a ſio Reamo , commatteo con ſio Cunato lo Re de Maiorica , e fo ſconfitto , e sì li fo tagliata la teſta .

Puoi

A taria a multo tempore merebat , ætate provectus , honeſtate ſpectabilis , & morum præſtantiâ celebris . Regem Philippum ejuſque gloriam multa dilectione proſequebatur. Tunc percepit Ludovicus , inteſtinam Dynaſtarum Franciæ proditionem in exercitu Gallico eſſe . Diſſimulare ulterius præconceptum dolorem ſuum nequivit , adeo ut verum non proferret . Suaviter vocem emittens , dixit : *Ah Comes Alenconii ! Sane hujuſmodi non eſt fides , obſequium , fidelitaſque , quæ tibi erga Coronam Franciæ ſunt cuſtodienda . Victoria jam potiebamur , niſi tu hanc nobis abſtuliſſes* . Alenconienſis Comes hæc audiens , nil aliud ſibi auſcultandum eſſe cenſuit. Equi ſui caput obvertens, B cum eadem clava , quam adhuc tenebat , adeo fortiter ſeneſcentem Flandrenſem Comitem vulneravit , ut eum interemerit . Proh quam durum eſt, ad id nos deveniſſe, ut ſcilicet, quòd aliquis veritatem edixerit , & perperam agentes objurgarit , vitâ periclitetur! Nullus ex ſocietate Comitis Flandrenſis adeo audax extitit, qui vel unum verbum tunc fecerit . Unus intrinſecus famulus demortui Comitis domeſticus, vir pedes , viliſque conditionis homo , tantam immanitatem conſpiciens , gladium ſuum arripuit , & in ventrem Comitis Alenconii illum impingens , eum ita confodit , ut Comes ipſe fratris ſui proditor, tunc ibi in campo moriens, exſpirarit . Hic famulus, occiſor Comitis, co- C ram Philippo Rege adveniens , confeſſus eſt , ſe manibus ſuis enecaſſe fratrem ipſius Regis , tum ut Dominum ſuum interemtum ulciſceretur , tum ut vindictam proditionis ſumeret , quam Comes tam fœde fecerat . Hæc omnia bonis teſtibus comprobavit . Id audiens Rex Philippus , interfectori famulo pepercit , nec de eodem ultionem ſuſcipere aliquomodo voluit .

Dum hæc peragebantur, arcatores Anglici e clivo in agrum ariſtarum deſcendebant, & Gallorum equitatum ſagittarum jactu impetere non ceſſabant . Arcus ſuos extendebant , & hinc atque inde ſagittas emittebant . Quoſcumque obvios ex hoſtibus feriebant , ac interimebant. D A lævo latere equos Gallorum exenterabant . Quamobrem exercitus Gallicus multum imminuebatur . Qui vulnera ſuſceperant , terga vertebant . Cæſi cadunt equi . Anglis robur accreſcit . In hoc bello Galli ſuccubuere . In tot tantiſque certaminibus & pulcris agminum motibus ac ordinibus , notabiliori ſagacitate uſi fuerunt Anglici equites . Quum pugnatorem ſuum cadere cernebant , alterum protinus ſubrogabant . In locum ſauciati ſanum & adhuc illæſum promte ſubſtituebant. Feſſo robuſtus illico ſuccedebat. Exinde agmina pugnantium immutabant hoc ordine . Quingenti alæ dexteræ , ad frontes anteriores bellaturi , accurrebant. In horum locum adveniebant quin- E genti ex millibus , qui in tertia acie collocati erant . Hiſce quingentis laſſatis , illi, qui jam receſſerant , ſubſtituti denuo redibant . Parem in modum alam ſiniſtram redintegrabant , ac tali methodo agmen , quod ad ultimam cuſtodiam retro poſuerant , innovabant . Numeroſa regalis acies in ſuo loco firmiter continuo conſiſtebat . Loco non ſine urgenti ratione moviſſet . Rex Johannes Majoricæ in hoc conflictu mortem non oppetiit, ſed vulnus in facie tulit. Crudeliter admodum Rex ipſe in regione ſua occiſus obiit . Quum ad Regnum ſuum vellet reverti , cum ſororio ſuo Rege Majoricæ pugnavit , a quo profligatus eſt , & capite obtruncatus periit.

Poſt-

Puoi che queſſe vattaglie fuoro infugate, lo Re de Boemia domannao a li ſuoi a quale partito ſtava lo campo. Reſpuoſto li fo, che ne lo campo non era remaſto perzona bivente aitra che eſſo ſolo con ſoa iente. Tutti Franceſchi erano attriti. Li Ingleſi ſtaevano fuorti e rigidi e fiermi co lo loro Stennardo ritto levato. Allhora lo Re de Boemia commannao, che ſi apparecchiaſſino a ferire doi granniſſimi Baroni, li quali erano ſoi Collaterali. Diſſero così: Che vuoi fare tu? Tutta iente Franceſca ene sbarrata. Li Engleſi ſtaco fuorti. Noa non ſemo ſaiza. A tanta iente ene paſcia lo gire. *Reſpuſe lo Re:* Dunqua voa non ſite li figli de quelli doi miei amici, li quali fuoro li più prodi che fuſſino in la Alamagnia? *Reſpuzero li doi Baroni:* Prodezze non beſuognano, cha noa non temiamo cobelle appo li nemici. *Reſpuſe lo Re:* Io boglio, che ne giamo. Iamo ad morire ad honore. *Diſſero li Conti:* Che guadagni tu della tua muorte e della nuoſtra? *Reſpuſe lo Re:* Pe bona fede queſſo che dico, io lo dico, perchè me credo pugnare pe la veritate. *Ad queſſo li doi Baroni fuoro conventi. Como pecorelle, abbaſſaro le loro boci, e diſſero:* Re, fa ciò che a te piace! *Allhora lo Re fece benire avanti ad ſe aiquanti Baioli, li quali erano li maiuri de Luzoinborgo e de lo Reamo de Boemia. E sì li comannao, che a lo ſio figlio Carlo fuſſino obedienti, como a la perzona ſoa, e che lo doveſſino honorare, como Re e Signiore. Anco li comannao, che lo ſaivaſſino fora da lo ſtuormo. Po' comannao a li Conti, li quali erano ne le fronti denanti, che ſe metteſſino tanto inanti e drento fra li Ingleſi, che ſe faceſſi meſtieri lo tornare, non ſe poteſſi. Po' incatenaoſe in mieſo de li doi Baroni ſopradicti, e legaro le catene de le corazze, perchè fuſſi ad loro communa una muorte, e uno honore.*

A Poſtquam agmina Gallorum diſrupta & in fugam converſa fuerunt, Rex Bohemiæ a ſuis quæſivit, quomodo exercitus Gallicus ſe haberet. Reſponderunt ei, in campo neminem remanſiſſe præterquam eumdem Regem cum ſuis Germanis militibus. Galli omnes contriti jam erant. Angli cum eorum Vexillo erecto, fortiter, audacter, ac firmiter in campo perſtabant. Tunc Rex Bohemiæ præcepit duobus nobilioribus ſuis Dynaſtis, conſanguinitate ſibi conjunctis, ut ad certamen ineundum ſe diſponerent. Illi autem dixerunt Regi: *Quid acturus es? Gallorum acies omnino fuſæ ac diſperſæ abierant. Angli campum viriliter modò obtinent. Putaſne, nos, ceu Lucanicam vel ſaginam, in fruſtula comminuendos, conterendoſque eſſe? Adversùs tantas hoſtium acies progredi ſtultum erit.* Tum Rex reſpondit: *Vos igitur filii non eſtis duorum quondam amicorum meorum, qui generoſi ſupra ceteros dudum fuere, tunc in Alamannia degentes?* Dynaſtæ illi addidere: *Nobis haud opus eſt, fortitudinis noſtræ experimentum heic facere. Ceteroquin nihil de hoſtibus pertimeſcimus.* Subjunxit Rex: *Volo utique, ut contra Anglos incedamus. Eamus, mortem cum honore nobis quæſituri.* Repoſuerunt Comites: *Quodnam lucrum de morte tua noſtraque tibi obventurum eſſe exiſtimas?* Rex inquit: *Ædepol id quod nunc dico, aſſero, quum certò credam me pro veritate decertare.* His auditis duo Dynaſtæ illi Regi conſenſerunt. Ceu pecudes, ſubmiſſa voce locuti dixere: *Quod tibi lubet, exſequere.* Tunc Rex ad ſe advocavit quoſdam Balivos, ex majoribus Lucemburgenſis Ducatus, & Regni Bohemici. Ipſis præcepit, ut filio ſuo Carolo, tamquam ſibi, obedirent, utque Carolum eumdem ceu Regem ac Dominum ſuum colerent. Balivis inſuper injunxit, ut filium Carolum e certamine illæſum ſalvumque deducerent. Poſtmodum Comitibus, qui in anterioribus agminum frontibus erant, imperavit, ut adeo penetrarent, impeterent, ac irrumperent in Anglorum acies, ut, etiamſi opus fuiſſet regredi, attamen pedem referre nullatenus poſſent. Denique in medio duorum Dynaſtarum, catenis invicem colligatis, ſe ſe conſtrinxit cum illis, & catenas thoracum inſimul conjunxerunt, ut communem obitum, communemque honorem ſortirentur.

La prima ſchiera fo mille Todiſchi de Luzoinborgo, iente da bene, Boemii, e gentili homini de Praga. Po' eſſi ſequitavano quattro milia Franceſchi, Borgognioni, e Piccardi. Sio figlio Carlo ſe ſervaro de reto. Allhora ſonaro le tromme e le cornamuſe da parte in parte. Allhora abbaſſaro le haſte, e ſperonaro li deſtrieri. Allhora ſe feriro ſenza miſericordia. Li Engleſi ſervarono doi vitioſe innuſtrie e aſtutie. La prima fo, che li cinquecciento cavalieri refieſcaro co li mille de reto. La ſecunna, che le doi ale de li cinquecciento fecero allargare, e prennere campo a deſtra e a ſiniſtra, accoſtannoſe a la frontiera da coſta. Quanno li Todiſchi ſe fuoro adduoſſo co li Engleſi ne le prime frontiere, allhora le ali, le quali haveano preſo campo, feriro da li lati de coſta de ciaſche parte. E lo Re de Boemia fo attorniato denanti, da lato, e da coſtato. Lo cavallo de lo Re cadde. Lo Re tramazzò, e fo muorto da li cavalli de li doi Baroni ad lato de eſſo. Cadde in prima Miſſore Haum de lo Torniello, uno nuobbele Cavalieri Franceſco, lo quale portava la Banniera de lo Re. Queſſo fo quaſi de li pri-

Primum agmen fuit mille Germanorum Lucemburgenſium, proborum hominum, Bohemorum, & patritiorum Pragenſium. Hos ſubſequuta perrexerunt quatuor millia Gallorum, Burgundionum, & Picardorum. Filium ſuum Carolum Rex Bohemiæ retro poſuit, ut ſervaretur. Tunc tubæ & fiſtulæ hinc inde ſonitum dederunt. Tunc haſtas demiſerunt, & calcaribus equos adegerunt. Tunc immiſericorditer utrinque vulnerando pugnatum fuit. Angli aſtutiâ & calliditate duos hoſce modos adhibuere. Primo enim quingentos equites cum mille, quos retro collocaverant, renovarunt. Secundo duas alas quingentorum equitum dilatari fecerunt, & ad dexteram & ſiniſtram campum occupare, ut hoſtiles Gallorum acies a latere impeterent. Quum Germani cum Anglis in primis agminibus manus conſeruerunt, tunc Anglorum alæ, quæ jam dilatatæ campum occupaverant, Germanos ex utroque latere vulnerarunt. Rex Bohemiæ ante, ad terga, & ad latus circumdatus ab hoſtibus fuit. Regis equus tunc decidit. Equo disjectus Rex, proculcatione equorum Dynaſtarum duorum, qui ad

primi co lo Re ſcavaicato e muorto . Li mille Todiſchi non diero le ſpalle . Anco fecero bona reſiſtentia , dato che non haveſſino nè Re nè Confalono . Moiti Engleſi moriero . A la fine la ſchiera de lo Re de Boemia fo attrita , como ſe trita poca ſaiza da granne piſtello . Stava Carlo figlio de lo Re Ianni de longa aiquanto . Quanno inteſe , ſio patre eſſere muorto e ſconfitto, non poteo tenere le lacrime. In tanto parlao e diſſe : Moramo con eſſo . *Là movea ſoe banniere pe gire . Lo ſio gire era temerario , ſenza utile , cha li Engleſi ſtavano più fuorti che mai . Ira , triſtitia, e furore lo menavano. Allhora li ſoi Baroni li fuoro 'ntorno , e preſero lo cavallo pe lo freno , e li voitaro la teſta in ver di Pariſci , e ſe lo ſtraſcinaro ad malo ſio talento ſi' in Pariſci , e là ſe poſao. Laſſaoſe fare doice forza , e fece lo meglio , e muſtrao lo animo de bolere fare. Hora non ene chi tenga campo pe lo Re de Francia . Lo campo remaſe a li Engleſi . Non ſe diero a la ruba. Anco fecero una coſa moito notabbele . Bene da tre dii po' la ſconfitta non ſe traſſero arma da duoſſo . Non deſceſero da cavallo . Non ſe partio lo Stennardo Regale da campo . Non ſe moſſe aicuno da la vardia . Po' bidero, che homo nullo contradiceva . Le locora erano ſecure de aguaito . Allhora una parte ordinata ſe deo a la ruberia , a lo arneſe guadagniato, a ſpogliare le corpora muorte . Ecco quella nuobbeliſſima ſconfitta fatta in Francia a la Villa de Creſcì . Seſſanta milia homini muorti in campo . Moiti fuoro li preſunieri. Fuoro muorti lo Re de Boemia Capitanio ienerale de la huoſte , lo Conte de Lancione de Valoiſe , Aloiſci Conte de Flandria, & aitri Baroni aſſai. Mille e cinquecciento para de ſperoni de aoro ſe trovaro li Engleſi guadagniati , ſenza aitri moiti , e treciento Banniere preſe ne la rotta . Li mille Todiſchi ne fuoro portati in Pariſci con carrette . La maiure parte de lo cuorpo de lo Re de Boemia fo portata . Granne parte ne era guaſtata . Queſſe corpora ne iero nude da lo campo a Pariſci a la ſepultura. L'aitra iente non fo coita allhora. Anco demorao dii quatro in piana terra ad ſpettacolo de onne iente .*

Po' queſſo li Engleſi coizero lo campo , e tutto loro arneſe aſſettaro ne le carrette , e fatta ordenata Compagnia non demorao più . Vanno e tornano a reto . Loro cammino fo a Cales lo fuorte Caſtiello canto la marina per aſſediarlo . Caleſani ſtaevano perfidi , e fedeli a lo Re de Francia . Peſcatori ſoco , cha ſtaco canto mare. Mala iente , e derobatori de mare . Quanta iente paſſava pe mare de Engilterra in Francia, tanta robavano . Allhora lo Re Adoardo là ne gio , & aſſediao quello Caſtiello de Caleſi meſi tredici pe mare e pe terra. Pe mare habe navi ,

che

A ad latera Regis ſtabant, protritus, interfectuſque obiit . In primis cecidit Dominus Haum de Tornello , nobilis Gallicus Miles , qui Vexillum Regis deferebat Hic primus fere ex illis extitit, qui cum Rege ex equis disjecti ac interemti occubuerunt . Mille Germani terga minime verterunt ; quin immo fortiter obſtitere , licèt Rege Vexilloque deſtituerentur . Quamplures Angli interiere . Demum agmen Regis Bohemiæ attritum ac diſperſum periit , quemadmodum a magno piſtillo modica ſaginæ vel Lucanicæ quantitas conteritur . Carolus filius Johannis Regis Bohemiæ aliquantulum , dum ea agebantur , diſtabat . Quum verò reſcivit , patrem ſuum profligatum ſuccubuiſſe,
B lacrymis temperare nequivit Interim hæc pauca loquutus dixit : *Mortem oppetamus & nos cum ipſo* . Vexilla Caroli jam movebantur, ut illuc, ubi Rex fato ceſſerat, procederent . At Caroli inceſſus inconſultus nimium & inutilis erat ; nam Angli fortiores quam antea perſiſtebant . Irâ , triſtitiâ , & furore Carolus adducebatur . Tunc Dynaſtæ Carolum circumvenerunt , arripienteſque equi frænum , equi caput versùs Pariſiorum Urbem flexere , & reluctantem Carolum denique ad eam Civitatem perduxerunt . Ibi ſubſtitit ille , qui quidem dulciter cogi ſe a Dynaſtis ſuis permiſerat , ſanius conſilium amplexus , ut voluntatem agendi ſaltem perhiberet . Nunc nullus pro Rege
C Franciæ campum vel locum ſervat . Gallorum caſtra Angli occuparunt . Ii ſpoliis & rapinis faciendis minime ſe dederunt . Quidpiam inſuper laude dignum fecere . Triduo poſt cladem hoſtibus illatam arma non depoſuerunt . Ex equis non deſcenderunt . Loco non moverunt regale Vexillum . Nullus Anglorum a cuſtodia ſibi commiſſa receſſit . Inde cognoverunt, neminem amplius ſibi ipſis opponi. Loca enim ab inſidiis tuta erant . Tunc Anglorum pars quædam prædis ſe adjecit , exſpoliandis mortuorum cadaveribus , & ſupellectili hoſtili, quam fuerant lucrati , colligendæ . Hujuſmodi fuit nobiliſſima clades illa , quæ contigit in Gallia ad Oppidum Creſciaci . Sexaginta millia
D virorum in campo cæſa periere . Quamplurimi in captivitatem abducti iverunt . Rex Bohemiæ Imperator exercitus Gallorum , Comes Alenconii de Valois , Ludovicus Comes Flandriæ, permultique alii primores ac Dynaſtæ interfecti fuerunt . Mille quingenta paria calcarium aureorum Angli lucrati ſunt abſque multis aliis ſpoliis . Trecenta Vexilla in illo conflictu cepere . Mille Germanorum cadavera curribus impoſita Pariſios advecta fuerunt . Corporis Regis Bohemiæ major pars delata fuit . At ex magna parte deformatum erat ejus cadaver . Corpora illa mortuorum denudata a caſtris ad ſepulturam Pariſios deportata fuere . Reliqua profligati exercitus multitudo , tunc
E minime recollecta , in campo jacuit quatriduo, humi proſtrata ad ſpectaculum omnium.

Poſt hæc Angli agmina ſua collegerunt , & omnia utenſilia ſua curribus impoſuerunt , diſpoſitiſque aciebus moram amplius protrahere noluerunt . Iter ſuſcipientes , retrogrediuntur. Caletum , ad forte Caſtrum ſecus maritimam , obſeſſuri perrexere . Caletani gens perfida erant . Fidem obſequiumque erga Philippum Regem Franciæ cuſtodiebant . Piſcatores ſunt, quia pone litora maris morantur. At mali moris homines , maris piratas agunt . Quotquot mare trajiciebant ab Anglia in Franciam venientes, exſpoliabant, ac deprædabantur. Tunc

Rex

che guardavano li paſſi, che non poteſſino havere nè entrata nè ieſſuta. Pe terra eſſo sì lo aſſediava. E fece uno foſſato terribbele da ſi a lo Caſtiello. Po' circonnao la huoſte ſoa con uno aitro foſſato granniſſimo, e con taole lo armao, perchè nullo poteſſi offennere ſoa iente. Hora ſtao lo aſſedio. Hora ietta macine e palle de piommo ſu ne le puorte. Tutte le infrange, tutte le ſcommove. Ietta prete de travocco. Non fina notte e die. Ietta fuoco ne la Terra. Bombarde, Spingarde, & aitre horribbeli coſe da pericolare lo Caſtiello e li havitatori. Caleſani fuorte ſe deffenneano. Anco eſſi haveano travocchi e tormenti da commattere. Terra iettavano in mare. In terra, come fao la Spinoſa, deffenneanoſe. Una piommata ieſcio de Caleſe, e coize una nave granne e bona. Sfonnaola, e sì la fonnao in mare. Ià mancata era la vidanna ne lo Caſtiello, & anco ne lo huoſte. Quelli non ſe boleano rennere. Queſſi non ſe moveano da lo aſſedio. La fame era granne. Ià Caleſani haveano comenzato a iettare le ſuorti, che uno manicaſſi lo aitro. Ne la huoſte comenzava la iente povera a manicare li cavalli. Caleſani coſtretti pe la fame, co la licentia de Adoardo, mannaro lettere a lo Re, che ſuccurreſſi. Lo Re de Francia cavaicao con dodici milia perzone. Era tornato ſio figlio Ianni Duca de Normannia.

Quanno la huoſte de lo Re ſe approſſimao ad Caleſe, trovanno la huoſte de lo Re Adoardo fuorte curata sì de foſſati sì de taolati, non può paſſare, non ſe può accoſtare pe le moite freccie. Allhora lo Re Filippo mannao per Adoardo, che ieſciſſe fora a lo campo a la vattaglia. Reſpuze Adoardo: Io ieſciraio fora a la mea petitione non a la toa. *Reſpuze lo Re Filippo:* Granne vergogna ene. Io ſtò in campo. Tu non ſe' ardito ieſcire fora a la vattaglia. *Reſpuſe Adoardo:* Vergogna non ene, cha io non ſtone indarno. Lo mio ſtare non ene ſenza utile. Io intenno mò ſopra Caleſe. Lo primo die, che la opera de Caleſe ene fornita, io ieſciraio fora a lo campo. *Reſpuze lo Re Filippo:* Caleſe io ti dono. Non laſſare per ciò che da me tu ſia. *Reſpuze Adoardo:* Non beſuogna, che tu me lo doni, cha quello, che io mi guadagno co la ſpata in mano, non beſuogna, che mi ſia donato. *Allhora lo Re Filippo non potenno paſſare, deo licentia a' Caleſani, che provvedeſſino ad onne loro fatto e ſalute. Deo la voita in reto, e tornao in Pariſci. La fame conzumava Caleſani. Caleſani domannaro mercede a lo Re de Engilterra. Diceva lo Re:* Como haveraco mercede, che me haco fatto deſpennere tutto mio ariento? *Le puorte fuoro opierte. Lo Re boleva tutti Caleſani accidere. Ma pe le pregarie inſtantiſſime de la Reina e de aiquanti Maſtri de Theologia, lo Re li perdonao. Ieſciro Caleſani da Caleſe con una gonnella per homo. Aitro nò. Caleſe con aoro, arien-*

A Rex Eduardus Caletum proceſſit, atque illud Caſtrum terrâ marique tredecim menſium ſpatio obſedit. In mari naves habuit, ad paſſuum cuſtodiam, ut Caletanis ingreſſum exitumque per mare intercluderet. Terrâ illos item obſidione arcta premebat. A loco, ubi Eduardus cum exercitu ſuo pedem fixerat, uſque ad Caſtrum amplam & enormem foveam extruxerat. Poſtmodum agmina ſua circummunierat aliâ ingenti nimium foveâ, quam ligneis tabulis armavit, ut hoſtium nemo militum ſuorum acies lædere valeret. Hinc obſidio inchoatur. Hinc ſaxeas molas, plumbeaſque pilas & globos adversùs portas Caſtri injiciunt Angli, eaſque omnes perrumpunt ac

B quaſſant. Saxa e militaribus machinis, quæ vulgo appellantur Trabucchi, emittunt. Die noctuque non deſiſtunt. Ignem in Caletum immittunt. Bellicis tormentis, quæ *Bombardas* & *Spingardas* vulgus nominat, aliiſque terribilibus ingeniis Caſtrum & incolas impetunt. Caletani viriliter ſe defendebant. Etiam ipſis erant baliſtarum tormenta ad projicienda ſaxa, aliaque inſtrumenta bello opportuna. Terram in mare mittebant. In continenti, ceu Hiſtrices, operabantur. Ictus plumbeæ pilæ e Caleto emiſſus, ingentem navem, & bene compactam percuſſit, quæ immaniter perforata & in fundo perrupta, in mare ſubmerſa periit. Jam victualia in Caſtro defecerant, nec non & in obſidentium exercitu. Obſeſſi deditionem

C renuebant. Oppugnatores ab obſidione non removebantur. Fames utroſque fortiter urgebat. Caletani ſortes poſuerant, ut reparandæ fami unus alterum comederet. Anglorum vulgus in exercitu equorum carnibus veſci cœperat. Caletani fame adſtricti, Eduardi veniâ, literas ad Francorum Regem miſerunt, ut ipſis promte opitularetur. Rex Philippus cum duodecim millibus militum equitavit. Johannes Dux Normanniæ filius ejus jam redierat, & patri ſe conjunxerat.

Quum exercitus Gallorum cum Rege Caletum appropinquavit, Anglos hoſtes accuratetum foveis, tum tabulatis munitos ac vallatos

D invenit. Ob id ultra progredi, & Caſtro Caletano accedere nequivit, impedientibus præſertim ſpiſſis ſagittarum hoſtilium imbribus. Tunc Rex Philippus nuntium Eduardo Regi miſit, ut e caſtris ad certamen in apertum campum pugnaturus proſiliret. Reſpondit Eduardus: *Quum mihi, non tibi, libuerit, e caſtris egrediar.* Addidit Philippus: *Summo probro hoc tibi eſt. Ego nunc in campo decertare paratus conſiſto. Tu ad pugnam mecum ineundam erumpere non audes.* Subdidit Anglus: *Haud me pudet ſic agere, quum otioſus & iners heic nullo modo perſiſtam. Abſque fructu heic non immoror. Adversùs Caletum nunc vires, animumque promoveo. Quandocumque Caleti opus,*

E *quod ſuſcepi, fuero exſequutus, foras ad te in campum certò veniam.* Subjunxit Gallus: *Caletum tibi dono. Quare ne omitte, quin tu ad me huc te conferas.* Repoſuit Eduardus: *Haud mihi opus eſt, ut Caletum dones; nam quod exerto enſe obtineo, haud condecet, ut a quoquam mihi dono detur.* Tunc Philippus ad Caletanos tranſire non valens, illis permiſit, ut ſaluti propriæ, ceterarumque rerum ſecuritati conſulerent. Itaque Rex idem Franciæ retroceſſit, & ad Pariſiorum Urbem remeavit. Fame conſumebantur Caletani. Hi veniam & clementiam Regi Angliæ ſupplicarunt. Ajebat Rex: *Quei parcam illis, qui ut immenſam omnem pecu-*

ariento, panni, e animali remaſe a li Engleſi. Quello Caſtiello fo empito de Engleſi. Bene ſerve a la Corona de Engelterra fi' a lo die de mò.

CAPITOLO DECIMOQUINTO.

De lo granniſſimo Diluvio, e piena de acqua de lo Fiume Tevere.

Correvano Anni Domini MCCCXLV. ne lo Pontificato de Papa Chimento Seſto. Ne la Cittate de Roma crebbe lo fiume, lo quale ſe dice Tevere, e fo per lo ſuo creſcere de acqua uno diluvio mortifero e maraviglioſo in tal muodo, che pochi, anzi nulli ſe arricordaſſino eſſere ſimile ſtato. Tutta la eſtate paſſata opierze Dio la cataratta de lo Cielo, e mannao acqua ſpeſſa e foita, non granne. Ma po' nell' Autunno, recoite le uve, comenzanno da la feſta de Omnia Santi, parze, che le fontane de lo aviſſo fuſſino opierte pe vomitare acqua. Allhora comenzao lo Tevere a creſciere, e non decreſceva niente. E ne li dii fra Onnia Santi, forſe de dii otto, durao lo creſciere de le acque, le quali terribbelmente ieſcivano li uſati termini de lo lietto de lo ſuo canale. Allhora empìo tutta la pianura, la quale iace 'ntorno a la Cittate de Roma. Po' la maiure parte drento e fora de Roma. Maraviglia ene, e coſa mai non odita da' Romani. Tutta la pianura de Roma notava. Solo li Sette Colli ſe pareano non occupati da la acqua. Queſſi foco li termini e li confini de tale diluvio in Roma. E dico brevemente. In prima, Piazza di Santa Maria Rotonna era tutta piena, che per nulla via per eſſa ſe poteva gire nè a pede nè a cavallo. Anco ne la Piazza de Santo Agnilo Peſcivennolo benne l'acqua fi' a la Contrada de li Judei, la quale vao a la Piazza de li Judei d'apprieſſo a lo Arco, lo quale vao a la Piazza de li Savielli. Anco in Colonna pervenne l'acqua fi' a lo Folſeraco, lo quale ſtao a Santo Andrea de Colonna, dove ſtao la granne Colonna. Anco Puorta de lo Puopolo notava per tale via, che pe nulla via ad eſſa ſi potea annare. Item lo Campo de la Auguſta. Item a Santo Trifo eſuberao fi' a lo Aitare e Tempio de la Chieſa. Anco entrao lo Monaſtero e la Chieſa de le Monache de Santo Silveſtro de lo Capo. E chi voize gire a le Donne, gio co la ſollamella. Item intrao lo Monaſtero de Santo Giacomo de Settignano pe la via de Treſtevere in tale muodo, che tutto lo luoco e la Chieſa notava nell' acqua, & occupao tutto lo luoco co lo Aitare. Anco parea a quelli che ſtavano ne lo Monte de Santo Brancazio, che da pede foſſi uno Laco terribbele, in mieſo de lo quale parèva ſtare quello Moniſterio. Anco occupao li confini e la Chieſa de Santo Paolo Maiure, le vigne, e le ſeminata, e li campi co lo ſeminato. Anco occupao tutte le vigne de lo territorio de Puorta de Santo Paolo, lo quale hao nome Oſtienſe. Anco tutte le vigne in Puorta Santo Pietro.

 Bre-

A cuniam meam erogarem ac impenderem, me cogerunt? Tunc Caleti portæ apertæ patuerunt. Caletanos quoslibet neci tradere Anglicus Rex propoſuerat. Verùm efficaciſſimis precibus Reginæ conjugis, & ſupplicationibus quorumdam Magiſtrorum Theologiæ, Caletanis Eduardus pepercit. Caletani ex Civitate exierunt, unâ tunicâ contecti. Nullum aliud indumentum, nullamque aliam rem ſecum detulerunt. Angli Caletum obtinuere, auro, argento, pannis, & equis refertum. Caſtrum illud multis Anglorum aciebus munitum fuit. Uſque adhuc Regno Anglico probe ſubeſt.

CAP. XV.

B

De maximo diluvio, & inundatione aquarum fluminis Tiberis.

Currebat Annus Domini Milleſimus Trecenteſimus Quadrageſimus Quintus, ſub Pontificatu Clementis Papæ VI. In Urbe Roma crevit Flumen Tiberis, ex cujus aquarum augmento factum fuit mortiferum ac ſtupendum diluvium, ita ut pauci, immo fere nulli tunc temporis, conſimile retroactis temporibus contigiſſe recordarentur. Præteritâ æſtate totâ cataractas cœlorum aperuerat Deus, & ſpiſſam ac denſam, non magnam, immiſerat aquam. At ſuccedente autumno, poſt uvarum vindemias,
C
a feſto die Omnium Sanctorum pluvia cœpit ingruere, adeo ut fontes abyſſuum recluſos patuiſſe ad evomendam enormem aquæ copiam, unuſquiſque exiſtimaret. Tunc Tiberis auctus nimium intumuit, & nullatenus decreſcebat. Totâ fere Sanctorum Omnium Octavâ incrementum aquarum perduravit, quæ ex propriis conſuetis canalibus alveiſque impetuosâ eruptione exceſſerunt. Tunc aquis repletam vidimus univerſam planitiem, circum Romanæ Civitati adjacentem. Poſtmodum major pars, nedum intus ſed & extra Romam, aquis oppleta fuit. Mirum profecto, nec a quopiam Romanorum umquam auditum. Totam Urbis planitiem aquæ cooperuerant. Septem Colles
D
tantum ab aqua minime occupati remanebant. Hujuſmodi inundationis limites ac fines nunc deſcribam. Dicam paucis. Primo Forum Sanctæ Mariæ Rotundæ, per quod quiſquam nullo modo pedes ſeu eques poterat incedere, aqua ubique replevit. Inſuper aquis contectum fuit Sancti Angeli Piſcivenduli Forum uſque ad vicum Judæorum, ducentem ad eorumdem Forum juxta Arcum, per quem itur ad Forum Sabellorum. Præterea in Columna aquæ pervenerunt uſque ad Folſeracum, conjacens Sancto Andreæ de Columna, ubi ingens Columna viſitur. Portam Populi aquæ inſuper inundaverunt, ut per eam nemo ulla ratione poſſet introire. Item in Campum Auguſtæ perva-
E
lerunt, & ad Sanctum Triphonem tantâ exuberantiâ proceſſere, ut in Templum & Eccleſiam ingreſſæ, ad Altare uſque conſcenderent. Ulterius Eccleſiam & Monaſterium Monialium Sancti Silveſtri de Capite invaſerunt. Qui pergere ad ſacras illas virgines voluere, cum naviculâ illuc ſe contulerunt. Per viam Transtiberis aggreſſæ ſunt aquæ Monaſterium Sancti Jacobi de Septiniano, ita ut is locus atque Eccleſia in undis enatarent, & univerſus locus una cum Altari aquis contegeretur. Obtutibus illorum, qui Montem Sancti Brancatii incolebant, ingens lacus in planitie apparebat, in cujus medio Monaſterium illud aquis obrutum

 cer-

Brevemente onne pianura, la quale iace canto lo fiume. Concioſia coſa che tanta abunnantia de acqua occupaſſi tutto lo ſpatio de Santo Spirito, e la Piazza de lo Caſtiello, e le Caſe de Puortica, intrao la Puorta de lo Ponte, la quale ene de lenno. Anco l'onna dell'acqua, la quale beniva pe la Puorta de Città Leonina, canto lo Caſtiello, in primamente ſe commatteo coll'onna, la quale beniva da Santo Spirito. Dapo' perchè pareva uno Laco, lo luoco non ſe potea paſſare ſe non co la ſollanella. Quanno giva lo homo a Ponte pe la ſtrata ritta de li Vaiani, ſe giva ne la acqua fi' a li guazzanni de lo cavallo. Queſſa ſoperchia acqua conzumao e deſocao tutte le viti e li ſeminati, che trovao. E ſemenao le Vigne de creta. E ſcarporio li arvori da radice. E deo pe terra muri e caſe. Affocao veſtiame. Danneiao lo territorio de Roma pe più de doiciento milia Scudi. Anco ruppe le catene a li ingniegni de li Mulinari, e menaone da cinque bone mole, le quali conduſſe a lo mare. Allhora fuoro le mole perdute, altre mole deslocate, recuperate a granne pena. Anco pe la acqua benevano arvori, nave, mole, taole, animali, caſe, le quali violentemente havea tratto lo fiume dell'acqua. Parte di queſſe coſe ſi prennevano, parte ne erano portate a lo mare. Anco porte, banche, votti piene di vino. E fo chi preſe le votti piene di vino, e fo tale, che preſe la caſſa, ne la quale era pecunia. E fo chi bide, che pe lo Fiume notava una caſa de lenno de taole, ne la quale fo odito uno guarzone, che ſtava ne la culla e vagiva. Queſſe coſe & anco innumerabbeli furava lo collo de la acqua, e menao vovi collo aratro e colla gomera. Granne tiempo piobbe. Granne tiempo lo Tevere ſtette enfiato. Po' comenzao a creſciere. Cinque dii durao la piena. Fi' a lo quinto die crebbe. Lo ſeſto die ſtette. Non fece inanti. Lo ſettimo diſcrebbe, e tornao a lo ſuo lietto uſato. Piſcatanti, uno Macellaro de Roma, havea uno tronco vranco di Caſtrati in una caſa canto lo fiume. Cacciaoli in una caſa tanto diſcoſto, che li parea impoſſibbele, che lo Fiume entraſſi in quella. La notte crebbe lo Fiume, e ſteſeſe tanto, che occupao quella caſa. Piſcatanti quanno giò lo dimani, trovao la caſa piena de acqua, e li Caſtrati affocati notavano. Ne la Cittate de Fiorenza, Anno Domini MCCCXLV. de lo meſe de Novembrio a li dii quattro pe lo granne diluvio fo poco meno ſommerza la Cittate de Fiorenza. Lo Ponte fo pe terra. Li forni guaſti. Lì non ſi poteo cocere lo pane granne tiempo. Li pozzi ſe empiero de acqua. Creſcette lo fiume. L'acqua crebbe. Mancanno lo fiume, l'acqua mancava.

cernebatur. Confinia & Eccleſiam Sancti Pauli Majoris, vineas, agros, campoſque cum ſatis, eædem aquæ ſubegerunt. Aquis inundantibus ceſſere omnes vineæ agri Portæ Sancti Pauli, quæ Oſtienſis nuncupatur, & cunctæ vineæ in Porta Sancti Petri.

Paucis verbis. Univerſa planities, flumini adjacens, aquis obruta eſt, quæ, quum ex earum copia ſpatium omne Sancti Spiritus, Forum Caſtelli, & Domos Porticus occupaſſent, Portam ligneam Pontis ſuperantes introierunt. Hinc aquarum undæ per Portam Civitatis Leoninæ ſecus Caſtellum venientes obſiſtebant aquis, quæ a Sancto Spiritu defluentes decurrebant. Itaque ceu unico lacu effecto, nulli ſuppetebat permeandi facultas, niſi cum navicula. Ii autem, qui recto tramite Vajanorum ibant ad Pontem, per aquam uſque ad equi femora pergebant. Ex hacce aquarum ſuperfluitate, omnes vites & ſata, quæ ibi exſtiterunt, ſubmerſa, conſumta, avulſaque periere. Vineæ cretâ limoque ſuperinducto coopertæ, arbores radicitus exſtirpatæ, muri ac domus ad terram disjectæ, animalia & armenta ſuffocata defecerunt. Romanus ager ex hujuſmodi diluvio jacturam pluſquam ducentorum millium Aureorum pertulit. Aquarum impetus catenas a Molitoribus artificioſe compactas perfregit. Uſque ad mare quinque validas molas aqua adduxit. Molarum aliæ deperditæ, aliæ loco disjectæ, ſumma cum difficultate vix tamdem fuerunt recuperatæ. Innatantes aquis venire vidiſſes arbores, naves, molendina, tabulata, animalia, & domos; quæ omnia violenter exportans fluminis aqua abripuerat, una cum januis, ſcamnis, tabulis, doliiſque vino plenis. Aliquibus datum eſt, dolia ipſa cum vino ex aquis poſſe extrahere. Nonnullis contigit, ut capſulam, in qua pecunia repoſita fuerat, reciperent. Quidam domunculam ligneo tabulato conſtructam enatare conſpexerunt, puerumque in ea incluſum vagientem in cuna audierunt. Hæc omnia, atque alia innumerabilia intumeſcentium aquarum exceſſus ſuffurabatur. Boves cum aratris ac vomeribus abſtractos rapide avehebat. Multis diebus pluit. Diu Tiberis turgidus conſtitit. Deinceps augeri cœpit. Aquarum exuberantia quinque diebus continuis creſcendo perduravit. Die ſexta ſubſtitit, nec ultra adaucta fuit. Septimo decrevit, aquis ad conſuetum alveum redeuntibus. Quidam ex lanionibus Romæ, Piſcatantes nomine, in quadam domo juxta flumen gregem caſtratorum arietum habens, eos removit, & in alia domo collocavit, a flumine adeo longe diſſita, ut ſibi tunc impoſſibile viſum fuerit, fluminis aquam ad domum eamdem fore perventuram. Noctu flumen ita excrevit, ac ſe ſe adeo dilatavit, ut domum illam intrarit. Sequenti mane Piſcatantes gregem inviſurus domum repetens, ipſum aquis ſubactum nedum invenit, ſed & caſtratos arietes ſuffocatos aquæ innatare vidit. In Urbe Florentina eodem Anno Domini Milleſimo Trecenteſimo Quadrageſimo Quinto, menſe Novembri, die quarta, ob ingens diluvium, parum abfuit, quin Civitas eadem ſubmergeretur. Tunc Pons ad ſolum disjectus corruit. Furni perrupti, in quibus poſtea per longi temporis ſpatium panis coqui non potuit, & putei aqua repleti fuere. Adaucto flumine Arni, aqua excrevit. Decreſcente Arno, aqua defecit.

CAPITOLO DECIMOSESTO.

De la Galea ſorrenata, e derobata in Piaia de Roma.


Nicolaus in Capitolio Leges pro bona adminiſtratione Urbis adimplendas promulgat . Ob id a Populo Dominus cum omnimoda Imperii poteſtate conclamatur . Ipſe in Capitolio una cum Pontificis Vicario moram trahit.

Poſtmodum Nicolaus Laurentii Chartam , in qua Leges pro bono Urbis regimine deſcriptæ fuerant , legendam publice tradidit Comiti filio Franciſci Mancini, qui eam breviter perlegens , hæc præſertim Capitula publicavit . Primo : quicumque alium interfecerit, nullâ exceptione habitâ occidatur . Secundo : Lites ne producantur, ſed infra quindecim dies judicio dirimantur . Tertio : Nulla domus Romæ quacumque ex cauſa ad ſolum disjiciatur , ſed Communi adjudicetur . Quarto : In qualibet Regione habeantur centum pedites , & viginti quinque equites ad ſtipendia Reipublicæ. Ipſis autem ſigillatim præbeatur clypeus valoris quinque Carolinorum argenteorum , & condecens ſtipendium deſtinetur . Quinto : Orfanis, ac Viduis Camera Communis opituletur. Sexto: In paludibus & lacubus Romanis , ac in oris maritimis Romanorum, navis retineatur , quæ Mercatorum tuitioni præſto ſit . Septimo : Pecunia, quæ a Focatico, Sale, Portubus, Tranſitu, & Condemnationibus obvenerit , erogetur , ſi neceſſitas exegerit, pro juvanda publicæ rei adminiſtratione . Octavo : Arces Romanæ, Pontes , Portæ , & Fortilitiæ , ne ſubſint alicujus Magnatis , præterquam Rectoris Populi , cuſtodiæ . Nono : Nullus Nobilis quamlibet Arcem poſſideat . Decimo : Baronum cura eſto, viarum ſecuritati conſulere . Ne Barones recipiant latrones & malefactores . Magnatibus ipſis incumbat copiam rerum & victualium procurare & facere , ſub mille Marcarum argentearum pœna . Undecimo : De pecunia Communis Monaſteriorum inopiæ ſuccurratur . Duodecimo : Unaquæque Regio Romæ horreum ſuum habeat, & frumento opportunis temporibus horrea ipſa impleantur . Tertio decimo : Cujuslibet Romani, cui in bello pro Communi Romæ mori contigerit , ſi pedes fuerit , heredes remuneratione C. Librarum; ſi vero eques, centum Florenorum compenſatione fruantur . Quartodecimo : Civitates ac Terræ diſtrictus Urbis Romæ Romani Populi regimine gubernentur . Quintodecimo : Si aliquis alium accuſaverit , nec accuſationis veras probationes attulerit , pœnæ illi ſubjiciatur tum in corpore tum in bonis, qua accuſatus condemnandus eſſet . Hæc & alia multa in Chartula illa conſcripta fuerant , Populo ſummopere approbata. Quamobrem omnes in altum manus tollentes , communi lætitia voluere, Nicolaum ipſum una cum Pontificis Vicario Dominum fore . Eidem inſuper puniendi , interficiendi, abſolvendi, ad gradus promovendi , Leges condendi , pacta cum Populis firmandi, terminos ditionibus conſtituendi, poteſtatem contulerunt . Merum quoque & mixtum imperium , quouſque Romani Populi juriſdictio protendebatur , eidem conceſſerunt .

CAPITOLO VII.

Stefano della Colonna torna a Roma ſdegnato per queſte coſe contro a Cola, e lo minaccia. Viene però precettato di partire di Roma; come anche tutti li Baroni fecero. E Cola ſi fa dal Popolo confermare; ottenendo d'eſſere egli e'l Vicario del Papa chiamati Tribuni, e Liberatori del Popolo.

FAtte cha fuoro queſſe coſe in Roma, pervennero a le recchie de Miſſore Stefano de la Colonna, lo quale ſtaeva a Corneto con la Militia pe grano, con poca compagnia, ſenza demoranza ne cavalcao e venne a Roma. Jonto ne la Piazza de Santo Marciello, diſſe, cha queſſe coſe no li piaceano. La ſequente die, la matina pe tiempo, Cola de Rienzo mannao a Miſſore Stefano lo editto, e commannamento, cha ſe partiſſe de Roma. Miſſore Stefano la cieiola pigliao, e la ſciliao, e fecene mille piezzi, e diſſe : Se queſſo paſcio me fao poca de ira, io lo ſarrajo jettare da le fineſtre de Campituoglio. *Quanno Cola de Rienzo queſſo inteſe, eſpeditamente fece ſonare la Campana a ſtuormo. Tutto lo Puopolo trajeva con furore. Granne ſe apparecchiava pericolo. Allora Miſſore Stefano cavalcao in ſio cavallo; ſolo con uno fante da pede, ne fujio fora de Roma. A granne pena ſe fiſſe puoco in Santo Lorienzo fora le Mura, pe poco de pane manicare. Vaone a Peleſtrina lo Veterano; denanti a lo figlio, e lo nepote lamentanza fao. Allora mannao Cola de Rienzo commannamiento a tutti li Baroni de Roma, che ſe partiſſino, e giſſino a le loro Caſtella. La quale coſa ſubitamente fu fatta. Lo ſequente die li fuero rennuti tutti li Ponti, che ſtaco ne lo circoito de la Cittate. All'hora Cola de Rienzo fece ſoi Officiali. E mò prenne uno, e mò prenne un'aitro: queſſo appenne, a queſſo mozza lo capo ſenza miſericordia. Tutti li riei judica crudelemente. E puoi parlao a lo Puopolo; e 'n quello parlamiento ſe fece confermare e fece fermare tutti ſiei fatti, e domannao de gratia da lo Puopolo, che eſſo, e lo Vicario de lo Papa fuſſino chiamati Tribuni de lo Puopolo, e Liberatori.*

CAPITOLO VIII.

I Baroni vogliono far congiura contro Cola, e non ſono d'accordo. Vengono però da lui citati e coſtretti a giurare pel buon governo di Roma; come fecero anche i Giudici e i Notaj.

ALl'hora i Signori voizero fare una conjura contra a lo Tribuno, e a lo buono ſtato; ma non furo in concordia. La coſa non venne fatta. Quanno Cola de Rienzo 'nteſe, che la jura delli Baroni non venne ad effetto pe la diſcordia loro, allhora li citao, e mannaoli lo editto. Lo primo che venne a lo commannamento fò Stefaniello de la Colonna, figlio de Miſſore Stefano. Entrao ne lo Palazzo con pochi. Vidde, che la raſcione ſe rennea ad onne jente. Moito era lo Puopolo, che in Campituoglio ſtava. Temeo, e forte ſe maravigliao de ſi foita moititudine. Lo Tribuno li jeſſio denan-

ti

A

CAP. VII.

Stephanus de Columna Romam revertitur, in Nicolaum ob ea iraſcens, eique minitatur. Urbe egredi compellitur. Ceteri Barones abire jubentur. Nicolaus a Populo confirmatus impetrat, ut tam ipſe, quam Pontificis Vicarius nuncupentur Tribuni, & Liberatores Populi.

GEſtorum hujuſmodi notitiam Stephanus de Columna habuit, qui quum rei frumentariæ cauſſâ cum paucis militibus in Caſtro Cor-
B neti moraretur, nullâ interjectâ morâ equitans Romam venit. Ad Forum Sancti Marcelli quum acceſſiſſet, acta ipſa Nicolai ſibi improbari aſſeveravit. Sequenti die Nicolaus edictum Domino Stephano miſit diluculo, quatenus Româ diſcederet. Schedulam præcepti arripuit Stephanus, & eam per mille fruſtula diſcerpens, ac vento diſpergens, inquit: *Si Stultulus iſte bilem aliquantulum mihi commoverit, e Capitolii feneſtris eum ſane præcipitari jubebo.* Nicolaus Laurentii, auditis Stephani minis, campanam ad arma ſtatim pulſari fecit. Univerſus Populus cum furore tunc cucurrit. Periculum ingens imminebat. Tunc Dominus Stephanus in equum ſuum inſiliens, unico pedeſtri
C ſociatus famulo, Româ aufugit, utque modico panis eſu reficeretur, apud Sanctum Laurentium extra Muros paululum vix conſtitit. Præneſte profectus, ætate ingraveſcens, filio & nepoti querelas ſuas expoſuit. Aliquanto poſt Nicolaus Romanis Dynaſtis omnibus edicto denuntiavit, ut & ipſi Româ abeuntes, propria ad Caſtella ſe conferrent. Id immediate Barones præſtitere. Sequenti die Pontes omnes per Urbis circuitum in Nicolai poteſtatem devenere. Tunc Nicolaus Officiales ſuos conſtituit. Exinde modò hunc, modò illum comprehendens, aliquos cruci ſuffigi, nonnullos immiſericorditer capite detruncari præcepit. Reos quoslibet crudeliter judicavit. Populum
D alloquens in concione, confirmationem tum officii ſui, tum eorum quæ hucuſque geſſerat impetravit, & a Populo gratiam popoſcit, ut ipſemet, & Vicarius Pontificis vocabulo Tribunorum & Liberatorum Populi in poſterum nuncuparentur.

CAP. VIII.

Dynaſtæ in Nicolaum conſpirantes diſſentiunt. A Nicolao in jus evocati adveniunt. Sacramento præſtando de bono Urbis regimine juvando adiguntur. Id Judices ac Notarii præſtitere.

E

TUnc Dynaſtæ conſpirationem adversùs Nicolaum, & contra rectam Urbis adminiſtrationem promoverunt, ſed diſcordes inter ſe fuere. Res infecta remanſit. Quum Nicolaus Laurentii conjurationem Baronum effectum minime ſortiri potuiſſe ex eorum diſcordiis reſcivit, eoſdem præcepto ad ſe revocavit. Primus omnium, qui morem geſſit, Stephanulus de Columna fuit, Domini Stephani filius. Palatium cum paucis ingreſſus, jus unicuique promte reddi conſpexit. Magna Populi multitudo in Capitolium convenerat. De tanto hominum cœtu timorem & admirationem animo con-

con-

ti armato , e ſì lo fece jurare ſopra lo Cuorpo de Chriſto , e ſopra lo Vagnielio , de non venire contra lo Tribuno , e alli Romani , e de fare la graſcia , e tenere le ſtrade ſecure , e non recettare latroni , nè le perzone de mala connitione ; anco de favorare alle Orfane , e alli pupilli , e non fraudare lo bene de lo Communo , e comparere armato e ſenza arme ad onne ſoa petitione . Data licentia a Stefaniello , venne Miſſore Rannallo de li Orſini , puoi Janni Colonna , puoi Jordano , puoi Miſſore Stefano . Non (16) jamo più lontano . Tutti li Baroni li juraro obbedientia con paura , e a lo buono ſtato offierzero le loro proprie perzone , e le Caſtella , e li Vaſſalli in ſuſſidio della Cittate . Franceſco Saviello fò ſio ſpeciale Signiore ; nientedemeno venne a jurare ſubjettione . Intanto ſe ſervava con crudelitate : nulla miſericordia , in tale muodo , che decapitao uno Monaco de Santo Aneſtaſi , perzona infamata . Le veſtimenta prime de lo Tribuno fuoro de una infiammata , como foſſi ſcarlatto . Soa faccia era terribile , e lo ſio aſpetto . A tanta jente dava reſpoſta , che a pena habera homo creſo , che haveſſi capo . Po' aiquanti dii vennero li Judici de la Cittate , e juraro ſidelitate , e offierzero a lo buono ſtato , Puoi vennero li Notarii , e fecero lo medeſimo . Puoi li Mercatanti . Brevemente . Per ordine ne lo ſtato de repoſato animo , ſenza arme , ciaſcuno jurao allo buono ſtato communo . All' hora queſſe coſe comenzaro a piacere , e le arme comenzaro a ceſſare .

CAPITOLO IX.

Cola ordina la Caſa della Giuſtizia e della Pace per le riconciliazioni delle inimicizie . E fa tal giuſtizia , che ogni malfattore ſpaventato ſi fugge . E in queſti tempi naſce un moſtro in Roma .

PO' queſſe coſe ordinao la Caſa de la Juſtitia e de la Pace , e ficcao in eſſa lo Confalone de Santo Paolo , ne lo quale ſtava la ſpada nuda , e la palma de la Vettoria , e puoſe in eſſa juſtiſſimi puopolari , li quali fuoro (17) ſopra la Pace . Li buoni huomini lo habbero a piacere . Queſſo ene l'ordine , lo quale ſe ſervava . Doi nemicati venevano , e daevano le piziarie de la pace fare . Puoi ſeconno la connitione de la injuria aitrettanto quello , che patuto havea , ne facea a quello , che fatta l'havea ad eſſo . All' hora ſe vaſavano in vocca , e lo offeſo dajeva intera pace . (18) Uno ceccao l'uocchio a un' aitro . Venne : fò connutto ne le Scale de Campituoglio . Stava inninocchiato . Venne quello , lo quale era dell' uocchio privato . Piagneva lo malefattore , e pregava per Dio , cha li perdonaſſi . Puoi deſteſe ſoa faccia, ſe li pareva de trarli l'uocchio , ſe li foſſe piaciuto , Allhora non li ceccao l'uocchio , cha fò moſſo

(16) Non iamo più allonganno : tutti li

(17) ſopra la Pace li buoni huomini li Pacieri . Queſſo

(18) pace . Accadde che uno ceccao

concepit Stephanulus . Huic Tribunus armatus ſemet ſpectandum objecit, & ſuper Chriſti Corpus & Evangelia ſacramentum præſtare compulit , quo promiſit, ſe nihil adversùs Tribunum, ac Romanos fore pertentaturum ; victualium annonam procuraturum ; publicis itineribus ſecuritatem reſtituturum ; latrones , ac perverſæ conditionis homines nullatenus recepturum ; orfanis inſuper & pupillis auxilia præbiturum ; Rempublicam bonis minime fraudaturum ; & ad omnem Tribuni nutum cum armis, vel ſine armis ſe ſe eſſe exhibiturum ſpopondit. Dimiſſo Stephanulo , Dominus Raynaldus de Urſinis , tum Johannes de Columna , tum Jordanus , tum Dominus Stephanus advenere . Ut paucis me expediam, univerſi Barones timore perducti, ſacramento dato, obedientiam Nicolao promiſerunt , bono ejus regimini ſe ipſos offerentes , perſonas , Caſtella, & Vaſſallos in Urbis præſidium ſubjicientes . Franciſcus Sabellus , licèt Tribuni privatus Dominus eſſet , obſequium ac fidem ſuam ei nihilominus præſtiturus comparuit . Interea abſque ulla miſeratione in ferendis reorum judiciis Nicolaus procedebat . Monachum enim Sancti Anaſtaſii , infamiæ notâ inuſtum , ſecuri percuſſit . Tribuni ſuperindumentum coloris flammei coccineo non abſimile fuit . Vultu aſpectuque terribilis erat . Unicuique e multitudine reſponſa expedite dabat, quamquam vix crederent homines ipſum percepiſſe quæ petebantur. Poſt aliquot dies Judices Civitatis acceſſere , & fidelitatis juramenta exſolverunt , publicæ rei commodis ſe paratos fore profitentes . Exinde Notarii id ipſum egerunt . Poſtea Mercatores . Breviter dicam . Unuſquiſque ordinatim , pacifice, ac ſine armis, ſacramento pro bono regimine conſervando ſe ſe obſtrinxit . Hæc univerſorum ſuffragiis tunc comprobari cœpta ſunt, armorumque ſtrepitus ceſſavit .

CAP. IX.

Nicolaus reconciliandis privatorum odiis, Juſtitiæ & Pacis Domum deſtinat . Juſtitiam diligenter adeo adminiſtrat , ut flagitioſi perterrefacti Româ aufugerint . Monſtrum in Urbe his temporibus naſcitur .

HIs ita præſtitutis , Tribunus Domum Juſtitiæ & Pacis conſtituit , cui impoſuit Vexillum Sancti Pauli , in quo gladius evaginatus & palma victoriæ picta cernebatur. Huic domui æquiſſimos populares viros aſſignavit rebus Pacis præfectos . Id autem bonorum hominum approbationem promeruit . In hunc modum in componendis privatorum odiis procedebatur . Inimicantium uterque domum Pacis veniens de facienda concordia fidejuſſores dabat . Habitâ poſtmodum injuriæ ratione , ille, qui injuriam perpeſſus fuerat, tantumdem irrogabat alteri , qui primus offenderat ipſum. Tunc oretenus ambo ſe oſculabantur, & offenſori remiſſionem plenam offenſus impertiebatur. Contigit , ut quidam uni oculum excuſſiſſet . Percuſſor in Capitolii ſcalis conſtitutus advenit. Flexis genibus aderat . Advenit & oculo privatus . Illacrymabatur offenſor , & per cœleſtia læſum orabat , ut offenſam ſibi remitteret. Fa-

moſſo de pietate, ma ſe li remiſe ſoa injuria. De le coſe civili ſe rennea raſcione ſpeditamente. In queſſo tiempo horribile paura entrao nelli animi de Latroni, Homicidiali, Maleſattori, Adulteratori, e de onne perzona de mala fama. Ciaſche deffamata perzona jeſciva fore de la Cittate naſcoſamente, e ſecretamente fuiva. A la mala jente pareva, che eſſi doveſſero eſſere preſi ne le loro caſe proprie, & eſſere menati a lo martirio. Dunqua fugao li rici più là aſſai, che non ſoco li confini della Contrata de Roma. Non ſperavano ſalute in aicuno: laſſavano le Caſe, li Campi, le Vigne, le Moglie, e li Figli. Allhora le ſelve ſe comenzaro a rallegrare, perchè in eſſe non ſe trovava latrone. Allhora li buovi comenzaro ad arare. Li Pellegrini comenzaro a fare loro cerca per le Santuarie. Li Mercatanti comenzaro a (*) *ſpaſſejare, li Procacci, e cammini. In queſſo tiempo ne la Citate de Roma nato fò un moſtro ne la Contrata de Camigliano. De una femmena pedoneſſa naque uno infante muorto, lo quale havea doi capora, quattro mane, quattro piedi; como foſſero doi appiccati da lo pietto. Ma l'uno majure era dell' aitro, e parea, che lo minore avanzaſſi lo majure, non ſenza ammiratione de la jente. In queſſo tiempo paura e tremore aſſalio li Tiranni. La buona jente, como liberata de ſervitute, ſe allegrava.*

A Faciem exinde percuſſo porrexit, ut pro lubitu oculum identidem ſibi erueret. Tunc pietate commotus qui jam lumen amiſerat, nedum oculum inimico effodere noluit, ſed & omnino ei pepercit. Pari promtitudine civilibus fori controverſiis jus reddebatur. Ob hæc latronum, homicidarum, maleſactorum, adulterorum, ceterorumque malæ vitæ hominum animos horror ac terror occupavit. Facinoroſus quilibet clam Urbe exiens, ſaluti propriæ fugâ conſulebat. Nequiter viventibus imminere ſupplicium quotidie videbatur, ab eorum domibus abripi, & ad ſupplicia pertrahi. Nicolaus itaque reos ultra Romanæ ditionis fines fugavit. Ii namque nullam ſalutis ſpem in aliquo ponentes, B domus, agros, vineas, uxores, ac filios deſerebant. Tunc ſilvis reddita ſecuritas fuit, nullis latronibus in ipſarum latibulis deliteſcentibus. Similiter villicis camporum excolendorum poteſtas reſtituta. Peregrinantibus item ad loca Sancta quæſtuum procurandorum conſuetudo iterum tributa. Mercatoribus demum commerciorum tuto exercendorum facultas, & publicis curſoribus viarum frequentandarum libertas rurſus donata fuit. His diebus, Romæ in Vico Camiliani, peditis uxor partu edidit monſtrum, puerulum nempe mortuum bicipitem, quatuor manus, & quatuor pedes habentem; veluti duo corpora eſſent, pectore tenus ſimul conjuncta. Verùm ex his corporibus C unum altero grandiuſculum erat; videbaturque, non ſine videntium admiratione, majus a minore ſuperari. Interea terrore ac tremore perculſi fuerunt Tyranni. Quietis amatores, ceu e ſervitute educti, gaudio perfundebantur.

CAPITOLO X.

Il Tribuno con lettere dà parte al Papa, e a tutti i Principi d'Europa della ſua eſaltazione e governo

Allhora lo Tribuno fece uno ſio jenerale conzilio, e ſcriſſe lettere luculentiſſime a le Citati, e a le Comunitati de Toſcana, Lommardia, Campagnia, Romagna, Marettima: a lo Duca de Venetia, a Miſſore Luchino Tiranno de Milana, alli Marcheſi de Ferrara, a lo Santo Patre Papa Chimento, a Lodovico Duca de Baviera, lo quale era ſtato eletto 'mperatore, como ditto ſopra ene; a li Regali de Napoli. In queſſe lettere proponeva lo ſio nome per magnifico titolo in queſſa forma. Nicola (19) ſevero e clemente, de libertate, de pace, e de juſtitia Tribuno, anco de la ſanta Romana Repiubbica Libberatore illuſtre. *In queſſe lettere dechiarao lo ſtato buono, e pacifico, e juſto, lo quale comenzato avea. Dechiarava como lo viajo de Roma, lo quale ſoleva eſſere dubioſo, era libero. Puoi peteva, che li mannaſſero Scinnichi ſufficienti, de li quali havea biſuognio a raſcionare coſe utili a lo buono ſtato ne la Sinodo Romana. Puoi li confortava e diceva, che ſe allegraſſino e dajeſſino gratie e laude a Dio de tanto tale beneficio. Li Currieri li quali portavano le ſoe lettere, portavano in mano baſtoncelle de leno pente inarientate. Arma nulli portavano. Tanto moitiplicaro queſſi ſiei Currieri, che de eſſi numero granne era, per-*

CAP. X.

Pontifici & cunctis per Europam Principibus creationem ſuam, & concreditum ſibi regimen Tribunus per Epiſtolas aperit.

Tunc Tribunus ſuum generale Conſilium Romæ habuit, & luculentiſſimas Urbibus, & Communibus Tuſciæ, Lombardiæ, D Campaniæ, Romandiolæ, Maritimæ oræ, Venetiarum Duci, Domino Luchino Mediolani Tyranno, Marchionibus Ferrariæ, Clementi Summo Pontifici, Ludovico Bavariæ Duci, in Imperatorem, ut ſuperius diximus, prælecto, & Regiis Neapolitanis Principibus, Epiſtolas miſit. In his literis nomen ſuum magnificis titulis in hanc formam ornatum præpoſuit: *Nicolaus, Severus, & Clemens, Libertatis, Pacis, ac Juſtitiæ Tribunus, & inſuper Romanæ Reipublicæ Liberator Illuſtris.* Hiſce epiſtolis ſtatum boni ac pacifici regiminis, quod exercendum ſuſceperat, expoſuit. Iter ad Urbem, quod antea periculoſum fuerat, nunc tutum & liberum eſſe manifeſtabat. Porro ut idonei ac E bene inſtructi Syndici, quibuſcum de negotiis ad rectam publicæ rei adminiſtrationem ſpectantibus conferre poſſet in Romana Synodo, mitterentur, expoſcebat. Denique ut ſinguli bono animo eſſent, congauderent, & grates laudeſque pro tali ac tanto beneficio Numini redderent, omnes adhortabatur. Tabellarii ejuſdem Tribuni literas deferentes, ligneas depictas, argento ſuperinducto, virgulas manu geſtabant. Nul-

(*) a ſpeſſiare; *ideſt* frequentes venire.
(19) *Nicola ſeveroꝫ pietoſo, de libertate*

perchè erano receputi gratioſamente, e granne honore da onne homo a eſſi fatto era. Guidardone tollevano. Uno Curriero ſio Fiorentino fò mannato in Avignione a lo Papa, e a Miſſore Janni de la Colonna Cardenale. Reportao (20) la ſarzella de leno de finiſſimo ariento ſmaitata coll' arma de lo Puopolo de Roma, e de lo Papa, e de lo Tribuno, valore de Fiorini trenta. Po' la ſia tornata lo Curriere diſſe: Queſta verga hajo portata piubbicamente per le ſelve, per le ſtrate. Migliara de perzone ſe ſoco innocchiate denanti de eſſa, e baſatala con lacrime per la allegrezza de le ſtrate ſanate e liberate da li latroni. *Ancora havea lo Tribuno li moiti ſcrittori, e moiti dittatori, li quali non ceſſavano dì e notte ſcrivere lettere. Moiti erano li più famoſi de terra de Roma. Puoi ad eſſo comenzaro a concurrere Buffoni aſſai, e Cavalieri de Corte, Sonettatori, e Cantatori. Canzoni vulgari e vierzi pe lettera de ſiei fatti, fatti foro.*

Nullis armis muniebantur. Hi Tabellarii adeo multiplicavere, ut magnum in numerum excreverint, quòd a quolibet gratioſe reciperentur, & honorifice ab univerſis pertractarentur. Muneribus donabantur. Florentinus quidam laudati Nicolai Curſor ad Pontificem, & ad Dominum Johannem de Columna Cardinalem, Avinione degentes, tranſmiſſus fuit. Ligneam peram reportavit, purioris argenti encauſto obductam, Romani Populi, Pontificis, ac ipſius Tribuni gentilitium ſcuti typum, præſeferentem, triginta Florenorum pretio æſtimatam. Romam ſubinde reverſus Tabellarius ille hæc retulit: *Virgam hanc, quam per nemora & publicas vias palam detuli, innumerabilis Populorum genibus ſubnixorum, & lætantium concurſus, quòd itinera a latronum infeſtationibus expurgata demum fuiſſent, lacrymis præ gaudio diffluens oſculabatur.* Amanuenſes plures, & multos, qui excipientibus dictabant, Tribunus habuit, diu noctuque literas conſcribentes. Multos ex celebrioribus Romanæ Provinciæ viris elegit. Scurræ non pauci, ac deinde Aulici, & Italicæ Poëſeos atque cantilenarum compoſitores ad Nicolaum confluere cœperunt. Cantiones, poëmata, & carmina vulgari Idiomate Italico lucubrata de geſtis ejus edita fuerunt.

CAPITOLO XI.

Fa appiccare Martino di Porto, perſona potente, che eſercitava tirannia, per dar terrore agli altri.

IN queſto tiempo era in Roma uno jovine potiente, e nuobbile perzona: lo nome ſio era Martino de Puorto, nepote de lo Cardenale de Ceccano, e de Miſſore Jacovo Gajetano Cardenale. Jà per li tiempi paſſati (21) ſtato era Senatore; ſuoi Anteceſſori la dignitate de lo Senato per più voite habbero. De queſſo Martino ſe fece mentione de la Galera ſorrenata. Queſſo fò Signore de lo Caſtiello de Puorto. Soa vita era venuta a Tirannia. Soa nobilitate bruttava pe tirannie e latronarie. Pigliao pe moglie una nuobbeliſſima ſemmena Maddona Maſcia de li Albertеſchi, la quale moito era bella, & era remaſa bedova. Stette con quella nova ſoa donna forze uno meſe, perchè male ſe ſappe aretenere. Anche peſſimamente ſe diſtemperava da lo ſoperchio civo. Cadde in peſſima infermitate e incurabbile. Li Miedici lo dico retruopico. Sio ventre era pieno de acqua; como botticiello pareva. Piene le gamme, e lo cuollo ſottile, e la faccia macra: la ſete granniſſima. Leuto da ſonare parea. Stavaſe in ſoa caſa quetamente renchiuſo, e facevaſe medicare da li Fiſichi. Queſſo homo così nobbele ſotto ſpecie di ſicuritate infermò a morte. Per terrore de tutta l'aitra jente, fecelo pigliare ne la propria caſa, ne le mano de la ſoa donna, ne lo Palazzo canto lo fiume de Ripa, armata mano, e fecelo menare a Campituoglio. Puoi che là a Campituoglio fò lo Barone latrone connotto, era forze hora Nona. Non fece demoranza. Sonao la campana a ſtuormo. Lo Puopolo fu adunato. Fò Martino deſmantato. La ſoa Cappa a la cincillonia fat-

CAP. XI.

Tribunus, ut ceteris terrorem incutiat, Martinum a Portu ex potentibus tyrannice dominantem, laqueo ſuſpendi jubet.

PEr hæc tempora nobilis & potens juvenis Romæ vivebat, Martinus a Portu nomine, nepos Cardinalis de Ceccano, & Domini Jacobi Cajetani Cardinalis. In Urbe antea Senatorium munus ejus anteceſſores jam dudum pluries obierant. De hoc Martino mentio facta fuit, quum de triremi in arenam impacta egimus. Is Caſtello Portus dominabatur. Tyrannice vitam ducebat. Nobilitatem propriam præpotentiâ & latrociniis deturpabat. Dominam Maſciam de Alberteſchis, nobiliſſimam & formoſam feminam, jam viduam, uxorem habuit. Cum hac recenti ſua conjuge integrum fere menſem tranſegit. Ab uxore, ut debuiſſet, haud ſatis ſe ſe abſtinens, & ciborum nimietate ventrem infarciens, in peſſimum ac immedicabilem morbum incidit. Ex medicorum ſententia hydropicus judicatus fuit. Venter ejus intercute aqua refertus, veluti turgidum doliolum, apparebat. Turgeſcentibus cruribus, attenuato collo, vultuque macie confecto, citharæ non abſimilis, ardentiſſima ſiti excruciabatur. Domi ſuæ privatim immorans, medicorum curationi obnoxius erat. Nobilem virum hunc, mortifera ægritudine ad vitæ exitum appropinquantem, Tribunus ſecuritatis prætextu, ſed verius ut aliis terrorem incuteret, comprehendi præcepit. Martinus domi captus, & ab uxoris latere abſtractus, a Palatio ſecus Flumen ad Ripam, armatorum catervâ cuſtoditus, ad Capitolium perductus fuit. Quum in Capitolio Baro idem & latro adfuit, horâ fere Nonâ, nullo temporis intervallo, ad Cam-

(20) Reportao la ſcarzella, rimandaro & la baſtoncella de leno de

(21) paſſati ſtati erano Senatori ſiei Anteceſſori. La dignitate dello Senato per più fiate habbero. De queſſo Martino feci menzione

ſatta . E legatoli le mano dereto , fo fatto inninocchiare ne le Scale , canto lo Lione ne lo loco uſato . Là odio la ſententia de ſia morte. A pena lo laſſao confeſſare perfettamente a lo Preite . Alle forche lo connannao , perchè avea derobbati li Galea ſorrenata . Menato così magnifico homo a le forche , ne lo piano de Campituoglio fò appeſo . Soa donna da longa delli balconi lo potea bedere. Una notte e doi dia penneo ne le forche , nè li jovao la nobbilitate nè le parentezze de li Orzini . A quello modo reſſe Roma , e moiti in ſimile pena dannao .

CAPITOLO XII.

Per la buona giuſtizia del Tribuno non ſolo s'impauriſcono i Potenti di Roma, ſicchè non ſi ſentono più ingiuſtizie , ma l'iſteſſo Soldano di Babilonia ne teme .

QUeſſa coſa ſpaventao li animi de li Potienti , li quali ſapeano le loro inique operationi . Aitri per pietate ne lacrimava, aitri ne temeva . Hora comenza la Juſtitia a prennere vigore . La fama de tale fatto ſpaventao (22) li Magnifici , che a pena haveano fede de ſe medeſimi . All' hora le ſtrate fuoro aperte. Notte (23) e die comenzaro liberamente li Viaturi a fare li loro viaji . Non ardiſce aicuno arme portare . Nullo homo fao ad aitri injuria . Lo Signiore non ſe accottiava de toccare lo ſio ſervo . Onne coſa guardiava lo Tribuno . Per l'allegrezza de così eſciellente fatto piangono aicuni con allegrezza e pregano Dio , che fortifichi lo ſio core , e lo 'ntelletto in queſſo bono proponimento . Tutta la intenzione de lo Tribuno primamente fu d'eſterminare (24) li Tiranni , e connurli a vaſſezza in tale via , che d'eſſi non ſe trovaſſe pianta . Li Vetturali , li quali portavano le ſome , laſſavano le ſome ne le ſtrate piubbiche : bene le ritrovavano ſane e ſalve . Allhora fò marcato nella gota uno , lo quale havea nome Tortora . Era de li fiei Corrieri . Perchè havea receputa pecunia ſenza licentia , quanno fò mannato a li Regali de Napoli . La fama de sì vertuoſo homo pe tutto lo munno ſe diſtenne . Tutta la Chriſtianitate fò commoſſa , como ſe rizzaſſi da dormire . Fò uno Bologneſe , lo quale fò uno de li ſchiavi de lo Soldano de Babilonia , lo primo che poteo aizare : la più corta ne venne a Roma . Queſſo diſſe , che a lo granne Rabam detto fò , che nella Cittate de Roma ſe era levato un' homo de granne juſtitia , homo de Puopolo . Lo quale reſpuſe , e dubitanno de ſe , diſſe : Maumetho , e Santo Elimaſon ajutino Hieruſalemme , *cioene la Saracinia .*

CAPI-

(22) ſpaventao li Magnati
(23) Notte e dì camminavano liberamente li viatori ; non ardiſce
(24) li Tiranni , e conſonnereli in tale via

campanæ ſonitum Populus convenit . Martinus pallio exutus fuit. Cucullata veſtis ejus in balthei formam elaborata erat . Poſtmodum manibus ad terga revinctis , genibus innixus , in Scalis juxta Leonem , ad conſuetum locum , capitalem ſententiam audiit . Vix ei tantum temporis ſpatium conceſſum fuit, quantum piaculis ſuis Sacerdoti revelandis omnino ſuffecit . Ob id autem Martinum ſuſpendii morte Tribunus punivit , quòd triremem , quæ in arenam adhæſerat , fuiſſet deprædatus. Magnificum virum hunc in Capitolii planitie furcis ſuſpenſum, a feneſtris domus ſuæ uxor ejus videre poterat. Nocte una , & biduo Martini cadaver a patibulo pependit ; nec quidquam nobilitas ſanguinis , & Urſinorum affinitates ipſi profuerunt . In hunc modum regimen adminiſtrans Nicolaus, plures alios pari ſupplicio affecit.

CAP. XII.

Juſtitiæ a Tribuno adminiſtratæ rigor nedum Potentibus , qui a violentiis deſiſtunt , ſed & Babyloniæ Soldano metum incutit.

HÆc Tribuni geſta Potentum animos, quibus ſcelerum conſcientia obſtrepebat , magno terrore impleverunt . Flebant nonnulli miſeratione commoti , expaveſcebant & alii . Juſtitiâ vires interim reſumente, prænarrati ſupplicii fama Magnatibus tantum timorem intulit, ut ne de ſe ipſis quidem conſiderent . Tunc viæ publicæ diu noctuque tuto patuere , quibus viatores itinera ſuſcepturi libere ſe committebant . Nullus arma perferre audebat . Nemo proximum injuriâ afficiebat . Servum vel leviter ferire Dominus non audebat . Omnibus animum ac mentem ſolicite Tribunus intendebat . Non defuere , qui ex optimis Nicolai conſiliis lætitiam concipientes , lacrymas præ gaudio effuderunt , Deum Optimum Maximum rogantes , ut Tribuni niſus , cor , ac mentem in tam utili propoſito confirmaret . Nicolaus autem in ea fuit voluntate in primis, ut ſcilicet Tyrannos radicitus exſtirparet , & ne ipſorum veſtigium quidem relinqueretur . Qui vecturas exercebant , & ſarcinas devehebant , haſce in publicis viis deponebant . Quum ad reſumendas eas redibant , illæſas & intactas inveniebant . Uni ex Tribuni Tabellariis , cui nomen Turturis , infamiæ ſtigma in maxilla inuſtum fuit , quod nummos ſine Domini ſui permiſſu tunc accepiſſet , quum ad regios Neapolitanos Principes miſſus iverat . Sapientiſſimi Viri hujus nomen per totum orbem longe lateque pervaſit . Nationes & Populi , Chriſti religionem profitentes , commoti fuerunt , velut e ſomno expergefacti . Quidam Bononienſis, qui cum aliis in ſervitutem abductis Soldano Babyloniæ ſervierat , ut primum in libertatem ſe aſſerere potuit, Romam per breviorem contendit . Is retulit , magno Raham Babyloniorum nuntiatum fuiſſe, in Urbe Roma virum quemdam ſummâ æquitate pollentem inſurrexiſſe . Qui Soldanus ſibimet timens reſpondit: *Mahumetus & Sanctus Elimaſon utinam opitulentur Hieruſalem !* ideſt Saracenorum nationi.

CAP.

CAPITOLO XIII.

Ordine, che teneva il Tribuno nel cavalcare per la Città. E in che modo fu ricevuto dal Clero di San Pietro, quando viſitò quella Chieſa.

APpeſo che fò Martino, in quelli dii fò una feſta de Santo Janni de Jugnio. Tutta Roma a Santo Janni vao la dimane. Voize queſſo homo ire a la feſta como l'aitri. La ſoa ita fò per queſſa via. Cavalcao con granne apparato de Cavalieri. Sedeva ſopra uno deſtrieri bianco. Veſtuto era de bianche veſtimenta de ſeta, (25) *gorrate de zennalo, infreſati de auro filato. Sio aſpietto era bello, e terribele forte. Denanti a lo ſio cavallo le jevano li ciento jurati da pede armati de lo Rione de la Reola. Sopra lo capo ſio portava lo Confalone. Un' aitro die cavalcao po' pranzo a Santo Pietro Majure de Roma. Huomeni e femmine là traſſero a vedere. Queſſo fò lo ordine de ſoa bella cavaicata. La prima jente che veneſſe, fò una militia de jente armata da cavallo, adornata e bella, la quale dovea ire a ponere lo campo ſopra lo Prefietto. Po' queſſi ſequitava l'Ordene de li Officiali, Judici, Notarii, Camorlenghi, Cancellieri, Scrivaſenato, & onne Officiale, Pacieri, e Scinnici. Puoi ſequitavano quattro Maneſcalchi con li loro Cavalcanti uſati. Puoi queſſi ſequitava Janni de Allo, lo quale portava la Coppa de ariento inaurato in mano con lo dono a muodo de Senatore. Puoi queſſo venevano li ſollati de cavallo. Puoi benevano li Trommatori, li quali benevano ſonanno colle tromme de ariento. Naccari* (26) *de ariento ſonanti honeſto e magnifico ſuono faccevano. Puoi benevano li Bannitori. Tutta queſſa jente paſſava con ſilentio. Puoi queſſo beneva uno homo ſolo, lo quale portava in mano una ſpata nuda in ſegnio de Juſtitia. Buccio figlio de Jubileo fò. Po' queſſo ſequitava uno homo, lo quale per tutta la via beneva jettanno denari, e ſparienno pecunia a muodo 'mperiale. Liello Migliaro ſio nome fò. De là e de chà havea doa perzone, le quale ſoſteneano la ſacca de la moneta. Puoi queſſi ſequitava lo Tribuno ſolo. Sedeva ſopra uno deſtriero granne. Veſtuto de ſeta, cioene de velluto mieſo vierde, mieſo ghiallo, forrato de varo. Nella mano ritta portava una verca de acciaro, pulita, lucente. Ne la ſoa ſommitate era uno melo d'ariento 'naurato; e ſopra lo pomo ſtava una crocetta de auro. Drento la crocetta ſtava lo Leno de la Santa Croce. Da l'uno lato erano lettere ſmaitate, che dicevano* Deus, *da l'aitro* Spiritus Sanctus. *Puoi eſſo immediate veneva Cecco de Aleſſo, e portavali ſopra lo capo uno Stennardo a muodo regale. In quello ſtennardo era lo campo bianco: in mieſo ſtava uno Sole de auro ſplennente, e attorno ſtavano ſtelle de ariento in campo cilieſtro. In capo de lo Stennardo era una palomma bianca de ariento, la quale portava in vocca una corona de oliva. Da lo lato ritto e manco havea con ſeco da pede cinquanta Vaſſalli da Vetorchiano. Li Fideli colli sbiedi in mano: bene parevano Orzi veſtoti e armati. Puo' queſſi ſequitava la compagnia de molta jente deſarmata, de ricchi, de Potienti, de Conziglieri, compagni, e de moita jente ho-*

(25) forrate de zennaro
(26) Vacolari d'ariento

CAP. XIII.

Quomodo Tribunus eques per Urbem incedebat. Quomodo Clerus Sancti Petri Tribunum ejuſdem Apoſtoli Eccleſiam viſitaturum ſuſcepit.

POſtquam Martinus a Portu ſuſpendio vitam finivit, obvenit tunc menſe Junio Sancti Johannis Baptiſtæ ſolemnitas. Romanus Populus univerſus ad ejus Templum mane facto ſe confert. Ad hujuſmodi celebritatem Tribunus in hunc modum perrexit. Magno equitum comitatu obequitavit. Albo inſidebat equo. Candidis indumentis, ſubſericâ telâ ſubſutis, & diducto auro exornatis indutus apparuit. Aſpectu formoſus ſimul & terribilis erat. Equo Tribuni centum ſtipendiarii armati pedites e Regione Regulæ præibant. Vexillum ſuper caput Nicolaus deferebat. Aliâ die idem ad Sanctum Petrum Majorem eques proceſſit. Viri ac mulieres ad videndum illum concurrerunt. Equeſtris tranſvectionis modum referam. Primo omnium, qui præceſſère, equitum armatorum ornata ac bene comta cohors advenit, adversùs Præfectum caſtra ſubinde metatura. Officialium, Judicum, Notariorum, Camerariorum, Cancellariorum, Scribarum Senatus, Pacificatorum, Syndicorum, & aliorum publicis officiis deſtinatorum ordines ſubſequebantur. Pone hos Mareſcalchi quatuor una cum conſuetis obequitatoribus eorum, Johannem de Allo anteibant, qui pateram argenteam ac inauratam, cui impoſitum erat donarium, Senatoris more geſtabat. Inde equites. Tum Præcones, argenteis tubis clangentes. Argenteorum tympanorum pulſus dulcem ac magnificum ſonum edebat. Poſt hos edictorum Promulgatores gradiebantur. Iis omnibus, ſilentio prætereuntibus, vir quidam ſolus ſuccedebat, dexterâ nudatum enſem in ſignum Juſtitiæ tenens. Buccius Jubilæi filius fuit. Poſt hunc Lælius Malliarius veniebat, qui Auguſtali more pecuniam per totum iter diſpergens, hinc inde duobus ſociabatur viris, nummorum ſacculum ſuſtinentibus. Poſtmodum Tribunus ſolus grandi ferebatur equo. Sericâ veſte partim viridis, partim flavi coloris, Variorum pellibus ſubſutâ contegebatur. Dexterâ chalybeam virgam, politurâ relucentem, tenebat. In ejus ſummitate argenteum deauratum pomum prominebat. Pomo parvula Crux aurea ſuperpoſita inerat. In Cruce eâdem incluſum erat Dominicæ Crucis Lignum. Ab uno latere legebantur literæ encauſto efformatæ *Deus*, & ab alio *Spiritus Sanctus*. Tribuni veſtigia immediate premebat Franciſcus de Alexio, qui erectum ſupra caput vexillum in regalem modum portabat. Vexillo area coloris albi fuit; in cujus medio ſulgentis Solis imago, argenteis ſtellis in cœleſti campo circum diſpoſitis, radios in circulum emittebat. In ſuperiori parte ejuſdem vexilli argentea candida columba inerat, coronam ramis olivarum conſertam roſtro habens. Ad dexterum & lævum Tribuni latus quinquaginta Vaſſalli de Vetorclano in ejus famulitium pedites procedebant. Cum his aderant fideles alii cum verutis in manibus. Externo corporis ac armaturæ habitu urſis aſſimiles videbantur. Subinde aliarum gentium abſque armis, divitum, Po-

honeſta . Con tale triumfo , e con tale grolia paſſao lo Ponte de Santo Pietro , onne perzona ſalutanno . De colpo le porte , e le tavolata fuoro date pe terra , e fò la ſtrata ſpatioſa e libera . Puoi che fò jonto a le ſcale de Santo Pietro , (27) tutto lo Chiericato li jeſſiro incontra , veſtuti e parati . Colle Cotte bianche ſolennemente , colla Croce , e collo 'ncienzo , vennero cantanno Veni Creator Spiritus *fi' a le ſcale , e sì lo recepero con granne letitia . Inninocchiato denanti a lo Aitare , deo ſoa offerta . Lo Chiericato predítto li raccommannao li bieni de Santo Pietro .*

CAPITOLO XIV.

Il Tribuno ſeguita ad eſercitare la ſua giuſtizia, gaſtigando i triſti. Fà lo ſteccato al Palazzo di Campidoglio, e tutti i Rinchioſtri de' Baroni di Roma; facendo loro, e a' que', ch'erano ſtati Senatori, contribuire per acconciare il Palazzo di Campidoglio .

LO ſequente die deo audientia alle bedoe, alli huorfani , alli deſolati . E fece prennere doi Scrivaſenato , e feceli mitriare como faizarii , e connannaoli in granne pecunia , mille Libbre per uno . L'uno havea nome Tomao de Fortifiocca ; l'aitro avea nome Poncelletto da la Cammora . Queſſi doa erano moito potienti puopolari . Dallo principio queſſo hemo facea vita moito temperata ; poi comenzao a moitiplicare cene , e conviti , e crapule de diverzi civi , e vini , e de moite confettioni . Puoi fece ſtecconiare lo Palazzo de Campituoglio tra le Colonne , e chiuſelo de lenname . E commannao , che tutte le ſteccata de li renchiuoſtri de li Baroni de Roma jeſſero pe terra ; e fò fatto . Ancora commannao , che quelli travi , taole , e lenname foſſe portato a Campituoglio a le ſpeſe de li Baroni , e fò fatto . Allhora 'n caſa de Miſſore Stefano de la Colonna preſe latroni , li quali appeſe . Puoi connannao ciaſcheduno , le quale era ſtato Senatore , in ciento Fiorini , perchè d' eſſi voleva reedificare e racconciare lo Palazzo de Campituoglio . Recipio per ciaſche Barone ciento Fiorini , ma lo Palazzo non fò acconcio , benchè comenzaſſi . E fece prennere Pietro de Agabito per la perzona , lo quale era ſtato quello anno Senatore ; e a pede , como foſſi latrone , lo fece menare a Corte da li ſoi Maneſcalchi . Hora comenzano a ſpeſſiare le 'mmaſciate de le Terre , e de li Nuobili . Tutta Toſcana havea jà mannate le 'mmaſciarie .

CAPI-

(27) de Santo Pietro, li Calonaci con tutto lo Chiericato li jeſſiro

A Potentum , Conſiliariorum , Confœderatorum , & plurium honeſtorum virorum multitudo Nicolaum ſubſequebatur . Is quum ejuſcemodi triumpho & gloria Pontem Sancti Petri pertranſiſſet , & omnium ſalutationes accepiſſet , portas illico ac tabulatum ad terram proſterni, patefactâ ſibi ſpatioſâ ac liberâ viâ conſpexit . Ad ſcalas Sancti Petri accedens , a toto Clero, qui Eccleſiaſticis veſtibus ornatus ac indutus obviam exierat , exceptus fuit . Clerus albis ſuperpelliceis ſolemniter contectus , cum Cruce ac thuribulis ei uſque ad Scalas occurrit , hymnum *Veni Creator Spiritus* feſtive decantans . Univerſorum gaudio receptus Tribunus, in genua ante Altare provolutus , oblationem
B ſuam exhibuit. Hac peractâ Clerus omnis Apoſtoli Petri bona & prædia protectioni Nicolai commendavit .

CAP. XIV.

Tribunus juſtitiam adminiſtrare pergens, criminoſos punit. Palatium in Capitolio vallo obſepit. Omnia Baronum clauſtra ſolo æquat. Baronibus & ceteris , qui Senatoria dignitate functi fuerant, tributa indicit pro ejuſdem Palatii reſtauratione .

SEquenti die Nicolaus viduarum, orfanorum,
C & pauperum ſupplicationes audiit . Duos Scribas Senatus capi juſſit , & eis ignominiæ mitram ceu falſariis , impoſuit , multoque ære eoſdem damnavit, mille Librarum nempe mulctâ utrumque judicans . Uni nomen Thomas Fortifioccæ fuit : alteri Poncellettus de Cammura . Ambo ex popularium potentiorum ordine fuerunt . A Tribunatus ſui exordio Nicolaus ſobrie ac temperanter vixit . Poſtea ad cœnas , commeſſationes , & crapulas , cibis , vinis , cupediis , ac dulciariis pluribus diverſiſque refertas , ſe convertit . Capitolii Palatium inter Columnas vallo munivit , & lignamine cinxit . Ut quælibet Baronum Urbis clauſtra vallata ſolo disjicerentur, præcepit: quod ſane
D exſequutioni demandatum fuit . Juſſit inſuper , ut trabes , tabulæ , ac lignamina disjectorum clauſtrorum impenſis Baronum in Capitolium deferrentur : quod & præſtitum fuit. Latrones apud Dominum Stephanum de Columna tunc degentes captos ſuſpendio punivit . Exinde cuicumque, Senatorio munere perfuncto, Centum Florenorum tributum indixit , quibus Palatium in Capitolio reædificare ac reſarcire decreverat . A quolibet Dynaſta centum Florenorum ſummam exegit ; at Palatii reſtauratio incepta quidem, non autem ad finem perducta fuit . Petrum Agapiti, qui eodem Anno Senatorium officium exercuerat , perſonaliter detentum , peditem, veluti latronem , a ſuis Mari-
E ſcalchis ad Aulam perduci voluit . Poſt hæc frequentes legationes Civitatum ac Nobilium advenere . Univerſa Tuſcia Legatos ſuos ad Tribunum jam miſerat.

CAP.

CAPITOLO XV.

Ordina le Militie a piedi e a cavallo. E dopo cita i Potenti a rendere l'ubbidienza, e a pagare lo Focatico. Ubbidiſcono tutti, fuorchè Janni di Vico Prefetto, Tiranno di Viterbo. Che però da Cola viene privato della ſua dignità.

ALl' hora ordinao la militia de li cavalieri de Roma con queſſo ordene. Pe ciaſche Rione de Roma ordinao pedoni e cavalieri trenta, e deoli ſuollo. Ciaſche cavalieri havea deſtrieri, e ronzino, cavalli copertati, arme adornate nove. Bene pargo Baroni. Ancho ordinao li pedoni puro adorni; e deo li Confaloni, e diviſe i Confaloni ſeconno li ſegniali de li Rioni, e deoli ſuollo. E commannaoli, che foſſero preſti ad onne ſuono de Campana, e feceli jurare fidelitate. Fuoro pedoni 1300. li cavalieri 360. eletti jovani, maſtri de verra, ben' armati. Puoi che lo Tribuno ſe bedde armato de accosì fatta militia, all' hora ſe apparecchia de movere verra a più potienti perzone. Manna ſio editto 'ntorno, e cita tutti li Potienti ne le (*) finalitie de Roma. E 'n tanto ordinao aiquanti ſia Fattori, e mannaoli coglienno lo Focatico. Coizero dunque lo Cienzo antico de lo Puopolo de Roma; e onne die la moneta bonea a Roma pe tale via, che increſcimiento e fatica foſſe contare pecunia de tanta jente. Preſtamente li Vaſſalli de li Baroni paano uno Carlino per fumante. Apparecchiavanoſe a queſſa paca le Citati, le Terre, e le Communanze, le quali ſtaco ne la Toſcana inferiore, in Campagnia, e Marettima. Non lo creſeri. Li Vaſſali de Antioccia pacaro. Puoi che lo editto ebbe mannato a tutti li Baroni, e alle Citati 'ntorno, doicemente obbediſcono ſecunno che de ſopre ditto ene. A la loro matre e donna Roma humile reverentia faco. Solo Janni da Vico, Prefietto, Tiranno de Vitervo non vole obbedire; pe mille voite citato non voize comparire. Allhora deo contra de eſſo Prefietto la ſententia, e privaolo in piubbico parlamento de la ſoa dignitate, e diſſe, che era occiditore de lo ſio frate, fattioſo, e che non bolea rennere lo aitrujo, cioene la Rocca de Reſpampano: & appellaolo Janni da Vico.

CAPITOLO XVI.

Il Tribuno determina la guerra contro Janni de Vico. Fa ſuo Capitano Cola Orſino, che poſe il campo ſopra Vetralla, e preſela. Ma intendendo Janni, che il Tribuno volea andarvi in perſona, obediſce, e rende la Rocca di Reſpampano; ed è rinveſtito della ſua Prefettura.

ALlhora determinao l'hoſte ſopra quello. E feceli Capitanio ſopra Cola Orzino guarzone Signiore de Caſtello Santo Agnilo; e deoli per Conzigliero Jordano delli Orzini. Et habbe in

(*) finaite de Roma

CAP. XV.

Peditum & equitum turmas Nicolaus conſtituit. Potentes ad obſequium ſibi præſtandum evocat. Focatici ſolutionem urget. Ejus mandata Potentes exſequuntur. Johannes de Vico Præfectus, Viterbii Tyrannus, obaudiens, dignitate a Tribuno privatur.

TUnc militiam Romanorum equitum hoc ordine diſpoſuit. In qualibet Urbis Regione pedites & equites triginta, dato ſingulis ſtipendio, conſtituit. Equitum unuſquiſque ſonipedes, ac mannulum, equos coopertos, & recentia exornata arma habuit. Totidem Barones videbantur. Pedites etiam bene inſtructos ordinavit, quibus Vexilla juxta Regionum Urbis ſignorum differentiam diſtribuit & ſtipendia numeravit. Ut ad quemvis campanæ pulſum præſto eſſent; fidelitatis ſacramento ab ipſis accepto, iiſdem injunxit. Pedites MCCC. equites CCCLX. numero fuere, electi juvenes, bellorum periti, armiſque bene communiti. Ubi ejuſmodi militiâ Tribunus armatum ſemet conſpexit, bellum quampluribus potentibus viris inferre deſtinavit. Ob id propoſito & promulgato edicto potentes quoſque a Romæ confinibus uſque advocat. Interim creatis quibuſdam Quæſtoribus pro exigendo Focatici vectigale, eos ad illud exigendum miſit. Quæſtores igitur vetuſtum Romani Populi cenſum collegerunt. Nummorum & pecuniæ talis ac tanta quantitas quotidie Romam deferebatur, ut tœdio ac labori eſſet exſolutam pecuniam dinumerare: Vaſſalli Baronum pro qualibet domo Carolinum impenderunt. Iſtiuſmodi ſolvendo tributo Civitates, Terræ, & Communia Tuſciæ inferioris, Campaniæ, & oræ Maritimæ animos converterunt. Immo quod mirere, Antiociæ Vaſſalli contribuerunt. Poſtquam Tribunus cunctis Dynaſtis & Urbibus circumpoſitis edictum tranſmiſit, eorum quilibet libenti animo, ut ſupra diximus, obſequitur. Romæ Urbi ceu matri ac dominæ obſequia præſtiterunt. Solus e tantis Johannes de Vico, Præfectus, Viterbii Tyrannus, obaudivit: millies, ut adveniret, evocatus, comparere noluit. Tunc adverſus eum ſententiam protulit Tribunus, & dignitatem Præfecturæ in publico conſilio ei ademit, ac pronuntiavit ipſum fratricidam, factioſum, & alienorum bonorum, Arcis nempe Reſpampani, injuſtum detentorem, quem demum unico vocabulo, Johannem a Vico, nuncupavit.

CAP. XVI.

Tribunus Johanni de Vico bellum infert. Ducem conſtituit Nicolaum Urſinum. Is caſtrametatur apud Vetrallam, eamque capit. Johannes audiens, Tribunum in caſtra venturum, obtemperat. Arcem Reſpampani reſtituit. Præfecti dignitate iterum donatur.

ADverſus Johannem de Vico arma ſua Tribunus movere tunc decrevit. Belli Ducem præficiens Nicolaum Urſinum adoleſcentem, Dominum Caſtelli Sancti Angeli, ei Jorda-

in quello hoſte moiti ajutorii . E puſero campo ſopr i li Cittate de Vetralla, e ſtiettero in aſſedio dii ſeſſanta . E ſcurreano onne pianura ſi' a Vitervo, ardenno e derobbanno. Deh como granne paura fecero a Viterveſi ! Donne fò hauta Vetralla per bona volontate de li avitatori . Erance una forte Rocca, la quale non fò hauta. Volennola Romani prennere per arte de guerra, fecero trabocchi e manganelle. Moito ſpeſſiavano loro prete . Puoi fecero una Aſinella de leno , e connuſſerola ſi' alla Porta della Rocca . La notte ſe fece . Quelli della Rocca meſticaro zoifo , pece , vuoglio , trementina , lena , e aitre coſe , e jettaro queſſa meſtura ſopra lo deficio . La Aſinella fò in quella notte arza . La demane fò trovata cenere . In queſſa hoſte fuoro Corpetani con tutto loro sforzo , e Manfredo loro Signiore . Foronce le maſnade de Peroſcini, de Todini, de Narginieſi . Baroni de Roma aſſai. Moito fò bella hoſte , potente , e honorata . Puoi che li Romani habbero conzumato e guaſto onne campo, habbero arzo lo lavoro , e lo lino ſi' in Vitervo, era mieſa ſtate de Luglio , quanno lo callo ſtao infervente . Allhora lo Tribuno determinao a queſſa hoſte gire perzonalmente, (28) *e muſtrare tutta ſoa valentitia con cavalieri e pedoni : e depopulare le Vigne de Vitervo . Quanno lo Prefietto queſſo ſentio , incontinente penzao de obbedire . In queſſo tiempo erano in deſtretto aiquanti Baroni : de Campituoglio non ſe potevano partire ; cioene Stefano de la Colonna , e Miſſore Jordano de Marini . Lo Prefietto inprima mannao l'Immaſciatori . Puoi perzonalemente venne a Roma . Era hora Nona .· Da mieſo die in Campituoglio entrao , e puſeſe ſotto le vraccia de lo Tribuno . In ſoa compagnia havea forza da ſeſſanta . Allhora foro inzerrate le porte de Campituoglio , e ſonao la campana . Fuoro adunati huomini e femmene de Roma . Lo Tribuno fece uno parlamento , ne lo quale diſſe , che Janni da Vico lo bolea obbedire , e a lo Puopolo de Roma . Allhora lò renveſtio de la Prefettura , e diſſe , che rennea li beni de lo Puopolo , e così fò fatto . Perchè nanti che lo Prefietto ſe partiſſe de Roma , e nanti che lo eſercito de Vetralla ſe ne veneſſe , raſſennata fò a li Fattori , e a lo Scintico de Roma , la Rocca de Reſpampano , e puoi lo Prefietto fò laſſato .*

CAPITOLO XVII.

Come il Tribuno avea per un ſogno preveduto tutto queſto .

H*Ora aſcoita novitate de le ſonnora . La notte denanti de lo die dell' accordo , che lo Tribuno dormeva in uno ſio honeſto e triumphale lietto (primo ſonno era) mentre che dormeva , comenzao fortemente a gridare per ſuonno , e diceva* : laſſame, laſſame . *A queſſo ſtrillare li ſervitori della Cammora curzero , e diſſero* : Signiore noſtro , che novitate ene ! volete

(28) e muſtrare tutta ſoa potentia con

A danum de Urſinis, tamquam Conſiliarium, conſociavit . Exercitus multis auxiliariorum copiis auctus , ad Urbem Vetrallæ caſtra locavit , eamque diebus ſexaginta obſedit . Incendiis , ac prædis cunctam uſque ad Viterbium planitiem devaſtavit . Viterbienſes magno timore perculſi fuerunt . Interim Vetrallenſes incolæ Urbem ultronea deditione tradiderunt . Vetrallæ erat valida quidem arx , qua Romani minime potiri potuere . Hanc autem bellorum machinis & artibus obtinere cupientes, trabuccos & manganellos ſtruxerunt . Frequentiſſimos lapides injiciebant . Aliam ligneam machinam, Aſellam nuncupatam , fabricarunt , quam uſque ad Arcis januam adduxere . Tunc nox advenit. Arcis defenſores ſulphur, picem, oleum, terebinthum , ligna , & alia commiſcentes, accenſam ejuſmodi mixturam Aſellæ injecerunt . Aſella nocte ipsâ incendio conſumta fuit . Sequenti die eam in cinerem redactam Romani invenerunt . In hunc exercitum convenere Cornetani cum tota eorum virtute , ac Manfredus illorum Dominus . Cohortes Peruſinorum, Tudertinorum , Narnienſium adfuere . Adfuerunt & quamplures Romani Dynaſtæ . Ob id Romanorum exercitus plurimum venuſtatis, potentiæ , ac honoris habuit . Poſtquam Romani agros omnes exterminio deſtruxerant , ædificia , ſata , & linum in campis Viterbium uſque incenderant , æſtas menſe Julio , ſolis æſtu infervescente , ad medium devenerat . Tunc voluit Tribunus ad caſtra illa perſonaliter ſe transferre , & una cum militibus ac peditibus ſuis propriam demonſtrare potentiam , & Viterbienſium vineas depopulari . Id quum Præfectus reſcivit , illico morem Tribuno gerere cogitavit . Hoc tempore nonnullis Baronibus e Capitolio abſcedere non permittebatur ; nimirum Stephano de Columna , & Domino Jordani de Marino . Præfectus Legatos in primis Romam direxit . Deinde ad Urbem & ipſe ſe contulit . Horâ Nonæ . circa meridiem , in Capitolium ingreſſus , Tribuni voluntati omnino ſemet commiſit. Sexaginta fortaſſe virorum præſidio ſtipatus venit . Tunc Capitolii portis clauſis , ad campanæ pulſum , virorum & mulierum Romanæ Urbis multitudo concurrit . Tribunus alloquutionem fecit , qua dixit , Johannem de Vico ſibi & Romano Populo obtemperaturum acceſſiſſe . Sermone completo , Præfecturæ dignitate Johannem Tribunus iterum inſignivit , addiditque , Johannem ipſum bona Populo reſtituere: quod quidem peractum fuit ; nam antequam Præfectus Româ diſcederet, & priuſquam exercitus Vetrallâ in Urbem rediret, Arx Reſpampani Quæſtoribus, & Syndico Romanorum reddita fuit : quamobrem Præfectus liber demum dimiſſus abiit.

CAP. XVII.

Tribunus omnia prænarrata per ſomnium eventura prænovit .

QUid vero per ſomnium Tribuno contigerit, accipe . Nocte præcedenti diei conventionis cum Præfecto initæ , Nicolaus ſplendido ac triumphali lecto decumbens , circa primam ſomni horam clamorem his vocibus dormiendo edidit : *Sine me , ſine me* . Hac vociferatione perciti cubicularii accurrerunt , dicentes : *Quid novi , Domine noſter ! quid præcipis?*

lete cobelle? *Allhora lo Tribuno era reſvegliato; favellao, e diſſe*: Mò io 'me ſonnava, che uno Frate bianco veneva a mene e diceva: Tuolli la toa Rocca de Reſpampano: ecco che te la renno. E dicenno queſſo in ſuonno, me preſe pe la mano. All' hora gridai. *Queſſo ſuonno nè più nè meno devenne, come fò. Uno Fraticiello, lo quale nome havea Frate Acuto de Aſſiſi, Hoſpitalieri, lo quale fece lo Hoſpitale della Croce de Santa Maria Rotonna (de lo quale* (29) *poteranne fare mentione nella renovatione de Pontemuollo) fò ſanta e buena perzona. Queſſo trattao la concordia tra li Romani e lo Prefietto. Venne lo ſequente die a lo Tribuno co le novelle de la pace, e diſſe*: Tuolli la Rocca de Reſpampano. Io te la renno. *Parlava a lo Puopolo lo Tribuno in parlatorio. Tutta la ſtrada de mercato piena era. In capo de la ſtrata apparze Frate Acuto, veſtuto de bianco, a cavallo in ſio aſinello coperto de bianco, incoronato de rami de oliva, co li rami de oliva in mano. Pe bederelo moita jente nce ſioccava. Da longa lo bedde lo Tribuno, e diſſe a li ſuoi Cubiculari*: Ecco lo ſuonno de queſſa notte. *In queſſa hoſte de Vetralla lo Romano habbe mille perzone da cavallo, pedoni ſiei milli. Sia hoſte ſo tornata incoronata de rami de oliva.*

CAPITOLO XVIII.

Si diſcorre ſopra i ſogni; e che tal volta rieſcono veridichi: Come quello di Fra Mierolo, di Marziano Imperatore, e di Caſſio.

Hora voglio un poco jeſcire dalla materia. Poteramme aicuno domannare, ſe lo ſuonno pò eſſere vero. A ciò reſponno e dico: bene che moiti ſuonni ſiano vanitate, ſiano moite deluſioni de demonia, nientedemeno moiti ſuonni ſe trova homo veri, como Dio li ſpiraſſe; ſpecialemente in perzone temperate, dove non abonnano fumoſitate pe crapola, e pe deſordenato civo, e in tiempo della notte, che ſe dice Aurora, quanno ſe parte la notte da lo die, che lo cerabro ſtao purificato, li ſpiriti ſtao temperati. De ciò fao fede lo Biato Santo Virgorio ne lo Dialogo. Dice Santo Virgorio, che ne lo Monaſterio ſio fò uno Monaco de ſanta vita e bona, lo quale havea nome Mierolo. Queſſo Mierolo fra le moite vertute havea queſſa, che mai non finava dicere Salmi, ſalvo quanno manecava, e dormeva. Infermao. Dormenno queſſo Frate Mierolo infiermo, ſonnaoſſe, che una bella corona de variati fiori ſcenneva de Cielo, e poſavaſe ne lo capo ſio. Queſſo ſuonno diſſe a li Monaci. Venne, e morio. Come interpretaſſe ſio ſuonno in buona parte, allegramente paſſao. Po' li anni quatordici di ſia morte un' aitro Monaco cavava la ſepoitura per uno muorto in quello luogo, dove Mierolo jacea ſepoito. Como fò cavata, ſubetamente da quello loco jeſcio una fragrantia, uno odore ſoaviſſimo, como foſſino ſtato in quella foſſa roſe, viole, gigli, e molti fiori. Dunque bene fò vero lo ſuonno de Mierolo, che de Cielo li veneva la corona de fiori; li quali fiori po' li anni quatordici renniero odore dentro la foſſa. Anco ne fa

(29) (dello quale de ſopra ſe fece mentione de Puonti Muolli)

A cipis? Expergefactus Tribunus reſpondit inquiens: *Per ſomnium nuper mihi videbar videre Fratrem albis veſtibus indutum, ad me accedentem, ac dicentem: Arcem tuam Reſpampani nunc ſuſcipe. Ecce eam tibi reſtituo. Talia mihi proferens Frater, manu me prehendit. Ob id alta voce clamavi.* Somnium iſtud eventui adamuſſim reſpondit. Fraterculus nomine Frater Acutus de Aſſiſio Hoſpitalarius, conditor Hoſpitalis Crucis Sanctæ Mariæ Rotundæ (de quo in reſtauratione Pontis Mollis meminimus) vir bonitate vitæ præclarus extitit. Concordiam inter Romanos ac Præfectum pertractavit. Sequenti die ad Tribunum pacis nuntius acceſſit, ei in hæc verba loquutus: *Reſpampani* B *Arcem accipe. Hanc tibi reddo.* Tribunus ad Populum verba in ſuggeſtu faciebat. Via Fori nundinarii Populo ubique referta videbatur. In capite viæ Frater Acutus candidis veſtimentis intectus, aſello albis phaleris ornato eques inſidens, olivæ ramuſculis contextâ coronâ redimitus, & oleæ ramum manu portans, apparuit. Populo undique, ut illum videret, in magno numero concurrente, Tribunus, ut adventantem Fratrem a longe proſpexit, Cubiculariis ſuis dixit: *Ecce præteritæ noctis ſomnium.* Ceterum Romani in exercitu Vetrallæ mille equites, & ſex millia peditum habuere. Hic exercitus ulivarum ſertis coronatus Romam denique remeavit.

C

CAP. XVIII.

Auctor de inſomniis, quæ eventu nonnumquam vera comprobantur, agit. Deſcribit Fratris Mieruli, Martiani Imperatoris, & Caſſii ſomnia.

A Propoſita narrationis ſerie nunc divertere lubet. Petenti abs me, num ſomnia actu vera comprobari poſſint, reponam, etſi plerumque vel ex vanitate, vel ex Dæmonum illuſionibus inſomnia prodeant, eorum quædam nihilominus, ceu a Numine immiſſa, a verita- D te non diſſentire. Iis autem præcipue ſomniare contigit, qui ſobrie viventes, nec obnoxii fumoſitati vaporum e crapula & immoderato cibo emergentium, nocturno tempore circa auroram, quum noctem proxime excepturus eſt dies, ſomnia agunt, & tunc quum ſpiritus in homine, cerebro perpurgato, quieſcunt. Teſtem beatum virum Gregorium advoco. Ipſe in Dialogo teſtatur, Monachum ſanctitate vitæ celebrem, Mierulum nomine, in ſuo Monaſterio vixiſſe. Hic virtutum omnium ornatiſſimus in more habuit a Pſalmorum recitatione numquam ceſſare, niſi quum cibum vel ſomnum caperet. In infirmitatem devenit. Dormiens idem Frater Mierulus infirmus per ſomnium E vidit diverſorum florum coronam e cœlo deſcendentem capiti ſuo imponi. Viſionem hanc Monachis enarravit. Mierulo mors obvenit. Quumque ſomnium ſuum in bonum ſenſum accepiſſet ac interpretatus fuiſſet, a ſeculo lætanter migravit. Anni jam quatuordecim a Mieruli obitu effluxerant, quum Monachus quidam ſepulturam, ad tumulandum cadaver neſcio cujus eodem in loco, in quo Mieruli corpus ſepultum jacebat, effodit. Qui poſtquam ſepulcrum excavaſſet, fragrans illico & ſuaviſſimus odor efflavit, ac ſi in ipſius foveæ loco roſæ, vio-

fa mentione Frate Martino ne la ſoa Cronica. Dice che Martiale 'mperatore, lo quale ſtava in Conſtantinopoli, una notte ſe ſonnao, che lo Arco de Attila bedea rotto in doi parte. Eſtimao Martiale, che Attila foſſi muorto, e così fò lo vero. Queſſo Attila fò granne Rege, e fò granne Tiranno. Havea arcieri aſſai. Tutta Pannonia e Bulgaria ijo profaniando. Depuopulao moite Cittate, Aquileja, & aitre. Acciſe Bella frate ſio; e fò ſconfitto da Franzeſi, Borgognioni, e Sanſoneſi, e Italiani. Nella quale ſconfitta fò muorto lo Re de Borgognia, e foronce muorti cento ottanta milia capora de huomeni; sì che rio de ſangue abbonnao, a tale che Attila Re, como ſconfitto, in ſio paeſe retornao, e adunao grannisſima jente de Ongari e de Datiani, e tornava pe rentrare in Italia. Da le prime Terre, che trovaſſi, fò Aquileja, la quale desfece: Papa Lione ſantiſſimo in quello tiempo bivea. Pregaolo, che ſe jeſciſſi fuore de Italia, e così fò. Como ſe pàrtio de Italia pe tornare in ſoa contrata, morio in Pannonia. La notte de ſoa morte apparze in ſuonno a Martiale 'mperatore in Coſtantinopoli in Grecia l'arco de Attila rotto: donne Martiale ſtimao, che Attila foſſe muorto, e coſinto fò. Ne fao ancora mentione Balerio Maſſimo de lo ſuonno de Caſſio Parmenſe, lo quale ſe trovao ad accidere Julio Cieſari, donne ſe era partuto de Roma, e già ſujenno. Ottaviano, ed Antuonio lo ſequitavano, como nemmico capitale. Queſſo Caſſio 'na notte ſe reduſſe in una piccola fortezza. Meſſo a lo lietto, ſonnaoſe 'no homo terribbele, co 'na faccia ſcura, lo quale lo menacciava. Soe menaccie erano in lengua Griecа. Pe doa voite a tale ſuonno ſe ſvegliao. A la tierza ſe fece benire lo lume, e commannao a li ſoi ſervienti che lo guardaſſino. Lo medeſimo ſuonno bedde ancora la dimane. Bene ſe verificao queſſo ſuonno, perchè le leggioni de Ottaviano, e la beſte de Antuonio li fò ſopra, e coſinto fò preſo Caſſio, e li fò tronco lo capo.

CAPITOLO XIX.

Dell' opinione d'Ariſtotile ſopra le cagioni, e varietà de' ſogni.

Ariſtotele lo Filoſofo de ciò ne fao mentione, e ſpeciale trattato in uno ſio volume, lo quale ha nome de Suonno e Vigilia, ne lo Capitolo de la Divinatione. Ne lo ſuonno, dice Ariſtotele, e quelli che ſequitano la ſia opinione, che lo ſuonno pote eſſere vero naturalmente. E ciò ſottilemente demonſtra per una cotale via. In prima ſoppone lo Filoſofo, che queſſa differentia ſia fra lo vegliare e lo dormire. Ne lo vegliare granni movimenti pargo a lo imaginare piccoli. Ne lo dormire li movimenti e le coſe piccole pargo granne. Como incontra, che in aicuna perzona poca de flemma doice le deſtilla per la vocca, e pareli aſſajare zuccaro, mele, e cennamomo. In aicuno abbonna poco de collora, e pareli bedere ſajette volare pe lo Cielo, ſocora, fiamme, e tempeſtate. In aicuno ſe move

A violæ, lilia, multique alii flores exſtitiſſent. Quo quidem caſu comprobatum fuit Martiali ſomnium, qui ſibi miſſam e cœlis floream coronam viderat, quum poſt quatuordecim annos flores in ejus tumulo odorem exhalarent. Martinus in Chronico ſcribit inſuper, Martianum Imperatorem Conſtantinopoli tunc immorantem nocte quadam Attilæ arcum in duas partes diſciſſum per ſomnium conſpexiſſe. Tunc Attilam e vivis exceſſiſſe Martianus exiſtimavit. Id eventu comprobatum fuit. Attila potens Rex & Tyrannus plurimos arcatores in exercitu habuit. Totam Pannoniam & Bulgariam prædis ac profanatione peragravit. Depopulatis ab ipſo multis Urbibus, Aquilejâ, aliiſque, interfecto fratre Belâ, Franci, Burgundiones, Saxones, & Itali Attilam in prœlio fuderunt. In ea profligatione Rex Burgundiæ occubuit, & centum octoginta millia virorum capita occiſa periere, ſanguinis humani rivo decurrente. Rex Attila, utpote victus, patrium ſolum repetiit. Ibi collectâ maxima Hungarorum, Dacorumque multitudine, denuo reverſus Italiam ingredi voluit. Inter Civitates, quas in reditu obvias habuit, Aquileja deſtructa ab illo fuit. Sanctiſſimus Pontifex Leo tunc temporis vivebat. Attilam exoravit, ut Italiâ abſcederet. Papæ precibus Rex morem geſſit. Quum diſceſſiſſet, ad patrias terras remeaturus, in Pannonia e vivis abiit. Nocte, quâ obiit, Martiano Conſtantinopoli in Græcia viſus per inſomnium fractus Attilæ arcus: ex quo Martianus Attilam exſpiraſſe conjecit. Id vero conſonum fuit. Valerius Maximus ſomnii Caſſii Parmenſis meminit, unius ex Julii Cæſaris interfectoribus. Caſſius, quem Octavianus & Antonius, tamquam inimicum capitalem, inſectabantur, Româ aufugit. Nocte quadam in Arce anguſta, ad quam diverterat, lecto decumbens, per ſomnium virum aſpectu terribilem, vultuque truci minantem aſpexit. Vir ille Græco ſermone comminationes Caſſio denuntiavit. Semel atque iterum Caſſius ſomno excitatus, quum jam tertio periculum a comminante intentari ſibi audiret, lucernam admoveri præcepit, ſervoſque, ut ſemetipſum cuſtodirent, accivit. Sequenti die ſomnium illud rurſus perpeſſus fuit, quod demum rei exitus verum patefecit. Etenim Octaviani legiones, & exercitus Antonii obſeſſum Caſſium ceperunt, qui capitis obtruncatione vitam finivit.

CAP. XIX.

Ariſtotelis judicium de cauſſis & differentiis ſomniorum.

Ariſtoteles Philoſophus de ſomniis agens, in Volumine, cui titulus *de Somno & Vigilia*, Capitulo *de Divinatione* præcipue diſſeruit. Is autem ac alii cum eo ſentientes, ſomnium naturaliter verum eſſe poſſe autumant. Hac ſubtili demonſtratione in hunc modum id probat Philoſophus. Illud diſcriminis inter vigiliam ac ſomnum intercedere in primis edocet, quod ſcilicet, quum vigilamus, magni rerum motus imaginationi noſtræ exigui apparent; quum autem dormimus, motus ipſi, & res parvæ grandes repræſentantur. Veluti cuipiam dormienti contingit, cui nonnihil pituitæ dulcis in ore exſtillet. Hic enim ſaporem ſacchari, mellis, vel cinamomi deguſtare ſibi videtur. Ita ille, qui tantiſper iraſcitur, ſagittas, fulgura, flammas, ac tempeſtates per aërem vo-

ve ventoſitate , o vero aicuno picolo ventariello , e pareli bedere , che tutte le ventora tempeſtino. La caſcione de ciò sì ene , che ne lo ſopore tutti li ſpiriti ſtaco inziemmora redutti dentro alla fantaſia , e alla imaginativa ; donne ſeco più temperati a comprennere. Anco perchè ſoco adunati , ſoco più potienti in ſoa operatione . Nello vigliare li ſpiriti ſoco deſpierzi . Le coſe ſoco varie e moite ; e (30) *quanno ene più forte , che quanno ene ſparza . Jà havemo , che li ſpiriti ne la notte ſtaco ſolleciti , intentoroſi , e piccola coſa li move . La ſecunna coſa , che preſoppone Ariſtotele , ene queſſa . Dice ciò , che noi operamo , ene per l'airo , ſenza lo quale bivere non ſe pote . L'airo ene in mieſo de noi . La favella humana vao da homo in homo ; perchè l'airo ene refratto da homo in homo , l'airo ſe muta e move ſecunno le mutationi, le quali li homini faco , como ene de le denſitati de le forme , che appargo ne lo ſpecchio . Pone uno aitro eſempio. Aicuno jetta li preta ne lo laco . La preta move l'acqua . L'acqua moſſa una parte , move l'aitra parte vicina in modo de rota , e tante rote fao , quanto dura la potentia de lo vraccio. Stao lo peſcatore : con uno ſio hamo peſca , e non bede quello , che la preta jettao , ma bede li cierchi , che l'acqua fao . Conoſcie, che homo li fao impaccio a lo peſce prennere . Moveſe , e vene a preare , che no' jetti prete più . Accosì , dice Ariſtotele , la favella, le operationi humane mutano l'airo . L'airo mutato da parte in parte perveo a lo ſentimiento humano , e dell' aitri animali ; como incontra , che la Camarda, e le morte corpora jettano vapori corrotti pe l'airo , e perveo a lo odorato de li corpi , e de li avoitori . Donne ſe ſcrive , che cinqueciento miglia lo avoitore curre a le corpora morte ? queſſo non fora per aitro , ſe nò pe la mutatione , che fa l'airo corrotto , continuato da cuorpo a cuorpo . Hora vole Ariſtotele , che non ſolamente li effetti de le coſe mutino l'airo , ma anco ſe muta l'airo pe lo volere e penzamento dell' uomo , che quanno uno vole accidere uno aitro , li ſpiriti ſe li inſiammano adduoſſo . Li ſpiriti inſiammati mutano l'airo ſecunno qualitate de quella collora acceſa . L'airo mutato ſe continua co la perzona , che deve eſſere offeſa . Ne la perzona , che offeſa dee eſſere , ſtaco li ſpiriti temperati ſecunno la connitione de lo ſuonno . Comprenne l'ira dell' huomo ſopra di ſe , ſecunno aicuna ſpetie , o in tale ſpetie , o ſimile . Queſſa ene la raſcione naturale , la quale adduce lo Filoſofo . Dunqua non fò inconveniente ſe quello 'mperatore bedde in ſuonno lo arco de Attila rotto , che pe la morte de Attila l'airo mutato ne lo emiſperio de parte in parte ſenza contradittione pervenne a lo ſpirito de lo 'mperatore dormente . Hora voglio tornare a la materia .*

CAPI-

(30) E quanno la virtute ſtao unita , ene più forte , chè quanno ſtao ſparza.

A volitantes ſe videre opinatur . Alius autem , cui flatus aliquantillum interius ſuſcitantur, procellas ac turbines a ventis excitatos cernere arbitratur . Effectuum ejuſmodi rationem hanc eſſe ait , quia in ſopore omnes ſpiritus ſimul collecti in imaginatione & phantaſia noſtra tunc conſiſtunt , aptiores proinde movendæ apprehenſioni . Porro ſpiritus ipſi , utpote congregati , in operando potentiores utique ſunt . At vigilantium ſpiritus diſperguntur. Rerum objecta diverſa & multiplicia tunc apparent . Verùm virtus unita fortior eſt , quam diviſa. Cæterum ſcimus, humanos ſpiritus nocturno tempore ſolicitos , anxios , timidoſque eſſe , atque a tenuiſſimis rerum objectis facile commoveri.

B Alterum præſupponit Ariſtoteles , actus nimirum humanos per aërem , ſine quo vivere nequimus , continuo exeri ac tranſire . Aër inter noſmetipſos & humanum ſermonem intermedius , ab homine ad hominem procedens , ac de viro in virum refractus, immutatur, & movetur ſecundum hominum mutationes ; uti accidit in ſpiſſitudinibus formarum in ſpeculo apparentium . Alio exemplo utitur Ariſtoteles . Saxo , quod aliquis in lacum projicit , movetur aqua , quæ ex una parte commota proximiorem aliam partem commovet in rotæ modum . Ob id tot rotæ in aqua producuntur , quouſque vis brachii, quod ſaxum injecit, perdurat . Piſcator hamo piſces captare quærens,
C manum projicientis non videt , ſed circulos , quos aqua deſignat , conſpiciens , intelligit ſaxorum jactus piſcibus capiendis impedimento eſſe . Exſurgit , & rogat hominem , ne in aquam ſaxa amplius immittat . Haud ſecus , inquit Philoſophus , ſermo noſter , & humani actus aërem immutant. Aër immutatus huc illuc ad hominis , & aliorum animantium ſenſum pervenit . Quod evenire conſtat in fœtidis rebus , & cadaveribus mortuorum , ex quibus corrupti vapores per aërem adeo diffluunt , ut luporum & accipitrum olfactum pertingentes permoveant . Quanam ratione ſcriptum arbitraris , accipitrem ad cadavera quingentis milliariis a ſe diſſita convolare ? Ejus rei nil aliud
D in cauſsâ eſſe credas , quàm aëris immutationem de corpore ad corpus ſucceſſive progredientis . Hinc contendit Ariſtoteles , effectus rerum nedum immutare aëris diſpoſitionem , ſed & aërem ipſum ſecundum humanarum voluntatum & cogitationum diverſitates immutari . Quum quiſpiam alium interficere meditatur , humani ſpiritus interiores inflammantur . Sic inflammati ſe exerentes immutant aërem ſecundum efferveſcentis iracundiæ qualitatem . Sic affectus , & immutatus aër ad eum , qui lædendus eſt , pervenit . In eo , qui offendendus eſt, ſpiritus temperati ſecundùm ſomni conditionem inſunt . Lædendus igitur iracundiam alterius ſibi obventuram præſentit , ſecundum
E aliquam ſpeciem , aut in tali , & ſimili ſpecie. Rationem hanc naturalem adfert Philoſophus . Quare non inconveniens fuit , laudatum Imperatorem per inſomnium vidiſſe Attilæ fractum arcum . Nam Attilæ obitu aër in emiſphærio immutatus hinc inde , abſque obſtaculo ad ſpiritus dormientis Auguſti uſque pervenit . In narrationis viam redeamus .

CAP.

A

CAPITOLO XX.

Vengono conſegnate al Tribuno molte Caſtella e Fortezze, e reſali obedienza da molti potenti. Edifica una Cappella nel ſuo Palazzo. In che modo egli interviene alla Meſſa. E la ſua moglie è corteggiata dalle Patrizie, e i parenti da' Cittadini.

B *PUoichè lo Prefietto obbedio, e aſſennao la Rocca de Reſpampano, incontenente li fò raſſennato in Maretima lo fuorte & opulento Caſtiello de Cere; puoi Monticielli da prieſſo a Tivoli, Vitorchiano da prieſſo de Vitervo, la Rocca de Civitavecchia canto mare, lo Piglio in Campagnia, e Puorto canto Tevere. Habbe allhora a le ſoe mano le Fortellezze, li Paſſi, e li Ponti de Roma in tutto. Allhora fece core, e ordinao Janni Colonna Capitanio contro quelli de Campagnia, ſe fuſſino rebelli, ſpecialemente contro lo Conte de Fonni Janni Gajetano. Lo quale Janni e li Campanini obbediero. Lo Prefietto in ſegnio de vera obbedientia mannao Franceſco ſuo figlio pe ſtaggio moito honoratamente accompagniato.* C *Allhora Cola de Buccio de Vranca, uno potiente, che havitava ſopra le montagne de Riete, fuijo, e aizao pe la più corta, longa da terra de Roma. Puoi fece in Campituoglio una moito bella Cappella renchiuſa con fierri ſtaennati. Là dentro faceva cantare ſolenne Meſſa con Cantori aſſai, e moita illuminaria. Puoi ſe faceva ſtare denanti a sè, mentre ſedeva, li Baroni tutti in piedi ritti co le vraccia piecate, e co li cappucci tratti. Deh como ſtavano paurosi! Havea queſſo Cola una ſia moglie moito jovene e bella, la quale quanno jeva a Santo Pietro, jeva accompagnata da (31) joveni armati. Delle Patricie la ſequitavano. Le fanteſche co li ſottili pannicielli nanti a lo viſajo li faceano viento, e innuſtrioſamente roſtavano, che ſoa faccia non foſſe offeſa* D *da moſche. Havea uno ſio Zio, Janni Barbieri havea nome. Barbieri fò, e fatto fò granne Signiore, e fò chiamato Janni Roſcio. Jeva a cavallo, forte accompagniato da Cittatini Romani. Tutti li ſiei parienti jevano a paro. Havea una ſoa ſorella bedoa, la quale voize maritare a Barone de Caſtella.*

CAP. XX.

Caſtella & Arces plures Tribuno redduntur. Potentes multi obſequium ei praeſtant. Ædem ſacram in Palatio ſuo conſtruit. Modus, quo ad audiendum Miſſæ ſacrificium ſe confert, deſcribitur. Tribuni uxor a Patritiis mulieribus aulico cultu ſociatur. Cives affinibus Tribuni aulicum famulitium præbent.

QUum Præfectus ad mandata Tribuni veniſſet, & Arcem Reſpampani reddidiſſet, illico opulentum ac munitum Cære Caſtrum Tribuno ipſi deditionem fecit. Inde Monticulum juxta Tibur, Vetorclanum prope Viterbium, Arx Civitatis Veteris ſecus mare, Pilium in Campania, & Portus ſecus Tiberim. Arces inſuper, Pedagia, & Pontes Romæ undique eidem fuerunt concrediti. Tunc animum reſumens, conſtituit Johannem de Columna ducem adversùs Campanos, ſi umquam defecturi forent, & præſertim contra Comitem Fundanum Johannem Cajetanum. Qui Johannes & Campani demum obediere. Præfectus in verioris obſequii ſignum, Franciſcum primogenitum ſuum, honorifica ſtipatum comitiva, obſidem Tribuno miſit. Tunc Nicolaus Buccii de Branca, ex potentibus unus, qui in Reatinis montibus incolebat, fugam arripiens, per breviorem viam ab Urbe longe receſſit. Poſtmodum Tribunus perquam elegantem ſacram Ædem in Capitolio, ferreis ſtamno obductis cancellis ſeptam extruxit, in qua Miſſæ ſacrum Muſicorum concentu, & pluribus accenſis luminibus faciebat ſolemniter celebrari. Quum ſedebat, Dynaſtæ omnes coram & ante ipſum pedibus erecti, inclinatis brachiis, cucullis nudati, timorem præſeferentes, conſiſtebant. Erat Nicolao uxor ætate juvenis, & corpore venuſta, quæ quum ad Divi Petri Baſilicam pergebat, armatis deducta adoleſcentibus, & Patritiis feminis conſociata incedebat. Ancillæ ſubtilibus panniculis faciem Dominæ ventilantes, ſolerter impediebant, quominus muſcarum importunitate vultus ejus impeteretur. Uxori Tribuni patruus fuit Johannes Barbitonſor, qui tonſtrinam exercuerat; ac appellatus fuit Johannes Rubeus, opibus bene multis provectus. Is obequitabat, & Romanorum Civium comitatu deducebatur. Ceteri affines Tribuni pari paſſu procedebant. Nicolao ipſi fuit etiam germana ſoror, quam viduam Baroni de Caſtella in conjugem tradere voluit.

CAPITOLO XXI.

E Da Città e Caſtella lontane vien gente a Roma per giuſtizia, che buoniſſimi effetti partoriſce. E Cola volendo eſſere ſolo Signiore licentia il Legato del Papa, e a Sua Santità manda Ambaſceria.

LO Tribuno fece anco Oficiali, e renovao onne raſcione. Allhora fama e paura de sì buono reimento paſſao in onne terra. De Cittati e Terre moito lontane vennero a Roma perzone, le

CAP. XXI.

Ab Urbibus & longe poſitis locis venientes Populi, jus & juſtitiam impetraturi, Romam confluunt. Effectus optimi ex adminiſtratione juſtitiæ oboriuntur. Nicolaus volens ſolus dominari, Pontificis Legatum dimittit. Ad Papam Legatos dirigit.

TRibunus Officiales conſtituit, & juris adminiſtrationem renovavit. Tunc optimi regiminis fama ac metus ubique pervaſit. Civitatum & Terrarum longe remotarum incolæ, ac-

(31) da jovani ornati. Delle

le quale accuſaro ; e quelle che appellaro , e quelli che fuoro poniti , non lo potieri credere . Nella Cittate de Peroſcia fò occultamente occiſo uno Judio ricchiſſimo uſuraro co la ſoa Judea. Con lo tiempo la eſecutione fò trattata a Roma. Moiti offeſi tiranniati delle Cittati de Toſcana vennero a Roma , e pregavano per Dio , che li remetteſſi in loro caſe . Ad onne jente bene prometteva. Hora ſpeſſiano li foreſtieri; e li alberghi ſoco ripieni pe la folla de la moita foreſteria . Le caſe abbannonate ſe racconciano. Ne lo Mercato moita jente corre . Li Signiori de Montagnia , quelli de li Malieri , Todino de Antonio, li quali de Roma ſoco ſtati ſempre ſtranieri , tutti ſe rapreſentano . In tiempo de tanta proſperitate volenno eſſere ſolo Signiore , licentiao lo Vicario de lo Papa ſio Collega , lo quale fò uno tramontano , granne Decretaliſta , e Veſcovo de Vitervo ; bene che da Avignione dalli granni Prelati haveſſi le moite lettere , e le moite ammaſciarie . Allora mannao uno 'mmaſciatore a lo Papa , ſignificanno queſſo ſtato . Queſſo 'mmaſciatore , puoi che fò tornato, diſſe, che lo Papa con tutti li Cardenali fuorte dubitaro .

CAPITOLO XXII.

Le principali Città e Principi della Criſtianità mandano Ambaſciadori al Tribuno .

HOra te conto le 'mmaſciate ornate, le quale ad eſſo venevano . Tutta Roma ſtava leta : rideva ; pareva tornare alli anni megliori paſſati . Venne la honorabbele 'mmaſciata e triumfale de Fiorentini , de Saneſi, de Arezzo , de Todi, de Terani, de Spoleti, de Rieti , de Amelia , de Tivoli, de Velletri, de Piſtoja, de Foligni, e de Aſceſi. Queſſe, e moiti aitri huomini de ſpettata bontate , perzone poſate e honeſte, Judici, Cavalieri, e Mercatanti , belli e facunni parlatori , homeni de ſapienza, facevano le 'mmaſciarie . Tutte queſſe Cittate e Communanze ſe offierziero a lo buono ſtato , le Cittate de Campagnia , lo Ducato . (32) Le Terre de Patrimonio renneroſe . Non volenno ſtare ſotto la Chieſia lo Puopolo de Gajeta , co la 'mmaſciaria mannao diecimilia Fiorini, e offierzeroſe . Veneziani ſcriſſero lettere ſejellate co lo ſejello pennente de piommo , nelle quale offierzeno allo buono ſtato le perzone loro , e lo havere . Miſſore Luchino lo granne Tiranno de Milano , mannao una lettera , nella quale confortao lo Tribuno a bene fare, e allo buono ſtato, e ammaeſtraolo , che cautamente ſapeſſe domare li Baroni . La majure parte de li Tiranni de Lommardia lo deſprezzaro . Ciò fò Miſſore Taddeo de li Pepoli de Bologna , lo Marcheſe Obizo de Ferrara, Miſſore Maſtino de la Scala de Verona , Miſſore Filippino de Gonzaga de Mantova , li Signiori de Carrara de Padova : in Romagna Miſſore Franceſco de li Ordelaſſi de Forlì , Miſſore Malateſta de Arimino , e moiti aitri Tiranni; li quali fatta laida e beputeroſa reſpoſta, havuto più maturo conziglio apparecchiavano de mannare ſolenni ammaſciate . Ludovico Duce de Bavera jà 'mperatore ſi' da la

(32) Lo Ducato de Sora , le Terre dello Patrimonio ſe renniero : sì non voleno eſſere ſotto la Chieſia. Lo Puopolo &c.

A accuſationes laturi Romam convenere . Eorum qui appellarunt , & aliorum qui mulctati fuerunt , numerum vix credas . Quum in Urbe Peruſina Judæus quidam ditiſſimus , uſuras faciens , clandeſtina nece una cum conjuge interfectus fuiſſet , Romæ per id temporis mortis ejuſdem cognitio habita fuit . Cives complures Civitatum Tuſciæ , tyrannide exagitati , Romam concurrentes , ſupplicarunt, ut ad proprias domos reducerentur . Cuilibet ſpem bonam pollicebatur Nicolaus . Nunc alienigenarum frequentiâ ad Urbem excreſcente , hoſpitia præ advenientium multitudine habitatoribus replebantur, adeo ut domus jam derelictæ reficerentur . B Ingens hominum cœtus in Mercatum concurrit . Domini Montium , & illi de Maliero , Todinus de Antonio , qui Româ exteri ſemper abſuerant , comparuerunt . Dum tanta proſperitate frueretur, & ſolus dominari vellet Tribunus, Pontificis Vicarium collegam , ultra montes editum , Decretorum peritiſſimum , & Viterbienſem Epiſcopum , dimiſit ; licèt majorum Prælatorum Epiſtolas, pluresque legationes ab Avinionis Civitate haberet . Tunc ad Pontificem Legatum ſuum Nicolaus, rei ſtatum ſignificans, direxit. Legatus , quum Romam rediit , Pontificem , & omnes Cardinales ſummopere de eo dubitaviſſe aſſeveravit.

C

CAP. XXII.

Nobiliores Civitates & Principes Chriſtiani Legatos Tribuno mittunt.

ORnatas legationes Tribuno deſtinatas nunc enarrabo . Roma univerſa florens ac ridens , ad meliores & feliciores annos tunc rediiſſe videbatur . Florentinorum triumphalis & ampliſſima legatio Romam advenit . Senenſium, Aretinorum , Tudertinorum , Teramnenſium , Spoletanorum , Reatinorum , Amelienſium , Tiburtinorum , Velletrenſium , Piſtorienſium , Fulginatenſium , & Aſſiſiorum Legati pariter coram Tribuno ſteterunt . Ejuſmodi Civitatum , D & multorum aliorum Potentum legationes ab honeſtis , gravibus , & ſpectatæ virtutis hominibus ſuſcipiebantur , puta Judicibus , Militibus , & Mercatoribus , qui ornatu , facundiâ , & ſapientiâ plurimum pollebant . Laudatarum Urbium Communia , & Campaniæ , ac Ducatus Civitates recto Tribuni regimini ſe ipſas obtulere . Patrimonii Oppida voluntariam deditionem fecerunt . Cajetæ Populus , imperium Eccleſiæ detrectans , Legatos & decem millia Florenorum Nicolao miſit , eique ad nutum ſe ſe obtulit . Epiſtolas plumbeo pendenti ſigillo munitas Veneti ſcripſere, bona nedum, ſed & perſonas laudabili Tribuni moderamini offerentes . Dominus Luchinus , potens Me- E diolani Tyrannus , epiſtolam miſit , qua Nicolao modum bene regendi , & Barones caute coërcendi , aperuit . Plerique Lombardorum Tyranni , nimirum Dominus Thaddæus de Pepulis de Bononia , Marchio Opizo Ferrariæ , Dominus Maſtinus de la Scala Veronæ, Dominus Philippinus de Gonzaga Mantuæ , Carrarienſes Patavii Domini, Franciſcus de Ordelaſſis in Romandiola Forolivii Dominus . Dominus Malateſta de Arimino , & alii plures Tyranni Tribunum ſpreverunt . Hi tamen, quum Ni-

la Alemagnia mannao ſecreti Ammaſciatori, e pregava per Dio, che l'accordaſſi co la Chieſia, che non voleva morire ſcommunicato. Dallo Regnio de Puglia gli ſcriſſe lo Duca de Durazzo, e li fece offierta. Ne lo ſopraſcritto diceva: A lo Amico nuoſtro Cariſſimo. *Ancora li ſcriſſe Miſſore Aloiſci Prencipe de Taranto, e aitri Regali. Da Lodovico Re de Ongaria veneva una groſſa 'mmaſciata e honorata. Jà vennero li Preventori delli 'mmaſciatori, e pregavano, che lo Tribuno co lo Puòpolo de Roma provedeſſero ſopra la vennetta, la quale ſe doveſſe fare de la cruda morte, la quale fece lo Re Antreaſſo Re de Puglia, lo quale da li Baroni era ſtato appeſo (come ſe dicerao puoi). Erano queſſi Preventori de la 'mmaſciaria doi perzone aſſai notabile, veſtuti con ricchi velluti verdi, forrati de vari, con cappe Alemanne. Quanno lo Tribuno inteſe loro immaſciate, volennoli dare reſpoſta, menaoli sù ne lo parlatorio denanti a tutto lo Puopolo. Era die Sabbato. Fatto era de aliquanti juſtitia. Allhora ſe fece ponere in capo la ſia Corona Tribunale (de la quale io farrajo mentione). Ne la mano ritta teneva uno melo de ariento co la Croce. Allhora favellao e diſſe:* Judicarao la rotonnitate de le Terre nella juſtitia, e li Puopoli in equalitate. *Diſſe puoi:* Queſſi ſoco li 'mmaſciatori delli Ongari, li quali domannano juſtitia de la morte dell' aitro innocente Re Antreaſſo. *Da la Reina Joanna moglie de lo Re Antreaſſo, infelice Re, habbe lettere gratioſe; dalla quale medeſima la Tribuneſſa ne habbe cinquecientо Fiorini, e ghioje. Dallo Santo Patre Apoſtolico lettere habbe, che faceſſe bene. Da moiti Prelati lettere habbe ſpeciali, che ſapeſſe ſuiere le zinne della Santa Chieſia, como de pietoſa e doice matre. Hora Filippo de Valloys Re de Francia lettere manna per uno Arcieri. La lettera era ſcritta in vulgare. Nè era pompoſa, ma era como lettera de Mercatanti. Quanno la lettera fò jonta in Roma, lo Tribuno era caduto de ſio dominio. Lo ſtato era rotto. Donne fò aſſemata alli Signiori de Caſtiello Santo Agnilo. Malavranca Cancellieri de Roma l'habbe in ſoe mano.*

CAPITOLO XXIII.

Delle magnifiche riſpoſte, che dà Cola alli Ambaſciadori.

V*Oglio aicune coſe abbreviare de le magnifiche riſpoſte le quali daeva. Venne a Roma l'ammaſciata de lo Prencipe de Taranto. Tre foro li 'mmaſciatori; uno Arciveſcovo dell' Ordine de Santo Franceſco, Maſtro in Teologia; uno Cavalieri a Speroni de auro; e uno Judice, con bella compagnia, ſome, e aitro arneſe. Quanno li tre Ammaſciatori fuoro denanti allo Tribuno, lo Arciveſcovo propuſe queſſe paraole:* Miſit viros renovare amicitiam. *Puoi ſe deſteſe e diſſe, como loro Signiore ſe allegrava moito de sì fatto ſtato. Puoi lo confortao: puoi ſe offerio; poi domannao, che Romani foſ-*

A Nicolao inhoneſte ac vituperabiliter primò reſpondiſſent, maturiori habito conſilio ſolemnes legatos ipſi Tribuno demum deſtinabant. Ludovicus Bavariæ Dux, Imperator electus, ab Alemanniæ partibus legationem ſecreto transmiſit, Nicolaum enixe rogans, ut ſibi reconciliationem cum Eccleſia procuraret, Eccleſiaſtica communione privatus decedere nolens. E Regno Neapolitano Dux Duratii epiſtolam ſcribens Tribuno, operam ſuam promiſit, exteriori hoc titulo uſus: *Amico noſtro cariſſimo*. Dominus Aloyſius Princeps Taranti, & alii Regales ejuſdem Regni pariter ſcripſere. A Ludovico quoque Hungariæ Rege honorifica & ſolemnis legatio ad Nicolaum properabat. Præ-
B miſſi jam venerant legatorum præcurſores, ſupplicantes, ut Tribunus & Populus Romanus ultioni conſulerent, quæ ſuſcipienda erat, uti dicemus, de crudeli nece Andreæ Regis Apuliæ, qui a Baronibus ſuſpendio interfectus fuerat. Præcurſores illi fuere duo ſpectabiles viri, ſpecioſis ſerici gauſapini coloris viridis veſtibus induti, Variorum pellibus ſubſutis, Alamannicis palliis intecti. Hos, poſtquam ea, quæ in mandatis habuerant, retuliſſent, Nicolaus, reſponſum petitionibus ipſorum daturus, ad ſuggeſtum coram Populo Romano, die Sabbati, perduxit. Ea die debitis ſuppliciis flagitioſos quoſdam affecerat. Tunc ut capiti ſuo Tribunitia corona imponeretur, præcepit, de qua
C alibi ſermo recurret. Argenteum pomum cum Cruce dexterâ tenens, in hæc verba loquutus fuit: *Urbes per circuitum in juſtitia judicabit, & Populos in æquitate*. Et hæc addidit: *Hic Hungarorum Regis Legati, juſtitiam de morte alterius innocentis Regis Andreæ poſcentes, adſunt*. A Regina Johanna infortunati Regis Andreæ conjuge epiſtolas ſuſcepit. Nicolai uxori Regina Johanna quingentos Florenos & gemmas dono miſit. Apoſtolicus pater ſummus Pontifex Tribunum, ut rectæ adminiſtrationi vacaret, per literas admonuit. Prælati quamplures ſpecialibus exhortatoriis epiſtolis ei conſuluere, ut Eccleſiæ, ceu piæ dulciſque matris, ubera ſugere diſceret. At Philippus de
D Valois Rex Franciæ per Sagittarium ſuum epiſtolam vulgari idiomate, & nullâ verborum pompâ exaratam, mercantilis epiſtolæ guſtum potius præſeferentem, Nicolao remiſit. Verùm eadem epiſtola Regis Romam tunc allata fuit, quum Tribunus e dominio deciderat. Tunc enim regiminis ordo confuſus erat. Quapropter Dominis de Caſtro Sancti Angeli tradita fuit, & ad manus Malebrancæ Cancellarii Urbis Romæ devenit.

CAP. XXIII.

Magnifica reſponſa Tribunus Legatis reddit.

E

DE luculentis reſponſis a Nicolao Legatis factis breviter nunc mihi ſcribendum eſt. Legatione a Tarentino Principe Romam miſsâ functi fuere tres viri: nempe quidam Archiepiſcopus Ordinis Minorum Sancti Franciſci, Theologiæ Magiſter; & alter quidam Miles Auratus; & quidam Judex, decenti comitivâ ſtipati, ſarcinis & ſupellectilibus inſtructi. Qui ubi coram Tribuno conſtitere, Archiepiſcopus hæc præfatus fuit: *Miſit viros renovare amicitiam*. Exinde ſermone deducto retulit, Dominum ſuum de ſuſcepto imperio eidem ſummopere gratulari. Hinc Nicolaum adhortans,

ſino una con eſſo a contrariare a lo Re de Ongaria, lo quale beneva ad ardere, e refocare lo Reame de Puglia. Ditte queſſe paravole lo 'mmaſciatore fece fine. A queſſe paravole lo Tribuno ſenza proviſione aicuna reſpuſe pe queſſa via. In prima propuſe così : Sint procul a nobis arma & gladius. Terra marique ſit pax. *Puoi diſſe* : Haveino aiquanti puopolari, co li quali havuto conziglio, a voi daremo reſpoſta. *Quanno lo Frate maſtro in Teologia queſſe paravole habbe inteſo, ſubbitamente esbauttio sì forte, che brevemente non ſapea che ſe dicere. La caſcione de lo ſio sbauttimiento fò queſſa, che la reſpuoſta de lo Tribuno reſponnea a la propuoſta; e ammedoe erano de 'no tieſto, poco de longa lo uno dall' aitro ne lo Libbro de li Maccabei. La opera fò così* : Jente ſtraniera pe' forza entrao nello Reame de Judea. Li Regali de Judea forte reſiſtenza fecero. La guerra fò granne. Li campi non fuoro coitivati. La careſtia era granne pe la contrata. Non haveano foraggio. Convenne a li Judiei recorrere a Romani, co li quali haveano lega. Donnemannaro a Roma li Ammaſciatori pe renovare queſſa amiſtanza, che boleano ajuto e ſoccurzo. Anco vennero, e addomannaro grano pe la careſtia, che haveano. In ciò adduſſero navi, e adduſſero moneta aſſai. Romani reſpuſero in una lettera, e ſcriſſero, che eſſi ottavano non eſſere guerra in loro pajeſe de Judea, e che pace li donaſſe Dio pe terra e pe mare. Alla opera della Annona li Romani caricaro le navi (33) de grano, e remannaro in reto la moneta. *De ciò lo Frate esbauttio, che penzao in ſio animo* : moito ene ſavio homo queſſo Tribuno; moita ſcienza (34) ſao; moita memoria, e prodezza hao.

A & Principis operam ei promittens, expetiit, ut Romani una cum Tribuno opponerentur Hungariæ Regi, brevi venturo ad Regnum Apuliæ ferro ac igne delendum. Talibus verbis orationi finem impoſuit Legatus. Tribunus nullâ dicendi præconceptâ formulâ ita reſpondit, his exorſus. *Sint procul a nobis arma & gladius. Terra marique ſit pax.* Poſtmodum inquit: *Poſtquam cum nonnullis popularibus conſilium inierimus, vobis reſponſa dabimus.* Theologiæ Magiſter quum hæc audivit, ſubito timore correptus, quid breviter reponeret, neſciebat. Immiſſi Legato timoris cauſſa fuit Tribuni reſponſio aptiſſima rogationi. Earum utraque ex unico textu, e Libro ſcilicet Maccabæorum derivata nihil fere differebat. B Ita quippe res ſe habuit. *Alienigenæ in Regnum Judeæ violenter irruperunt. Obſiſtentibus Judeæ Principibus, atrox bellum exarſit. Agris culturâ deſtitutis, inopiâ grandi Regnum laborabat. Pabulatus deficiebat. Tunc Judæi Romanorum, quibuſcum fœdera jam ſtabiliverant, auxilia implorarunt. Ob id Legatos Romam miſerunt, amicitiam renovaturi, præſidium ac opem expetituri. Qui quum veniſſent, frumenti ſubſidia, ut fami poſſent conſulere, popoſcerunt. Quare & naves adduxere, & pecuniam multam attulerunt. Romani per Epiſtolam reſcripſere, in votis utique habere, ut Regio Judæorum nullo bello affligeretur, utque terra marique* C *pacem Numina redderent. Porro annonam Romani præbentes Judæis, eos cum navibus frumento onuſtis, & cum pecunia, quam exportaverant, remiſerunt.* Quibus auditis Archiepiſcopus admiratione & terrore percitus, in corde ſuo dixit: *Multâ ſane ſapientiâ, ſcientiâ, memoriâ, multâque prudentiâ Tribunus hic præditus eſt.*

CAPITOLO XXIV.

Eſempi notabili della buona giuſtizia del Tribuno.

Hora te boglio contare aicuna coſa de la juſtitia, la quale queſſo facea. Confeſſo, che quelli, che in Roma venneno carne e peſcie, ſiano li pejori huomeni de lo munno. Onne jente ſuoglio emmrattare. Allhora dicevano nettamente* : queſſa carne ene de Peco : queſſa ene de Crapa : queſſa ene ſediticcia. Queſſo peſcie ene buono, queſſo ene rio. *Nettamente ciaſche Arte diceva la veritate. Fra li aitri 'mmaſciatori uno Monaco nero de la Cittate de Caſtiello venne a Roma. Aibergao in Campo de Fiore. Là puo' veſpro levato da cena, non poteo trovare li Cappa, la quale havea laſſata fore, che era ſtata furata. Habbe lo Monaco aiquante paravole coll' huoſte. Lo huoſtè diceva* : Non me aſſinnaſti Cappa. *Non volenno lo turbare a trovare la Cappa, lo Monaco ne gìo denanti a lo Tribuno e diſſe* : Miſſore, io me puſi a cena. Laſſai mia Cappa de fore dello aibergo. Credevo che Voſtra Signioria me la conſervaſſi. Hora me ene ſtata furata. Non la pozzo rehavere. Monaco ſacrato ſoco. In gonnella mene vajo leggieri a muodo de ſparvieri. *A ciò reſpuſe lo Tribuno, e diſſe* : Toa Cappa ſalva ene. *Mannao pe panni. In quello inſtante li fece*

(33) de grano, e la moneta miſſero nella ſacca; & sì li mannaro lo grano, & rimannaro in reto
(34) *ſao, che me hao reſpuoſto per lo Tieſto della Bibbia, in quella colonna, dove ſtava la propoſta noſtra. Certo moito ſao; molta memoria & prudenzia hajo.*

CAP. XXIV.

Obſervatione digna exempla juſtitiæ a Tribuno adminiſtratæ.

De juſtitia, quam Nicolaus adminiſtravit, quidpiam in præſentia enarrandum mihi D obvenit. Mortalium peſſimos eſſe laniones, ac piſcivendulos, ſane conſtat. Quamcumque perſonarum conditionem decipere conſueverant. At tunc ſincere dicebant : *Hircina hæc, caprina illa, porcina hæc caro eſt. Hic piſcis recens, fœtet ille.* Uno verbo : veritas in artificum omnium ore habebatur. Præ ceteris Legatis, Monachus quidam niger de Urbe Tipherni Romam veniens, in Campo Floris hoſpitatus, quum poſt veſperas a cœna ſurrexiſſet, pallium, quod extra reliquerat, ſibi furto ſublatum, invenire nequivit. Monacho aliquantiſper cum tabernario verbis contendenti, caupo idem reſpondebat : *Pallium mihi non commiſiſti.* E Monachus ratus, non adigendum eſſe tabernarium ad reperiendum pallium, Tribuni præſentiam adiit, ac dixit. *Domine, quum ad cœnam me contuli, pallium extra hoſpitium dimiſi. Illud ſane mihi a Dominatione tua aſſervari opinabar. At mihi furto ſubreptum fuit. Nulla mihi amplius pallioli mei facultas eſt. Sacer Monachus ego ſum. Sola cyclade contegor, ac leviter accipitris more obambulo.* His re-

fece tagliare e coſire ricca Cappa de quello panno de quello colore. Hora torna lo Monaco moito contento allo aibergo, e diſſe: Non hajo perduta coſa aicuna. Ecco mea Cappa. *Lo Notario de lo Tribuno ſcriſſe li confini dello luoco; e ſe la ruina ſoa maturata non foſſe, ne trajeva più de mille Fiorini. Nello terreno dello Caſtiello de Capranica fò derobbato uno Vetturale. Be' li fò toito uno mulo & una ſoma de vuoglio. Pe' bona fede lo Conte Bertollo, de cui era la Signioria de lo Caſtiello, mannao pe l'vuoglio e pe lo mulo Fiorini trenta, e quattrociento Fiorini pacao pe la condennatione, che maleguardao lo pajeſe. Anco un Corrieri li portao lettere. Dormenno in ſio aibergo de notte, un' aitro Corrieri lo ammazzao, e toizeli ſoa moneta. Eſſenno lo malefattore preſo, fò ſotterrato vivo, e de ſopra de eſſo in una foſſa fò meſſo lo occiſo. Anco più bella coſtione della morte de Re Antrea ſe devolvea a Roma. Li Abocati da parte de lo Re d'Ongaria, e li Abocati da parte de la Reina Joanna, comparzero nanti alla banca de lo Judice de lo Tribuno, e queſtionavano. Li Abocati de lo Re addomannavano juſtitia. Quelli de la Reina dicevano, che nella Reina non fò aicuna coipa della morte de ſio marito. L'aitra parte ſe mormorava della injuria, e con inſtantia domannava vennetta. Le Abocationi dell' una parte e dell' aitra ſe mettevano in Livro. Queſta coſa fò magnia de non poco honore.*

A reſpondit Nicolaus: *Salvum habes palliolum tuum.* Pannos ſtatim conquirendos miſit, & conſimilis coloris amplam chlamydem per veſtiarium illico ſarciri, conſui, & Monachum indui fecit. Is ad hoſpitium ſummo gaudio remeans, tabernario dixit. *Nil perdidi. Chlamydem meam recuperavi.* At Notarius Tribuni locum furti & confinia inquirendo deſcripſit; & niſi Nicolaus ruinâ & expulſione ſua e dominatu fuiſſet præventus, Florenos pluſquam mille pro commiſſo furto exegiſſet. In territorio Caſtri Capranicæ mulio quidam latrocinium perpeſſus, mulum & olei ſarcinam ſibi abreptam amiſit. Comes Bertoldus. qui Caſtro dominabatur, in bonæ fidei teſtimonium
B XXX. Florenos pro reſarcienda olei ac muli jacturâ Romam miſit, & alios CCCC. Florenos in pœnam agri male cuſtoditi exſolvit. Quum neſcio quis Tabellarius ad Tribunum epiſtolas deferret, alius Curſor eum nocte in hoſpitio dormientem interemit, & pecuniâ exſpoliavit. Captus homicida, in fovea vivus ſepultus fuit, ſupra cujus corpus cadaver occiſi impoſitum fuit ac tumulatum. Per hos dies quæſtio de nece Regis Andreæ Neapolis in Urbe Romæ agitabatur. Ante tribunal Judicis Tribuni comparuere ex una parte Regis Hungarorum Advocati, & ex altera defenſores Reginæ Johannæ. Hungarorum Regis advocati jus ac juſtitiam ſibi reddi enixe petebant. Nul-
C lam contra de conjugis interfectione culpam ineſſe Reginæ, ejus patroni aſſerebant. Oppoſitores de injuria altius conquerentes, ultionem ſedulo poſcebant. Advocationum actus ex utraque parte producti in Libro deſcribebantur. Controverſiæ ejuſcemodi diſcuſſio perquam difficilis multum honoris Tribuno contulit.

CAPITOLO XXV.

Il Tribuno piglia l'Ordine di Cavalleria con molta pompa e cerimonia.

Hora te voglio contare, como fò fatto Cavalieri a granne honore. Puoiche lo Tribuno vedde, che onne coſa li ſuccedea proſpera, e che pacificamente e ſenza contradittione rejeva, comenzao a deſiderare la honoranza della Cavalleria. Dunque fò fatto Cavalieri Vagniato nella notte di Santa Maria de mieſo Agoſto. La grannezza de queſſa feſta fò per queſſa via. In prima apparecchiao alle nozze tutto lo Palazzo dello Papa, con onne circoſtantia de Santo Janni de Laterano, e pe moiti dii denanti fece le menze da manecare, delle tavole, e dello lennname de li renchiuoſtri de li Varoni de Roma. E foro ſteſe queſſe menze per tutta la Sala vecchia dello viecchio Palazzo de Coſtantino, e dello Papa, e lo Palazzo nuovo. Sì che ſtupore parea a chi lo conſiderava. E fuoro rotti li muri delle Sale, donne venevano ſcaloni de leno allo ſcopierto per aſcio da portare la Cucina, la quale ſe coceva. E ad onne Sala apparecchiao lo Cellaro de vino nello cantone. Era la Viilia de Santo Pietro in Vincoli; hora era de Nona. Tutta Roma, maſchi e femmene ne vaco a Santo Janni. Tutti ſe apparecchiano ſotto li porticali pe la feſta bedere; nelle vie puibbiche, pe queſſo trionfo bedere. Allhora venne la moita Cavallaria de divierſe nationi de jente, Baroni, Puopolari, Foreſi, a pettorali de ſonaglie, veſtuti de zennato con banniere. Faccevano granne feſta; correvano jocanno. Hora ne vengo buffoni ſenza fine. Chi ſona tromme, chi cornamuſe, chi

CAP. XXV.

Tribunus in Militiæ ordinem inſigni pompa & cæremoniis cooptatur.

Modum, quo Nicolaus Militiam ſuſcepit, deſcribamus. Quum omnia ſibi proſpe-
D re ex ſententia evenirent, nulloque obſtaculo regimen, quod in votis habuerat, pacifice aſſumſiſſet, honorificum Militiæ ordinem concupivit. Nocte feſtivitatis Beatæ Virginis Mariæ, circa Auguſti medietatem, Miles Balneatus conſtitutus fuit. Solemnitatis illius pompa peracta eſt in hanc formam. In Palatio Lateranenſi Pontificio, & adjacentibus domibus Baſilicæ Sancti Johannis in Laterano, conviviorum apparatus ad nuptias primo paravit; & multos ante dies menſas ex tabulatis & ligneis clauſtris Baronum Urbis diſponens, menſas ipſas per vetuſtam Aulam veteris Conſtantiniani Palatii, & Papalis, ac Palatii novi, cum univerſali admiratione & ſtupore, ordinatas
E appoſuit. Ob id dirupti fuere parietes Aularum, ut commodiores exitus & introitus haberentur lignearum ſcalarum, quas ſub dio ſpatioſas quidem pro exportandis e coquina accommode cibis fabrefieri juſſerat. In ſingulo Aularum angulo Cellarium vini præparavit. In pervigilio feſtivitatis Sancti Petri ad Vincula, horâ Nonæ, Urbs tota, viri ac mulieres ad Sancti Johannis Templum confluentes ſub porticibus, ſtationis locum quiſque ſibi quæſivit. Populus ſolemnitatem hanc inſpecturus publicas vias occupavit. Tunc innumerabilis diverſarum nationum & gentium equitatus concurrit. Acceſſere ſcilicet Barones, Populares, & Fo-

tunc Barones campanæ ad arma ſonitum auribus percipiebant. Sciebant Romanum Populum iracundiâ & odio in eos ſummopere exardeſcere. Noverant inſuper, Stephanum de Columna, totius exercitus imperatorem, tunc primum ante omnes, uno famulo pedite ſociatum, ad Portam Romæ, equo inſidentem prope acceſſiſſe, & alta voce cuſtodem nominetenus appellaſſe. Qui quum inſtanter expoſceret ab eo, ut Portam ſibi panderet, his rationibus ac verbis fuerat uſus. *Ego ſum Civis Romanus. Domum meam intraturus adveni. Pro bono regimine adſum.* Vexillum autem Eccleſiæ & Populi deferebat. Stephani verbis Cuſtos Portæ, cui nomen Paulus Buffa fuit, peritus ſagittarius, ita reſpondit: *Cuſtos, quem vocas, non adeſt. Excubiæ jam permutatæ fuerunt. Ego ſane cum ſociis meis cuſtos nuper acceſſi. Nullo modo huc intrandi tibi poteſtas erit. Obſerata Porta eſt. An neſcis, quantâ adversùm te iracundiâ Populus efferveſcat, contra te inquam, qui boni regiminis perturbator dignoſceris? An non campanæ ſonitum audis? Per cœleſtia te precor, ut abeas. Noli tanto malo operam dare. Ut ſcias, te nequaquam intraturum eſſe, Portæ clavem foras ecce jacio.* Clavem jecit, quæ in exteriori foſſula aqua repleta corruit; tunc enim pluvium tempus erat. Hæc omnia Baronum, qui ad conſilium convenerant, mentibus obverſabantur; qui utique intellexerunt, Romæ Urbis ingreſſum omnimodo ſibi ipſis præcludi. Igitur abſcedere cum honore deliberaverunt. Compoſitis tribus aciebus, ad Portam uſque Romanam cum tubarum, & aliorum perſtrepentium inſtrumentorum clangore progredi propoſuerunt, ac inde ad dexteram ſe convertentes, domum magno decore repetere. Atque ita actum eſt. Jam prior & poſterior acies tum peditum tum equitum eidem Portæ ſe præſentaverant. Petruccius Frangipanis utpote earum ductor, præiverat. Tubis clangentibus ad conſpectum Portæ, ad dexteram partem iter flectentes, ſine ulla læſione remearunt. Tertia acies incedebat, copioſo equitatu, nobilibus viris, generoſis belligeratoribus, hominibus fortibus in equis ſedentibus, & toto exercitus robore inſtructiſſima. Edictum promulgatum fuit, ne aliquis ſub pœna pedis vulnera inferret, ſeu pugnaret. Ex primis pugnatoribus octo Nobiles exſtitere, inter quos infortunatus Johannes de Columna. Hi enim Nobiles primi ad feriendum reliquæ multitudini per ingens intervallum præibant. Illuceſcente diei aurorâ Romani intrinſeci, Portæ clave deſtituti, violenter, ut ad certamen extra progrederentur, Portam ipſam aperuerunt. Ingentem rumorem edebat fractura portæ. Maxima conclamantium confuſio audiebatur. Porta ad dexteram patuit: altera ad ſiniſtram occluſa remanſit. Johannes de Columna proximum Portæ ſe faciens, & tum grave murmur, quod intus reſonabat, tum Portam patentem conſiderans inopinato recluſam, amicos, ſocioſque ſuos ſtrepitum intus excitaviſſe, & violenter Portam fregiſſe exiſtimavit. Id quum ſibi Johannes perſuaſiſſet, parvum clypeum brachio immittens, haſtam femori innixam dirigens, equum calcaribus exſtimulans, Baronum ornamentis indutus, concito greſſu haud ſe continere potuit, quin intus Urbem per Portam ingrederetur. Populus ut improviſo Johannem aſpexit, magno timore correptus, ante ipſum cum omni Romano equitatu in fugam ſe convertit. Similiter uni-

non ſe li deſpogliaſſero. Que vao più dicenno! Là fò denudato, e datoli tre ferute, e morìo. Fonneruglia de Trejo fò lo primo, che lo colpiao. Jovene era de bona indole. Varva non havea meſſa. La ſoa fama ſonava per onne terra de virtute e de grolia. Jace nudo, ſupino, feruto, e muorto, in un monteruozzo, canto lo muro de la Cittate, drento la Porta. Erano ſiei capelli caricati de loto. A pena ſe pottera reconoſcere. Hora vidi maraviglia. Incontanente lo tiempo peſtelenziale e turvato ſe comenzao a reſchiarare. Lo Sole daea lucienti raji. De tiempo caliginoſo fò fatto ſireno e allegro.

A univerſa multitudo auſugiens terga dedit quaſi per ſpatium dimidii jactus ſagittæ. Non ob id tamen ab ullo amicorum ſuorum Johannes ipſe conſociatus fuit; quapropter ſolus ibi perſtitit, veluti ad judicium evocatus fuiſſet. Tunc Romani agnoſcentes, Johannem ſolum illic conſtitiſſe, audaciam reſumſerunt. At majore infortunio Johannes ab equo ſuo in quoddam antrum, aliquantulum a Porta ad ſiniſtrum latus introitus Portæ diſſitum, tranſvectus fuit. In eodem antro ex equo dejectus eſt, & calamitatem propriam intelligens, a Populo pietatem expoſcebat, per cœleſtia eum adjurans, ne arma ſibi detraherent. Quid plura? Ibi omnibus exſpoliatus & nudatus, tribus vulneribus
B conſoſſus occubuit. Fonnerulia de Trejo primos ei intulit ictus. Ita Johannes adoleſcens egregiæ indolis, ac imberbis, cujus nomen & gloria per univerſum orbem jam ferebatur, nudus, ſupinus, vulneratus, ac mortuus jacuit juxta murum Urbis intra Portam. Capillos luto adeo conſpurcatos habebat, ut vix recognoſci poſſet. Mirum fuit, illico peſtilens ac turbatum cœlum immutari, & clareſcere cœpiſſe. Lucidiſſimos radios Sol emiſit. Caliginoſus aër in ſerenum, & clarum converſus fuit.

CAPITOLO XXXIV.

Stefano della Colonna, e molti altri Baroni reſtano morti. E ne ſegue gran rotta per la banda de' Baroni.

F*Rà tanto Stefano de la Colonna in tanta moititudine, la quale ordenatamente beneva denanti a la Porta, teneramente dommannao de lo ſio figlio Janni; e reſpuoſto li fò:* Noa non lo ſapemo que haja fatto, nè dove ſia jito. *Allhora ſoſpettao Stefano, che haveſſe entrato la Porta. Perciò ſperonao, e ſolo la Porta entrao: e bedde cha lo figlio jacea in terra in mieſo de moiti, che l'accideano intra la grotta e lo pantano dell' acqua. De ciò Stefano temenno de la ſia perzona, tornao a reto. Jeſcio la Porta, e la ſia mente rationale lo abbannonao. Fò ſmarrito. Lo amore de lo figlio lo convenze. Non fece paravola aicuna. Anco tornao, e entrao la Porta, ſe pe via aicuna poteva ſio figlio liberare. Non ſe approſſimao, che conubbe, cha lo figlio morto era. Attenneva a campare la ſia perzona. Tornao a reto triſto. Nello jeſcire che fece de la Porta, benne de ſopra da lo Torriciello una groſſa macena, e percoſſe eſſo nelle ſpalle, e lo cavallo nella groppa. Hora lo ſequitano le lance lanciate de là e de chà. Lo cavallo feruto ne lo pietto de lancia jettava cauci, e tanto ſpeſſo, che non potennoſe mantenere a cavallo, cadeo pe terra. De ſubbeto veo lo Puopolo ſenza raſcione, e sì l'accide, in fronte de la Porta, in quello loco, dove ſtaco l'Imajine ne la parete in mieſo la ſtrata. Là jacque nudo in beduta ad onne Puopolo, e a chi paſſava. Non havea uno de li piedi. Moite ferute havea. Frà lo naſo e li vuocchi havea una ferata, e sì terribbele apertura, che parea lo guado de le gote de lo lupo. Lo ſio figlio Janni habbe ſolo doi ferute ne lo petignone, e una ne lo pietto. Hora jeſcio lo Puopolo ſurioſo ſenza ordene, ſenza leje. Cerca a chi dea morte. Scontraro* (45) *li joveni; Pietro de Agabito de la Colonna, cha d'era ſtato Propuoſto de Marſilia*

(45) Scontraro li joveni. Lo primo Agabbito della Colonna, che dereto li veniva, lo Propuoſto de

CAP. XXXIV.

Stephanus de Columna, aliique complures Dyna-
C *ſtæ vulnerati cadunt. Barones magno conflictu proſternuntur.*

INterim Stephanus de Columna in tanta ordinatim ante Portam advenientium multitudine, paternâ ſolicitudine, de Johanne filio ſuo exquirere cœpit. Stephano ita reſponſum fuit: *Neſcimus quid ipſe fecerit, aut quò perrexerit.* Tunc Stephanus dubitare cœpit, an filius Portam introiiſſet. Quamobrem equo calcaribus incitato, Portam introgreſſus, filium humi ſtratum conſpexit in medio multorum, qui eum vulneribus confodiebant inter antrum ac lutum aqueum. Quo viſo Stephanus ſibimet pertimeſcens, gradum retro convertit.
D Portâ egreſſus, mente ac ratione perturbatus, pæne exanimatus fuit. At amore filii rurſum percitus, nullis verbis, & ſilenter, Portam iterum regreſſus penetravit, quærens, num aliqua ratione filium e periculo poſſet eripere. Loco tamen non appropinquavit, eo quod filium occubuiſſe cognovit. Itaque ſaluti propriæ conſulere unice cupiebat. Mœrore ac triſtitiâ repletus quum reverteretur, & e Porta prodiret, ex ſuperiori parte parvulæ Turris immiſſa ingens mola Stephanum ipſum in humeris, equum autem ejus in clunibus percuſſit. Poſtmodum lanceis & lancearum jactibus undequaque impetitus fuit. Equus in pectore lanceâ vulneratus plurimum ac frequenter adeo recal-
E citrabat, ut Stephanus ipſum non amplius temperare valens, ephippio disjectus, ad terram corruerit. Nullâ morâ Populus rationis exſpers in eum irruit, & interemit in conſpectu Portæ, ubi in pariete Imagines proſtant, in medio viæ. In loco eodem nudus jacuit Stephanus, omni Populo & tranſeuntibus conſpicuus. Uno ex pedibus carebat. Pluribus vulneribus ſauciatus cernebatur. Inter naſum & oculos tantæ amplitudinis plaga ſibi fuerat inflicta, ut hiatui maxillarum lupi eam aſſimilare potuiſſes. Johannes

lia , lo quale Chierico fò . Mai veſtute non ſe havea arme , ſe non allhora . Era caduto da cavallo ; non potea libberamente annare , perque la terra era ſcivolente . Fujioſe in una Vigna vicina . Calvo era e veterano . Pregava per Dio , che li perdonaſſero . Non vaize lo pregare . In prima li toizero ſoa moneta ; puoi lo deſarmaro ; e puoi li toizero la vita . Stette in quella Vigna nudo , muorto , calvo , graſſo . Non parea homo da guerra. (46) *Apprieſſo de eſſo in quella Vigna jacea un' aitro Barone , cioene Pandolfo de li Signiori de Bellovedere. Fuoro de morti in poco de ſpatio da dodici . A la ſupina jaceano . Tutta l'aitra moititudine , sì de pedoni sì de cavalieri , laſſano l'arme de là e de cà ; ſenza ordene con granne paura , non ſe voitavano de reto . Non fò chi dajeſſe coipo . Miſſore Jordano levao la fronnoſa. Non ſe* (47) *retenne fi' a Marini . Sconfitta fò onne moititudine . Abbattuti foro l'inimici ; e jacquero muorti in terra , in beduta de li paſſanti , e de onne Puopolo , quelli li quali fuoro Senatori illuſtri fi' ad hora de Nona. Da vero che lo Stennardo de lo Tribuno giò per terra . Lo Tribuno sbaottio. Stava co li vuocchi aizati a lo Cielo . Aitra paravola non diſſe ſe no' queſta :* Hai Dio ! haime tu traduto !

CAPITOLO XXXV.

Il Tribuno tornato trionfante depone la ſua Corona , e la ſua Verga all' Araceli . Nè permette che a i cadaveri de tre Colonneſi ſi faccia onore alcuno.

PUoi che la vittoria fò pe lo Puopolo , lo Tribuno fece ſonare ſoe tromme de ariento ; e co granne grolia e trionfo recoize lo Campo ; e puſeſe in capo la ſoa Corona de ariento de fronne d'oliva : e tornao in Roma con tutto lo Puopolo trionfante . E gione a Santa Maria de Aracielo , e là raſſennao la ſia Verga de lo acciaro , e la Corona de la oliva a la Verjine Maria . Denanti a quella venerabbele imajine appeſe la Bacchetta , e la Corona in caſa de li Frati Minori . Dapuoi mai non portao baſtone , nè corona , nè Confalone ſopra capo . Po' queſſo parlao a lo Puopolo in parlatorio , e diſſe , cha bolea convertere ſoa ſpata ne la guaina. E traſſe la ſpata , e sì la forviva co le veſtimenta ſoje , e diſſe : Hajo mozzata recchia de tale capo , che non lo poteo tagliare Papa , nè 'mperatore . *Quelle tre corpora morte fuoro portate in Santa Maria de li Frati ne la Cappella de li Colonneſi , copierte de palji de auro . Bennero le Conteſſe con moititudine de donne ſcapigliate , per ululare de ſopra li muorti , cioene ſopra le corpora de Stefano , Janni , e Pietro de Agabito. Lo Tribuno le fece cacciare, e non voize , che li foſſe fatto honore , nè eſequio , e diſſe :* Se me faco poco de ira quelle tre

(46) de guerra : voticiello parea . Apprieſſo
(47) ſe retenne finente a Marini.

A hannes filius ejus duobus tantum vulneribus ad inguina, & uno circa pectus percuſſus jacebat. Tunc Populus furens , nullo ordine , nullaque lege , egrediens Urbe, cædem ac mortem aliis inferre avide quærebat. Obvios habuit juvenes. Item Petrum Agapiti de Columna , qui Clericus antea Maſſilienſi Præpoſituræ præfuerat . Non aliàs niſi hac occaſione armis indutus inceſſerat . Is equo prolapſus , tuto ambulare ob ſoli lubricitatem nequibat . Ad proximam vineam fugâ divertit . Calvitie & ſenectâ provectus , hoſtes per cœleſtia obteſtabatur , ut ſibi parcerent . Nil potuere ſupplicationes . Pecuniis primo , armis poſtea , vitâ demum privatus , in eadem vinea nudus , calvus , obæſus ,
B ac interemtus fuit . Nullam bellatoris viri ſpeciem præſeferebat . Apud eum alius Dynaſta in illius vineæ loco , Pandulfus ſcilicet ex Dominis Belvederis , occiſus jacuit. Brevi temporis ſpatio duodecim alii interfecti ſupinis cadaveribus remanſerunt . Peditum & equitum reliqua multitudo , armis heic & illic dimiſſis , abſque ordine , & ingenti terrore aufugiens , nec umquam retro reſpiciens , terga vertit . Nec unus ex tot exſtitit , qui fuerit auſus pugnare . Dominus Jordanus equum ferulâ incitans , illico fugæ ſe commiſit , nuſquam conſiſtens , niſi quum ad Marini Caſtrum pervenit . Profligato hoſtili exercitu , occiſorum cadavera , corpora nempe eorum , qui Senatoriâ nobili dignitate alias perfuncti fuerant , humi
C ſtrata , & abjecta, viatoribus & cuncto Populo ſpectanda patuere uſque ad horam nonam diei . Tunc ſane Vexillum Tribuni ad terram cecidit . Quare Tribunus perterrefactus , oculos ad cœlum elevans , hæc paucula protulit . *Ah Domine ! numquid me deſeruiſti ?*

CAP. XXXV.

Tribunus cum triumpho rediens , coronam , & ſcipionem apud Aram Cœli deponit . Cadaveribus trium Columnenſium funeris exſequias interdicit .

D POſtquam victoriâ Romanus Populus potitus fuiſſet , argenteis tubis tibicines Nicolaus perſtrepere juſſit . Cum multa gloria ac triumpho exercitum congregans , argenteam coronam foliis olivarum conſertam capiti ſuo impoſuit , & in Urbem una cum toto Populo ovanti remeavit . Ad Sanctæ Mariæ in Ara Cœli Templum profectus , chalybeum ſcipionem, & olivæ coronam Virgini Mariæ obtulit . Venerandæ Deiparæ imagini ſceptrum appendit, & in Monaſterio Fratrum Minorum coronam depoſuit . Poſtmodum numquam ſceptrum , coronam , & vexillum ſupra ſuum caput detulit . Ad Populum exinde in ſuggeſtu verba fecit , aſſerens , ſe in vaginam remiſſu-
E rum fore enſem ſuum . Enſem verò denudavit, & eum veſtimentis confricabat, dicens : *Aures è quorumdam capitibus abſcidi , quas nullus Pontifex , nulluſque Imperator potuit amputare.* Cadavera trium Columnenſium ad Ædem Sanctæ Mariæ Fratrum Minorum delata fuerunt , in Columnenſium ædiculâ poſita , & aureis palliis cooperta . Advenere Comitiſſæ , multâ mulierum comitivâ ſociatæ , quæ ſparſis capillis ſuper mortuorum corpora , Stephani nempe , Johannis, & Petri de Agapito, erant plora-

tre corpora maidette, facciole jettare ne lo catafeſſo de li appeſi; cha ſoco perjuri, non ſoco degni d'eſſere ſepelliti. *Allhora queſſe tre corpora fuoro ſecretamente de notte portate ne la Chieſia de Santo Silveſtro de lo Capo, e là ſenza ululato fuoro ſepellite da le Monache. De li aitri muorti Cittatini fuoro Cola Pali de Molara, Miſſore Jordano de li Aretini, Cola Farfaro, Polo de Libano, e moiti aitri gentilhuomeni Romani, Orvietani, e de aitre Terre vicine a Roma, amici de le ſopraditte tre corpora morte. E li preſoni fuoro poſti in Campituoglio.*

CAPITOLO XXXVI.

Riprenſione al Tribuno, che a ſimilitudine di Annibale non ſeppe valerſi di queſta vittoria.

QUà voglio un poco delongarcme da la materia. Scrive lo facunno recitatore Tito Livio, cha de Africa ſe moſſe uno Capitanio, lo migliore, che mai foſſe ne lo munno. Aniballo de Cartaine habbe nome. Queſſo Aniballo ruppe la pace a Romani, e desfece la Cittate de Sogonza ne la Spagna a deſpietto e onta de lo Senato de Roma. Puoi paſſao le Alpe de chà in Piedemonti, e benne in Lommardia. E là ſconfiſſe Sempronio Conzolo de Roma ad uno fiume, che diceſe Teſino, canto Pavia. Puoi ne benne in Toſcana, e là a lo Laco de Peroſcia ſconfiſſe lo eſercito de Roma, e tagliao lo capo a Framinio (48) *Conzole. Puoi deo la voita in Campagna a Monte Caſino: e là li benne a la frontera Fabbio, lo ſaputo, con granne hoſte; e tennelo a bajo anni tre. Puoi li tre anni fuoro mutati li Capitanji. Fabbio fò caſſo. Li Capitanji foro dui: per li nuobbeli fò Capitanio Emilio Pavolo; per li puopolari fò Capitanio Terrentio Varrone. Le ſapere e la innuſtria de Aniballo fò tanta, che levao queſſi doa Capitanji da li piedi loro, e connuſſeli con onne loro potentia de cavalieri e de pedoni fi' in Puglia ad uno fiume, lo quale ſe dice Volturno. E là ſconfiſſe lo Puopolo de Roma, e ſconfiſſe doi hoſti. Là morio uno de li 'mperatori Emilio Pavolo. Fuoronce muorti ottanta Senatori. Morionce Servilio, lo quale l'anno paſſato era ſtato Conzolo. Moricronce Tribuni, e bona jente aſſai. Morierónce quarantaquattro migliara de pedoni. Morieronce otto milia ottociento cavalieri. Dece milia fuoro li preſonieri. Fonce guadagnata robba infinita, cavalli, e arme, auro, e ariento. Li freni e le coperte de cavalli de Romani erano tutte de auro lavorate. Roma fò terribelemente bedovata. Fatta cotale ſconfitta, era hora tarda: calava lo ſole. Aniballo vittorioſo ſtava forte allegro. Li Principi de la hoſte ſoa li feccro intorno rota, e facennoli feſta e allegria de lo triunfo, che havea 'n tale die havuto. Puo' li domannaro pe gratia, cha quelli notte a lo die ſequente dajeſſe poſa a sì e alla cavallaria, preque erano laſſi e ſtanchi. Stava frà queſſi Principi uno prudentiſſimo homo, lo quale nome havea Maharballe. Queſſo era*

(48) Framinio Conzolo. Puoi voize commattere Spoleti, & non lo poteo avere. Puoi deo

A raturæ. Tribunus, ut matronæ expellerentur, mandavit, nec ullis funerum exſequiis cadavera ipſa affici permiſit, inquiens: *Si vel tantillum iraſcar, maledicta tria corpora illa in ſepulcrum ſuſpenſorum ſane dejici faciam. Hæc utpote perjura ne tumulo quidem recondi merentur*. Tunc eadem cadavera noctu latenter ad Eccleſiam Sancti Silveſtri de Capite exportata fuerunt, eaque abſque planctu Sanctimoniales tumulo mandarunt. E numero aliorum mortuorum Civium fuere Nicolaus Pali de Molara, Dominus Jordanus de Aretinis, Nicolaus Farfarus, Paulus de Libano, multique alii nobiles patritii Romæ, Urbis Veteris, & quarumdam proximarum Urbi Civitatum, qui fœdere & amicitia tribus Columnenſibus adhæſe-
B rant. Captivi in Capitolii carceribus incluſi fuerunt.

CAP. XXXVI.

Auctor exprobrat Tribunum, qui Annibalis exemplo fructu reportatæ victoriæ uti neſcivit.

HEic ab inſtituto meo aliquantiſper digredi mihi placet. Facundus Hiſtoriographus Titus Livius literis prodidit, Ducem quemdam omnium, qui umquam in orbe vixerint, digniſſimum, Annibalem nomine, patriâ Car-
C thaginenſem, ex Africa moviſſe. Is pace Romanis violata, Civitatem Saguntinam in Hiſpania, ſummo Romani Senatus dedecore & ignominiâ, deſtruxit. Prætergreſſus Alpes cis Pedemontem in Lombardiam advenit. Ibi Sempronium Conſulem Romanum apud Ticinum flomen prope Papiam bello ſuperavit. In Tuſciam pedem intulit. Romanorum copias ad lacum Peruſinum profligavit. Flaminio Conſuli caput obtruncavit. Exinde in Campaniam acies ſuas apud Montem Caſinum direxit, ibique ad limites obviantem ſibi Fabium belli peritiſſimum ingenti cum exercitu invenit, qui eum triennio, ne quidquam ageret, retardavit. Quo elapſo Duces alii ſubrogati fuere.
D Fabius imperio exutus. Duces iidem fuerunt duo, nempe Paulus Æmilius ex Nobilium parte, & Terentius Varro ex Popularibus. Annibal tanta virtute ac tali ſolertia Romanis cum Ducibus tunc egit, ut eoſdem & caſtra removere coëgerit, & cum omni eorum equitatus & peditatus potentiâ in Apuliam ad Vulturnum flumen pertraxerit. Ibi Romanum Populum & utrumque exercitum prœlio profligavit. In quo conflictu ex Imperatoribus unus Paulus Æmilius occubuit. Octoginta Senatores nece ſublati perierunt. Servilius, qui præcedenti anno Conſul proceſſerat, interfectus obiit. Tribuni, aliique fortes viri gladio cæſi ceciderc. Peditum quadraginta quatuor millia, equi-
E tum vero octo millia & octingenti extincti in campo remanſerunt. Captivorum numerus decem millibus conſtitit. Innumerabilia ſpolia equorum, armorum, auri, & argenti Annibalis milites lucrati fuerunt. Fræna & dorſualia equorum Romanorum equitum auro fabrefacta habuerunt. Romana Civitas in ſummam ac horribilem viduitatem inde eſt conjecta. Poſt ejuſcemodi conflictum, die jam ad veſperam, & Sole ad occidentem inclinante, Annibal victoriâ elatus maximo gaudio perfundebatur.

A *era Duca e connucitore de la cavallaria. Feceſe denanti Mabarballe, e diſſe queſſe paravole*: Aniballo, la mea openione non ene, che tu dei poſa nè a tì nè a li cavalieri. Vuoi tu ſapere, ch' hai vadagnato hoje in queſſa ſconfitta? de quà a cinque dji tu vencetore manicarai e farai feſta in Campituoglio, ſe ſenza demoranza ſicquiti la toa fortuna. Dunque lo poſare non fao per tine. Muovi toi cavalieri, e toe maſnade. Non li dare poſa. Paſſamone (*) a Roma. Sarai Signiore a bacchetta. La trovaremo desfornita, co le porte aperte. Meglio ene che Romani dicano: Aniballo è benuto, cha Aniballo deo venire. *A queſſe paravole Aniballo reſpuſe e diſſe*: Maharballe, io

B moito laudo la toa bona volontate; ma la notte hao conziglio. Bogliomene aiquanto penzare, e conzigliare. *Reſpuſe Mabarballe, e diſſe*: Aniballo, Aniballo, tu ſai con tiei igniegni vencere, ma non ſai uſare la vettoria. *Bene dice Tito Livio, cha quella demoranza fò ſalutifera a lo Puopolo de Roma, cha liberao Romani da ſervitute e retraſſe lo 'mperio de mano de li Africani, a li quali decadea. Hora a lo propuoſito. Se Cola de Rienzo lo Tribuno haveſſi ſequitata la ſoa vittoria, e haveſſi cavaicato a Marini, prennea lo Caſtiello de Marini, e deſertava a lo tutto Miſſore Jordano, che mai più levava lo capo. E lo Puopolo de Roma fora remaſo ſenza trivolatione in libertate.*

C

CAPITOLO XXXVII.

D

Il Tribuno fa Lorenzo ſuo figlio Cavaliero della Vittoria. Comincia a inſuperbirſi, e a tiranneggiare, e libera il Prefetto. Giordano de Marini danneggia Roma; e naſcono molti diſordini.

V*Engote a dicere, como lo Tribuno cadde da la ſoa Signoria. La dimane po' la ſconfitta fuoro chiamati tutti li Cavalieri Romani, li quali appellava Sacra Militia, e diſſeli*: Bogliove dare la paca doppia. Vengate co meco. *Non ſapeva aicuno que boleſſe fare. Sonanno le tromme ne gio a quello loco, dove fò fatta la ſconfitta; la quale ſconfitta feceſe*

E *Anno Domini MCCCXLVII. de lo meſe de Novembere. Menao con eſſo uno ſio figlio (Lorienzo habbe nome) ne lo luoco, dove fò muorto Stefano Colonna. In quello loco erance remaſa una peſcoglia de acqua. Jonto che fò lo Tribuno, fece ſcavaicare lo figlio, e jettavali ſopra l'acqua de lo ſangue de Stefano da quella peſcoglia, e diſſe*: Sarai Cavalieri de la Vittoria. *Maravigliaroſe tutti li aitri: anco ſtordiro. Puoi commannao, cha li Conneſtavoli da cavalli fereſ-*

(*) a Roma. Roma trovaremo desfornita colle Porte aperte. Sarai Signore a queto. Meglio &c. *Cod. Bonon.*

tur. Exercitus Principes gratulabundi Annibalem circumquaque obſepiebant, de reportato triumpho lætanter ſummopere congaudentes. Precario poſtmodum expetierunt, ut integra adveniente nocte ac ſequenti die nedum Annibal ipſe vellet quieſcere, ſed & equitatui feſſo ac laſſo quietem indulgeret. Ex Principibus prudentiſſimus vir Maharbal nomine, Dux & ductor equitatus in Annibalis conſpectum advenit, & in hæc verba eum alloqui cœpit: *In hac quidem ſententia, Annibal, ſum ego, ut nec tibi ipſi, nec equitibus ullam quietem te conceſſurum eſſe exiſtimem. Cupis-ne, quantum emolumenti ex hodierno conflictu tibi obvenerit, dignoſcere? Quinque ab hinc diebus victor ad menſam diſcumbes exſultans in Capitolio, ſi cunctatione poſtpoſita, nullâque interjectâ morâ fortunæ tuæ curſum proſequi non deſtiteris. Itaque quies tibi nullatenus proderit. Equites tuos ac pedites hinc remove. Nullam quietem exercitui concede. Urbem petamus. Hanc vacuam patentibus Portis inveniemus. Urbi prorſus dominaberis. Melius eſt, ut Romani dicant*; Annibal venit; *quam quod*: Annibal venturus eſt. His reſpondit Annibal, dixitque. *Bonam voluntatem tuam, Maharbal, æqui bonique conſulo. At nox conſiliorum mater eſt. Aliquantulum perpendam quid ſit agendum, ac interim aliorum ſententias exquiram*. Maharbal repoſuit & ait: *Annibal, Annibal, ſolers ac ingenioſus es ut vincas; at fructus ex victoria capere neſcis*. Apte obſervat Titus Livius, Annibalis procraſtinationem Romano Populo omnimode profuiſſe, Romanos e ſervitute liberaſſe, & imperium ex Africanorum manibus, in quas inciderat, abripuiſſe. Nunc ad rem noſtram. Si Nicolaus Laurentii reportatæ victoriæ veſtigiis inſtitiſſet, & ad Marini Caſtrum obequitando perrexiſſet, Caſtrum ipſum obtinuiſſet, & Dominum Jordanum, qui numquam caput erexiſſet, exterminio prorſus affeciſſet. Populus autem Romanus abſque ullo diſcrimine libertatem integram recuperaſſet.

CAP. XXXVII.

Tribunus Laurentium filium ſuum Militem Victoriæ conſtituit. Animo ſuperbe ſemet erigens ac tyrannidem exercens, Præfectum carcere eximit. Jordanus de Marino Romanis damna infert. Multa mala oboriuntur.

QUomodo Tribunus de dominatione ſua deciderit, paucis enarrabo. Sequenti die poſt conflictum omnes Romanos Milites, quos Militiæ ſacræ vocabulo nuncupabat, ad ſe vocavit, & ipſis dixit. *Duplex ſtipendium vobis ſum numeraturus. Me ſequamini*. Quid acturus eſſet, nemini innoteſcebat. Tubis clangentibus ad locum ſe contulit, in quo ſupra relatum certamen contigit. Hoc Anno Domini MCCCXLVII. menſe Novembri accidit. Filium ſuum Laurentium nomine ad locum, ubi Stephanus de Columna fuerat interfectus, adduxit. Ibi foſſula erat aquam continens; ad quam quum Tribunus advenisſet, filium equo deſcendere juſſit, eumque aquâ ſanguine Stephani commixtâ in eadem foſſula aſpergens dixit: *Miles Victoriæ eſto*. Præ admiratione nimium in modum univerſi obſtupuere.

fereſſeno lo figlio piattoni co le ſpate là da lo lommo . Queſſo fatto , tornao a Campituoglio , e diſſe : Jate a la via voſtra . Opera communa ene quella che havemo fatta. (49) Havemo tutti ſire Romani . A noa e a boa ſpettao pugnare per la patria. *Queſſo ditto , forte turvao li animi delli Cavalieri . Da puoi mai non voizero arme portare . Allhora lo Tribuno comenzao ad acquiſtare odio . La jente ne ſparlava, e dicea, che ſoa arrogantia era non poca . Allhora comenzao terribelemente deventare iniquo , e laſſare le veſtimenta de la honeſtate . Veſteva panni , como fuſſi uno aſinino Tiranno . Jà moſtrava de bolere tiranniare pe forza . Jà comenzao a tollere de le Abbadie . Jà prennea chi pecunia havea , e tollevala ; a chi l'havea, imponeali ſilentio . Sì ſpeſſo non facea parlamento pe la paura , che havea de lo furore de lo Puopolo . E miſe colore e carne ; e meglio manicava , e meglio dormeva . Allhora laſſao lo Prefetto . Preque non era ſano de la perzona , tenne pe ſtajo lo figlio . Allhora li Puopoli lo comenzaro ad abbannonare . E li Baroni , e non tanto givano a Corte pe la raſcione como ſolevano . Allhora impuſe la Data de lo ſale ; e bolea pecunia pe ſollati . In queſſo ſtante Miſſore Jordano de Marini non ceſſava de novitate movere onne die , e prennea e derobbava la jente . De preſure ſe mormorava . Era lo tiempo de lo Autunno là dopo le vennegnie . Lo grano era caro . Valeva lo Rujio ſette* (50) *Libre de moneta . Queſſo tolleva la pecunia a chi l'havea . Miſſore Jordano predava . Lo Puopolo male ſe contentava . Lo Legato Cardenale , de lo quale de ſopra ditto ene , lo malediſſe , e judicaolo per heretico . Puoi compuſe co li Signiori , cioene con Luca Saviello , Sciaretta de la Colonna , e davali in tutto favore . Allhora le ſtrade fuoro chiuſe . Li Maſſari de le Terre non portavano lo grano a Roma . Onne die naſceva nuovo romore .*

CAPITOLO XXXVIII.

Il Conte Meſſere Janni Pipino , che in queſti tempi abitava in Roma , commuove il Popolo ; la' onde Cola , e ſua moglie fuggono . Egli vaſſene in diverſi luoghi . E in Roma è dipinto come traditore , e anche dal Legato del Papa è giudicato eretico .

ERa *in quelli tiempi a Roma uno Conte cacciato da lo Regno . Miſſore Janni Pipino nome havea, Paladino de Altamura, Conte de Minorvino . Queſſo Paladino demorava in Roma , perchè* (51) *ſoe grannie e reballarie non po-*

(49) Avemo tutti Romani retirato. A noa & a voi ſpecta pugnare per

(50) ſette Livre de Proviſini. Queſſo

(51) perchè ſee grandie e boganze non

A puere . Comeſtabulibus equitum exinde præcepit , ut lato gladio filium ad latera & lumbos cæderent. Quo facto in Capitolium rediit, & inquit : *Ad propria remeet unuſquiſque veſtrûm . Quod hactenus egimus , ad communem utilitatem patravimus . Romani omnes fuimus . Noſtrum ac veſtrum fuit pugnare pro patria .* Hæc dicta Militum animos admodum perturbarunt . Ii poſtmodum arma ferre amplius noluerunt . Tunc Tribunus in odium & offenſionem omnium venit . Populus ore aſpero eum diſcerpebat , & aſſerebat , arrogantiam illius ad nimietatem proceſſiſſe . Nicolaus autem iniquior ac vitioſior in dies factus, ab honeſtate receſſit. Durum ac hebetem tyrannum
B agens , violentiâ ac tyrannide in regimine utebatur . Jam præpotenter dominaturum ſe eſſe oſtendebat . Jam Abbatias eripere cœpit . Pecunioſos capiebat, & detinebat; bene nummatis pecunias auferebat , ipſiſque ſilentium imponebat . Conciones publicas, quas primùm ſæpius faciebat , rarò habebat , quòd Populi furorem ſibi pertimeſceret . Facies ejus florido colore videri, & corpus ejus carne pingueſcere cœperunt, quod opipare cibum capiebat , & ſomnum melius ſumebat . Tunc Præfectum e carcere exemit , corpore infirmum, & filium ejus obſidem retinuit . Interea Populi ab eo deſciverunt . Neque Barones , neque tot homines, ut antea , Aulam Tribuni ad jus reddendum
C frequentarunt . Ipſe vero ſalis vectigal impoſuit , ac pecuniam perſolvendam pro militum ſtipendiis indixit . Interea Dominus Jordanus de Marino tumultus & novitates ſuſcitare quotidie non deſiſtens, rerum & hominum prædas agebat . Ob has deprædationes Populus murmurabat . Poſt vindemias , inſtante autumnali tempore , frumentum caro pretio emebatur . Septem Libris monetæ tritici Rubium vendebatur . Hoc pecuniam habentibus rapiebat. Dominus Jordanus deprædabatur . Populus id ægerrimo animo tolerabat . Legatus Cardinalis , de quo ſupra retulimus , Tribuno maledixit , & eum veluti hæreticum , judicio promulgavit . Poſtmodum conventiones iniit cum
D Dynaſtis , ſcilicet cum Luca Sabello , & Sciaretta de Columna , quibus omnino ſuffragabatur . Tunc interclusæ fuerunt publicæ viæ . Curatores Villarum ac Terrarum frumentum ad Urbem amplius non deferebant . Clamores & murmura quotidie oboriebantur.

CAP. XXXVIII.

Johannes Pipinus Comes his diebus Romæ immorans, Populum commovet ; quamobrem Nicolaus cum uxore fugam arripit. Diverſa loca petit. Romæ ceu proditor depin-
E *gitur. Legati Pontificis ſententiâ hæreticus pronuntiatur .*

HIs temporibus Romæ aderat Comes quidam e Regno Neapolis pulſus . Dominus Johannes Pipinus nominabatur , Altamuræ Palatinus , & Comes Minerbini . Romæ morabatur , quum exceſſus illius & improbitates Re-

poteano patire li Regali de Napoli . Cum familia ſua degebat Romæ . *Miſſore lo Conte Paladino in queſſo tiempo fece jettare una* (52) *sbarra granne ſotto l'Arco de Salvatore in Peſoli . Una notte e uno die ſonao a ſtuormo la campana de Santo Agnilo Peſcivennolo . Uno Judio la ſonava . Non ce trajeva aicuno a rompere queſſa sbarra . Lo Tribuno ſubito mannao per defeſa una banniera da cavallo là a queſſa sbarra . Uno Conneſtavile , lo quale avea nome Scarpetta , commattenno cadde morto feruto de lancia . Quanno lo Tribuno ſappe che Scarpetta era morto , e cha lo Puopolo non trajeva a lo ſio ſtuormare , conzideranno la campana de Santo Agnilo Peſcivennolo ſonare , ſoſpirava forte , tutto raffreddato : piagnea ; non ſapea que ſe faceſſi. Sbauttito & annullato lo ſio core era . Non havea vertute pe' no piccolo guarzone . A pena poteva favellare ; e ſtimava, che in mieſo la Cittate li fuſſino puoſti li aguaiti . La quale coſa non era , preque nullo ſe paleſao rebello . Non era chi ſe levaſſe contra lo Puopolo , ma ſolo era raffreddato . Se creſe eſſere acciſo . Que vajio più dicienno ? Concioſiacoſa che non foſſi homo de tanta vertute , che boleſſi morire in ſervitio de lo Puopolo, como promeſſo havea, piagnenno e ſoſpiranno fece uno ſermone a lo Puopolo , lo quale là ſe trovao , e diſſe : cha eſſo havea bene rieſſo , e pe la invidia la jente non ſe contentava de eſſo .* Hora ne lo ſettimo meſe deſcenno de lo mio dominio . *Queſſe paraole piagnenno, quanno l'habbe ditte, ſallio a cavallo , e ſonanno tromme de ariento co le Inſegne 'mperiali accompagniato da armati* triumphaliter deſcendit, *e gio a Caſtiello Santo Agnilo . Là ſe ne ſtette celato renchiuſo . La moglie ſe partio in abito de Frate Minore da lo Palazzo de Lalli . Quanno lo Tribuno ſcennea de ſoa grannezza, piagnevano anco li aitri, che con eſſo ſtavano . Piagneva lo miſerabbele Puopolo . La camera ſoa fò trovata piena de granni ornamenti . De tali lettere miſſive , che fuoro trovate , non lo creſeri . Li Baroni ſapevano cotale caduta ; ma ſtettero dji tre nanti che boleſſero tornare a Roma pe la paura . Puoi che tornaro , demoraro con paura . Li Senatori fatti po' lo Tribuno rieſſero debilemente . Penzero lo Tribuno co lo capo de ſotto, e co li piedi ſopra a muodo de Cavalieri , ne lo muro de Palazzo de Campitoglio . Anco penzero Cecco Mancino ſio Notaro e Cancellieri . Penzero Conte ſio nepote, lo quale renneo la Rocca de Civitavecchia. Lo Cardenale Legato entrao in Roma , e procedea contra eſſo , e dannao la majure parte de li ſuoi fatti , e diſſe cha era Eretico . Puoi Cola de Rienzo naſcoſamente ne gio in Voemia a lo 'mperatore Carlo, e ſtette in Praga la Cittate Regale . Puoi ne gio a lo Papa in Avignione , e là ſappe sì fare , cha fò revocato ſio prociesso, e fò fatto Senatore de Roma pe lo Papa, e venne a Roma e fece coſe de maraviglia, e granne, come ſe dicerrao . A la fine puoi fò acciſo pe lo Puopolo , e fattone granne judicio , como ſe toccarao ne lo Capitolo de ſoa tornata in Italia . Lo Paladino, lo quale ruppe Roma , e lo buono ſtato* , digno Dei judicio , *finao male , e betuperoſamente morìo . Po' fatto queſſo , anni otto, fò appeſo pe la canna in Puglia , in una ſoa Terra , donne era Paladino , la quale havea nome Aitamura . In capo li fò poſta una mitria de carta a modo de corona ; la lettera dicea coſinto :*

(52) una sbarra in Colonna. Eſſo fu lo capo della rottura. Dentro de Roma la sbarra fu jettata ſotto l'arco

A Regii Principes Neapolitani tolerare amplius non poſſent . *Cum familia ſua degebat Romæ .* Comes iſte Palatinus his diebus ingens clathrum ſive repagulum in Columna compoſuit . Exordium ipſe dedit ſeditioni . Intra Urbem repagulum appoſitum fuit ſub Arcu Salvatoris in Peſoli . Integra nocte, unoque die Sancti Angeli Piſcivenduli campana pulſata eſt ad arma . Eam Judæus quidam agitabat . Nullus tamen ad arma vocatus ad loci repagulum confringendum ſe contulit . Tribunus illico pro defenſione cohortem equitum ad repagulum illud miſit. Quidam Comeſtabulus , Scarpetta appellatus , quum pugnaret , lanceâ percuſſus , interemtus obiit . Quum Tribunus reſcivit Scarpettam occubuiſſe , & Populum campanæ ſigno ad arma excitatum minime concurriſſe , conſiderans campanam Sancti Angeli Piſcivenduli fruſtra ſonare , alte ſuſpiria emittens , præ metu obriguit , ac plorans , corde animoque dejectus , quid ageret , ignorabat . Virtute pæne omni deſtitutus , puelli ad inſtar , vocis etiam uſu privatus , videbatur . Dubitavit quippe , adversùs ſemetipſum in Urbis medio inſidias fuiſſe poſitas . Id verum non erat , quum nullus rebellem ſe prodidiſſet . Etenim nemo adversùs Populum inſurrexerat , ſed unuſquiſque a conſueto amoris erga Tribunum ardore tepuerat . Tunc Nicolaus ſe neci proximum eſſe putavit . Quid plura ? Quum ipſe tanta virtute inſtructus non eſſet, ut pro Populo mortem oppetere vellet , quemadmodum antea ſe præſtiturum promiſerat , lacrymis & ſuſpiriis , ad Populum , qui tunc forte convenerat , ſermonem habuit , dicens , ſe ipſum recte publicam rem adminiſtraſſe; Invidiâ Populi, cujus opinioni nihil umquam ſatis eſt factum , modò exagitari . *Nunc ſeptimo regiminis menſe vix decurrente e dominatione expellor* . Talibus non ſine fletu pronuntiatis in equum inſiliit . Argenteis perſtrepentibus tubis, cum Imperialibus Vexillis, armatorum manu ſociatus, *triumphaliter deſcendit*, & ad Arcem Sancti Angeli pervenit . In ea ſemet includens delituit . Ejus uxor , Fratris Minoris habitu ſpeciem ementita , a Palatio Lallorum diſceſſit . Quum Tribunus de regimine dimovebatur , ne dum ii , qui in ejus famulitio erant , ſed & infelix Populus illacrymabatur . Multa ornamentorum ſupellex in ejus cubiculo adinventa fuit . Epiſtolarum , quas *miſſivas* vocant , repertarum numerum vix credas . Baronibus caſus Nicolai innotuerat . Verùm triduo diſtulerunt ob metum, antequam ad Urbem regrederentur. Romam denique reverſi , moram cum timore nihilominus traxerunt . Senatores poſt Tribuni fugam creati infirmis viribus adminiſtrationem publicam ſuſtinuere . Nicolaum , Militari ornatum indumento , pedibus ad cœlum protenſis , capite ad terram inverſo , in muro Palatii Capitolii , pingendum juſſerunt . Graphice ſimiliter pictos Franciſcum Mancinum Notarium & Cancellarium ejus , & Comitem Tribuni nepotem , qui Arcem Civitatis Veteris reddidit , repræſentari voluerunt . Cardinalis Legatus , quum Romam repetiiſſet, adversùs Nicolaum judicium inſtituit. Quamplures ejus actus damnavit , & ipſum hæreticum pronuntiavit . Poſtmodum Nicolaus Laurentii clanculum in Bohemiam ad Imperatorem Carolum ivit , & in regia urbe Pragæ aliquantiſper moratus, Avinio-

ſinto : Miſſore Janni Pipino Cavalieri, de Aitamura Paladino, Conte de Minorvino, Signiore de Vari, liberatore de lo Puopolo de Roma. *Nanti che foſſe appeſo, moito ſe reparava con ſie parlare, dicenno* : Non ſo' de lennajo de eſſere appeſo. Moneta faiza fatta non hajo, nè deo portare mitria. Se dato ene pe lo mio male fare, cha io mora, tagliateme lo capo. *La reſpuoſta de li Regali fò queſſa* : Per le toe ſtommacarie, lo Re Roberto te impreſonao in perpetuo carcere. Lo Re Antrea te liberao, e fonne amaramente muorto. Da le mano de li Regali campare non potevi. Sola Roma te recepeo, e sì te ſalvao. Tu le tolleſti lo ſo bono ſtato. Tornaſti in gratia de li Regali. Puoi te faceſti capo de granne Compagnia. Arcieri e Arrobbatori in toe Terre allocavi. Tutto lo Reame conzumavi, derrobbavi, e predavi. Re de Puglia te facevi. Dunqua degna coſa ene, che toa vita fine haja laida, e betoperoſa, como hao meritato. *Fi' quì ſoco li fatti primi de Cola de Rienzo, lo quale ſe fece chiamare Tribuno Auguſto.*

Fine del Secondo Libro.

A nionem inde perrexit ad Pontificem, apud quem tam provide egit, ut judicium Romæ pridem contra eum habitum, fuerit abolitum, & inſuper Nicolaus ipſe a Pontifice Senator Romæ fuerit demum conſtitutus. Is, poſtquam ad Urbem rediit, magnifica ac mirabilia, quæ ſuo loco deſcribentur, geſſit. Poſtremo Populus, inſtructo magno examine, eum interemit, ut in Capitulo de regreſſu ejuſdem in Italiam adnotabimus. Palatinus autem, qui Romanam Civitatem & bonum ejus regimen ſubverterat, *digno Dei judicio* ſupremum diem malo, indecoro, & violento fine obiit. Nam poſt annos octo, in Urbe ſua, cujus Palatinus erat, Altamurâ nuncupatâ, ſuſpendio per gulam extin-

B ctus fuit in Apulia. Ejus capiti chartacea mithra cum hoc titulo impoſita legebatur. *Dominus Johannes Pipinus Miles, Altamuræ Palatinus, Comes Minerbini, Vari Dominus, Liberator Populi Romani.* Antequam ſuſpenderetur patibulo, ſummo conatu ſe defendens, dixit: *Non eo ſum genitus ſanguine, ut ſuſpendio interimi debeam. Falſam monetam non cudi. Mithram me geſtare iniquum eſt. Si exigentibus meis criminibus, carnificis manu ſum interiturus, mihi caput abſcindite.* Regii Neapolis Principes reſponderunt : *Robertus Rex ob ſcelera tua perpetuo carceri dudum te mancipavit. A Rege Andrea, cruda nece ſublato, vinculis exſolutus fuiſti. Niſi Urbs Roma unice*

C *te recepiſſet ac ſalvaſſet, e Regiorum Principum manibus evadere non potuiſſes. Tu vero bonum regimen Urbis rapuiſti. In Regiorum gratiam poſtquam rediiſſes, ingentis Societatis ductorem temet conſtituiſti. Arcatoribus & prædonibus ſecuritatis aſylum contuliſti in terris tuis. Prædis, direptionibus, ac rapinis omne Regnum evertiſti, & Apuliæ Regem te ipſum feciſti. Igitur juſtitiæ omnino conſonum eſt, ut pro meritis tuis iniqua, fœda, & vituperabilis vita tua ejuſmodi finem habeat.* Hucuſque geſta Nicolai Laurentii, qui Tribunus Auguſtus nominari voluit, enarravimus.

Explicit Liber Secundus.

LIBRO TERZO.

CAPITULO DECIMONONO.

Della morte de Andrea Re di Puglia, lo quale fu appeſo. E como fu comenzata a fare de tal morte juſtizia.

. . . .

CAPITULO VIGESIMO.

Della venuta dello Re d'Ungheria in Italia. E della morte del Duca di Durazzo, lo quale fu decollato.

. . . .

CAPITULO VIGESIMOPRIMO.

Della crudele mortalitate per tutto lo munno. E delle Scale de Santa Maria de Aracelo.

. . . .

CAPITULO VIGESIMOSECONDO.

Dello terratriemolo, lo quale fu in Italia.

. . . .

LIBER TERTIUS.

CAPITULUM DECIMUM NONUM.

De morte Andreæ Regis Apuliæ, qui ſuſpendio fuit interfectus. Quomodo mortis ejus ultio ſuſcepta primo fuerit.

. . . .

CAPITULUM VIGESIMUM.

De adventu Regis Hungariæ in Italiam. De morte Ducis Duratii, qui obtruncatione capitis obiit.

. . . .

CAPITULUM VIGESIMUM PRIMUM.

De ſæva peſte per univerſum orbem. De Scalis Sanctæ Mariæ Aræ Cœli.

. . . .

CAPITULUM VIGESIMUM SECUNDUM.

De terræmotu in Italia.

. . . .

Præcedentia quatuor Capitula deſunt in Cod. MSto.

CAPITULO VIGESIMOTERZO.

Dello quinquageſimo Jubileo in Roma. Della tornata, la quale fece lo Re d'Ongheria in Roma e in Puglia.

CUrrevano Anno Domini MCCCL. quanno &c.

CAPITULUM VIGESIMUM TERTIUM.

De Quinquageſimo Jubilæo Romæ. De reditu Regis Hungariæ Romam, & in Apuliam.

ANnus Domini MCCCL. currebat, quum &c.

Ab hoc Capitulo Liber Secundus (quem nos heic Tertium inſcribimus) Vitæ Nicolai Laurentii typis editæ Anno 1631. exordium ducit.

A

CAPITOLO (*) PRIMO.

Venuta a Roma del Cardinale di Ceccano Legato Apoſtolico a mettere il Giubileo.

CUrrevano Anni Domini MCCCL. quanno Papa Chimento VI. concedìo a li Romani la univerſale Innulgentia de pena e coipa per uno anno. Dunqua in quello anno ſenza impedimento aicuno benne a Roma tutta la Chriſtianitate. A queſſa Innulgentia fò lo Cardenale de Bolognia ſu lo mare, Legato de Lommardia; e fonce Miſſore Aniballo de Ceccano Cardenale Legato in Roma pe lo Papa, pe correjere lo Puopolo, e per miniſterio e ſuſſidio de li

(*) *Sequentia undecim Capitula deſiderantur in MSto. Codice Eſtenſi.*

CAPUT PRIMUM.

Adventus Romam Cardinalis de Ceccano Legati Apoſtolici, Jubilæum afferentis.

ANnus Domini Milleſimus Trecenteſimus Quinquageſimus currebat, quum Pontifex Clemens VI. Romanis univerſalem culpæ & pœnæ Indulgentiam per unius anni curriculum impertivit. Eodem Anno Chriſtiani omnes nullo impedimento Romam confluxerunt. Ejuſmodi Jubilæo adfuit Cardinalis Geſſoriacenſis, Legatus in Lombardia; & fuit heic Dominus Annibal de Ceccano Cardinalis Legatus in Urbe pro Pontifice, tum ut Populum

li Pellegrini . Queſſo Cardenale Legato, ſcritta che habbe ſia famiglia , muoſſo de Avignione , deſcenneo in Lommardia . Miſſore Janni Viſconte Arciveſcovo de Milana, Tiranno de Lommardia li jeſcio innanti pe farcli honore . Cinque deſtrieri copierti de ſcarlatto , menati a mano , jevano denanti a lo Arciveſcovo . Quanno lo Legato bedde queſſo, ſtordìo, favellao , e diſſe : Arciveſcovo , que pompa que vanagloria ene queſta ? *Reſpuſe lo Arciveſcovo, e diſſe:* Legato , queſta non ene pompa, ma ene cha boglio , che ſaccia lo Patre Santo , cha eſſo hao ſotto de sì uno Chierichetto, lo quale può qualche coſa . *A queſſo Arciveſcovo non era poſſibbele de havere queſſi deſtrieri , cha erano de gruoſſi cavalli de li Conneſtavoli , li quali havea ſparzi pe le Cittati . Puoi che lo Legato Miſſore Aniballo fò jonto in Roma , poſao ne lo Palazzo de lo Papa, e commenzao a provedere de lo ſtato de Roma e de li Pellegrini . Queſſo Miſſore Aniballo habbe in sè quattro proprietate non laudabili . La prima cha eſſo fò de Campagnia . La ſecunna eſſo fò guercio . La terza eſſo fò moito pompoſo , pieno de vanagrolia. La quarta boglio tacere . Queſſo Cardenale jonto in Roma benne a deſcordia con Romani per queſſa via . Havea uno ſio Cammiello , lo quale teneva co li Muli pe la Saimaria . La jente traſſe una die a queſſo Cammiello , per bederelo ne lo renchiuoſtro a pede de lo Palazzo . Granne coſa fao intorno a lo palazzo la jente vana . Chi lo mira , chi li tocca lo pelo , chi lo capo, chi li bennardi . E lo cavaicano . Hora lo voco fare annare . Granne ene lo cifolare : granne ene lo remore . Stava là uno famiglio de lo Legato . Parzeli male de tanta licientia , e coſinto riprenneva la jente. A le repreſe ajonſe le menaccie : onne perzona fece partire fuora de lo ſteccato . La jente non voize più odire . Prenne prete a piena mano : rompe lo ſteccato ; e tengo dereto a lo famigliaccio. Jettavano prete ſuſo a lo Palazzo . Gridavano come ſe fao:* ha ha ha, a lo Patarino ! *A queſſo romore traje la jente co li vaſtoni , e ſtanche , de la Piazza de Santo Pietro . Trajo quelli de Puortica , armati de tutte arme , clinora de acciaro, paveſi, panziere , ſcuti , baliſtre . A lo Palazzo ſe fao lo granne commattere . La porta ſerrata era . Lo remore era terribbele . Le prete foccavano, verrute , e lancie lanciate , como acqua ventoſa . Bene pare cha pe forza bogliano tollere la fortezza . Quanno lo Legato ciò ſentio , maravigliaoſe , & habbe paura . Stava sù a li baiconi de ſopra . Tutto bedea . Non ſapea perche caſcione queſſo fuſſi . Davaſe de le mano pe lo viſajo , e diceva :* Queſto che bole dicere ? che hajo io fatto ? perchè tanto dettoperio me ſe fao ! Vedi , como date caſcione voa Romani , cha lo Patre Santo venga a Roma ! In queſta Terra lo Papa non fora Signiore ; non ſora juſto Arciprete . Non me creſi venire a badaluccare . Haco li Romani ſomma povertate , e granne rogoglio ! *Stenneva la mano , e facea ſemmiante , che ceſſaſſeno da tale furore . Alla fine Frate Janni de Lucca , Commannatore de Santo Spirito corze , e sì racquetao li irrationabili Cittatini ; onne homo torna a caſa . Lo Cardenale habbe granne ſiltrenga . Habberaſſe pigliato de ſtare in Avignione .*

CAPI-

A lum coërceret , tum ut peregrinorum neceſſitatibus conſuleret . Is igitur Cardinalis Legatus, conſcripto familiarium ſuorum numero , Avinione diſcedens , in Lombardiam deſcendit . Dominus Johannes de Vicecomitibus , Mediolanenſis Archiepiſcopus, & Lombardiæ Tyrannus , Cardinalem advenientem honore proſequuturus , quinque equis coccineo panno coopertis , & manu ductis ſibi præeuntibus , obviam ei proceſſit . Ut Legatus Archiepiſcopum vidit , obſtupeſcens admodum , cum paucis alloquutus dixit . *Quænam eſt , Archiepiſcope , inſignis hæc pompa & oſtentatio !* Johannes reſpondit : *Nullus hic eſt , Legate , magnificus apparatus . In votis unice habeo , ut Summus* B *Pontifex agnoſcat , imperio ſuo Clericulum ſubdi , qui potentiâ nonnihil pollet .* At equos illos proceritate præſtantes Archiepiſcopus habere nequiviſſet , niſi a Comeſtabilibus recepiſſet eos , per diverſas urbes diſperſos . Poſtquam laudatus Dominus Annibal Legatus Romam intravit , in Pontificio Palatio ſedem elegit . Nec diſtulit , quin negotiis ad Civitatis regimen & peregrinorum commodum ſpectantibus curam omnem impenderet . Quatuor autem illaudabilibus notis inuſtus extitit . Primo , Campanus natione fuit : ſecundo , oculis ſtrabo : tertio , ambitione & vanagloria præoccupatus ; quartum ſilentio præterire malo . Ceterum quum Romæ fuit , a Populo in hunc mo- C dum diſſenſit . Camelus ei erat, qui cum mulis ad ſarcinas comportandas in ſtabulo degebat . Die quadam Populus viſurus Camelum convenit ad Clauſtrum ſub Palatio . Ibi grave quidpiam , mox enarrandum, inſani vulgi operâ contigit . Camelum alii intuebantur ; pilos ejus aliqui contrectabant ; caput nonnulli demulcebant; pudenda quidam attingebant. Non defuere , qui in dorſum ejus inſilierunt . Alii, ut ambularet , eum incitavere . Inter hæc ingens ſibilantium & conclamantium ſtrepitus audiebatur . Ibi quum adeſſet quidam Legati famulus , nimiam Populi audaciam ægre ferens , plebem redarguere cœpit. Objurgationibus minas addidit . Singulos , qui convenerant, ut e D ſepto diſcederent , impulit . Plebs vero obaudiens cedere loco recuſavit . Saxis larga manu arreptis ſeptum perfregerunt , & famulum inſequuti fuere . In Palatium ſaxa projecerunt , pro more clamantes : *Ah ah ah ! ad Hæreticum* . Quo clamore reliqua vulgi multitudo cum peſſulis , fuſtibus, ac perticis a Sancti Petri Platea veniens cucurrit . Convenere & ii , qui porticos habitabant , quibuslibet armis inſtructi , clavis æneis, clypeis, loricis , ſcutis , ac baliſtis . Juxta Palatium , ingenti certamine inſtructo , occluſis foribus , terribilis ſtrepitu , creberrima in grandinis modum ſaxa , veruta , lanceæ , ac ſpicula emittebantur . Arcem tunc expugnari pæne credidiſſes . Legatus quum id E reſcivit , admiratione ac timore ſimul obrutus, ſuperioribus Palatii feneſtris adhærens , & id omne oculis videns , undenam improviſa novitas emerſiſſet , ignorabat . Faciem propterea ſibi tundebat , inquiens . *Quid novi accidit ? Quid egi ego , unde tanta mihi irrogetur injuria ! An non ſcitis , Romani , vos per hæc Romano Pontifici occaſionem , ac votum ad Urbem revertendi adimere ! In hac Civitate Papa nec Dominus eſſet , & ne Archipresbyter quidem foret . Ego ſane non huc vel leviter armis congreſſurus adveni . Romani ſumma paupertate ſummaque audacia laborant !* Ut ab incepto deſiſterent furore , manus extendens innuebat .

De-

CAPITOLO II.

Azioni e autorità del Legato . E come ferito egli d'un verruto , ſcomunica il Tribuno , da lui ſtimato del tradimento autore.

A prædicabatur, egomet audivi. Crucem ſumentibus, vel auxilia collaturis, indulgentiam culparum & pœnarum impertivit. Quo facto Legatus contra canem, Forlivii Ducem Franciſcum de Ordelaffis movit. Antequam caſtra metaretur, omnia exercitui neceſſaria apparaverat. Epiſcopos, Milites, & alios probitate conſpicuos viros laudato Duci direxit perſuaſuros, ut ab errore reſipiſceret. Franciſcus adhortationes pacato animo & auribus excepit. Noctu Forolivio egrediebatur, & ex agris & regionibus Eccleſiæ prædas agebat. Captos homines abducebat. Nullum monitoribus reſponſum reddebat. Legatus Franciſci Ordelaffi voluntatem pertinaciter obduruiſſe videns, B exercitum contra Cæſenæ Urbem locavit. Malateſtæ erant copiarum Duces, & exercitus Eccleſiæ ductores. Duodecim millium Cruce ſignatorum numerus fuit. Triginta millium militum fuere; ex quibus conſtituti duo exercitus, quorum uterque ſejunctim caſtra poſuit. Eccleſiæ exercitus ingentia detrimenta ac direptiones illic intulit. Tubis obſtrepentibus tria millia vaſtatorum ſub vexillis hoſtiles agros depopulabantur, & peractâ devaſtatione diſcedebant. *Res digna memoratu.* Interea Summus Pontifex conceptis epiſtolis Domino Ægidio injunxit, ut in Provinciam regrederetur. Ut diſcederet in cauſsâ fuit Sabaudiæ Comes, qui valida trium millium galeatorum ſo- C cietate totam Provinciam rapinis & incurſionibus depopulabatur, loca capiebat, & deprædabatur, & incolis tributa imponebat. At priuſquam Domnus Ægidius recederet, Legatus alter, natione Gallus, Abbas Burgundiæ, Eccleſiaſticorum bonorum proventibus locuples, auctoritate & corporis habilitate præſtans, ſubſtitutus advenit. Franciſco Ordelaffo duo erant filii, quorum unus Dominus Johannes nomine, Dominus Ludovicus alter nuncupabatur. Is ad patrem accedens, ſubmiſſe ſupplicans ei dixit: *Pater mi, per cœleſtia te deprecor, ne cum Eccleſia contentionem proſequaris, nec Deo relucteris. Eccleſiæ juſſa faciamus & eidem obſequamur. Legati humanitatem compertam ſatis habeo. Sicuti Malateſtas* D *liberaliter ille tractavit, ita & nos honorifice amplectetur. De rebus, quas poſſidemus, tantumdem nobis largietur, quantum, ut decentiſſime vivamus, ſufficiat.* Humilibus filii precibus in ſuperbiam elatus pater reſpondit: *Sane e ſinu matris vel nothus prodiiſti, vel in baptiſmi lavacro mihi fuiſti ſuppoſitus.* Filius repentinam genitoris indignationem percipiens, ab ejus conſpectu ſe eripiens, terga vertit. Tunc Franciſcus denudatum longum cultrum in tergum filii projecit, & in renibus eum ſauciavit. Quo vulnere Ludovicus filius ejus ante horam mediæ noctis exſpiravit. Dum Legatus Abbas animum intenſius ad obſidionem & bel- E lum applicabat, Dominus Ægidius nihil prætermittens, fortiter Cæſenam oppugnabat. Ibi tres arces, quas *Battifolles* appellant, decem milliariorum ſpatio invicem diſſitas reliquit. Legati Ariminum remearunt.

CAPI-

CAP.

CAPITOLO IX.

Ceſena per opera di quattro Cittadini è preſa dal Legato.

I*N Ceſena ſtava Madonna Cia, la moglie de lo Capitanio de Forlì con ſij nepoti, e con granne foreſteria dentro de la Rocca. A queſſa Madonna Cia lo Capitanio ſcriſſe una lettera. La lettera diceva coſinto:* Cia hajate bona e ſollecita cura de la Cittate de Ceſena. *Madonna Cia reſpuſe in queſſa forma:* Signior mio, piacciave de havere bona cura de Forlì, che io haverajo bona cura de Ceſena. *Iterato lo Capitanio ſcriſſe un' aitra lettera. La ſententia era queſſa:* Cia, de nuoſtro commannamento fa, che mozzi lo capo a quattro puopolari de Ceſena, cioè Janni Zaganella, Jacovo de li Baſtardi, Palazzino, e Bertonuccio, huomeni Guelfi, de li quali havemo ſoſpitione. *La donna, receputa la lettera, non curze ſubbito a la ſententia. Anco eſqueſitamente con diligentia ſpia de la connitione de queſſi quattro Cittatini. E trovao che erano bone perzone e fedele. Specialmente la donna habbe conziglio de doi fideliſſimi amici de lo marito, cioè Scaraglino, nobbile homo, e Giorgio de li Tumberti. A queſſi moſtra la lettera. La reſpoſta de queſſi fò queſſa:* Madonna, non vedemo caſcione, pe la quale queſſi deano morire. Non ſentimo, che aitra novitate movano. Se queſſi perdeſſeno la vita, fuora pericolo, che lo Puopolo ſe ſdegniaſſe. Paſſa dunque per mò de queſſo judicio fare. Noa in queſſo mieſo ſtaremo attenteroſi, e metteremo penziero, e porremo cura a li atti e muodi loro. Quanno vedeſſimo aicuno male ſemmiante li nanti faremo. Comprenneremoli, e con manifeſto judicio a eſſi toglieremo la vita de ſubbito. *La donna aſſentìo a lo conziglio de li duoi nuobbeli fideli de ſio marito. Sopraſtetteſe de novitate fare. Queſſo trattato fò de ſecreto, e de ſecreto fò revelato a queſſi quattro. Allhora queſſi quattro tiengo novo trattato, penzanno de revoitare la Cittate ſottoſopra. Janni Zaganella deo lo ordene intra li amici ſici con uno ſio ronzinetto. Cavaicava pe la Terra. Queſſo e quello ſollecitava. Una dimane, como la coſa era recente, Jacovo de li Baſtardi curre co la vicinanza a la Porta de la Troja, e ſe la preſe. Bertonuccio e Palazzino fecero puopolo, e sbarrao la Cittate. Puoi mannaro doa jumentari alli Ongari, che ſtaveano a Savigniano ne lo Vattifuolle.* Celeriter illi vadunt. *Quanno Madonna Cia odio lo remore, ſappe che ſe levava puopolo, ſubbito fece armare ſoa foreſteria, ſollati da cavallo e da pede. Commannao che correſſino la Cittate. Ma ciò fare non ſe poteva, che la Terra ſtava sbarrata, lo Puopolo armato, la Porta de la Terra preſa, li Torri rencaſtellati. E, che più fò, li cavalieri venevano in ſoccorzo a lo Puopolo là ne la calata de lo ſole ottociento Arcieri de Ongaria, li quali ſtavano in Savigniano ne lo Vattifuolle. Venevano volanno. Jente veloce atteſi a guerra. Non entraro in Ceſina, ma jevano intorno alla Cittate, hora innanti, hora arreto, pe dare core alli Cittatini. Ciò vedenno Madonna Cia ſe retraſſe arreto ſoa foreſteria, e renchiuſeſe ne lo Caſſaro. Ella ſe ſoſtenne. Quello Caſſaro parte della Cittate ene, e forte murato intorno, hao dentro la Piazza de lo Commune, lo Palazzo, e la Torre. Hao dentro granni havitatii de par-*

CAP. IX.

Cæſenæ Urbs operâ quatuor Civium a Legato capitur.

CÆſenæ Arci incluſa Domina Cia, uxor Ducis Forolivienſis, unacum nepotibus ſuis, & plurimis advenis, immorabatur. Dux epiſtolam Dominæ Ciæ miſit, his paucis verbis exaratam: *Cia, ſtudioſe ac diligenter Civitati Cæſenæ proſpice.* Domina Cia viro ſuo per literas in hunc modum reſpondit: *Domine mi, omni ſolertiâ Urbi Forolivienſi quæſo invigila. Ego enim Civitati Cæſenæ curam omnem & operam meam impendam.* Rurſus Dux aliam ei conſcripſit epiſtolam, cujus ſumma hæc fuit: *Juſſu meo, Cia, quatuor popularibus viris Cæſenæ caput abſcinde; Johanni ſcilicet Zaganellæ, Jacobo de Baſtardis, Palazzino, & Bertolduccio, Guelfis hominibus, de quorum fide dubitamus.* Receptâ epiſtolâ mulier mariti mandata non illico abſolvit. Sed diligentiori habito examine, & exploratâ laudatorum quatuor Civium conditione, eos probitate & fide commendabiles eſſe recognovit. Præcipue vero conſilium duorum marito fidiſſimorum amicorum adhibuit, nimirum Scaraglini nobilis viri, & Georgii de Tumbertis. Ambobus epiſtolæ arcanum communicavit. Uterque eorum in hac fuit ſententia: *Nullam cauſam,* (inquiunt) *Domina, invenimus, qua iidem homines morti ſint adjudicandi. Neſcimus, ulli novitati eos operam dare. Timendum ſane eſſet, ſi ipſis vita eriperetur, ne Populus ad furorem commoveretur. Ejuſmodi judicium itaque exſequutioni demandare nunc deſine. Interea nos attentius omni cogitatione ac diligentia noſtra eorumdem actus & motus de cetero obſervabimus. Cuicumque malo, & mali ſpeciei, quod Cives ipſis excitare poſſent, præcavebimus. Eos tunc comprehendemus, ac manifeſto judicio illis vitam protinus adimemus.* Mulier voto duorum nobilium mariti ſui fidelium acquieſcens, novitatis proſequutionem remiſit. Hæc ſecreto fuerunt acta, & poſtmodum ſecreto etiam ipſis quatuor Civibus revelata. Quæ ut illi reſciverunt, Civitatem ſuſdeque commovere in animo habuerunt, rebellionis modum excogitantes. Ob id Johannes Zaganella conceptam rem in ordinem redigens, cum mannulo ſuo per Urbem obequitare cœpit, modò hunc modò illum ad defectionem incitans. Quodam mane, quum negotium adhuc eſſet in exordio, Jacobus de Baſtardis cum vicinia ad Portam Trojæ cucurrit, quam cepit. Bertolduccius & Palazzinus Populum coadunarunt, repagulis urbem obſtruxere, & Hungaris, qui Savinianum in Battifolle incolebant, duos agaſones miſerunt. *Celeriter illi vadunt.* Quum Domina Cia tumultum ſenſit, Populum arma cepiſſe agnovit. Illico hoſpites ſuos, equites & pedites armari fecit. Iis injunxit, ut Civitatem excurrerent. Id autem fieri nullo modo poterat, quòd Urbs tota trabibus ad viarum fauces intercluſa fuerat, Populus arma ſumſerat, Turribus munimenta appoſita denuo erant, & Porta Civitatis in Civium poteſtatem devenerat. Octingenti, quod plus erat, Arcatores Hungari, qui e Savinianenſi Battifolle exierant, in auxilium Populi, ſole ad occidentem vergente, concito gradu velociter properabant, ad certamina inſtructi. Urbem minime intraverunt, eam circumeundo, nunc appropinquantes, nunc retrogredientes, animi præ-

partiali . E' luoco aiquanto aito . Sopraſtao a la Cittate , che jace piana . Irata Madonna Cia de queſſa perdenza , convertìo la ſoa ira ne li doi Conziglieri amiciſſimi de lo marito , Giorio de li Tumberti e Scaraglino . Feceli decollare . Quod factum maritus improbavit poſtera die , luce orta .

CAPITOLO X.

Preſa della Rocca di Ceſena , e prigionia di Madonna Cia moglie dell' Ordelaffi.

Ecco li Malateſti benire co lo granne ſoccurzo , co la moita potentia. Datali la Porta de la Troja, entrano in Ceſena. Hora ſtao aſſediata Madonna Cia ne la Rocca . Allhora fò rennuto lo Caſtiello Fiumone . Li Malateſti faco aſpero vattagliare alla Rocca. Faco badalucchi; jettano dentro foco , levano trabocchi , jettano prete e ſaſſi aſſai . Non faco utilitate aicuna . Era dentro l'acqua , ed erance dentro la maſtra Torre ſopra la Porta de lo Caſſaro. Commannao lo Legato la cavata (opera faticoſa de moita ſpeſa longa .) Fatta la cavata ſotto , la ciſterna fo rotta , l'acqua fò perduta . Puoi jonze la cavata ſotto la maeſtra Torre de la Piazza . Meſſo fuoco a li pontielli , la Torre con granne ruina e remore cadde. Hora ſe fao la cavata a la Torre ſopra a la Porta , donne era la entrata ne lo Caſſaro . Madonna Cia irata de ciò non ſapea che ſe fare . Preſe de li Cittatini, che li parze, dentro de lo Caſſaro , de li quali più dubbitava , e meſſeli in quella Torre ſopra la Porta , e diſſe : Se la Torre cade , cada ſopra de voa . *La Torre ſtava in pontielli. Tremava. Lo Legato Don Gilio paſſava pe la contrada con granne compagnia . Beneva pe bedere la connitione de Ceſena , l'opera de la cavata , e lo aſpietto de lo aſſedio . Allhora da cinqueciento donne de Ceſena jeſcero fora ſcapigliate , ſfeſſe da lo pietto , piagnenno, e lamentanno facevano granne remore . Inninocchiate nanti a lo Legato demannavano mercede.* Inſcius *lo Legato de la caſcione de sì amaro pianto , demannao perchè queſſo faceano . Reſpuſero le donne :* Ne la Torre ſopra la Porta ſoco renchiuſi nuoſtri mariti , fratielli , e parienti . La cavata è fornita . Se la Torre cade , l'huomeni ſoco perduti . Donde per Dio te pregamo , che tardi de mettere foco ne li pontielli . *Lo Legato conubbe , che Madonna Cia dubitava de sì , cha era rotta nell' animo . Habbe trattato , e a ſoje mano habbe li Ceſenati meſſi ne la Torre . Meſſo fuoco ne la Torre in poco tiempo cadde con parte de lo girone . Allhora lo guado fò libero per entrare . Non per ciò che aicuno entraſſi con furore , ma de piano conzenzo . Lo Legato habbe a le ſoe mano Madonna Cia con uno ſio figlio , e doi ſiei nepoti . Recuſao Madonna Cia eſſere liberata, temenno la ſubbitezza de ſio marito . Anco con iſtantia pregao , che la Chieſia la ſaivaſſi . Tremilia Fiorini cuſtava lo dì li Maſtri de le cavate , de li Trabocchi, e de li aitri arteficii . Dodecimilia fiorini cuſtava lo dìe li ſollati . Lo Legato entrao in Ceſena, e man-*

A præſentiam civibus additur i . His viſis Domina Cia advenas ſuos removens, in Caſſarum ſe incluſit . Ibi ſubſtitit. Caſſarum illud , ſive Arx , pars Urbis eſt, in circuitu muro ſeptum fortiſſimo , intus continens Plateam Communis, Palatium , ac Turrim , & ampla ædificia amicorum . In loco aliquantulum excelſo poſitum cernitur . Civitati imminet , quæ in planitie adjacet . Domina Cia irâ vehementi obruta ex hac jactura , furorem ac iracundiam ſuam in duos Conſiliarios Georgium de Tumbertis & Scaraglinum , marito amiciſſimos , convertit . Ambobus capita obtruncari præcepit . *Quod factum maritus improbavit poſtera die , luce orta.*

B

CAP. X.

Arx Cæſenæ capitur . Domina Cia Ordelaffi uxor carceri mancipatur.

INterea Malateſtæ cum ingenti copiarum præſidio , & armatorum virtute advenerunt . Per Portam Trojæ eis datam , Cæſenam introierunt . Dominam Ciam obſidione preſſam tenuerunt . Tunc Caſtrum Flumonis deditione facta obtinuere . Malateſtæ Arcem diris certaminibus impetierunt . Crebris prœliorum inſultibus congrediuntur . Ignem injiciunt , arietes attollunt , & lapidibus ac ſaxis multimode C eam percutiunt . Incaſſum hæc omnia agunt . Intra Arcem erat aqua , & ſupra Caſſari Portam prævalida Turris . Legatus ſubterraneam foſſionem fieri , & cuniculos diſponi (opus utique arduum , diuturnum , ac impendioſum) mandavit . Peractâ ſuffoſſione , aquæ ciſterna dirupta ac deperdita remanſit . Poſtmodum foſſores cuniculis ad magiſtram Plateæ Turrim pervenerunt. Fulcimentis ligneis appoſito igne, Turris eadem ingenti cum pernicie ac ſtrepitu corruit . Tunc Turrem Portæ inſiſtentem , quâ aditus in Caſſarum erat , ſuffodere cœperunt . Domina Cia exardeſcens irâ , & conſilii inops , quoſdam Cives , utcumque ei libuit , quos ſuſpectos habebat , comprehendens intra D Caſſarum , in prædicta Turri , quæ Portæ imminebat , incluſit dicens : *Si Turris cecíderit , ſuper vos dilabatur.* Ligneis fulciminibus Turris inerat . Tremore concutiebatur . Legatus Domnus Ægidius interim , multâ comitivâ militum ſtipatus per viciniam tranſibat . Cæſenæ conditionem , ſuffoſſionis opus , & obſidionis ſtatum intuiturus, adventabat . Tunc quingentarum circiter mulierum turba , Civitate proſiliens, capillis ſparſis, diſciſſis pectore tenus veſtibus , fletibus ac lamentis ululatum maximum emittens , Legati genibus provoluta , commiſerationem expoſcebat . *Inſcius* Legatus , undenam amarus adeo fœminarum gemitus prodiiſſet, cur hæc agerent, petiit. Mulieres reſpon-E derunt : *Turri , quæ Portæ imminet , parentes, fratres , ac mariti noſtri includuntur . Cuniculorum ſuffoſſio ad finem jam perducta eſt . Turre dilabente ii omnes viri ruinâ oppreſſi peribunt. Quamobrem per cæleſtia rogamus , ut ignem ſuppoſitis fulcimentis immittere differas .* Ex his Legatus intellexit , Dominam Ciam ſpe ac animo decidiſſe , ac ſibi pertimeſcere . Igitur concordiam iniit , & Cæſenates Turri incluſos in poteſtatem ſuam tunc habuit . Exinde Turri injecto igne , brevi eadem cum ambitus parte ad terram præceps corruit . Tunc ingreſſus in Caſſarum libere cuique patuit. Nemo tamen cum furore intravit , ſed pacato animo & volun-

mantenne la Terra pe la Chieſia . Queſſo ene lo muodo , che hane la Cittate de Ceſena ne la Romagnia guadagniata da lo Legato .

CAPITOLO XI.

Il Legato più volte bandiſce la Crociata contro l'Ordelaffi , e finalmente lo ſpoglia di Faenza , e di Bertinoro.

H*Ora ſe para lo Legato ſopra la Cittate de Forlì . Prima ordinao l'hoſte granne e copioſa . In tanto ſaputo fò de la preſonia de Madonna Cia, la quale era mannata in Ancona in guardia . Una ſoa figliola , donna nuobbele , maritata ad uno granne Marchiſciano , benne denanti a lo patre lacrimanno co le vraccia piecate . Inninocchiata parlao e diſſe* : Patre , e Signiore mio, piacciate, che così fatta donna, Madonna Matremà, non ſteja in mano altruje, como preſoniera. Pregote, fa la voluntate de la Santa Chieſia . *A queſſe paravole lo Ordelaffi aitra reſpuoſta non deo , ſe no cha preſe queſſa ſoa figlia pe le treccie , e con uno cortiello li partìo la teſta da lo vuſto . Po' la preſa de Ceſena lo Legato mannao lo Capitanio dicenno coſinto* : Capitanio , rienni quello che tio non ene . Io te renno tia Donna , figliatò , e nepotitì . *A queſſe paravole lo Capitanio deo queſſa reſpuoſta* : Dicete a lo Legato , che io credeva , cha foſſe ſavio homo . Horamai lo tiengo per una beſtia pazza . Diceteli , cha ſe io haveſſe havuto in preſone eſſo , tre dii paſſati ſoco , che io lo habbera appeſo pe la canna , como eſſo hane hauto le coſe meje . *Innurato lo animo de sì pervierzo heretico patarino, Don Gilio lo Legato antico ſe partì , e gione in Provenza . Como la Compagna ſentio appreſſimare Don Gilio a le finaite, così ſe deslequao, como faco la poca neve a fervente ſole . Remaſe lo Legato noviello , lo Abbate de Borgognia . Queſſo Abbate fece l'hoſte pentoloſa ſopra de Forlì . Pe moiti anni bannio la Cruciata , e fò predicata la Croce pe tutta Italia . Mozzava lo grano , e tagliava le vigne , arvori , & oliveta . Bruſava ad onne hora. Pe queſſa fervente guerra lo Capitanio perdìo Favenza ; e li Manfredi ſii conzuorti jurati con eſſo . Anco perdìo Berthonoro . Allhora ſe riſtrenze dentro a Forlì ne lo Forte. In queſſo aſſedio ſopra Forlì fuoro preſi de li Cruciati aſſai voite , li quali pe meritare eranoiti a commattere contra de quelli ſciſmatici . Li Cruciati preſi erano menati denanti a Franceſco, lo quale diceva queſſi paravoli:* Voa portete la Croce. La Croce ene de panno. Lo panno ſe infracida . Io voglio, che portete Croce , che non ſe infracidi . *Allhora era apparecchiato uno fiero cannente in forma de Croce . Queſſo fierro lo poneva ſotto a la pianta de li piedi , e così li laſſava derobbati ire . Moiti aitri Cruciati preſe , a li quali diſſe queſſe paravole* . Site benuti per guadagniare l'anima .

A luntate . Legatus arbitrio ſuo ſubjectam Dominam Ciam, filium ejus , ac duos nepotes obtinuit. Libertate donari Domina Cia recuſavit, quòd ſubitam mariti ſui iracundiam nimium ſibi metuebat. Quin immo a Legato impenſius poſtulavit , ut Eccleſiæ patrocinio defenderetur . Magiſtri a ſuffoſſionibus , arietum , & aliarum belli machinarum artifices, trium millium Florenorum impendio quotidie conducebantur . Milites vero duodecim millium Florenorum quotidiano ſtipendio militabant . Itaque Legatus intravit Cæſenam , quam pro Eccleſia cuſtodivit . In hunc modum eamdem Urbem in Romania Eccleſiæ acquiſitam Legatus ſubjugavit .

B

CAP. XI.

Legatus Crucem contra Ordelaffum pluries indicit , quem demum Faventiâ & Foro Aruentinorum ſpoliat.

POſtmodum Legatus ad Urbis Forolivienſis oppugnationem animum intendit . Copioſum ac validum in primis collegit exercitum . Interea diſſeminato ſermone captivitatis Dominæ Ciæ , quæ cuſtodienda Anconam miſſa fuerat , Ciæ filia , matrona nobilis , Marchiani cujuſdam Proceris uxor , flexis brachiis , deflens , ac pedibus patris provoluta , hæc inquit: C *Pater , & Domine mi , quæſo velis , tantam dominam , qualis eſt genitrix mea , ex alienis carceribus & poteſtate liberare . Te obteſtor , ut Sanctæ Eccleſiæ morem geras* . Filiæ verbis nihil aliud Ordelaffus reſpondit, quàm quod filiam comis arripuit , & cultro caput ei abſcidit . Legatus , poſtquam Cæſena potitus fuit, eidem Duci nuntium ita loquentem miſit : *Si quod tuum non eſt , Dux , reſtitues , ego conjugem , filium , & nepotes tibi reddam* . Ordelaffus repoſuit : *Dic Legato , me antea quidem eum exiſtimaſſe prudentia præditum . At modo ceu ſtolidum jumentum eumdem habeo . Si enim Legatus in mea poteſtate eſſet , uti mei ad ejus manus devenerunt , triduo ab hinc retro furcâ* D *eum ſane ſuſpendiſſem* . Obdurato pervicaciâ corde Franciſci perverſi hæretici , Domnus Ægidius Legatus ſenior in Provinciam profectus diſceſſit . Ubi Societas Comitis Sabaudiæ audivit, Domnum Ægidium ad confinia appropinquare , veluti nix modica ad fervidos ſolis radios liqueſcens , receſſit . Legatus Abbas Burgundiæ recèns ſubrogatus Romaniæ præfuit, qui exercitum abjectorum militum contra Forum Livii coadunavit . Plurium annorum curſu Crucem , prædicatione per eas Italiæ partes promulgatam , publicavit . Segetes in agris, vineas, arbores, & oliveta exercitus ille abſcindebat . Omnia quotidie comburebat . Incaleſcente hoc bello Ordelaffus Dux , & E cum eo fœderati Manfredi , nedum Faventiam ſed & Forum Aruentinorum amiſerunt . Tunc ad Forolivienſem Arcem Franciſcus ſe reduxit . Durante Forolivienſi obſidione quamplures Cruce ſignati , qui ut ſpiritualia indulgentiarum dona ſibi procurarent , adverſus ſchiſmaticos pugnaturi perrexerant , ſæpius ab hoſtibus capti fuerunt . Iis ad Ordelaffi conſpectum adductis , ipſe talia dicebat : *Vos Crucem panno confectam geſtatis . Pannus facile diffringitur . Crucem , quæ non tam ſubitò dilaceretur , vos ſubire decrevi* . Hinc paratum in Crucis formam candens ferrum pedibus illorum ſupponebat. Tum

Se ve laſſo , forza tornarete a li primi vuoſtri peccati . Meglio ene , che in queſſa voſtra tenerezza , mentre ſite contriti , morate . Dio ve receperao ne la ſoa Cittate . *Ciò detto li faceva ſcorticare , appennere , decapitare , & agghiadiare , tenagliare , e de divierzi martirii morire . La guerra durao anni moiti . Per queſſa guerra mantenere , fò predicata la Cruciata moite voite . Hora mone novamente , che curre Anno Domini MCCCLVIII. de Jennaro, nella Città de Tivoli fò predicata .* His ferme diebus Johannes Rex Franciæ captus eſt a filio Regis Angliæ , bello magis tumultuario, quam militari , apud Villam quamdam , ductuſque in Angliam ſub cuſtodia , annis ferme duobus. Tamdem cum magno ſuo detrimento & Regni evaſit .

A ii exſpoliati dimittebantur. Plurimos alios Cruce ſignatos cepit , quibus ajebat : *Huc veniſtis, ſpirituale lucrum vobis cumulaturi . Si libere vos abire ſinerem, in priora crimina relaberemini . Melius erit , vos in hac veſtra cordis compunctione mortem oppetere, dum adhuc dolore peccatorum contriti eſtis . Deus enim in ſanctam ſuam Civitatem vos recipiet .* His dictis , cutem aliis e corpore detrahi , quoſdam patibulo affici , nonnullos capitibus minui, aliquos in minuta fruſta concidi, & alios candenti forcipe dilaniari jubebat , ita ut omnes diverſis tormentorum generibus interirent . Ejuſmodi bellum pluribus annis perduravit , pro cujus prorogatione Crux fuit pluries prædicationibus B evulgata . Nunc vero iterum , hoc currenti Anno MCCCLVIII. menſe Januario , in Urbe Tiburtina, repetita fuit . *His ferme diebus Johannes Rex Franciæ captus eſt a filio Regis Angliæ bello magis tumultuario quam militari , apud Villam quamdam , ductuſque in Angliam ſub cuſtodia , annis ferme duobus . Tamdem cum magno ſuo detrimento & Regni evaſit.*

CAPITOLO XII.

Cola dopo eſſerſi per ſette anni in varj modi occultato , vaſſene all'Imperadore , dal quale è gratiſſimamente accolto.

C*Urrevano Anno Domini MCCCLIII. lo primo die de Agoſto , quanno Cola de Rienzo tornao a Roma , e fò receputo ſolenniſſimamente . A la fine a voce de Puopolo fò acciſo . La novella fò per queſſa via . Da puoi che Cola de Rienzo cadde da lo ſio dominio , deliberao di partireſe e jireſene denanti a lo Papa. Nanti la ſoa partita fece pegniere ne lo muro de Santa Maria Matalena in Piazza de Caſtiello un' Agnilo armato con l'arma de Roma , lo quale teneva in mano una Croce . Sù la Croce ſtava una palommella . Li piedi teneva queſſo Agnilo ſopra lo Aſpido , e ſopra lo Baſaliſco , e ſopra lo Lione , e ſopra lo Traone . Pento che fò , li valordi de Roma li jettaro ſopra lo loto pe deſtratio . Una ſera venne Cola de Rienzo ſecretamente deſconoſciuto pe bedere la fiura nanti ſoa partentia . Viddela , e conubbe , cha poco l'havevano honorata li valordi . Allhora ordenao , che una lampana li ardeſſi denanti uno anno . De notte ſe partìo , e gìo longo tiempo venale . Anni foro ſette . Jiva forte deviſato pe paura de li Potienti de Roma . Jio como Fraticiello , jacenno pe le montagna de Majella con Romiti e perzone de penitentia . A la fine ſe abbiao in Bohemia a lo 'mperatore Carlo (de la cui venuta ſe dicerrao ,) e trovaolo in una Cittate , la quale ſe appella Praga . Là denante a la majeſtate 'mperiale inninocchiato , parlao prontamente . Queſſe foro ſoe paravole, e ſio locculento ſermone denanti a Carlo Re de Bohemia , nepote de Henrico 'mperatore , novellamente eletto Imperatore pe lo Papa :* Sereniſſimo Prencipe , a lo quale è conceduta la gloria de tutto lo munno : Io ſoco quello Cola , a lo quale Dio deo gratia de potere governare in pace , juſtitia , e libertate Roma , e lo deſtretto . Habbe la obedientia de la Toſcana , Campagnia , e Marettema . Refrenai le arrogantie de li Potienti , e purgai moite coſe inique. Verme ſo', homo fraile , pianta como l'aitri . Portavo in mano lo vaſtone de fierro , lo quale pe la mea humilitate convertiei in vaſtone de leno; imperciò Dio me ha voluto caſtigare. Li Potienti

ti

CAP. XII.

Nicolaus , quum ſeptennio diverſimode delituiſſet, ad Imperatorem ſe confert, a quo gratiſſime ſuſcipitur.

CUrrente Anno Domini MCCCLIII. Calendis Auguſti , Nicolaus Laurentii Romam rediit , ubi poſtquam plurima ſolemnitate fuiſſet receptus , denique furore Populi fuit interfectus . Res ita contigit . Poſtquam Nicolaus Laurentii dominatu fuit exturbatus, Româ abſcedere, & ad Pontificem proficiſci deliberavit. Priuſquam abiret, in muro Sanctæ Mariæ Magdalenæ in Platea Caſtri depingi curavit Angelum armis munitum , & gentilitium Romanæ Civitatis ſtemma . Angelus Crucem manu tenebat . Cruci parvula columba inerat . Aſpidem , baſiliſcum , leonem, & draconem Angelus pedibus proterebat . Picturam hanc vilis plebecula luto in opprobrium conſpurcavit . D Quodam veſpere Nicolaus, antequam digrederetur , imaginem ipſam pictam viſurus , tacite ignotus acceſſit . Eam a rudi vulgo habitam dedecori conſpexit . Tunc præcepit , ut per integrum annum accenſa lampas ante illam arderet . Noctu abiens, diu peregrinando pererravit . Septennio ſemet occultavit . Vili habitu , & corporis ementita ſpecie , ob Romanorum potentum metum delituit. Sub Fraterculi veſte montes Majellæ peragrans , una cum eremi cultoribus, & aliis pœnitentiæ addictis, vitam & converſationem egit . Denique iter ad Carolum Imperatorem , de cujus adventu ſuo loco ſcribemus , in Bohemorum regionem ſuſcepit , & illum in Urbe Praga degentem invenit . E Coram Imperiali Majeſtate flexis genibus expeditum ſermonem habuit . Luculentæ orationis ejus ante conſpectum laudati Caroli , quondam Henrici Imperatoris nepotis, qui Bohemiæ Rex erat , recenter in Imperatorem a Pontifice electus , verborum ſumma hæc fuit : *Princeps Sereniſſime, cui totius orbis gloria tribuitur , ego ſum Nicolaus , qui Numinis gratiâ in pace juſtitia & libertate Romanam Civitatem , & ejus ditionem adminiſtravi . Tuſcia, Campania , & ora Maritima mihi jam obedierunt. Potentum audaciam refrænavi, & corum injuſtitiam punivi . Vermis ſum , caducus homo , & fragilis planta æque ac ceteri mortales:*

Fer-

ti me perſequitano. Cercano l'anima mea. Pe l'invidia, pe la ſupervia me haco cacciato de mio dominio. Non voco eſſere puniti. De voſtro lenajo so'; figlio de vaſtarco de Herrico Imperatore lo Prode. A voa confugio. A le ale voſtre recurro, ſotto la cui omra e ſcudo homo dee eſſere ſaivo. Credome eſſere ſaivato. Credo cha me defennarete. (53) Non me laſſarete aſtocare ne lo laco de la injuſtitia. E ciò ene veroſimile, cha 'mperatore ſite. Vuoſtra ſpata deo limare li Tiranni. Veddi la Profetia de Frate (54) Agnilo de Mente de cielo ne le montagnie di Majella: e diſſe, che l'Aquila occiderao li Cornacchiuni. *Queſſa fò la diceria de Cola. Può che habbe parlato, Carlo deſteſe la mano, e recepeolo gratioſamente, e diſſe, che non dubitaſſe de chivelli. Quanno jonſe* (55) *in Praga, demorao pe lo ſpatio de aicuno tiempo. Deſputava con Maſtri de Theologia. Moito diceva. Parlava coſe maraviglioſe. Lengua deſerta. Faceva ſtordire quelli Todeſchi, quelli Boemi, e Schiavoni. Abaſava onne perzona. In preſone non ſtette, ma con compagnia aſſai honorata, ſotto quaiche guardia. Aſſai vino, aſſai vivanna li era data.*

CAPITOLO XIII.

Cola và per giuſtificarſi in Avignone. E' carcerato, e dopo aſſoluto dalla ſentenza del Cardinale Ceccano.

PO' *aicuno tiempo domannao 'n gratia a lo 'mperatore de gire in Avignione, e comparere denanti a lo Papa, e muſtrare como non era heretico, nè Patarino. Moito li contraſtao lo 'mperatore che non jeſſe. A la fine conneſceſe a la ſoa volontate. Diceva Cola de Rienzo:* Sereniſſimo Prencipe, io volontario vao denanti a lo Santo Patre. Donqua ſe voa non me mannate per forza, ſite innocente de lo ſacramento. *Ne lo gire che faceva, pe tutte le Terre ſe levavano li Puopoli, e fatto gregge con remore li venevano denanti. Prennevanolo, e dicevano, cha lo volevano ſaivare da le mano de lo Papa. Non volevano che jeſſe. A tutti reſponneva e diceva:* Io volontario vao, e non coſtretto. *Rengratiavali, e così paſſava de Cittate in Cittate. Pe tutta la via li fuoro fatti ſolenni honori. Quanno li Puopoli vedeano eſſo, meravigliaroſe; lo accompagniavano. E pe tale via jonſe in Avignione. Jonto Cola de Rienzo in Avignione, parla denanti a lo Papa. Scuſavaſe, cha non era Patarino, nè incorrea la ſententia* (56) *de lo Cardenale, e de Donno Bruno. Volea ſtare a la eſaminatione. A queſſe paraole lo Papa ſtette queto. Fò renchiuſo in una Torre groſſa e larga; una juſta catena teneva in gamma. La catena era allegata sù a la voita de la Torre. Là ſtavea Cola veſtuto de pan-*

A *Ferreum ſceptrum manibus meis ferebam, quod in ligneum ex humilitate mea immutavi. Idcirco Deo placuit me confundere. Potentes viri odio me inſectantur. Invidiá, ac ſuperbia perciti, dominatu me disjecerunt. Quærunt animam meam. Pœnam, quam meruere, ſubire detrectant. Ex veſtro genere ſum. Ex filio notho Henrici Imperatoris egregii ortum habui. Apud vos confugium imploro. Sub alis veſtris quieturus huc veni, quarum umbrá & munimine, quilibet ſane ſalvandus eſt. Salutem me jam nactum eſſe cenſeo. Confido enim, vos me defenſuros fore. Haud certe patiemini, ut injuſtitiæ lacu abſorptus opprimar. Id profecto veroſimile puto, quum Imperator ſis, & gladius* B *tuus Tyrannos de medio ſit ſublaturus. Sane Frater Angelus de Monticulo in montibus Majellæ prædixit, Aquilam Corvos fore interfecturam.* Ita ſe habuit Nicolai alloquutio. Poſt quam Carolus manum extendens, & gratioſe Nicolaum recepit, & dixit ei, ut de nullo ſibi pertimeſceret. Quum Pragam advenit, inibi moram aliquo temporis ſpatio traxit. Cum Theologiæ Magiſtris diſceptabat. Multa & admiratione quidem digna pronuntiabat. Linguâ diſerte facundus erat. Theutonicis illis, Bohemis, ac Dalmatis maximum ſtuporem eloquentiâ ſuâ inferebat. Quilibet obſtupeſcebat. Carceri nullatenus mancipatus, cum comitiva admodum decenti ſub quadam cuſtodiæ ſpecie C ſtetit. Vini & ciborum copia abunde ſibi ſuppetiit.

CAP. XIII.

Nicolaus, crimina ſibi impacta amoliturus, Avinionem proficiſcitur. Ibi carceri truditur, & demum ſententiâ Cardinalis de Ceccano abſolvitur.

ALiquanto poſt Nicolaus Imperatori ſupplicavit, ut ſibi Avinionem proficiſci liceret, utque Pontificem aditurus conjectam in ſe criminationem hæreſeos diluere poſſet. Non parum obtitit Imperator, ne iret. Demum D voluntati ejus indulſit. Ajebat Nicolaus Laurentii: *Sereniſſime Princeps: Ego libens ſummum Pontificem ultro ſum aditurus. Dummodo me ad eundum non adigatis, a ſacramento liberi eſtis.* Per urbes & loca omnia, quæ ipſe eundo pertranſibat, Populi inſurgentes, coactâ gentium multitudine, cum ſtrepitu obviam ei procedebant. Ipſum retinebant, dicebantque velle eumdem a Pontificis poteſtate ac manibus ſalvum præſtare. Nolebant ut ad Pontificem iret. At omnibus reſpondens Nicolaus dicebat: *Sponte, non coactus pergo.* Cunctis autem gratias agens, de Civitate in Civitatem iter faciebat, ubique ſolemniter & honorifice ſuſceptus. Quum Populi eum intuebantur, ad-E miratione capti, ſociabant. Itaque in hunc modum Avinionem pervenit Nicolaus Laurentii. Ibi ad Pontificis præſentiam adductus, conceptis verbis culpam ſuam expurgavit, oſtendens ſe nullatenus hæreticum eſſe, & ſe ſententiâ Cardinalis de Ceccano, ac Domni Brunonis, nequaquam affici. Examini ſe ſe libenter ſubjicere aſſerebat. Ejus ſermoni ne ver-

(53) *In MS. Eſtenſi.* Non me laſſarete perire in mano de' Tiranni: non me laſſarete affocare
(54) Frate Agnilo de Monticiello nelle
(55) in Praga fu lo primo die de Agoſto; demorao
(56) de lo Cardenale de Ceccano, & de Don Bruno

panni mezzani . Havea livri aſſai ; ſio Tito Livio , ſoe Storie de Roma , la Bibbia , e aitri livri aſſai . Non finava de ſtudiare . Vitto aſſai ſufficiente de la ſcudella de lo Papa, che per Dio ſe dajeva . Fuoro eſaminati ſoi fatti , e fò trovato fedele Chriſtiano . Allora fò revocato lo procieſſo , e la ſententia de Donno Bruno , e de lo Cardenale de Ceccano , e fò aſſoluto . E venne in gratia de lo Papa , e fò ſcapolato.

A verbum quidem Pontifex reſpondit. In forti & ampla turri incluſus fuit Nicolaus , inditâ pedi catenâ , quæ ſuperiori fornici turris religata erat . Ibi detinebatur mediocribus indumentis contectus . Plures Libros habebat , puta Titum Livium , Hiſtorias Romanas , ac Biblica volumina . Horum lectioni ac ſtudio indeſinenter vacabat . Sufficienti victu nutritus de lance ac cibis Pontificis miſericorditer ſuſtentabatur . Nicolai actus ad judicii trutinam revocati fuerunt , ex quibus a fide Chriſti ullatenus eum non deſciviſſe conſtitit . Tunc abrogatâ cauſâ contra ipſum conſtitutâ, & ſententiâ jam a Domno Brunone , & a Cardinale de Ceccano promulgatâ , Nicolaus idem abſolutus fuit.
B In Pontificis gratiam denuo redactus, priſtinam libertatem obtinuit .

CAPITOLO XIV.

Cola accompagnatoſi col Legato Apoſtolico torna a Roma , dove ha molte richieſte da quel Popolo.

(57) *QUanno jeſciò , devea venire in Italia uno Legato Donno Gilio Concheſe Cardinale de Spagnia . Apparecchiavaſe, e ſcrivea ſoa famiglia . Cola de Rienzo con queſſo Legato jeſciò de Avignione , purgato e benedetto e aſſoluto . E co lo Legato paſſao la Provenza , e venne a Monteſiaſcone per recuperare lo Patrimonio , como ditto ene . De le prime Terre , che ſe renniero a la Chieſa , fò Toſcanella , e lo Caſſaro fò vennuto per moneta . Cola de Rienzo ſe trovao a prennere la Terra per la Chieſia . Puoi ſe trovao ne lo aſſedio de Vitervo , e retrovaoſe a tutti quelli fatti de arme da cavalieri. Havea veſtimenta aſſai juſte e honeſte e buono cavallo . Non ſolamente nella hoſte , anco in Monteſiaſcone havea tamanta richieſta de Romani , che ſtupore era a dicere . Onne Romano ad eſſo ſio capo , e ſorte ene viſitato . Granne coda de puopolari ſe ſtraſcinava dereto. Onne jente facea maravigliare , per ſi' lo Legato , tanto lo appreſciava la rechieſa de li Cittatini de Roma . Pe maraviglia lo bedeano. Forte li pareva , che campata aveſſe la vita in fra tanti Potienti . A la ſopraditta depopulatione de Vitervo , como ſopra narrato ene , fuoro Romani . Tornata l'hoſte , granne partita de Romani traſſe a vedere Cola de Rienzo , huomini puopolari , granne lengue e cori ; majure proferte , poche atteſe . Diceano:* Torna a la tia Roma . Curala de tanta infermitate . Sinne Signore . Noa te daremo ſobballimento , favore , e forza . Non dubitare . Mai non fuſti tanto addemannato , nè amato , quanto al preſente . *Queſſe veſſiche li puopolari de Roma li daevano . Non li daevano denaro uno . Pe queſſe paraole moſſo Cola de Rienzo , anco pe la gloria , la quale naturalemente aſſettava , penzava de fare aicuno fonnamento , donne poteſſe havere jente e ſuſſidio per entrare a Roma. Diſſene co lo Legato , nè li deo denaro uno . Havea* tamen *ordenato , che da lo Communo de Peroſcia haveſſe aicuna proviſione , donne potea juſtamente vivere con honore . Queſta ſoa proviſione non li vaſtava a fare ſollati . E perciò cavalcao , e jio a Peroſcia , e pe moite voite annava lo Conziglio . Bene parlava , bene diceva , meglio prometteva . Aſſai haveano quelli Con-*

(57) Quanno jeſcio de preſone ; fu lo primo die de Aoſto. Devea

CAP. XIV.

Nicolaus una cum Legato Apoſtolico ad Urbem revertitur. Romanus Populus ei multa offert & pollicetur.

QUum Nicolaus carcere fuit ſolutus , Legatus Domnus Ægidius Caucenſis , Cardinalis ex Hiſpania in Italiam adventurus , familiam ac res ſuas apparabat . Nicolaus Laurentii una cum hoc Legato Avinione diſceſſit , culpâ purgatus , Papali benedictione donatus ,
C & accuſationibus vindicatus . Comitem ſe adjungens Legato , Provinciam prætergreſſus, ad Montem Phaliſcum perrexit , Patrimonium , ut retulimus , recuperaturus . Ex locis ac Terris, quæ primum in deditionem Eccleſiæ venerunt , Tuſcanella fuit , & Caſſarum pecuniâ venumdatum . Interfuit Nicolaus, dum eadem Terra pro Eccleſia reciperetur . Ad obſidionem quoque Viterbii ſe contulit, ibique geſtis armorum quibuslibet , quæ equitum alæ ediderunt , adfuit . Aptis ac honeſtis veſtibus indutus , & idoneo equo inſtructus erat . Nedum in exercitu , ſed & in Monte Phaliſco , tantus Romanorum concurſus ad eum confluxit, ut admirabile ſit dictu . Ad eum quilibet Romanus conveniebat , & eum multimode viſitabat . (D) Ingens popularium multitudo Nicolai veſtigia ubique perſequebatur . Singuli ac omnes. Legato ipſo obſtupeſcente , admirabantur , Romanorum Civium poſtulationibus eum ſummopere adurgentibus . Præ admiratione illum intuebantur. Arduum opus Nicolaum egiſſe exiſtimabant , quòd ſcilicet e tot Potentum virorum manibus incolumis evaſiſſet . Ad Viterbienſis Urbis depopulationem, quam ſuperius narravimus, Romani ſe contulerunt . Ab illa poſtquam exercitus rediit , incredibilis Romanorum numerus ad inviſendum Nicolaum Laurentii concurrit , popularium præſertim , qui linguâ diſerti , vigore animi præſtantes , magna pollicebantur ,
E ſed pauca præſtabant . Ajebant : *Romam tuam revertere . Hanc admodum ægram priſtino vigori reſtitue . Ejus eſto Dominus . Nos tibi auxilia , favorem , ac robur præbebimus . Ne dubita . Numquam certe antea votis expetitus atque ex animo tam dilectus , quàm nunc , fuiſti.* Ejuſmodi inanibus verbis Populares Romæ Nicolaum concitabant . At nullam pecuniam ei conferebant . Talibus ipſe permotus , & illectus inſuper gloriâ , in quam naturali deſiderio ferebatur , aliquod fundamentum ponere cogitavit,

Conziglieri le recchie attente ad odire pe la doicezza de le paravole, che ſe laſſavano aſcoitare. Così ſe faceano leccare, como lo mele. Ma perchè i Conziglieri ſtaco a ſcinnicato, convenne fare bona cuſtodia de le coſe de ſio Communo. Dal Communo de Peroſcia non poteo ottenere uno Cortoneſe.

CAPITOLO XV.

Cola per l'ajuto di Meſſere Arimbaldo, e di Meſſere Bettrone, ſi diſpone a tentare novamente ſua fortuna.

Retrovaroſe allhora in Peroſcia doi jovini Provenzali, Miſſore Arimbaldo Dottore de Leje, e Miſſore Bettrone Cavaliero de Narba in Provenza, fratelli carnali. Queſſi erano frati carnali de lo prodo Fra Moreale. Fra Moreale fò a fare la guerra de lo Re de Ongaria. Puoi fò capo de la granne Compagnia. Guaſtao molte Terre in Puglia: arſe e refocao moite Communanze. Miſe a robba, e portaone le femmine in Toſcana. Revenneo Siena, Fiorenza, Arezzo, e moite Terre. La pecunia partevi fra' ſuoi compagni. Puoi ne paſſao ne la Marca, e conſumao li Malateſti. Pigliao per forza Montefelatrano, e Filino, dove morioro più de ſetteciento villani. Arſe le Terre, e derobbaole. Revenneo li homini, e portaone le donne, quelle, che apparentia haveano. (58) Erance uno, che ſe dicea Fiore de Santo Janni, homo ſollecito e prodo, de la di cui prodezza ſe dicerao. Queſſo havea acquiſtata de moita pecunia pe le robbarie, pe le prede. Havea tanta moneta, che poteva ſofficientemente vivere ad honore, ſenza jire più ſollato. Connuſſe queſſi doa ſoi frati in Peroſcia, e feceli dare proviſione da lo Comuno. La ſia moneta deo a li Mercatanti, e commannao a li Frati, che aveſſero tra loro pace, e non faceſſero contentione; cha poichè li havea allocati, intenneva de ſervire a lo Havito ſio. Gio Fra Moreale aitrove per aitri ſoi meſtieri fare. Puoi che Cola de Rienzo ſentìo demorare in Peroſcia Miſſore Arimbaldo de Narba, homo jovine, e perzona letterata, abbiaoſe a lo ſio hoſtieri, e voize con eſſo pranzare. Sumto cibo *mette mano Cola de Rienzo a favellare de la potentia de' Romani. Miſteca ſoje ſtorie de Tito Livio. Dice ſoje coſe de la Bibbia. Opre la fonte de ſio ſapere. Deh como bene parlava! Tutta ſoa virtute opera ne lo raſcionare. E sì de ponto dice, che onne homo abbiſia ſoa bella diceria. Leva da piedi onne homo; teo la mano a la gota, e aſcoita con ſilentio. Miſſore Arimbaldo maravigliaoſe de lo bello parlare. Ammira la magnitudine de li virtuoſi Romani.* Incaleſcente vino *ſaita lo animo in aitezza. Lo fantaſtico piace a lo fantaſti-*

(58) haveano. Era Frieri de Santo Janni

A tavit, ex quo milites ac præſidia ſibi ſuppetere poſſent, quibus fultus ad Urbem aditum ſibi mercaretur. Conceptum animi ſui Legato aperuit. Non ob id tamen ullam pecuniarum opem accepit. Attamen Legatus decreverat, Peruſinorum Commune quamdam mercedem Nicolao ſubminiſtrare, qua is vitam honorifice traduceret. At ad milites conſcribendos deſtinata ſubſidia neutiquam ſufficiebant. Quapropter obequitans Nicolaus Peruſium contendit. Ibi Conſilium Communis adiens, bene loquutus fuit, melius diſſeruit, ac optime promiſit. Illecebris verborum ejus, quæ dulcia ſicuti mel, ineſcabant, deliniti Peruſini Conſiliarii, arrectis auribus Nicolai dictis animum attendebant. B Verùm Conſiliatores, quum negotiorum adminiſtrationis rationem reddere tenerentur, neceſſe eis erat, res Communis ipſis diligenter cuſtodire. Quare ne unum quidem obolum Cortonenſem a Peruſinis Nicolaus valuit impetrare.

CAP. XV.

Nicolaus auxilio Domini Arimbaldi, & Domini Britonis fortunam ſuam iterum experitur.

PEruſii tunc fuere duo juvenes Provinciales, C Dominus Arimbaldus Legum Doctor, & Dominus Brito Miles, Narbonenſes ex Provincia, & germani fratres, egregii Militis Fratris Morealis. Hic pro Rege Hungariæ militaverat. Exinde Dux magnæ Societatis fuerat. Plures in Apulia Civitates exterminio vaſtavit, incenſiſque ac igne conſumtis Communium multis regionibus, & deprædatis, feminas illarum partium in Tuſciam perduxit. Senarum, Florentiæ, Aretii, & plurium aliorum populorum Urbes pretio vendidit, & pecuniam cum ſociis ſuis diſpertivit. Poſtea in Marchiam profectus, Malateſtas deſtruxit. Violenter Montem Feretranum & Filinum armis ſibi ſubjecit, ubi pluſquam ſeptingenti ruſtici occubuerunt. D Oppida ac terras incendiis, ac prædis abſumſit. Viros pecunia venum dedit, & mulieres ſpecioſiores captas ſecum abduxit. Inter Sancti Johannis Hieroſolymitani Milites adſcriptus fuerat idem Morealis, vir ſolers ac fortis, de cujus ſpectata virtute ſermo erit. Iſte ex latrociniis, ac deprædationibus multam pecuniam coëgerat. Adeo bene numatus erat, ut decentiſſime vivere potuiſſet, & militaris vitæ exercitium dimittere. Laudatos duos fratres ſuos Peruſium duxit, quibus, ut Commune ſtipendia daret, effecit. Proprium æs, quod accumulaverat, mercatoribus credidit. Germanis fratribus ſuis edixit, ut concordiam invicem conſervarent, nec ulla animorum contentione diſtraherentur. E Nam poſtquam illos in alienum famulitium congruis mercedibus collocaverat, Ordini ſuo ipſe inſervire ſtatuerat. Igitur Frater Morealis, ut negotia ſua perageret, aliò ſe contulit. Quum Nicolaus Laurentii reſcivit, Dominum Arimbaldum de Narbona, virum ætate juvenem, literis edoctum, Peruſii immorari, ad ejus hoſpitium perrexit, cum eo pranſurus. *Sumto cibo* Nicolaus Laurentii exorſus fuit ſermonem de Romanorum potentia. Hiſtorias Titi Livii intermiſcebat. Biblica geſta enarrabat. Scientiæ ſuæ fontes aperiebat. Proh quam bene diſ-

taſtico . Miſſore Arimbaldo ſenza Cola de Rienzo non ſao demorare . Con eſſo ſtao , con eſſo vao . Uno civo prennono , in uno lietto poſano . Penzano de fare coſe magne ; derizzare Roma , e farela tornare in priſtino ſio ſtato . A ciò fare , biſognava moneta . Senza ſollati non ſe po' fare . A tre milia Fiorini ſallio la maſtice . Fece promettere tre milia Fiorini , & eſſo li promiſe de rennereli , e per merito promiſe de farelo Cittatino de Roma , e granne Capitanio , honorato , a deſpietto de lo frate Miſſore Bettrone . Anco de lo Mercatante tuoize de lo puoſto quattro milia Fiorini e deoli a Cola de Rienzo . Nanti tamen *che Miſſore Arimbaldo aſſenaſſe queſſa moneta a Cola , voizene havere licentia de lo ſio majure frate Moreale . Mannaoli una lettera . La ſententia era queſſa*: Honorato fratiello . Più hajo guadagniato io in uno die , che voi in tutto tiempo de voſtra vita . Io hajo acquiſtato la Signoria de Roma , la quale me promette Miſſore Cola de Rienzo, Cavaliero , Tribuno , viſitato da Romani , e chiamato da lo Puopolo . Credo , che lo penziere non verrao fallato . Veggo che co lo ajutorio de lo igniegno voſtro lo mejo ſtato non ferrao rotto : biſognia in ciò moneta pe cominciare . Quanno piaceraco a la voſtra fraternitate , io tollo quattro millia Fiorini de lo puoſto; e con potentia armata me ne cammino a Roma . *Fra Moreale , leſſa la lettera de ſio frate , reſcriſſe . Lo tenore de ſia ſcrittura era queſſo* . Granne hora me hajo penzato ſopre la opera , la quale intiendi de fare . Granne, e importabile peſo ene quello , che voi fornire . Ne lo animo mio bene non cape , cha te venga fatto . La mente non ce vao . La raſcione me lo contradice . Nientedemeno fate voi , & facciate bene . Imprimamente haji guardia , che li quattro milia Fiorini non ſe perdano . Se ve ſcontraſſe aicuna coſa ſiniſtra , ſcrivateme . Verrajo con ſoccorſo con mille o doi milia perzone quante biſognarao , e farajo le coſe magnifiche . Non dubitare . Tu e tio frate ameteve , e honoreteve , e non fate remore . *Miſſore Arimbaldo receputa la lettera fò lieto aſſai . Miſe in ordine co lo Tribuno de lo caminare* .

A diſſerebat ! Omnem doctrinam in bene loquendo ponebat . Et ad rem adeo illam adhibebat, ut quoſque facundiâ ſuâ admiratione compleret . Audientes namque in pedes ſe ſe erigebant . Manibus genas ſuſtinentes , ſummo ſilentio dicentem auſcultabant . Dominus Arimbaldus elegantiam orationis ejus non ſine ſtupore excepit . Veterum Romanorum virtutem , & geſtorum amplitudinem admiratur . *Incaleſcente vino* animus ad ſublimia provehitur. Enthuſiaſtæ enthuſiaſta arridere ſolet . Dominus Arimbaldus non ſine Nicolao eſſe poterat. Domicilium , greſſum, cibum , cubitumque , communia habentes ambo , ad majora facinora animos convertunt . Romanam Urbem in meliorem B ac priſtinum ſtatum reſtituere imaginatione meditantur . Tanto operi perficiendo pecunia & milites requirebantur . Ad ſummam trium millium Florenorum præſens neceſſitas devenit. Arimbaldum impulit Nicolaus, ut ſibi tria millia Florenorum polliceretur , quos ſe reſtituturum fore ſpopondit , fidem ſuam inſuper interponens , donaturum fore Arimbaldum Civitate Romana , ac ordinaturum eumdem potentem & honorabilem Ducem , invito fratre Domino Britone . Præterea de commiſſis fidei mercatoris nummis, quatuor millia Florenorum exegit Arimbaldus , quos Nicolao Laurentii tradidit . Ante tamen quam Arimbaldus pecuniam hanc Nicolao traderet , in hoc ut conſentientem ſibi C Fratrem Morealem haberet , epiſtolam ad eum his verbis exaratam conſcripſit: *Honeſte frater. Uno die majorem quæſtum ego feci, quam tu toto vitæ tuæ tempore fueris conſequutus . Dominationem Urbis Romæ lucrifeci , quam Dominus Nicolaus Laurentii , Miles , Tribunus , a Romanis officioſe viſitatus , & a Populo inſtanter expetitus , mihi pollicetur . Me ſane a præconcepta ſpe nullatenus fruſtratum iri ſpero. Novi, ſuſceptum facinus ope ingenii tui ad finem feliciter eſſe deducendum . Ut id aggredi poſſim , pecunia mihi opus eſt . Dummodo fraternitati tuæ lubeat , quatuor millia Florenorum e depoſiti ſummâ recipiam , & cum potenti armatorum exercitu Romam proficiſcar* . Poſtquam Frater D Morealis epiſtolam hanc perlegit , fratri ſuo in hunc modum reſpondit: *Diu me anxium habuit cogitatio de provincia , quam es aggreſſurus . Grave , & importabile onus , quod laturus es , tuis humeris imponere meditaris . Nec enim mihi perſuadere poſſum , rem ipſam ex ſententia proſpere tibi eſſe ceſſuram . Mens eo non aſcendit . Ratio reluctatur . Nihilominus exſequere quod in animo habes , quod utinam tibi bene eveniat . In primis præcave , ne quatuor millia Florenorum pereant . Si quid mali tibi contigerit , mihi reſcribe . Auxiliaturus veniam cum mille vel cum duobus millibus militibus, & pluribus , ſi oportuerit , & magnifice incedam. Ne dubita . Tu ac frater tuus mutuo amore & ho-* E *nore vos proſequamini , nec fraterna contentione abripi patiamini* . Quum accepiſſet epiſtolam hanc Dominus Arimbaldus , multo repletus gaudio , rationem ac ordinem ſuſcipiendi itineris cum Tribuno diſpoſuit .

CAPITOLO XVI.

Cola , fatto dal Legato Senatore di Roma , và con gente aſſoldata a quella volta.

PO' che Cola de Rienzo habbe li quattro milia Fiorini , veſtioſe riccamente da più robe .

CAP. XVI.

Nicolaus a Legato Senator Romæ conſtitutus, cum militibus pecuniâ conductis ad Urbem proficiſcitur .

POſtquam Nicolaus Laurentii habuit quatuor millia Florenorum , diverſis veſtibus ad pom-

[A] LAudati potentis viri morte, animis Romanorum vehementi offenſione commotis, Tribunus ſermone inſtituto hæc ad Populum coadunatum expoſuit: *Mors hominis hujus, Domini, nullam acerbitatem vobis exhibeat,* [B] *quum ipſe mortalium omnium peſſimus exſtiterit. Jam enim Urbibus & Caſtellis exſpoliatis, interfectis partim, partimque detentis viris ac mulieribus, duo millia feminarum captiva ille abduxit. Ad hanc Urbem, regimen noſtrum ſubverſurus, non autem in melius reducturus advenerat. Libere dominationem conſequi exquirebat. Officia præſtare & aliis gratificari ſtudebat. Campaniam depopulari, Romanorum ditiones, ac reliquam Italiam exterminare animo præconceperat. Negotium noſtrum Deo dante ad bonum finem nos utique redigemus. Nunc a frumenti ventilatore exemplum deſumemus. Ille ſicuti vanno granum expurgans, folliculis glumiſque vento disjectis emundat, ac perpurgatum* [C] *triticum ſibi retinet, ita & nos vitioſum hominem illum mortis ſupplicio addiximus. Pecunia, equi, & arma ejus nobis erunt, ut rem noſtram optato exitu concludamus.* His auditis Romanorum iracundia nonnihil deferbuit. Interea Legatus conceptâ epiſtolâ miſsâ præcepit, ut Dominus Arimbaldus illæſus ac ſalvus ad eum deſtinaretur. Id protinus adimpletum fuit. In compedibus vinctus remanſit ejus frater Dominus Brito. Maximam non autem integram quantitatem pecuniarum Fratris Morealis Tribunus in ſua poteſtate habuit; nam Dominus Johannes de Caſtello majorem ex ea partem percepit. Tunc Romani Nobiles intentis oculis Tribunum obſervare cœperunt, veluti pro- [D] ditorem, qui fide erga amicum ſuum defecerat. At Nicolaus Laurentii militibus & peditibus ſtipendia promte tunc numeravit, remanere volentes retinens, diſcedere autem cupientes libere dimittens. Arcatorum multitudinem collegit. Trecentos circiter equites habebat. Ducem Populi Riccardum de Aniballis, Dominum Montis Compatrum, virum militari prudentia ac audacia celebrem, conſtituit. Militum manus circum loca Præneſtina miſſas diſpoſuit. Peditum & arcatorum familiam in Tuſculo collocavit. In Columna peditum item & arcatorum turmam tenebat. In Caſtroleone Sanctæ Praxedis peditum gentem ſimiliter induxit. Tibure morabatur Mareſcalchus. Tri- [E] bunus ipſe Romæ in Capitolio moram trahere decrevit, ut agendis conſuleret, & ea, quæ ſuſcipienda erant, aptius intueretur. Magni momenti negotia in animo volvebat. Æs militare cumulandum ſibi erat. Sumtui idcirco pepercerat, modico vivens. Pecuniam, quam poterat, pro dandis ſtipendiis exigebat. Numquam alter ei ſimilis viſus fuit. Ipſe ſolus Romanorum omnium cogitationes in ſe ſuſceperat. Stans in Capitolio plus ipſe cernebat, quàm Duces per loca diſpoſiti. Eos indeſinenter per epiſtolas incitabat. Iiſdem modum normamque ge-

ſapeva li paſſi e le locora . Conoſcieva li tiempi. Sapeaſe fare amare da ſollati . Era obbedito de voglia . Dicevano l'Ongari: mai non fò veduto tale Capitanio sì valoroſo . *Deſarmato voitava la mano , dicenno :* quello veſtiame venga chà . *Como lo dicea , coſinto veneva . A buono fine la guerra veneva .*

CAPITOLO XXIV.

Relazione dell' infelice morte di Cola.

Hora voglio contare la morte de lo Tribuno . Havea lo Tribuno fatta una Gabella de vino , e de aitre coſe . Puſele nome Suſſidio . *Coize ſei denari pe ſoma de vino . Coglievaſe la moita moneta . Romani ſe lo comportavano pe havere ſtato . Anco ſtregneva lo ſale , pe più moneta havere . Anco ſtregneva ſoa vita , e ſoa famiglia ne le ſpeſe . Onne coſa penza pe ſollati . Repente piglia uno Cittatino de Roma , nob bele aſſai , perzona ſofficiente , ſaputa . Nome havea Pannolfuccio de Guido , homo vertuoſo aſſai. Deſiderava la Signioria de lo Puopolo. E sì li troncao la teſta ſenza miſericordia , e caſcione aicuna . De la quale morte tutta Roma fò turvata . Stavano Romani como pecorelle . Queti non ardivano favellare . Così temevano queſto Tribuno, como Demonio .* In loco conſilii obtinebat omnem ſuam voluntatem, nullo Conſiliatore contradicente ; ipſo inſtanti, ridens plangebat , & remittens lacrymas & ſuſpiria ridebat . Tanta ei inerat varietas & mobilitas voluntatis . *Hora lacremava , hora ſgavazzava . Poi ſe deo a prennere la jente . Prenneva queſſo o quello , revenneali . Lo mormorito quetamente pe Roma ſonava . Pe ciò a fortezza de sì ſollao cinquanta pedoni Romani pe ciaſche Rione , prieſti ad onne ſtuormo . Le pache non li dava . Prometteva onne die . Tenevali in ſperanze . Promettevali abunnantia de grano , e coſe aſſai .* Noviſſime *caſſao Liccardo de la Capitania , e fece aitri Capitanii . Queſſa fò la ſoa ſconfittura . Allora laſſao Liccardo lo predare , e lo ſcollecito guerrejare, muormorannoſe debitamente de sì ingrato homo . Era de lo meſe de Settiemmoro , a dii otto . Stavea Cola de Rienzo la dimane in ſio lietto . Haveaſe lavata la faccia de Grieco . Subitamente veo voci gridanno :* Viva lo Puopolo : Viva lo Puopolo . *A queſſe voci la jente trajeva pe le ſtrate de là e de chà . La voce ingroſſava. La jente creſcieva . Ne le capocroce de Mercato accapitao jente armata , che beneva da Santo Agnilo e da Ripa , e jente che beneva da Colonna e da Trejo . Como ſe jonzero inziemmora , così mutata voce diſſero :* Mora lo Traditore Cola de Rienzo , mora. *Hora ſe fionga la joventute ſenza raſcione,*

A gerendarum rerum, ac celeriter perficiendarum injungebat . Unde viarum tranſitus præcluderent , unde ab hoſtium offenſionibus præcaverent , eis demonſtrabat , atque inculcabat , ut homines & exploratores captivarent . Numquam ceſſabat . Numquam Duces armorum inertiâ ac torpedine detinebantur . Verùm ii nihil memoriâ dignum patrabant, ſi generoſum bellatorem Riccardum excipias , qui minime deſidioſus die noctuque Columnenſes prædatum ibat , & eos per totam Campaniam inſequebatur adeo , ut reſpirare illos nullatenus ſineret . Stephanulum , Columnenſes ceteros , ac Præneſtinos populationibus vexabat . Bellum , utpote bellandi peritiſſimus , ad bonum finem B perducebat , quippe qui aditus , reditus , loca, & tempora optime noverat . Militum amorem & obedientiam ſibi conciliaverat . Ajebant Hungari : *Dux tanta fortitudine præſtans nuſquam in orbe fuit editus !* Inermis manum convertebat , dicens : *Huc grex ille animalium accedat* . Illico, ut dixerat , adducebatur . Ejus ductu ad bonum finem bellum vergebat.

CAP. XXIV.

Deſcriptio infauſtæ mortis Nicolai.

Hoc loco Nicolai Tribuni mors ſe ſe mihi deſcribenda offert. Vectigal vini & aliarum C rerum Tribunus indixerat . Vectigali nomen *Subſidii* impoſuit . Pro qualibet vini ſarcina ſex denarios exegit . Hinc magna pecuniarum quantitas colligebatur . Romani , ut proprium ſtatum tuerentur, id patiebantur. Salis inſuper vectigal auxerat , ut majorem pecuniam cogeret. Sibi ac familiæ ſuæ a ſumtu admodum temperabat . Curam & cogitationem omnem militibus impendebat . Repente Civem Romanum , magnæ nobilitatis virum , honeſtum ac prudentem , Pandolfuccium Guidonis nuncupatum , captum comprehendit . Pandolfuccius dominationem in Populo affectabat . Hunc detruncatione capitis abſque ulla pietate ac immiſericorditer condemnavit . Pandolfuccii D mors vehementer totius Urbis Romanæ animos irritavit . At Romani ceu pecudes obmuteſcebant , non audentes quidquam loqui . Ita Tribunum tamquam Diabolum pertimeſcebant . *In loco conſilii obtinebat omnem ſuam voluntatem , nullo Conſiliatore contradicente : ipſo inſtanti ridens plangebat , & emittens lacrymas & ſuſpiria ridebat : Tanta ei inerat varietas & mobilitas voluntatis* . Modo enim lacrymabatur, modo effuſe ridebat . Demum mentem applicuit capturis hominum . Hos igitur & illos capiebat, & pecuniariæ mulctæ vitam & libertatem eorum addicebat . Per Urbem murmur ob id ſecreto ſerpere cœpit . Ut propriæ ſaluti conſuleret Tribunus, quinquaginta pedites Romanos E per unamquamque Regionem Civitatis , pecuniâ conduxit, promte ſibi ad quemcumque ſtrepitum adfuturos . Iis ſtipendia non ſolvebat . Quotidie eadem ſe daturum promittebat. Eos ſpe alliciebat . Frumenti , multarumque rerum annonam iiſdem pollicebatur . *Noviſſime* Riccardum ducatu ablegavit , & alios Duces ſubrogavit . Id ruinam Tribuno peperit. Tunc Riccardus ſemet continuit a prædis agendis, & a certaminibus ſubeundis , juſte conqueſtus de viro tam ingrato . Octava die menſis Septembris Nicolaus Laurentii mane in lecto ſuo decumbens faciem laverat vino Græco . Subitò vocum obſtrepentium clamor inſonuit : *Vivat Po-*

ne, quelli propio, che ſcritti havea in ſio ſuſſidio. Non fuoro tutti li Rioni, ſalevo quelli, li quali ditti ſoco. Corzero a lo Palazzo de Campituoglio. Allora ſe ajonze lo moito Puopolo, huomini e femmene, e zitelli. Jettavano prete; faco ſtrepito e romore; intorniano lo Palazzo da onne lato dereto e denanti, dicenno: Mora lo Traditore, ch'ao fatta la Gabella, mora. *Terribele ene loro furore. A queſſe coſe lo Tribuno reparo non fece. Non ſonao la campana. Non ſe guarnio de jente. Anco da prima diceva:* Eſſi dico; Viva lo Puopolo, e anco noa lo dicemo. Noa pe aizare lo Puopolo quà ſtamo. Mei ſcritti ſollati ſoco. La lettera de lo Papa de la mea confermatione venuta ene. Non reſta ſe non piubbicarla in Conziglio. *Quanno all' ultimo vide, che la voce terminava a male, dubitao forte, ſpetialmente cha eſſo fò abbannonato da onne perzona vivente, che in Campituoglio ſtava; Judici, Notari, Fanti, & onne perzona havea procacciato de campare la pelle. Solo eſſo con tre perzone remaſe, fra' li quali fò Locciolo Pellicciaro ſio pariente. Quanno vidde lo Tribuno puro lo tumulto de lo Puopolo creſciere, beddeſe abbannonato, e non proveduto, forte ſe dubitava. Domannava a li tre, que era da fare. Volenno remediare, feceſe voglia, e diſſe:* Non irao coſinto pe la fede mea. *Allhora ſe armao guarnitamente de tutta arme a muodo de Cavalieri. La varvuta in teſta, corazza, falle, e gammiere. Preſe lo Confalone de lo Puopolo, e ſolo ſe affece a li baiconi de la Sala de ſopra majure. Deſtenneva la mano. Faceva ſenmiante che taceſſino, cha volea favellare.* Sine dubio *cha ſe lo haveſſero aſcoitato, li habbera rotti, e mutati de opinione. L'opera era ſvaragliata. Ma li Romani non lo volevano odire. Facevano como puorci. Jettavano prete. Valeſtravano. Curro con fuoco per ardere la porta. Tante fuoro le valeſtrate e li verruti, che a li baiconi non poteo durare. Uno verruto li coize la mano. Allhora preſe queſſo Confalone, e ſtennea lo zendaro. De ammedoa le mano moſtrava le lettere de auro, l'arme de li Cittatini de Roma, quaſi veneſſe a dicere:* Parlare non me laſſate. Ecco che io ſo' Cittatino e puopolaro como voa. Amo voa; e ſe accidete me, accidete voa, che Romani ſite. *Non vaize queſſi modi tenere. Pejo fao la jente ſenza intellietto.* Mora lo Traditore, *chiama.*

Non potenno più ſoſtenere, penzao per aitra via campare. Dubbitavaſe de remanere sù ne

A *Populus, Vivat Populus.* His vocibus Populus huc illucque per vias undique concurrit. Clamor augebatur, & Plebs increbreſcebat. In capite Crucis Mercati apparuerunt armati viri, qui a Sancto Angelo & a Ripa advenerant, nec non & hominum vulgus, qui a Columna & Trejo accedebant. Quum omnes ii ſimul ſe conjunxere, immutatâ voce clamarunt. *Moriatur proditor Nicolaus Laurentii, moriatur.* Tunc in unum convolavit juvenum multitudo, nulla ratione ductorum, ac illorum præſertim, quos Tribunus, ut ſibi præſidio eſſent, conſcripſerat. Urbis Regiones omnes non adfuere. Ii tantum conſpiravere, quos innuimus. Ad Palatium Capitolii curſim per-
B rexerunt. Tunc Populus ſe cum ipſis conjunxit, viri, mulieres, ac pueri. Saxa projiciebant. Clamores & ſtrepitus edebant. Ante & retro, & ex omni latere Palatium circumcinxere, dicentes: *Proditor, qui vectigal indixit, moriatur, moriatur.* Invaleſcebat terribilis eorum furor. Tribunus nullum remedium his motibus quæſivit. Campanam non pulſavit. Nullâ armatorum cuſtodiâ ſe munivit. Commotionis exordio ajebat: *Ipſi dicunt: Vivat Populus. Nos id utique dicimus. Nos, ut Populum extollamus, hic immoramur. Milites meos conſcripſi hos ego. Pontificis Epiſtola Romam jam allata fuit, qua dignitas mea confirmatur. Nihil aliud ſupereſt, quàm quod in Conſilio Populi promulgetur.* At poſtquam per-
C cepit, clamorem Romanorum ad pejora inclinare, nimium ſibi ipſi timuit, præcipue autem, quum ſemet ab omnibus ac ſingulis ſtantibus in Capitolio deſeri conſpexit. Judices enim, Notarii, Curiæ Nuntii, & ceteri omnes fugâ ſalutem propriam quæſierant. Tribunus ſolus una cum tribus ſociis remanſit, ex quibus fuit Locciolus Pellicciarius ejus affinis. Quum agnovit Nicolaus, tumultum Populi ingraveſcere, ac vidit omnes a ſe defeciſſe, ope & conſilio deſtitutus, dubitavit admodum. Tres ſocios ſuos rogabat, quid agendum cenſerent. Hinc volens aliquatenus oborto malo proſpicere, reſumtâ audaciâ dixit: *Aedepol negotium iſtud haud ita ſe habebit.* Tunc quælibet arma in
D Militis modum ornate induit; caput galeâ, loricâ pectus, ocreis & tibialibus crura contegens, accepto manibus Vexillo Populi, ſolus faciem e feneſtris ſuperioris ac majoris Aulæ exeruit, & dexterâ exporrectâ ſilentium imperare videbatur, alloquutionem habiturus. *Sine dubio* ſi Tribunum auſcultare Populus voluiſſet, re infectâ, & immutatâ voluntate a ſententia ſua diſceſſiſſet. At Romani Nicolao aures nullatenus præbuerunt, quinimo grunnientium porcorum more ſævientes, a ſaxorum & baliſtarum jactu numquam ceſſabant. Celeriter ignem attulerunt, ut januam comburerent, ac tot ſagittas & tela in eum injecerunt, ut a fe-
E neſtris Tribunus ſemet ſubducere fuerit coactus. Veruto transfixa manus eidem fuit. Tunc Nicolaus Vexillum ſericum tenens, illudque explicans, ambabus manibus Populo oſtendebat aureas literas, & Civium Romanorum gentilitia ſtemmata, ac ſi dicturus eſſet: *Ne loquar, prohibetis. Ego quidem concivis veſter & popularis ſum. Vos diligo. Si me interficietis, voſmetipſos, qui Romani eſtis, interimetis.* Nihil autem obſtiterunt remedia hæc, quin Plebs & Populus rationis expers ad pejora proclivior rurſus clamaret: *Moriatur proditor.*

Tribunus intelligens, ſe ulterius durare non poſſe, aliam viam excogitavit, qua periculo

la Sala de ſopra, perchè anco ſtava preſone Miſſore Bettrone de Narba, a chi fatta havea tanta injuria. Dubitava cha nò lo accideſſe de ſoa mano. Conoſcieva, e bedeva, che reſponnea a lo Puopolo. Penzao partirſe de la Sala de ſopra, e delongareſe da Miſſore Bettrone, pe caſcione, como ditto ene, de più ſecuritate. Allhora habbe tovaglie de tavola, e legaoſe in centa, (69) e fece deſciennere joſo ne lo ſcopierto, denanti a la preſone. In quella preſone ſtaveano tutti li preſoneri. Eſſi bedeano tutto. Tolle le chiavi, e tenele a sè. De li preſoneri dubitava. De ſopra ne la Sala remaſe Locciolo Pelliciaro, lo quale a quanno a quanno ſe faceva a li baiconi, e faceva atti co le mano, e co la vocca a lo Puopolo, e diceva : Eſſolo cha vene joſo dereto, e jeſſene dereto a lo Palazzo, cha dereto veneva. *Puoi ſe voitava a lo Tribuno, e confortavalo. Dicea cha non dubitaſſe. Puoi tornava a lo Puopolo, facenno li ſimili cenni :* Eſſolo dereto, eſſolo gioſo dereto. *Davali la via e l'ordene. Locciolo l'acciſe. Locciolo Pelliciaro confuſe la libertà de lo Puopolo, lo quale mai non trovao capo. Solo per quello homo potea trovare libertate. Solo Locciolo, ſe lo haveſſe confortato, de fermo non moreva. Cha fò arza la Sala, lo ponte de la ſcala cadde a poca de hora. Ad eſſo non poteo aiuno venire. Lo die creſcieva. Li Rióni de la Reola e li aitri fuorano venuti. Lo Puopolo creſciuto; le voluntate mutate pe la deverſitate. Onne homo fora tornato a caſa, ovvero granne vattaglia ſtata fora. Ma Loccio li tollè la ſperanza. Lo Tribuno deſperato ſe miſe a pericolo de la fortuna. Stajenno a lo ſcopierto lo Tribuno denanti a la Cancellaria, hora ſe trajeva la varvuta, hora ſe la metteva. Queſſo era che habbe da vero doa opinioni. La prima opinione ſoa era de volere morire ad honore armato co le arme e co la ſpata in mano fra lo Puopolo a muodo de perzona magnifica, e de imperio. E ciò demoſtrava, quanno ſe metteva la varvuta, e teneaſe armato. La ſecunna openione fò de volere campare la perzona e non morire. E queſſo demoſtrava, quanno ſe cavava la varvuta. Queſſe doa voluntate commattevano ne la mente ſoa. Venze la volontate de volere campare e vivere. Homo era como tutti li aitri. Temeva de lo morire. Puoi che deliverao pe meglio de volere vivere, pe qualunque via potea, cercao e trovao lo muodo betuperoſò e de poco animo. Jà li Romani haveano jettato fuoco ne la prima Porta, lena, vuoglio, e pece. La porta ardeva; lo ſolaro de la loja fiariava. La ſecunna porta ardeva, e caſcava lo ſolaro, e lo lenname a piezzo a piezzo. Horribile era lo ſtrillare. Penzao lo Tribuno deviſato paſſare pe quello fuoco, e miſticareſe co li aitri e campare. Queſſa fò l'ultima ſoa opinione. Aitra via non trovava. Dunque ſe ſpoliao le inſegne de la Baronìa. L'arme puſe joſo in tutto. Dolore ene da recordareſe. Forficaoſe la varva, e tenzeſe la faccia de tentanera. Era là da prieſſo una caſelluccia, dove dormea lo Portanaro. Entrato là, tolle uno vieccchio tabarro de vile panno, fatto a lo muodo paſtorale Campanino. Quello vile tabarro veſtìo. Puoi ſe meſe in capo una coitra de lietto, e così diviſato ne veo joſo. Paſſa la porta, la quale fiariava. Paſſa le ſcale, e lo terrore de lo ſolaro, che caſcava. Paſſa la intima porta libberamente. Fuoco non lo toccao. E miſticaoſe*

(69) e feceſe deſpozzare joſo ne lo

A eriperetur. In ſuperiori Aula diutius morari diffidebat, quum adhuc in carceribus detineretur Dominus Brito de Narbona, cui tantam injuriam Nicolaus ipſe intulerat. Itaque dubitans, Britonis manibus poſſe mori, ſciensque ac videns Britonem Populo reſpondentem conſentire, conſtituit e ſuperiori aula divertere, & procul ab eodem Domino Britone, majoris ſecuritatis gratiâ, recedere. Tunc arreptis mappis & mantilibus, iis ſe præcingens, demiſſus fuit ſub dio ante carcerem, in qua detenti cuſtodiebantur omnes captivi, qui oculis rem totam intuebantur, de quibus ſuſpicionem habens, claves carceris ſuſtulit, & eas apud ſe retinuit. In aula ſuperiori conſtitit Lucciolus
B Pelliciarius, qui ſæpiuſcule os feneſtris depromens, manibus & voce Populo innuebat dicens: *Ipſe ad poſticam deſcendit. Ipſe per poſticam Palatii receſſit.* Poſtea ſe convertens Tribunum conſolabatur, & verbis ſpem ei addebat. Iterum ad Populum revertebatur, & ſimiliter geſtiens repetebat. *Ad poſticam ſe confert; Ad poſticam pergit.* Modum ac viam Plebi præmonſtrabat. Lucciolus exitium Tribuno creavit. Lucciolus Pelliciarius is fuit, qui Populi libertatem ſuſdeque vertit. Populus namque, cui numquam caput fuerat, viri illius, ſcilicet Nicolai, præſidio libertatem unice conſequi potuiſſet. Lucciolus demum unus fuit, qui ſi Tribuno animum addidiſſet, iſte procul dubio
C mortem evaſiſſet. Incenſa namque fuit Aula, & ſcalæ pons brevì decidit, adeo ut ad Tribunum (ſi ibi conſtitiſſet) nemini aditus patuiſſet. Procedente die Regiones Regulæ, & alii concurriſſent. Populi numerus creviſſet. Hominum voluntates ex ſententiarum diverſitate fuiſſent immutatæ. Unuſquiſque vel ad propria rediiſſet, vel ingenti certamine res ipſa diremta fuiſſet. At Lucciolus ſpem omnem Tribuno ademit. Is deſperatione adactus, fortis periculum facere deliberavit. Stans ſub dio e conſpectu officii Cancellariorum, galeam nunc deponebat, modo reſumebat. Duplici ſane ſententiâ anceps hærebat. Primo mortem ſibi ſubeundam cenſens, eam appetere videba-
D tur, honorifice armatus, & enſem manibus impugnans inter Populum, more magnifici ac imperio digni hominis. Huic conſilio inhærere eum crediddiſſes, quum galeâ caput muniebat, & armis ſe inſtruebat. Secundo incolumitatem ſibi quærere nec mortem oppetere meditabatur, & in hanc voluntatem ſe inclinare oſtendebat, quum galeam abjiciebat. Duabus hiſce opinionibus animo agitatus, conſervandæ vitæ ſententiam potius adoptavit. Homo quippe ut ceteri erat, & mortem perhorreſcebat. Itaque poſtquam ſibi ſatius viſum fuit, vitam conſervare, omni modo, quo potuit, ſalutem exquirere cœpit, ob quam obtinendam improbandâ & vili formâ fuit uſus. Jam Romani ad-
E motis januæ Palatii lignis, oleo, & pice, addictoque igne, januam ipſam incenderant. Atrii ſuſtentaculum flamma convulſum crepabat. Secunda porta incendio abſumebatur, & ſolum cadebat, contignatione fruſtatim collabente. Horribilis ſtridor inſonabat auribus. Quo viſo Tribunus in animo habuit, ementita ſpecie ac habitu per accenſum ignem tranſire, & ſe cum aliis commiſcere, eo pacto evadere ſperans. Ejuſmodi præconcepto conſilio, quum nullum aliud ſibi ſuppeteret, inſignia Dynaſtiæ exuit. Igitur arma omnino abjecit. Id ſane recordatu

caoſe co li aitri . Deſformato deformava la favella . Parlava Campanino, e dicea: Suſo ſuſo: a gliu traditore. Se le ultime ſcale paſſava, era campato .

La jente havea lo animo ſuſo allo Palazzo . Paſſato la ultima porta , uno ſe li affece denanti , e sì lo raffigurao , e deoli de mano , e diſſe: Non gire . Dove vai tu ? Levaoli quello piumaccio de capo , e maſſimamente che ſe pareva a lo ſplennore , che dava li bracciailetti , che teneva . Erano inaurati . Non parea opera de riballo . Allhora como fò ſcopierto , parſeſe lo Tribuno manifeſtamente . Moſtrao cha eſſo era. Non poteva dare più la voita . Nullo remedio era , ſe non de ſtare a la miſericordia , a lo volere aitrujo . Preſo pe le braccia , libberamente fò addutto pe tutte le ſcale ſenza offeſa , fi' a lo luoco de lo Lione , dove li aitri la ſententia vuodo . Dove eſſo ſententiato li aitri havea , là fò addutto , e fò fatto uno ſilentio . Nullo homo era ardito toccàrelo . Là ſtette pe meno de hora. La varva tonnita , lo voito nero , como fornaro , in juppariello de ſeta verde , ſciento , co li muſacchini inaurati , co le caize de biada , a muodo de Barone . Le vraccia teneva piecate . In queſſo ſilentio moſſe la faccia : vardao de là e de chà . Allhora Cecco de lo Viecchio impuinao mano ad uno ſtuocco , e deoli ne lo ventre . Queſſo fò lo primo . Immediate puo' eſſo ſecunnao lo venire de Trejo Notaro , e deoli la ſpata in capo . Allhora lo uno e lo aitro , e li aitri lo percuoto . Chi li dao , chi li promette . Nullo motto facea . Alla prima morìo . Pena non ſentìo . Venne uno con una fune : annodaoli tutti doi li piedi . Dierolo in terra ; ſtraſcinavanollo , ſcortellavanollo . Coſinto lo paſſivano , como foſſi criviello . Onne uno ſe ne jocava . Alla perdonanza li parea de ſtare . Per queſſa via fù ſtraſcinato fi' a Santo Marciello . Là fò ſubito appeſo per li piedi ad uno mignianiello . Capo non havea ; erano remaſe le coccie pe via , donne era traſcinato . Tante ferute havea ; parea criviello . Non era loco ſenza feruta . Le mazza de fora graſſe . Graſſo era horribilemente . Bianco como latte inſanguinato . Tanto era la ſoa graſſezza , che parea uno ſmeſurato Bufalo , o vero Vacca a maciello . Là penneo dii doi e notte una . Li Zitielli li jettavano le prete . Lo tierzo die de commannamento de Giugurta e de Seiaretta de la Colonna fò ſtraſcinato a lo campo dell' Auſta . Là ſe adunao tutti li Judiei in granne moititudine . Non ne remaſe uno . Là fò fatto uno fuoco de cardi ſecchi . In quello fuoco de cardi fò miſſo . Era graſſo, e pe ſia moita graſſezza ardea volentieri . Stavano là li Judici fortemente affaccennati , afforeſi , affoiti attizzavano li cardi , perchè ardeſſe . Così quello cuorpo fò arzo , e fò redutto in polvere . Non ne remaſe cica .

Queſſa

A tu dolorificum eſt . Barbam ſorfice præcidit ,
& vultum atro colore inſecit . Haud longe
domunculam intravit , in qua Janitor dormie-
bat . Vetuſtum panni vilis pallium , ad modum
paſtoralis Campani pallii conſarcinatum , arri-
piens induit . Poſtmodum culcitram lectuli ca-
piti involutam impoſuit . His ementitis veſtibus
contectus deſcendit . Portâ exceſſit , quæ ex
ardore ſcintillabat . Emenſus eſt ſcalas , ac ſu-
ſtentaculum , quod terribiliter ruebat . Poſte-
riorem januam præteriit adeo libere , ut ignis
nullatenus eum pertigerit . Cum aliis ſe immi-
ſcuit . Deformato habitu , & immutato lo-
quendi idiomate , Campanâ dialecto utebatur
ac ajebat : *Surſum : ſurſum : Ad Proditorem* .
B Si ultimas ſcalas prætergredi potuiſſet , e peri-
culo ſalvus abiiſſet .

Populus animo & oculis ad ſuperiora Palatii
intendebat . Dum Tribunus poſtremam portam
tranſiret , obvium neſcio quem habuit , qui ut
ipſum recognovit , manu apprehendens dixit :
Ne perge : Quònam ire contendis ? Culcitram e
capite ejus diripuit . Præſertim vero Tribunum
manifeſtabant ſplendentia inaurata monilia, bra-
chiis ejus circumpoſita . Ipſum vilis , ut finge-
bat , conditionis hominem non eſſe ſatis oſten-
debant . Tunc ſe detectum videns Nicolaus ,
manifeſtum ſe fecit . Aſſeruit eumdem ipſum
ſe eſſe . Sane probe novit , effugio nullum lo-
cum ſibi relinqui , nec aliud ſupereſſe remedium,
C quam quod pietati & arbitrio alieno ſe ſubmit-
teret . Brachiis apprehenſus , per omnes Pala-
tii ſcalas inoffenſus libere perductus fuit , uſque
ad Leonis locum , in quo flagitioſorum con-
demnationes promulgantur . Quò pertractus ,
ubi alios ipſe damnaverat , facto ſilentio , nul-
lus in eum manus injicere audebat . Ibi per
ſpatium horæ circiter ſtetit . Detonsâ barbâ ,
facie nigra ceu piſtor , tuniculâ ſerici coloris
viridis indutus , diſcinctus , inauratis brachiali-
bus , & calceis blatteis more Baronis . Decuſ-
ſata tenebat brachia . In hoc ſilentio vultum
huc & illuc convertit & oculos . Tunc Fran-
ciſcus Vetuli , ſtricto manibus gladio , Nico-
laum in ventre percuſſit ac vulneravit primus .
D Franciſco immediate ſucceſſit Trejus Notarius,
qui enſe capiti vulnus inflixit . Exinde ambo
& alii , qui aderant , Tribunum ſauciarunt .
Vulnera alii irrogabant , plagas alii minaban-
tur . Nullatenus tamen Nicolaus ſe movebat .
Primo vulnere ſibi illato exſpiravit . Plagarum
dolorem non ſenſit . Acceſſit quidam , qui fune
pedes ejus in nodum colligavit , quem humi
lapſum per ſolum raptarunt , cultris cadaver
perforantes veluti cribrum . Quilibet de corpo-
re Tribuni ludum ſibi faciebat . Indulgentiam
peccatorum ſe nanciſci ſæviendo in illud opina-
bantur . Hoc modo uſque ad Sanctum Mar-
cellum ſolo abſtrahentes cadaver , pedibus ſuſ-
penderunt ad podiolum , capite jam avulſo, &
E relictis per viam, per quam raptaverant ipſum,
cranii fruſtulis . Tot vulneribus Nicolai cor-
pus conſoderant , ut cribro ſimillimum videre-
tur . Nulla pars abſque plaga remanebat . Ni-
mium in modum obæſus corpore , candidus la-
ctis ad inſtar , & cruentatus erat Tribunus .
Tantæ obæſitatis fuit , ut enormis molis buba-
lo , aut ſaginatæ vaccæ ad lanienam , æquipa-
rari poſſet . Suſpenſus biduo & una nocte con-
ſtitit . Pueruli ſaxa in eum conjiciebant . Ter-
tio die præcipientibus Jugurthâ & Sciarettâ de
Columna ad Campum Auguſtæ raptatum fuit
cadaver . Illuc Judæorum ingens multitudo ,
ne uno quidem domi relicto , convenit . Con-

fecto

Queſta fine habbe Cola de Rienzo , lo quale ſe fece Tribuno Auguſto de Roma , lo quale voize eſſere Campione de' Romani . In camora ſoa fò trovato uno ſpiecchio de acciaro , molto pulito, con caratteri e feure aſſai. In quello (70) *ſpiecchio erance lo Spirito de Fiorone . Anco li fuoro trovati pugillari , dove ſcritti Romani havea , e la Coita , che voleva mettere . Lo primo ordene ciento perzone da cinqueciento Fiorini . Lo ſecunno ordene ciento perzone da quattrociento Fiorini . Lo tierzo da ciento Fiorini . Lo quarto da cinquanta Fiorini . Lo quinto da dieci Fiorini . Quanno queſſo homo fò acciſo , correvano Anni Domini MCCCLIV. a li otto dii de Settemmoro in hora de la Terza . Non ſolamente queſſo fò morto in furore di Popolo , ma tutta ſoa foreſtaria fò derobbata de tutto arneſe . Perdiero cavalli & arme . Fuoro laſſati innudi sì quelli , che ſe trovaro a Roma , sì quelli , che ſtacvano de fore per le fortezze a guerriare .*

CAPITOLO XXV.

Digreſſione dello Scrittore di queſta Vita.

VOgliome ſtennere ſopra queſſa materia . Franceſchi entrao in Roma , e aſſediaro Tarpeja a lo Monte de Campituoglio . Per la paura Romani ſe erano redutti là . Puoi che viddero , che in Tarpeja non era ſofficientia de fodero, deliveraro de mannare fore li Veterani, como perzone inutili , per havere più fodero, pe ſaivare la joventute . Così fò . Li Veterani nanti che jeſſero fore de Tarpeja , fuoro in conziglio . Diſſero così : Noa jamo a le caſe nuoſtre . Frà li Franceſchi pe carnario muorti ſaremo ſenza dubio . Meglio ene , che moremmo in abito de vertute che de miſeria . Onneuno ſe veſta le ornamenta loe . *Così fò . Li Veterani ne jero a le caſe . Ciaſche perzona de eſſi ſe addobbao de quelle ornamenta , le quali haveano havuto ne le honoranze de li officii . Tale ſe veſtìo a muodo de Pontifice , tale a muodo de Senatore ; e chi da Prefietto, tale a muodo de Conſole . Allocaroſe ne li faciſtuori , adornati , con le vacchette in mano , adorne de prete pretioſe e de auro. Frà li aitri uno havea nome Papirio . Forte adorno ſtaeva denanti a la ſoa caſa ,* cum prætexta & cum trabea indutus . *La demane li Franceſchi ſe maravigliaro de tale novitate. Curzero a bedere, como coſa nova . Uno Franceſco miſe la mano a la varva a queſſo Papirio , e diſſe :* Ahi vegliardo ! *Allhora Papirio ſe deſdegnao , perchè lo Franceſco non li parlao con riverentia, como lo havito ſio muſtrava. Deſteſe la vacchetta, e ferìo lo Franceſco ne lo capo , e non temeo de morire pe ſaivare l'honoranza de la majeſtate ſoa . Lo buono Romano dunque non voize morire co la coitra in capo , como Cola de Rienzo morìo .*

CAPI-

(70) ſpiecchio coſtregneva lo ſpirito de

A fecto carduorum exſiccatorum rogo , in ignem corpus injecerunt , quod utpote pingue , facile ex multa pinguedine exarſit. Judæis igitur conglomeratis , elaborantibus , ſolicitudine occupatis , & carduos , ut ſuccenderentur , in foco componentibus, combuſtum fuit cadaver illud, ac in cineres redactum , nullo veſtigio ejus remanente .

Hic fuit finis Nicolai Laurentii , qui ſe conſtituit Romæ Tribunum Auguſtum & Romanorum defenſorem . In ejus cubiculo invenerunt chalybeum ſpeculum ſatis perpolitum, characteribus ac figuris pluribus ornatum, in quod ſpiritum ex Averno deductum compulerat. Pugillares inſuper repererunt , quibus Romanorum nomina ſcripſerat , & tributum, quod im-
B ponere decreverat . Primi ordinis centum viris quingentorum Florenorum tributum præſtituerat . Secundi ordinis centum aliis quadringentorum . Tertii Florenorum centum . Quarti quinquaginta . Quinti decem Florenorum . Currente Anno Domini MCCCLIV. die VIII. Septembris , hora Tertiarum Nicolaus furore Populi occiſus fuit . Quorumlibet advenarum & externorum hominum cum eo confœderatorum ſocietas omnibus ſupellectilibus exſpoliata fuit, abreptis armis & equis . Qui Romæ tunc fuerunt , ac ceteri , qui extra Urbem in Arcibus poſiti ad bellandum morabantur , omnes nudi dimiſſi fuere.

C

CAP. XXV.

Digreſſio Scriptoris Vitæ hujus.

MIhi liceat in hac materia aliquid amplius referre . Franci Romam dudum intrarunt, & Tarpejum obſidione cinxerunt ad Montem Capitolii . Illuc Romani ex metu ſeceſſerant. At videntes in Tarpejo non eſſe ſatis victualium , ſenes emittere , veluti inutiles , deliberaverunt , ut major annonæ copia juvenum multitudini alendæ ſuppeteret . Quo facto ſenes , antequam e Tarpejo diſcederent , dixerunt : *Domos noſtras repetemus, & mortem pro-*
D *cul dubio Gallorum manibus , tamquam ad lanienam ducti , ſuſtinebimus . Melius eſt , nos virtutis veſte , quàm miſeriæ indumento contectos mori . Noſtrûm quilibet ornamenta ſua induat .* Igitur ſenum unuſquiſque domum propriam petiit , & ſinguli eo ornatu , qui dignitati muneribuſque ſuis congruerent , ſe ſe decorarunt . Quidam in modum Pontificis, alii Senatorum more , nonnulli habitu Præfecti , aliqui ad Conſulis ſpeciem induti , in ſuppoſitis ſcabellis ſe collocarunt , virgas manibus tenentes , gemmis & auro excultas . Præ ceteris quidam Papirius nomine , multis ornamentis ſpectabilis , ante fores domus ſuæ, *prætextâ & trabeâ indutus*, perſtitit . Mane ſequenti Fran-
E ci ob ejuſmodi novitatem obſtupeſcentes cucurrerunt , ut veluti novum , ſenes ipſos viderent. Gallus quidam arreptâ Papirii barbâ inquit : *Ah Senex* ! Tunc Papirius indignatione commotus , quod Francus eum reverenter non alloquutus fuiſſet , quemadmodum habitus expetebat , virgam protendens , Gallum in capite percuſſit , mori haud timens, ut majeſtatis ſuæ decus tueretur . Itaque Romanus vir hic probus mori noluit cum culcitra capiti impoſita , ſicuti Nicolaum Laurentii obiiſſe jam vidimus.

CAP.

CAPITULO (a) VIGESIMO QUARTO.

Como Peroſcini aſſediaro Bettona, e desfeccero la Terra da' fonnamenti, e tagliaro la teſta a Meſſer Criſpoldo traditore.

- - - - - - - - - - - - - - - - -

- - - - - - - - - - - - - - - - -

CAPITULO (b) VIGESIMO QUINTO.

Como le Campane de Santo Pietro meſſero. E como perdìo lo Papa la Signoria dello Senato. E como Papa Chimento morìo.

- - - - - - - - - - - - - - - - -

- - - - - - - - - - - - - - - - -

CAPITULO (c) VIGESIMO SESTO.

Como lo Senatore fu allapidato da' Romani. Delli magnifichi fatti, li quali fece fare Meſſere Egidio Concheſe di Spagna, Legato Cardinale, per recuperare lo Patrimonio, la Marca de Ancona e Romagna.

MOrto Papa Chimento &c.

CAPITULO (d) VIGESIMO SETTIMO.

Como Meſſer Cola de Rienzo tornato in Roma reaſſonſe lo dominio con moite allegrezze. E como fò occiſo per lo Puopolo de Roma crudamente.

CUrrevano Anni Domini MCCCLIV. &c.

CAPITULO (e) VIGESIMO OTTAVO.

De la venuta de Carlo Imperatore a Roma e de la ſoa coronazione, e de la ſoa partenza a la Alamagna.

- - - - - - - - - - - - - - - - -

- - - - - - - - - - - - - - - - -

(a) Capituli XXIV. deſcriptio ac enarratio in Codicibus MStis deperdita deſideratur.

(b) Item Capituli ſubſequentis XXV. deſcriptio in iiſdem Codicibus deperdita eſt.

(c) Capitulum XXVI. habes ſupra, Lector, in Libro Tertio Vitæ Nicolai Laurentii a Cap. IV. uſque ad XI. incluſive.

(d) Capitulum XXVII. habetur ſupra in eodem Tertio Libro a Cap. XII. uſque ad finem ipſius Libri.

(e) Capitulum XXVIII. in MStis Codicibus deperditum deſideratur.

A

CAPUT VICESIMUM QUARTUM.

Quomodo Peruſini Bettonium obſederunt, & a fundamentis Urbem ipſam everterunt, ac Domino Criſpoldo proditori caput obtruncarunt.

- - - - - - - - - - - - - - - - -

- - - - - - - - - - - - - - - - -

CAPUT VICESIMUM QUINCTUM.

Quomodo Campanæ Sancti Petri impoſitæ fuerunt in ſacra Turri. Quomodo Papa amiſit

B *dominium Senatus. Quomodo Clemens Pontifex ad plures abiit.*

- - - - - - - - - - - - - - - - -

- - - - - - - - - - - - - - - - -

CAPUT VICESIMUM SEXTUM.

Quomodo Senatorem Urbis Romani lapidibus obrutum occiderunt. De magnificis actibus Domini Ægidii Caucenſis ex Hiſpania, Cardinalis Legati, qui recuperavit Eccleſiæ Patrimonium, Marchiam Anconitanam, & Romandiolam.

C

DEfunćto Papa Clemente &c.

CAPUT VICESIMUM SEPTIMUM.

Quomodo Dominus Nicolaus Laurentii Romam reverſus dominium multo cum gaudio reſumſit. De crudeli nece, quam Nicolao Romanus Populus intulit.

CUrrente Anno Domini MCCCLIV. &c.

D

CAPUT VICESIMUM OCTAVUM.

De adventu Caroli Imperatoris Romam, & de ejus coronatione ac reditu in Alamanniam.

- - - - - - - - - - - - - - - - -

- - - - - - - - - - - - - - - - -

DE HOSPITALIBUS
PEREGRINORUM,
INFIRMORUM,
INFANTIUM EXPOSITORUM &c.

DISSERTATIO
TRIGESIMASEPTIMA.

DISSERTATIO
TRIGESIMASEPTIMA.

QUoties in rudium Sæculorum Hiſtoria nobis occurrit, & ſæpiſſime certe occurrit, Chriſtianæ liberalitatis mentio in ſacra Templa, in Epiſcopos, & Canonicorum cœtus, atque in Monaſteria tum Sanctimonialium, tum Monachorum: non continuo putandum eſt, ex tanta ac tam pia opum profuſione nihil ſuperfuiſſe, quod in turbam Pauperum atque egenorum effunderetur. Immo non minus ſtudium Chriſti Fidelibus erat, ut hi quoque alerentur, recrearentur, & omnia Miſericordiæ officia implerentur in eorum ſolatium. Notum erat, ac paſſim deprædicabatur, quam ſolicite, quam enixe in tot ſacrarum Literarum locis Deus commendet & inculcet Miſericordiam in Pauperes, & quàm ſplendida præmia miſericordibus polliceatur. Eadem quoque altis vocibus Sancti Patres ingeminabant, & quicumque zelo Legis & Caritatis igne ardebat, Populum ac præſertim divites, ad hujuſmodi officia ſolicitabat. Quamobrem vel ferreis illis Sæculis tanta erat in Pauperes Chriſtianorum munificentia, ut certe tempora noſtra, quamquam pietate ac morum temperantiâ præ illis eminere videantur, quod tamen eſt ad Miſericordiam in Pauperes, conferre cum iis æque non poſſis. Et in hocce quidem argumentum multa ego congeſſi, edito jam Libro *de Caritate Chriſtiana*. Sed res poſcit, ut & heic nonnulla proferam, quæ ad propius dignoſcendam hac in parte illorum Sæculorum faciem non inopportuna cenſui. Primo igitur ſtatuendum eſt, illarum opum, quæ a piis Chriſtianis ſive in vita donabantur Eccleſiis, Epiſcopis, & Clericorum Collegiis, ſive legabantur poſt mortem, participes quoque olim fuiſſe Pauperes. In eum quippe finem ſacris locis oblationes fiebant, ut non ſolùm ornamenta Templo, & Miniſtris alimenta ſuppeditarentur, ſed ut Pauperum Populus ex eodem, quantum fieri poſſet, ærario reficeretur. Innumera ſunt in hanc rem Conciliorum & Patrum decreta, quæ quia eruditiſſimus vir Ludovicus Thomaſſinus Part 3. Lib. 3. de Beneficiis, jampridem delibavit, ideo commemorare heic ſupervacaneum foret. Unum tantummodo repetere juvat, nempe Anno Chriſti DCCCXVI. a Ludovico Pio Imperatore conſtitutum fuiſſe, quæ pars redituum Eccleſiaſticorum Pauperibus conferenda eſſet, ne hominum avaritia abſorberet, quod egentium quoque ſubſidio omnino debebatur. Ejus
A verba ſunt Lib. primo Capitularium Cap. 80. apud Baluzium: *Statutum eſt, ut quidquid tempore imperii noſtri a fidelibus Eccleſiæ ſponte conlatum fuerit, in ditioribus locis duas partes in uſus Pauperum, tertiam in ſtipendia cedere Clericorum aut Monachorum. In minoribus verò locis æque inter Clerum & Pauperes fere dividendum*. Non eadem certe ubique obtinuit diſtributio Eccleſiaſticorum proventuum: attamen ex Canonum inſtituto non levis pars impendenda ſemper erat in Pauperes. Præterea quotidianis Fidelium eleemoſynis inopiæ egentium ſubveniebatur, uti noſtris quoque temporibus miſericordes faciunt. Sed alterum, quod
B raro nunc præſtatur, frequens olim fuit Chriſtianæ Caritatis exemplum: nempe erant, qui integram hereditatem ſuam, aut ejus portionem non modicam, divendendam, ac in egenos continuo diſtribuendam jubebant. Plura piiſſimæ iſtius conſuetudinis exempla præſto forent; ſed omnium loco proferam duas Chartas, unde eorum temporum pietas luculentius effulgeat. Primam mihi ſuppeditavit Archivum nobiliſſimi Brixiani Monaſterii Monialium Sanctæ Juliæ, ubi exemplum ex authentico deſumtum adhuc legitur, Anno MCCXCIX. coram Judicibus Brixianis authenticatum. Ut ex ea liquet, Anno DCCLIX. Tertio Regni Deſide-
C rii Langobardorum Regis, & Primo Adelgiſi ejus filii, venumdatum eſt dimidium hereditatis Giſulfi Civis Laudenſis ab Hippolyto Laudenſe Epiſcopo, ut *Chriſti Pauperibus de præſenti diſtribuatur, quatenus ſine aliqua offenſione ipſi ejus eleemoſyna ad requiem vel refrigerium Animæ ejus quàm citius occurrere poſſit*. Scilicet impenſius quàm noſtris temporibus tunc Populo, Chriſti Legem ſequenti, inculcabatur, Eleemoſynas quoque in Pauperes effuſas, efficaciſſimum eſſe auxilium atque ſuffragium Animabus Fidelium e corpore jam ſolutis. Nunc a nonnullis unice deprædicatur in eam rem ſalutaris Sacrificii & Orationum utili-
D tas: tunc verò Pauperum etiam cauſſa ſuis patronis, & ſecundo quidem ſucceſſu, abundabat. Fuerit autem, neceſſe eſt, ſumma ingens pecuniæ egentibus tunc erogata, quando *auri Solidos novos proteſtatos, ac coloratos, penſantes numero tria millia octingentos quinquaginta finitum pretium* ea venditio peperit. Ut autem hoc etiam moneam, habes Epiſcopum *Hippolytum* catalogo Laudenſium Epiſcoporum adjungendum, quem ignoravit Ughellius.

Hippolytus Epiſcopus Laudenſis medietatem Curtis Alphiani a Giſulfo relictam, ut ejus pretium in Pauperes diſtribuatur, vendit Ganderiſio Rectori Monaſterii Sanctæ Mariæ Brixienſis, Anno Chriſti 759.

I*N nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. Manifeſte profiteor ego* Epolitus *humelis* Epiſcopus *ſancte Catholice* Laudenſis Eccleſie, *quoniam ante hos annos* Giſulphus Rorator *per cartulam ſue diſpoſitionis ſtatuerat, ut medietatem ex omnibus rebus ejus, quicquid per ſingula loca habuerat, poſt ipſius obitum ...... fieri deberent per manus Pontifici Laudenſi, qui in tempore eſſet; & ſtatuerat, ut ipſis rebus, qui venundatis fieri ...... ejus Sadoara advixerit, uſufructuario nomine in ejus eſſent poteſtatem. Nunc autem ſuggerente, hac plurimum poſtulante ipſa Sadoara, pietate precellentiſſimi Domni Deſiderii Regis, ut ex ipſas res venundare deberemus, ideſt medietatem de Curte in loco, qui dicitur Alphiano, ſine qualicumque tarditate, & pretium ipſum acceperemus, & juxta inſtitutionem jocali ejus quondam Giſulfi*, Chriſti Pauperibus de preſenti diſtribueremus, quatinus ſine aliqua offenſione ipſa ejus elemoſina ad requiem vel refrigerium anime ejus cum citius occurrere poſſit: *ideoque manifeſte profiteor ego qui ſupra Epolitus Epiſcopus juxta inſtitucionem eidem Giſulfi, adſtante & poſtulante ſupradicta Sadoara, in preſentia Venerabilium Sacerdotum, atque Illuſtrium Judicum, vel etiam germanis ſupraſcripte Sadoare, nec non & Clericorum nobilium, qui ſubſcripturi vel confirmaturi ſunt, accepiſſem & accepi a te Ganderis Rectore Monaſterii Sancte Dei Genetricis Marie ſito intra Civitate Brixia ex ſacolo predicti Monaſterii*, auri Solidos novos proteſtatos ac coloratos penſantes numero tria milia octingentos quinquaginta finitum pretium pro medietate ex omnibus rebus illis predicti Giſulfi, *quas habere videtur in jam fato fundo Alphiano, antepoſito teſtora, que intra ipſam domum coltilem poſita ſunt, & quinquaginta juges terra, quas Arioald germanis ſupraſcripte Sadoare emere debet de illa petia terre, que dicitur de Campo prope Reconam, omnia & in omnibus tam terras ad ipſo peculiare pertinentes, quam etiam de Caſas maſſaritias una cum edificiis de Caſis maſſaritiis ſeu clauſis, cum campis &c. ideſt da parte de Occidente & medietate de Porto in Fluvio Olio ad ipſa Curte pertinente, qualiter ad jam dicto Giſulfo poſſeſſa eſt, & ipſe in die ovitus ſui reliquid &c. ego prefatus Epolitus Epiſcopus in ſupraſcripto Monaſterio pro jam dictis tria millia octingentos quinquaginta Solidos, ſecundum a nobis, vel Theupald, & Magipert, ſeu Arioald, Theupert, & Benigno res ipſas apreciatas ſunt, contradedemus & ve-*

A *numdamus, ita ut amodo in jura & poteſtate jam fati Monaſterii predicta medietas ex ſupraſcriptis rebus in fundo Alphiano da parte Occidente ex omnibus & in integrum omni in tempore, qualiter ſuperius continetur, adnexa permaneat &c. Quam igitur manifeſtationis paginam Audonem Notarium reſcribere conrogavemus, in qua ſubter nos manibus noſtris propriis ſubſcripſemus, & his quorum ſuperius memoriam fecimus, trademus ſubſcrivendum.*

Facta Cartola manifeſtationis tempore Domnorum noſtrorum Deſiderii & Adilchis *Excellentiſſimis* Regibus, *Anno Regni eorum Chriſto protegente Tertio & Primo, Septima decima die*
B *Menſis Septembris, Indictione Tertia decima.*

Actum Tito feliciter.

Epolitus .... *per Dei gratia* Epiſcopus, *Sadoara Deo dicata ſuppliemte feci, & proteſtatus pro venundatione te ſola, quod ei Vir ſuus poſt ejus ovitum conceſſit, teſtes manu mea conſcripſi cum Sacerdotes fideles, ex pretio recepi III. millia DCCCL. & contuli diſtribui pro anima Giſulfi Roratoris.*

Signum manus Sadoare Religioſe femine, *qui hanc Cartula per poſtulatione ſupraſcripti Principis ſupraſcripto Pontefice fieri conrogavit.*

In Chriſti nomine. Benedictus V. N. Archidiaconus rogatus ad Sadoara ex juſſione vene-
C *rabili Domno Ipolito Epiſcopo ſubſcripſi &c. Signum manus Conceſſo germano ſupraſcripte Sadoare conſentienti Ariald V. M. huic Cartole manifeſtationis, rogatus ad Epolito Epiſcopo, & Sadoara germana mea conſentiens ſubſcripſi.*

Ego Alchis huic Cartule manifeſtationis rogatus ad Epolitus & Sadoara Socera mea conſenſi, qui me preſente confirmaverunt, & ſuprascriptos Solidos ipſe Epiſcopus accepit &c.

Ego qui ſupra Ando Notarius rogatus Scriptor hujus Cartule, quam poſt rovorata & tradita complevi & dedi.

Alterum laudabilis hujus liberalitatis exemplum occurrit in pergamena ante annos fere
D ſexcentos ex autographo ſcripta, quam olim legebam in Archivo Canonicorum Regularium Lateranenſium Sancti Bartholomæi Piſtorienſis. Nimirum ſimilis venditio facta eſt a *Guillerado Sanctæ Piſtorienſis Eccleſiæ Epiſcopo* de rebus Iſſeradi Presbyteri, *qui ad ſolitariam pertranſivit vitam*, ut pretium inde contractum in Pauperes effunderetur. Nuper memoratus Ughellius Tomo 3. Ital. Sacr. *Wiltretradum* appellat Epiſcopum hunc, & ſane corrupte, nam *Guilleradus* aut *Willeradus* ei nomen fuit.

Ven-

Venditio rerum Iſſeradi Presbyteri facta Ildeperto, qui & Ildo, Abbati Monaſterii Sancti Bartholomæi Piſtorienſis a Guillerado Epiſcopo ejuſdem Civitatis, Anno 812.

IN *nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti*. Karolus *ſereniſſimus* Auguſtus *a Deo electus & coronatus, magnus & pacificus Romanorum guvernans Imperium, qui & miſericordia Dei omnipotentis* Rex Francorum, & Langobardorum in Italia, *poſtquam Papia Civitate ingreſſus eſt, Anno Trigeſimo Nono, die XX. Menſe Novembris, Indictione VI. feliciter. Manifeſti ſumus nos* Guillerad *ſancte* Piſtorienſis Eccleſiæ Epiſcopus, *Zacheus Presbiter filius quondam Alchiſi, & Taſſimanno filio bone memorie Inroni, eo quod ante hos annos* Iſſerad Presbiter, qui ad ſolitaria pertranſivit vita, filio quondam Gaiprandi, *in nos per ſuum Judicatum tradedit, inſtituit & judicavit, quid aut quomodo nos* ex ejus ſubſtantia deveamus venundare pretio tollendi pro Anima ejus diſtribuendum omnia, *ita quod aut qualis nobis ipſe Iſſerad tradedit per Cartula Judicati ſui conſcripta per manus Anſprand Subdiaconus & Notarius, in nos confirmavit. Ideoque nos jam dicti Guillerad Epiſcopus, Zacheus Presbiter, & Taſſimanno ſecundùm ejus decretum, de ſua ſubſtantia vendidimus atque tradidimus tibi* Ildepert, qui Ildo clamatur, *venerabilis* Abbas Monaſterii Sancti Bartholomæi, *tres Caſe & porcionis maſſaricie in loco qui dicitur Baſiano, qui regitur una ex ipſe per Marungula, alia per Aurinnundulo, tertia per Bonello, & ſunt Caſe & rebus ipſe in finibus Senenſe, ut diximus, tam predicte Caſe & portiones cum omnibus pertinentiis & adjacentiis de rebus ipſius Iſſeradi Presbiteri ad ipſe Caſe in quibuſcumque loco juſto ordine attinentibus tam in montibus, quam in vallibus ac padulibus, fontis, rivis, aquis, aquarumque ductibus, cum finibus & terminibus & acceſſionibus ſuis, cultis rebus & incultis, cum omnibus inferioribus & ſuperioribus ſuis ad rebus ipſis pertinentibus, movilibus & immovilibus, ſeu qui ſe moventibus, qualiter ſuperius locuimus, omnia in integrum tibi, qui ſupra, Ildo Abbas a parte ſancti Monaſterii tui venditionis titulo tradidimus: pretio verò pro omnia ſupraſcripta venditio ad te ſuſcepimus argenti Solidos viginti per novinos denarios pretium finitum, & declaratum in tali ordine, ut ſi de dicta ſupraſcripta venditio noſtra quicumque homo veniet adverſus te Ildo Abbas vel adverſus tuis ſucceſſoribus, vel contra pars predicti Monaſterii veſtri Sancti Bartholomei cum qualivet contrafactione aut contradictione cum . . . . . ventilatione cauſas agendis, & nos vel poſteribus heredibus aut ſucceſſoribus noſtris vobis ab ipſos ſupraſcriptos contradictores ſupraſcripta venditio noſtra non potuerimus defenſare, tunc nihil alia patiamur exinde moleſti nec calumniam niſi tantum partis veſtre reddere deveamus alio tanto pretio, quantum ut ſuperius legitur ad te Ildo Abbas ſuſcepimus. Nam ſi quecumque alius omo ſine noſtra factione vel traditione quandoque tempore adverſus vos de ſupraſcripta venditio noſtra litigaverint aut cauſaverint, tunc tu jam nominatus Ildo Abbas vel tuis ſucceſſoris, qualiter per melius potueritis, vobis per vos ipſis ſupraſcripte Caſe & rebus deveatis defenſare, omnino exinde cau-*

A *ſas agendi, reſponſum reddendi, fine ponendi, poteſtativos eſſe deveatis. Nam nos ſupraſcripti venditoribus, neque noſtris poſteris, heredibus aut ſucceſſoribus exinde auctori nec defenſatori, neque reſtauratoris aut pretium redditoris querere non deveatis, quia & nos vobis nec a parte ipſius ſacri Monaſterii Sancti Bartholomæi da tali homine, qui fortaſſe vobis ſupraſcripta venditio noſtra ſine aliqua traditione aut factione noſtra condixerit, auctoris nec defenſatoris nec reſtauratoris nec pretium redditoris non premittimus, quoniam in is omnibus, ut ſuperius Textum menutius deſignat, tibi ſupraſcripte Caſe & rebus vendedimus, & ſub tali titulo ad* B *te pretio ipſo ſuſcepimus*, quod pro Anime remedium ipſius Iſſeradi *juxta ejus diſpoſitum diſpenſavimus, & in hoc tramite, ut ſuperius circumſcriptum eſt, hanc Cartulam Gauſpert Notarius ſcrivere rogavimus.*

Actum Piſtoria, Regnum & Indictione ſupraſcripta feliciter.

✠ *Ego* Guilleradus Epiſcopus *in hunc ſcriptum a nos facto manu mea ſubſcripſi.*

✠ *Ego Zacheus Presbiter in hunc ſcripto ad nos factum manu mea ſubſcripſi.*

✠ *Ego Taſſimano in hanc Cartula a nos facta manus mea ſubſcripſi.*

Ego Anſprandus rogatus ad Guillerada Epi- C *ſcopus & Zacheo Presbiter & Taſſimanno teſtis ſubſcripſi.*

Signum manus ✠ *Fuſoni filio quondam Bautoni teſte.*

Signũ manus ✠ *Prandulonigermano ejus teſte.*

Et ſignum manus ✠ *Rechiprand filio quondam Deorelli teſte.*

Ego qui ſupra Gauſpert Scriptor poſt traditionem complevi & dedi.

Ego Gualbertus Notarius & Judex ſacri Palatii Scriptor, authenticum illud vidi & legi, ut in hoc exemplar ſcriptum eſt, & quod inibi ſcriptum inveni, fideliter exemplavi.

Hiſce adde percelebrem ac ubique uſitatum D iis temporibus beneficentiæ ritum in Pauperes, nempe varia genera Piorum Locorum ſive domuum erectionem, ubi variis egentium neceſſitatibus ſingulari Caritate ac munificentia occurrebatur. Erant pro Ægrotantibus, erant pro Hoſpitibus ſive Peregrinis, erant pro Infantibus expoſitis, pro Orphanis, pro Invalidis, ac Senibus, & reliquo Egentium vulgo: ita ut unumquodque Pauperum genus haberet, unde ſibi præſidium facile conquireret. Poſt datam a Conſtantino Magno pacem Eccleſiæ jam invaleſcere cœperunt ejuſmodi Chriſtianæ Caritatis domicilia atque æraria; pluraque exempla ſuppetunt in Eccleſiaſtica Hiſtoria. E Mihi ſatis erit commemorare Legem 46 *Sancimus, ſi quis* &c. Codice Juſtinianæo de Epiſcop. & Cleric. ubi Juſtinus Auguſtus *curæ Deo amabilium Epiſcoporum commendat facere ædificationes ſanctiſſimarum Eccleſiarum, & Hoſpitalium* (ubi Peregrini recipiuntur, quæ Xenodochia quoque appellabantur) *& Gerontocomiorum* (ubi Senes aluntur) *aut Orphanotrophiorum* (ubi Orphanis alimentum confertur) *aut Ptochotrophiorum* (ubi Pauperes tectum & victum inveniunt)

niunt) *aut Noſocomiorum* (ubi Ægri nutriuntur atque curantur) *conſtructionem*, *aut Captivorum redemtionem*, *aut aliam quamlibet actionem piam* . Infra quoque præter *Orphanotrophos Brephotrophi* nominantur, hoc eſt Orphanorum & Infantium curatores in piis locis. Propterea certabant in Italia Chriſtiani, ut hujuſmodi perpetuæ Caritatis officinas in Urbibus, in pagis erigerent. Nullum fere Monaſterium pingue erat, cui adnexa non foret Hoſpitalis domus, in quam divertebant Peregrini & Pauperes paſcendi. Immo in Concilio Aquiſgranenſi Primo & Secundo id pro lege conſtitutum fuit. Epiſcopi etiam & Canonici paria Chriſtianæ liberalitatis officia præſtabant. Tunc autem peregrinantium longe major copia erat quàm noſtris temporibus. Walafridus Strabo Lib. 2. Cap. 47. de Vita Sancti Galli, præſertim *nationem Scotorum commemorat*, *quibus conſuetudo peregrinandi jam pæne in naturam conversa eſt*. Tunc etiam alia officia Caritatis ac liberalitatis in Pauperes longe majora quam nunc, & uberiora erant: quod certe dicere pudet, tacere tamen non juvat. Hinc enim & majus Eccleſiaſticis viris, eoque majus Sæcularibus, erat decus, & ſpes grandior Regni cœleſtis. Sæculo Chriſtianæ Æræ Decimo Mediolanenſem Eccleſiam teterrimum Schiſma afflixit, Pontificatus cauſsâ certantibus Manaſſe atque Adelmanno. De iis Arnulphus in Hiſtor. Mediolanenſ. Lib. primo, Cap. 4. hæc habet: *Arderico Epiſcopo ad ſuperna vocato*, *eruperunt duo adverſarii Ambroſianæ dignitatis ambitione ſuccenſi: Manaſſes videlicet Arelatenſis Epiſcopus*, *& Adelmanus Presbyter Mediolanenſis* &c. *Cumque diu contenderent*, *ille ex datione Regis*, *ſcilicet Burgundiæ* (hoc eſt, Hugonis Italiæ Regis;) *hic ex factione Plebis*, *& de Mediolanio* (fortaſſe Cleri de Mediolano) *quinquennio contra ſe invicem pertinaciter altercati ſunt*, *factis partibus ex alterutro*. *Quorum execrabili jurgio jacturam prægrandem ſuſtinuit Eccleſia*, *præcipue in theſauris & cymiliis omnibus*, *quibus incomparabiliter affluebat*. Quid in Adelmanno laudandum foret, quum diem unum obiit, vix occurrebat; attamen quod pius in Pauperes fuiſſet, hoc illi ingentis Elogii loco fuit. Accipe ejus Epitaphium, nondum editum, quod Mediolani e MSto Codice Franciſci Caſtelli olim deſcripſi.

HIC TUMULATUR ADALMANNUS PRÆSULQUE BEATUS,
CLARIOR IN TANTA QUI FUIT URBE POTENS.
HUJUS ORIGO FUIT CELSO DE SANGUINE DUCTA,
PAUPERIBUS LARGUS EXTITIT ATQUE PIUS.
HUC GRESSUM REFERENS MODICUM TU SISTE VIATOR,
DIC FAMULO REQUIEM, CRIMINA PELLE, DEUS.
OBIIT AUTEM ANNO INCARNATIONIS DOMINICÆ
DCCCCLVI. MENSE DEC. INDICT. XV.

Clariſſimus Papebrochius in Actis Sanctorum Tom. 7. Maji, Exegeſim dedit de Epiſcopis Mediolanenſibus, atque ibi poſt Ughellium dubitavit, an Adelmannus umquam fuerit ordinatus Archiepiſcopus. Tum cenſet, ipſum Anno Chriſti DCCCCLI. aut e vivis abiiſſe, aut Epiſcopatu ſe abdicaſſe; quippe eo Anno, ut is opinatur, Walpertus Cathedram Mediolanenſem conſcendit. Nunc ex ejus Epitaphio habemus, ipſum *Præſulis* titulo ornatum; & niſi Caſtellus de ſuo addiderit Notas Chronologicas, eumdem quoque diſcimus, finem vivendi feciſſe Anno DCCCCLVI. Ita ergo olim inopum, ægrorum, ac hoſpitum cura in honore erat, ut hanc potiſſimum gloriam ſibi vindicarent Romani Pontifices, ceterique Epiſcopi, quibus & Chriſtiana virtus & ſui muneris cura præcipue cordi erant. Vide in Annalibus Eccleſiaſticis Cardinalis Baronii, & in Antonii Boſii Româ Subterraneâ complurium Romanorum Pontificum Epitaphia. Uſitatior eorum laus ſubſidium Pauperum. Immo & in hoc ipſo officio cum aliis certaſſe videas ipſa interdum Virginum Deo ſacrarum Cœnobia. In Diſſertatione LXVI. *de Monaſter. Monial.* producam Chartam Piſtorienſem, in qua Monaſterium Sanctimonialium Sancti Petri fundatur una cum *Senodochio ad egenos vel pauperes recipiendum*, *& eleemoſynam tribuendum*, *& gubernandum per hebdomadam unam Pauperes vel Peregrinas animas*. Nunc alteram addo Chartam Lucenſem, Anno DCCXC. conſcriptam, ac teſtem Monaſterii ſacrarum Virginum Lucæ fundati una cum Xenodochio, in quo *Pauperes duodecim una die per ſingulas hebdomadas ſuſcipi ac paſci debeant*, *& hebdomada ante Paſcha Balneum ibi calefiat*, *ut totâ ipsâ hebdomadâ ipſi Pauperes laventur*. Ita verò ſe habent in vetuſtiſſimo apographo illæ tabulæ, ex Archivo Archiepiſcopali ejus Urbis depromtæ.

Xeno-

Xenodochii & Monaſterii Monialium Sanἀi Vitalis Lucenſis amplificatio, ſeu erectio, & dotatio ſacta a Jacobo Diacono, Anno 790.

IN *Chriſti nomine. Regnante* Domno noſtro Carolus Rex Francorum & Langobardorum, & Domno noſtro Pipino *idem* Rex filio ejus, *Anno Regni eorum Sextodecimo & Nono, IV. Nonas Aprilis, Indictione Tertiadecima. Manifeſtum eſt mihi* Jacobo Diacono *filio bone memorie Teutperti, quia ante os plurimos annos quondam Sichipertus conſtruxit Eccleſiam in onore Dei & beati Sancti Vitalis Chriſti Marthiris, in proprio territorio ſuo loco Placule, prope muro hujus Lucane Civitatis, & per dotis titulum in eadem Eccleſia & Monaſterio contulit aliquit ex rebus ſuis, & ipſam prefatam Eccleſiam Sancti Vitalis cum rebus ibidem datis conſtituit eſſe in poteſtatem Sicheradi Clerici filii ſui, avendum, regendum, Peregrinos conſolandum, & ordinationem faciendum*, & per ſingulas ebdomadas quinque Pauperes paſcere conſtituit pro remedio ſuorum. *Et dum ipſa Eccleſia a Gentibus incenſa & deſolata fuiſſet, tum ipſe Sicheradus Clericus per Cartulam me, qui ſupra, Jacobum Diaconum in prelicta Dei Eccleſia Sancti Vitalis, & in omnibus rebus ad eam pertinentibus, rectorem & gubernatorem ordinavit, quamvis ipſa incenſa eſſet Baſſilica; ita ut in mea eſſet poteſtatem, in omnibus ſecundùm Deum ordinandum*, & ipſos Pauperes paſcendum. *Poſtea vero ego, qui ſupra, Jacobus Diaconus, preſtante Dei miſericordia in proprio territorio meo a fundamentis edificavi Eccleſiam in onore Domini noſtri Jeſu Chriſti & Sanctorum Apoſtolorum Jacobi & Filippi, hic prope muro iſtius Civitatis in jam dicto loco Placule. Modò verò in Dei omnipotentis nomine offero, do, & vobis ſepe dicte Eccleſie Sancti Jacobi & Sancti Filippi, pro remedio anime mee, fundamentum ipſum, ubi ipſa Dei Eccleſia poſita eſt, unacum omnibus edificiis circa ipſa Dei Eccleſia, quem ibidem a me facta ſunt, excepto fundamentum, & terra mea illa, qui mihi obvinet ab Ermerada, qualiter da via percurrit uſque ad ipſum Balneum meum, quem mihi reſervo*, ubi ſit ipſum Xenodochio Sancti Vitalis ipſos Pauperes recipiendum & paſcendum, *qualiter ipſi quondam Sichipertus Clericus decrevit pro ipſo dote, tam ipſe fabrice una cum fundamenta & Curte, qualiter mihi per Cartulis obvenerunt in integrum. Simulque offero ibidem clauſura de terra & vinea mea in Ferchalino qui fuit bone memorie Perprandi, cum ipſa caſa, que ibi eſſe videtur, una cum ipſo palmento, & cum omnibus, qualiter mihi per Cartulam venit in integrum. Et duas Caſas meas maſſaricias in loco Tuſſie cum rebus & hominibus & notriminas, movile vel inmovile, qualiter mihi ſunt pertenentes in integrum. Similiter & offero ibidem Caſe, & rem meam in Quaratiuna, & Caſe & rem mea in Colline cum fabricis & omnibus rebus ad eas pertinentibus in integrum. Ita vero faciente divina miſericordia ipſam prefatam Eccleſiam Sanctorum Apoſtulorum Jacobi & Filippi conſtituo in perpetuum eſſet Monacharum Dei Monaſterio ſecundùm Deum, & ſanctam Regulam ibidem vivendum. Et omnes res ipſas & homines de ipſa congregationem Monacharum Abbatiſſe, que fuerit, ſit poteſtatem in*

A *omnibus; niſi tantum volo, ut dum preſtante Chriſto, ego qui ſupra Jacobus Diaconus atvixero, vel quem ego jam in ipſum Monaſterium . . . . . ipſum Monaſterio cum rebus ſuis in noſtra ſit poteſtate regendo & gubernando ſecundùm Deum recto ordine, & ordinationem ibidem faciendum in omnibus mihi, qui ſupra, Jacobo reſervo poteſtatem, qualiter voluero. Et ipſe Abbatiſſa, que ibidem in tempore fuerit, pro ſua & ipſius Monaſterii protectionem per ſingulos annos reddere deveat in Eccleſia Sancti Petri in Romam ad luminaria in decem Solidos auro oleum, ſicut jam ante os tempus ego per Cartulam decrevi, & qualiter per ipſam Cartulam ego conſtitui, quam in Eccleſia Sancti*
B *Petri in Roma obtuli, in eo ordine firmiter perſiſtat.*

Tantum quidem & volo, ut ſingulis annis in Natale Sanctorum ſupraſcriptorum Jacobi & Filippi, Epiſcopus hujus Civitatis ad celebrandas Miſſas cum Sacerdotibus ibidem venire licentiam aveat. Et Abbatiſſa, qui tunc fuerit, eidem Epiſcopo pro benedictionem dare debeat uno tappito bono, nam amplius ei nullum imponatur. Et ipſa congregatio Monacharum, que Deo jubente ibidem facte fuerit, licentiam aveat de inter ſe una cum conſenſu Epiſcopi hujus Civitatis ſibi Abbatiſſa elegendi, qualem in bonis actibus meliorem proſpexerit; & qualem hominem ipſe Congregatio vel Abbatiſſa at Epiſco-
C *pum queſierit, qui cauſa hujus Monaſterii peragere & procurare poſſat, eis pro mercede ſue anime dare debeat, qui ei ſecundùm Deum viſus fuerit; & Presbiterum, quam ipſe Abbatiſſa & congregatio Monacharum in ipſo Senodochio Sancti Vitalis, quem ego Chriſto preſtante in proprio territurio meo dinuo a fundamentis conſtruere cupio, ordinare poſt meo deceſſo voluerit cum conſenſu Epiſcopi, eum ordinare debeam. Et taliter conſtituo, ut per ſingulos annos Abbatiſſa hujus Monaſterii vel congregatio Monacharum ex omni ſubſtantia predicti Monaſterii, que ibi data eſt, vel in antea Deo preſtante data fuerit, ſive ſubſtantia ſupraſcripti Sancti Vitalis de omni lavore & vino & oleo, ſive de*
D *notriminas, ligna, ſeo & de orto, vel queque abuerit, ex omnibus ipſam Decimam eidem Presbitero in ipſo Senodochio conſiſtente*; & illos quinque Pauperes, quos Sichepertus paſcere depotavit, & ſepten Pauperes ſupra, ut ſint inſimul Pauperes duodecim, quos una die per ſingulas ebdomadas in ipſo Senodocio Sancti Vitalis ſuſcipere, & a menſa paſcere debeat ipſe Presbiter, qui ibi ordinatus fuerit, ſecundùm poſſivilitate ſua, ut melius potuerit. Et ſemper in ebdomada ante Paſcha. Presbiter de ipſum Senodocio ipſum Balneum calere facias, ut totâ ipsâ ebdomadâ ipſi Pauperes laventur. *Et ſi forſitans ibi congrecatio Ancillarum Dei facta non fuerit, & ſub regimine Regule &*
E *Abbatiſſe vivere debat, & poſt meum deceſſu, vel illius hominis, quem ibidem jam ordinavi vel ordinavero, ipſum Monaſterium deſtitutum remanſerit, volo & taliter conſtituo, ut ſupraſcripta Eccleſia cum omnibus rebus at eam pertenentibus deveniat in poteſtatem beati Sancti Petri in Roma, vel Pontifici, qui in tempore*

Papa

Papa ordinatus fuerit, in omnibus ordinandum & gubernandum, qualiter ei ſecundùm Deum recte paruerit. Niſi tantum ipſum Senodocio Sancti Vitalis ſecundùm texto dotis ſuo jure permaneat. Quidem & volo, ut queque de aliis Caſis & rebus meis, tam de movile quàm & inmovile, que preſenti aveo, vel in antea abuero, a me injudicata vel non data remanſerit, ſit pro anima mea in poteſtatem predicti Monaſterii mei Sancti Jacobi & Filippi in prefinito. Nam ſi Domino placuerit, & omnia, qualiter a me ſuperius conſtitutum eſt, factum fuerit, omni tempore inviolabiliter in ſua poteſtatem in perpetuum Cenovitarum Dei Monaſterio perſiſtat in eo ordine permanere, ſicut ego diſpoſui. Et ſi quicumque homo temeraria preſumtionem in ſupraſcripto Monaſterio vel in rebus & hominibus ibidem pertinentibus quamlivet invaſionem aut ſuperbia aut oppreſſionem facere, aut exinde aliquit ſubtraère aut minuire preſumſerit, non mereator illam beatam vocem audire, quam juſti audituri ſunt, ſed in die tremendi judicii aveat parte cum his, qui at ſiniſtram fuerit, & cum eis demergatur in ſupplicium eternum, qui preparatus eſt Diabulo & Angelis ejus. Facientibus ibi bona reddat Deus mercedem eterna. Et ſi Epiſcopo hujus Civitatis neglegentiam poſuerit faciendo, ſicut ego ſuperius decrevi non poſſe diſrumpi, ſit ſemper in predicto ordine in ſua permaneat firmitate, & nulli liceat nolle quod ſemel volui. Et pro confirmatione duas Cartulas dotalium uno tenore conſcript ..... & Magniprandum Clericum ſcrivere rogavi.

Actum in ſupraſcripto Monaſterio. Unam obtulit in Arcivo Eccleſie Sancti Martini Domo Epiſcopati: alia dedi in oc Monaſterio conſervandam.

Ego Jacobus Diaconus in hanc dotem a me facta manu mea ſubſcripſi.

Ego Deuſdedit Arcidiaconus rogatus a Jacobus Diaconus in hanc dotem me teſte ſubſcripſi.

Ego Rachiprandus Presbiter rogatus a Jacobo Diacono in hanc dotalis Cartulam me teſte ſubſcripſi.

Ego Magniprandus Clericus poſt tradditam cumplevi & dedi.

Sed præſertim iis Miſericordiæ muneribus Monachi fungebantur, quibus Hoſpitalitas & cura Pauperum enixius commendabatur a ſacris Canonibus, aut ab eorum ſanctis Inſtitutoribus. Vix Sanctus Anſelmus circiter Annum DCCLII. celebri *Monaſterio Nonantulano* fundamenta poſuit *in agro Mutinenſi*, ut in ejus Vita apud Mabillonium habetur Sæculo quarto part. primâ, Actor. Sanctorum Ordinis Sancti Benedicti, quum *Hoſpitium ad ſuſcipiendos hoſpites & peregrinos magno cum ſtudio illic ædificavit: de quibus illi die noctuque cura maxima & ſolicitudo fuit, ut nullus inde ſine refectionis miſericordia abire poſſet*. Subdit ejuſdem Vitæ Scriptor poſt alia multa: *Hinc inter cetera plura bona, quæ egit, Hoſpitalitatem diligens, omniumque Pauperum curam ſolicite gerens, Hoſpitia atque Xenodochia perplura conſtituere curavit*. Tum memorat ab eo conditum Hoſpitale *prope Monaſterium fere quatuor millia*, ſcilicet in loco nunc appellato *il Paſſo di Santo Ambroſio* ad Scultennam in Via Claudia, quam Æmiliam contra morem Majorum noſtrorum nonnulli appellant, *ad ſuſcipiendos Debiles & Feminas, qui ad Monaſterium venire non poterant*. Duo itidem Xenodochia in agro Vicentino excitavit, ubi *quotidie pauperes & debiles*, & ſingulis Menſium Kalendis *Pauperes ducenti paſcebantur*. Ita Fulradus Abbas Sancti Dionyſii Pariſienſis, ut ex Annalibus Benedictinis liquet ad Annum DCCLXXVII. res ſuas omnes Baſilicæ Sancti Dionyſii poſtremis tabulis reliquit, ut cedant in alimoniam ſervorum Dei, *& ſuſceptionem Hoſpitum, & in eleemoſynam ſynodicorum Pauperum ſeu matriculariorum, Viduarum, & Orphanorum*. Fuerunt autem *Matricularii* pauperes, qui in matricula Eccleſiæ deſcripti erant, ut ex ejuſdem Eccleſiæ reditibus alerentur. Aut *matriculam*, ſive domum adjacentem Eccleſiis inhabitabant, in qua victus eis conferebatur. Qua de re legendus Du-Cangius in Gloſſario Latino. Sexcenta alia hujuſmodi exempla prætereo, ſatius ducens oſtendere, Laicos aut reliquos Eccleſiaſticos piâ æmulatione ductos, Miſericordiæ ſuæ in Pauperes lora laxaſſe, conſtructis innumeris Pauperum domiciliis. Quod quamquam in omnibus aut pleriſque Italiæ Urbibus actum fuerit, attamen commodius mihi erit palam facere in una Lucenſi Urbe, quæ in conſervandis antiquis monumentis Eccleſiæ ſuæ ceteris Italis fortaſſe palmam præripuit. Itaque primo mihi occurrit in Archivo Archiepiſcopii Civitatis illius vetuſtiſſimum antigraphum in pergamena, ex quo conſtat, circiter Annum DCCXVIII. Liutprando Rege regnante, Templum Sancti Silveſtri una cum *Xenodochio* & *Balneo* erectum dotatumque fuiſſe a nonnullis piis Civibus Lucenſibus, conſtituto ibi Presbytero, ſeu Abbate ſacri loci Cuſtode, *ad peregrinos recipiendum, pauperes, viduas, & orphanos conſolandum*. Tempus conſcriptæ primum Chartæ deſideratur. Verùm id levi negotio intelligas ex duabus aliis Chartis, quæ priori adtexebantur, & quarum poſtrema mihi viſa eſt archetypum. Ideoque ipſas etiàm ſubjungere placuit.

Teuth-

Teuthpaldus, Dommulus, aliique pii Cives Lucenſes ſacram Ædem ſub Sancti Silveſtri nomine una cum Xenodochio in Urbe Lucenſi ædificant, circiter Annum 718.

IN nomine Domini Dei noſtri Jeſu Chriſti. Congrue nobis auxilium eſt, dum hic peregrinamur carnali officium gerimus, teſaurizare nobis ſuper terram utilia ſunt, ut caro noſtra mortalis, anima immortalis. Unde nos Teuthpald cum germanis meus, & Dommulum, Leonaci cum germano meo, ſeo & Aupald, Wilifrit, Maurinom, Teuderaci, Nandulum, Gemini inum Clericum, Gudiſcalum, recorrentes nos omnis ad aula miſericordie pro . . . . . . noſtris, quam in hoc ſeculo geſſimus adque gerimus, pro honorem Dei, & redemtione anime noſtre, Hecclesiam ha fundamentis, fabricis, veſtibelis, conſtituemus in honorem beatiſſimi Dei Confeſſoris Sancti Silveſtri, ... in Porta beati Sancti Petri, ubi nos vel ſi indigni Sinedochium facere viſi ſumus *in terra, qui novis ex noſtra portionem a Teodoraci filio quondam Leotari advinet, in qua fundamento prefata Eccleſia ſita eſt, idcirco donamus . . . . . Eccleſie beati Sancti Silveſtri fundamento ipſo una cum Caſa, que Sinedocho conſtituemus cum Corte vel orto ſeo omnem intrinſicus, ſed &* Balneo, *qui novis vicarie & ex comparationem advinet a Domno venerabili Taliſperiano . . . . . . nus una cum fundamentum, ubi ipſe Balneum ſitus eſt, quamque & per unumque noſtrum terra prope Civitate a deſignato nomine, ideſt Ego Teuthpal cum germanus meus offerrui inivi terra modiorum . . . . . . Dommulum terra modiorum tris in Placule inter adfinis terra Duci; in Leonaci cum germano ſuo terra modiorum quatuor ſuper caſa Borunciuli in Macritula, & duas modios terra Maurinus in Albingo . . . . . Aunuald terra modiorum tris in loco ubi Teuthpald dedet ſuper ſilice; Wilifrid terra modiorum tris prope Caſa Waltari; Nandulo terra modiorum duo infra Lituro, & tertio modi locum ante Caſa Bucciuli; Geminianus terra & vinea offeruit Solidos quadragenta; Teudoraci pro terra & vinea Solidos quadragenta, ut exinde terra & vinea con . . . . . .; Gudiſcalco terra modiorum duo, tris ſcafilorum prope terram Trioni & ſcafilum prope terrula Liutuald; & pro vinea per unumquemque noſtrum dedimus Solidos decem, excepto Maurinus, qui dedit duo modia vinea in Savelliano, & Geminianus & Teudoraci, qui dedirunt predictos Solidos pro vinea & terra & octuagenta Solidos in auro pro dotis titulo. Et ita addidet animus noſtrus, ut ad gubernandum in poteſtatem Cuſtodis illius Gundoni Presbiteri, quem inivi cum comune conſilio Presbiterum ordinavimus,* inveniatur eſſe Peregrinus recipiendum, Pauperis, Vidua, & Orfanis conſolandum, *mandatum juxta regule ordine faciendum, & pro noſtris facinoribus Dominum deprecandum, in omnibus & per omnia opem ujuſce* Sinedoci, *ſecundùm priſcorum Patrum traditionem juxta ujus ſententie in omnibus adimplere diveas. Et hoc addimus, ut ſi ipſe Abbas Cuſtus de hac luce ereptus eſt, quem inivi Priorem & gubernatorem due partes ex novis una cum Monaci ipſi eligerent, tertia pars ex noſtris inivi . . . . . . ipſum Abbatem ordinandum predictum officium Dei peragendum. Nam nulli noſtrorum offerentium exinde in aliquo ſubtragitor, aut ha novis minuetur, nec ulla inivi poteſtatem avemus neque in ipſo balneum invaſionem faciendam, nec in nulla res, quas inivi ha novis offertum eſt, niſi in omnibus, ut prediximus, in poteſtatem Sancti Silveſtri inveniatur eſſe, & abſque omnem . . . . . . contra ipſam Eccleſiam agere voluerit hanc vis removator exinde violentiam, & defenſitor non querentis, quod in aliquo a nos pertineat, contra quam dotalii ſeu monuſculi noſtre cortule, quam nos & eredis noſtris adverſus ipſam ſanctum Dei Eccleſiam, vel quod inibi ha novis offertum eſt, aliquando ſpondimus eſſe venturi poſt facta viro dotis cartula Dei compulſatione corrictus.*

Ego Waltari *. . . . . . Sancti Silveſtri offero in integrum poſſidendum clauſura in Colli rio cum vinea & olivas ſeu virgarium plus minus modiorum dece, cum omnia quidquid infra ipſa clauſura eſt cum cultum vel incultum in integrum . . . . . pro peccatis Sacerdos, qui inivi ordinatus eſt, aut futurus eſſet, horare diveas*

Signum manus Teutpald V. D. Donatoris.

Signum manus Teutpert fratri ejus conſentientis.

Signum manus Dommuli conſerbatoris.

Signum manus Leonaci V. D. autoris & conſerbatoris.

Signum manus Petronaci . . . . . . conſentientis.

Signum manus Aunuald V.D. idem conſervatoris &c.

Signum manus Waltarini, *qui hoc offeruit.*

. . . . dolf exiguus indignus Presbiter rogatus ad Waltarene *ubic cartule donationis in Eccleſia Sancti Selveſtri vel ejuſque Senodoci ſicot ſuperius legitur teſti ſubſcripſi.*

. . . . . . ripert V. L. ubic Chartule rogatus a Waltarene *a hic Chartule donationis facta in Eccleſia Sancti Selveſtri vel ejuſque Senodocii ſicut ſuperius legitur teſti ſubſcripſi.*

Floriprandus Notarius ex autentico quantum cognoſcere potui fideliter exemplavi abſque fraude.

In nomine Domini Jeſu Chriſti. Dum Deo juvante Eccleſia beati Sancti Silveſtri ſita fuiſſet ad Porta beati Sancti Petri, & per Criſtianus hominis condita, & per dotis & donis tetulo confermata, amor ſuperne vertutis meum animum adcommodavet pro meis facinoribus offero ego Geminianus Deo & tibi ſepe dicte Hecleſie beati Sancti Silveſtri, ideſt in primis quatuor modiorum terra ad Argili ſuper via ad Aqualonga, modiorum duas ad Tempaniano, modiorum duo de terra da Cunichis, ad Arcu modiorum duo de ſummo Campo da Sancto Martino, Caldaria una Ornile cum catena fumaria, hec iſtum predicta Eccleſia quite jure ivi defendas, & nullus de heredis meus hoc ipſum monuſculum exinde ſubtragi poſſit, & Sacerdus inivi conſiſtentis pro meis facinoribus Chriſtum Dominum deprecari diveas.

In nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, regnante Domno noſtro Liutprand (*) viro excellentiſſimo Rege Anno Octavo, per Indictionem III. feliciter. Conſta, me Aufrid V. D. hanc die vendediſſe & vendedi, tradediſſet & tradedi vobis Aunuald, Teutpald, Leonaci, Petronaci, Teutpert, Dommuli, Wilifrid, Nandulo, Geminiano Clerico, Teuderaci, ortu meum, quem avere videor ante Sancto Silveſtre, qui latere tene prope Curte vel orte Sancti Silveſtri rectu caſa Domnici, vel de filio Jovanni, & in integro ipſo orto vobis tradedi poſſedendum, ut ab hodierna die abeatis, teneatis, & in veſtra ſit poteſtatem de ipſo orto facere quod volueritis. Unde accepiſſet & ſuſcepi a vobis Aunuald, Teutpald, Teutpert, Petronaci, Leonaci, Dommuli, Wilifrid, Nanduli, Geminiano Clerico, & Teuderaci, pretium placitum & defenito capitulo auri Soledas quinquagenta, de quibus previdi vobis Cartula venditionis facere, ut ab hodierna die aveatis, poſſedeatis, & in veſtra poteſtate, & ſicot non crido, ut ſi ego aut eredis meus vos moleſtaverimus, aut da qualivet homine vobis defenſare non potuero, ſpondeo vobis componere dupla condicionem; quam viro venditionis Cartula Gairemund V. D. ſcribere rogavi.

Actum Luca, Menſe Martio, per Indictione ſupraſcripta feliciter.

Signum manus Aufrid vendituri & repromiſſuri.

Altera Charta ſuccedat iiſdem temporibus conſcripta, cujus tantummodo exemplum, vetuſtum tamen, ſupereſt. Ex illa habemus, Anno DCCXXI. dotatum fuiſſe nuper extructum Templum & Monaſterium Sancti Michaëlis extra Lucenſem Urbem, ut Sacerdos, qui ibi conſtitutus fuerit, *officium peragat, Viduam, Orphanum, & Pauperem conſoletur, Egenum & Peregrinum recipiat*. En integræ pergamenæ textum.

Pertualdus Civis Lucenſis ædem Sancti Michaëlis & Monaſterium conſtituit ac dotat, præſcripta eleemoſyna in Pauperes, Anno 721.

IN nomine Domini Dei noſtri Jeſu Chriſti. Regnante Domno noſtro Liutprand Viro excellentiſſimo Rege, *Anno feliciſſimo Regni ejus Nono per Indictione Quarta feliciter. Omnium Eccleſiarum conditor Chriſtus &c. Unde ego Pertualdo conſiderans adque pertractans animum meum, dum erumpere non mea neceſſitate, ſed Dei conpulſatione correctus ubi longinquo Urbe Viduam, Pupillum, & Orfanum protegere pro illo deſiderium complectar, liminibus Beati Petri Apoſtolorum Principis Romane Urbis devotum juxta placitum Deo ad propria remeatus, queque illuc Deo devotus ſum, ipſo juvantem, ut virtus permiſerit, opem perfici. Idcirco ego Pertualdo offero Deo, & tibi Eccleſie beati Archangeli Michaëli, quen a fundamentis, fabricis, veſtibulis in honore Chriſti Domini noſtri conſtitui prope domicellula mea, ubi cummanire videor, quam & ad ejus Monaſterium, ideſt Curte cum fundamento, ubi ipſe Eccleſia vel Monaſterio ſita ſunt, per loca deſignata finis Foſſato &c. terra pertenente modiloco unum, ubi ſibi Abbas vel Monachi inivi conſiſtentis ortum vel pigmentario havire debeat una cum terra prope Civitate ad Valle modiorum quatuor, Campo ad Quinto modiorum quinque, Decimas, vineas, & olivas, quemque havire videor ad Sancto Pancratio, & decimas de vineas & olivas, quam havire videor de proprio loco, qui dicitur Muriatico ſuper Sancto Petro, ſimiliterque Decimas de omnem laborem meum, tam vinum, quàm granum dedit vel mihi Dominus dederit, inivi perſovere debeam ad illas vero vinea, quam nominatim decrevi, adimplire debeas ad gregis equorum, armentorum, ovium ſeu porcorum, omnia qui nati fuerent a Kalendas Januarias Indictione IV. in ipſo ſancto loco idem decimas dare debeas, & terra ad Arina, qui mihi a Regia poteſtate conceſſa eſt in integrum. De caſis vero in primis in Monaſtiatico Caſa, qui regitur per Sintarine &c. pro anime mee remedium per dotis tetulo offerre viſus ſum, ab hoc die trado in integrum poſſedendum; ita ot Sacerdos, qui inivi coſtitutus eſt, aut fuerit, pro meis facinoribus Dominum deprecari debeat, Officium peragendum,* Viduami Orfanum, & Pauperem conſolandum, Egenum, & Peregrinum recipiendum, juxta Depreceptum, omnium opem ferre non deſinat. *Et ſi quis de filiis meis in ipſo ſancto loco Deo ſervire volueret regulariter agere, nulla ei ſit contradictio, quid ſi minime ex legitimo prolis meas inivi volueret Deo ſervire, & Abbas qui inivi coſtitutus fueret, de hac luce migraveret, quem ipſum Congregationem ſive Abbatem & Priorem eligere ipſe in loco, & nihil inivi meis heredibus poteſtatem habeas invaſionem faciendi, neque exinde aliquid ſubtragendi, niſi ſi a qualibet homine ipſa Eccleſia vel Monaſterio contra juſtitia pulſatus fueret a meus proprius heredis habeas defenſionem, nam non menuctus contra quam dotali ſeu monoſculi mei paginam numquàm me heredes meus adverſus ipſum ſanctum virtute aliquando ſpondimus eſſet venturus, ſed omnia ſicut ſopra legitur inviolabiliter conſervare. Quam dotali & monuſculi mei Cartula ...... etro Nepoti meo dictante genitore ſuo Petroni ſcribere commonui.*

Actum Luca.

Signum manus Pertualdum autori & conſervatori.

Signum manus Filipert filio ejus conſentientis.

Signum manus Anſualdum teſtis.

Signum manus Radipert V. D. teſtis.

Ego Rachiprandus Clericus exemplar fideliter exemplavi.

Ego Ermimari Clericus hunc exemplar de exemplari fideliter exemplavi.

Tertiam Chartam, eamque authenticam, exhibeo ex eodem Lucenſis Archiepiſcopii Archivo depromtam, quæ tamen vetuſtatis injurias ſenſit, ac proinde multis cum lacunis prodibit: Complectitur & ipſa Xenodochii fundationem factam Anno DCCLVII. ſub Perideo Epiſcopo Lucenſe, *ut ibi Pauperes atque Peregrini modernis & futuris temporibus per omnem hebdomadam paſcantur*. Hinc autem certo habes, ante diem V. Novembris Anni DCCLVI. De-

(*) ideſt Anno Chriſti DCCXX.

Deſiderio Langobardici Regni habenas non fuiſſe collatas: quod animadvertas velim, uti & formulam *intrante Menſe*, quæ poſt Annum Chriſti Milleſimum frequentiſſima in membranis A occurrit, ſed longe vetuſtior eſt, quam cenſuerit Clariſs. Du-Cangius. Sunt hæc verba illius Chartæ.

Sicheradus Presbyter, Fileradus, & Alapertus Cives Lucenſes ædem ſacram una cum Xenodochio prope mœnia Civitatis Lucenſis conſtituunt, Anno 757.

IN *nomine Domini noſtri. Regnante* Domno noſtro Deſiderio Rege, *Anno Regni ejus Deo propitio Primo, Quinto die intrante Menſe Novembrio, Indictione XI. feliciter. In Chriſti nomine manifeſti ſumus nus Sicheradus vir venerabilis Presbiter . . . . . . quia propter Dei amorem . . . . . . fundamintis veſtiboli, ut virtus admiſet in propriis territuriis noſtra Eccleſia in honore . . . . . . ani, Sancti Pauli, Sancti An . . . . . . abire viſi ſumus hic prope muro Civitate iſta Lucenſe, ubi omnem ſpem noſtram poſuemus, ubi & dum pa . . . . . . ipſas Dei ad . . . . . . noſter* Pereteus Epiſcopus *reconditus & intromiſſus fuiſſet, auxiliante ipſo Redemptore noſtro, inivi Senodochium inſtituere videmur, ... ocamus ividem . . . . . in parvis de res noſtra, quas . . . . . offerre . . . . . acipiat . . . . . in primis omnium nus qui ſupra Sicheradus, Fileradus, & Alapert offerre videmur Deo, & tibi jam dicta Eccleſia, qui adnus . . . . . eſſet caſa illas, qui eſt ſolario, qui novis hic prope jam dicta Eccleſia ad . . . . . abuimus, & cum fundaminto ubi ipſa poſita eſt, cum Curte ſeo granario vel omnis fabricis cum ſuis edificiis cum petras . . . . . vel arboribus vel omnia qu . . . . . novis hic in jam dicto loco ad ipſo Pacifico ubvinet in integrum. Et ego jam nominatus germanis Sicheradus . . . . . . tiola in jam dicta . . . . . cſia offerre videor in primis tres in Caſtiliorum terra mea in loco Ropga, qui eſt ad latere de terra Pertuli ſimul, & caſa mea illa in loco Flabiana, ubi Machinald Maſſario reſidere viſus eſt, cum omnia ad ipſa caſa pertinente in integrum & parte mea de . . . . . ad Ronco, qui eſt ad latere de terra Perforti in integrum. Similiter & ego Fileradus de mea ſubſtantia in ſupraſcripta Dei Eccleſia offerre videor Terra ad Padule, qui mihi da Filpert abvinet, & uno modiloco inter terra & vinea in Faxo cum omnia legnamen tuendi derelivi . . . . . in ſupraſcripto loco Facxo, quantum ad ipſa vinea a utilitas fueret & uno modiloco terra ad Arno prope . . . . . . parte mea de caſa in Buelli cum . . . . . ſilva & terra, qui mihi da Germani in ſorte abvinet, & ſervo uno ſimul, & reddito de caſa in Terpiniana, qui mihi per dona Donnorum Regum abui; & ubi Anduald reſidet, in integrum ſimul & dare videor in jam dicta Eccleſia jumenta una Vacca, una Vitellata, uno Bove, & inter capras, pecoras, & porcus capitas viginti, ſeo vero omnis, quan nus tum ego cum heredis meus inivi dare devevemus. Con . . . . . ſimul & ego Alapert in predicta Dei Eccleſia offerere videor caſa mea illa in loco Subgruminio, ubi Magnulo Maſſario reſedet cum ipſo Magnulo, & cum omnis res ad ipſa Caſa pertinentes in integrum; & tertia parte de oliveto meo in Verſilia in integrum, & terra prope Civitate iſta . . . . . . in loco Viniale, & uno petio de terra illa, quam mihi da Aripal abvinet in integrum; & parte mea de Silva in loco, qui dicitur ad Cerro in integrum. Ita omnia ſicut ſupra, nus propter Dei amore in predicta Dei Eccleſia tradere videmur, ſic tamen protigentem Chriſto taliter hanc Dei Eccleſia ad Sinedocio inſtituere videmur, ut abeant; nulluſque ex nos neque heredis nuſtris inivi nulla invaſionem nec menuationem facere diveas nec per nullo ingenio nulluſque de nus ipſa Dei Eccleſia vel res eidem pertinentes alivi extraneare poſſant, niſi quis de nus Deo*

B *ſerviente inivi introire aut eſſe volueret, poteſtatem haveas inivi intreire & habitare, & omnia in predicta Dei Eccleſia ſervientem adque Deo placentem eſſe divenus, nam ut de nulla ividem in diſtationem vel deviſionem facientem. De filii vero maſculini aut de heredes noſtros taliter decrevimus, ut poſt noſtro deceſſo, qui ivi introire voluerit cum rebus ſuis ad avitandum tantum unum de heredis ſeo de filii noſtros per capud haveant licentiam intreire, & taliter in omnibus conſervandum ſicut Deo apta ſunt, & qualiter & de noſtras perſonas ſuperius hic eſſe decrevimus, ordinatione vero faciendi tam nus quam & poſt noſtro deceſſo, qui hic de heredis noſtris fuerent nus inſimul ſecundum Dei placentem*

C *communiter & uno conſilio facere in predicto Dei. Sinodocio diveamus: nam nullus extraneus nec ad nullus publicis devulvantur, niſi in omnibus . . . . . . noſtrorum vel de heredis noſtros qualiter ſupra decrevimus, & taliter adhuc hanc pagina dotalium inſtituere adque firmare previdimus; & quis ex nos aut de heredibus noſtrus contra hanc pagina in alico agi preſumſerit, & menime hec omnia capitula conſervaverit, qualiter ſuperius legitur, qui ad nus inſcritum eſt, componat pars partes ad illam quis de nus hec omnia conſervaverit, pena auro Solides numero mille, & amittad predicta Dei Eccleſia, vel omnis res eiden pertinentem, & iterum dote iſta iſtavile permaneat,* & inivi Pauperos adque

D Peregrinos modernos & futuris temporibus per omnis ebdoma . . . . paſcatur, conſulatione acepiant, *quia propter Dei timorem taliter eſſe iſtituimus. Et hanc pagina dotalium ad . . . . . David iſcrivere rogavimus, ubi & pro confirmationem propria manus noſtra ſignum ſancte Cruci fecimus.*

Actum Luca.

✠ *Signum manus Sicheradi viri venerabilis Presbiteri, qui hanc pagina dotalium fieri rogavit.*

✠ *Signum manus Fileradi, qui hanc pagina . . . . . .*

Ego Alapert in anhc pagina ad nos facta, ſicut ſupra legitur, manus mea propria ſubſcripſi &c.

E In præcedenti Charta nullum eſt verbum Monaſterii, ſed tantùm Ædis ſacræ, & Hoſpitalis domus. Et quidem in more etiam fuit, Xenodochia adjungere ipſis Clericorum Templis aut ædiculis; ſive Oratorii ſine Xenodochio conſtruere, & nihilominus Rectoribus aut Cuſtodibus earumdem ſacrarum Ædium eleemoſynam præſcribere in Pauperes eroganda. Qui verò ejuſmodi Eccleſiis atque Xenodochiis præ-

præficiebantur, plerumque ex *Diaconorum* ordine deſumi conſueverunt; *Miniſtri* quippe, ſeu *Oeconomi* erant redituum egenis diſtribuendorum: quæ etiam cura *Diaconis* in primitiva Eccleſia delata eſt. Quamobrem quoties, apud Anaſtaſium in Vitis Pontificum Romanorum, & apud Johannem Diaconum in Vitis Antiſtitum Neapolitanorum, & apud alios *Diaconiæ* mentio occurrit, aut *Diaconum* Eccleſiæ alicui præfuiſſe reperis, continuo intellige id genus Eccleſias, unde Pauperes, aut Peregrini, Orphani, Viduæ, & Senes, Chriſtianæ liberalitatis fructus recipiebant. Ex hiſce Caritatis Chriſtianæ officinis ſaltem vigintiquatuor Regina Urbium Roma olim numerabat. Du-Cangius in Appendice ad Gloſſar. Latin. Tomo 2. Gloſſar. Græci, ex Diurni Romani Cap. 7. Titul. 17. hæc verba adfert: *Sed Diſpenſator, qui pro tempore fuerit in eadem venerabili Diaconia, pro remiſſione peccatorum noſtrorum, omnes Diaconites, & Pauperes Chriſti, qui ibidem conveniunt, Kyrie eleiſon exclamare ſtudeant*. Vocem *Diaconites* interpretatur Du-Cangius *Pauperes, qui in Diaconiis alebantur*. Minus recte, ut opinor. Non aliud fuere *Diaconitæ* niſi Miniſtri Diaconiæ, qui videlicet ſub Diacono alimenta atque eleemoſynas pauperibus diſtribuebant. Accipe quid habeat Romana Inſcriptio in Baſilica Sanctæ Mariæ in Coſmedin poſita, apud Turrigium Part. 2. pag. 537. de Crypt. Vatican. & apud Creſcimbenium in Hiſtoria ejuſdem Diaconiæ.

HEC. TIBI. PRECLARA. VIR
GO. CÆLESTIS. REGINA. SCA. SV
PEREXALTAT. ET. GLORIOSA. DO
MINA. MEA. DEI. GENETRIX. MARIA.
DE. TVA. TIBI. OFFERO. DONA. EGO.
HVMILLIMVS. SERVVLVS. TVVS.
EVSTHATIVS. INMERITVS. DVX.
QVEM. TIBI. DESERVIRE. ET. HVIC.
SANCTÆ. TVÆ. DIACONIÆ. DISPENSA
TOREM. EFFICI. JVSSISTI. TRADENS.
DE. PROPRIIS. MEIS. FACVLTATI
BVS. IN. VSVS. ISTIVS. SCÆ. DIAC. PRO.
SVSTENTATIONE. XPI. PAVPERVM.
ET. OMNIVM. HIC. DESERVIENTI
VM. DIACONITARVM. OB. MEORVM.
VENIAM. DELICTORVM. &c.

In Charta Lucenſi Anni DCCXXIX. quam dedi in Diſſertatione IV. *de Offic. Dom. Reg.* germani quidam *Diaconiam in ſuſceptione Peregrinorum fieri* exoptant. Supra etiam vidimus in Charta Lucenſi Anni DCCXC. *Jacobum Diaconum in Eccleſia Sancti Vitalis*, cui Xenodochium appoſitum erat, conſtitutum fuiſſe *Rectorem & gubernatorem*. Ejuſmodi Rectores, Diaconiæ alicui Romæ potiſſimum præpoſiti, *Cardinales Diaconi* appellabantur, uti in Diſſertatione LXI. *de Cardinal.* adnotabo. In aliis tamen Urbibus nihil referebat, Diaconus-ne, an Presbyter ejuſmodi Oratoriis ſive Xenodochiis præficeretur. Suppeditat mihi Lucenſe Archivum in hanc rem luculentum teſtem, Chartam videlicet Anni DCCLXIV. in qua Anſaldus quidam Ædem ſacram in ipſa Lucenſi Urbe a ſe conſtructam fatetur, ut *omni tempore per unamquamque hebdomadam in domo prædictæ Eccleſiæ ad menſam duodecim Pauperes & Peregrini excipiantur*. Tum Rattradæ Sanctimoniali poſt obitum ſuum jus patronatus tribuit, hoc eſt, jus *regendi, gubernandi, uſufructuandi, & ordinationem de Presbytero vel de Diacono faciendi in ipſa Eccleſia*. Sacratum vero dicit Oratorium illud *per bonæ memoriæ Peredeum Epiſcopum*: quæ verba indicare videntur, jam ſublatum e vivis Epiſcopum hunc. Ughellius in Lucenſium Epiſcoporum catalogo Tom. prim. Ital. Sacr. *Peredeum* Epiſcopum ignoravit. Tum in Appendice ad Tomum quinctum, Antiſtitem ipſum commemorans, viventem fecit Anno Chriſti DCCLXXX. Et ſane ex formula *bonæ memoriæ*, uti & in Antiquitatibus Eſtenſibus jamdudum monui, deducendus minime eſt Peredei Epiſcopi obitus. Jam illum vidimus in ſupra allata Charta Anni DCCLVII. Epiſcopum Lucenſem. In Archivo ejuſdem Archiepiſcopii is itidem occurrit *Anno VI. Deſiderii, & IV. Adelchis Regum* (hoc eſt Anno vulgaris Epochæ DCCLXII.) *die VIII. Decembris, Indictione I.* Ad hæc reperitur idem Præſul vivens in membranis Anni DCCLXV. & DCCLXVI. Denique viſuntur ibidem poſtremæ ejus tabulæ ſcriptæ *Anno IV. Caroli Francorum & Langobardorum Regis*, die XVI. Martii, Indictione I. hoc eſt Anno DCCLXXVIII. Quibus poſitis facile intelligimus, ipſius vitam protrahi potuiſſe uſque ad Annum DCCLXXX. ab Ughellio memoratum; aut ſaltem ipſum nequaquam e vivis receſſiſſe, quando conſcripta fuit Charta, quam nunc produco.

Anſal-

Anſaldus Teupaldi filius, Civis Lucenſis, Oratorium Sanctæ Mariæ in ipſa Civitate condit & dotat, conſtitutâ in Pauperes eleemoſynâ per ſingulas hebdomadas, Anno 764.

IN *Dei nomine*. *Regnante* Domno noſtro Deſiderio Rege, *Anno Regni ejus Septimo, & filio ejus idem* Domno noſtro Adelchis Rege, *Anno Regni ejus Quinto, XVII.* Kalen*das Februarias, per Indictione Secunda. Manifeſtum eſt mihi Anſald filio bone memorie Teupald, quia pro remedium anime mee ante hos annos a fundamentis fabricis conſtruxi Eccleſiam in honore Dei, & beate Sancte Marie ſemper Virginis in fundamento de caſa habitationis noſtre hic infra Civitate iſta Lucenſe in mea propria portione, &* per bone memorie Peredeo Epiſcopo *ſacrata eſt ipſa Dei Eccleſia. Nunc vero per preſentem Cartolam judicati, ſeu dotaliam, deſpenſare prevideo de omnibus ipſis rebus meis in tali tenore, ut dum ego advixero, omnis res mea in mea ſit poteſtate iterum judicare, vindere, donare, & in omnibus deſpenſare, qualiter voluero; poſt deceſſu meo quidquid & omnibus rebus meis non vindata, aut non donata, vel quelibet ordine adhuc non judicata remanſerit a me, volo, ut omnia, ſive caſa habitationis mee cum funda . . . . . . ipſa Dei Eccleſia, ſuperpoſito eſt Curte . . . . . Ortis, terris, vineis &c. omnia in integra, ut dixi, quidquid a me iterum injudicatum remanſerit, ſit in poteſtate ſupraſcripte Eccleſie, & Monaſterio Sancte Marie &c. in tali tenore, ut ſi* Rattrada Dei Ancilla, *parenta mea, & filia quondam . . . . . . ſuper deceſſu meo . . . . . in ejus ſit poteſtate ipſa Dei Eccleſia, & Monaſterio Sancte Marie, & omnia ſupraſcripta, quas ſuperius . . . . . & de ipſa Dei Eccleſia . . . . .* regendi, gubernandi, uſufructuandi, & ordinationem de Presbitero vel de Diaconam faciendi in ipſa Eccleſia, *qualiter me . . . . . De terras vero, vel ancillas ſeu aldiones meos, tali tenore decerno, ut omnes in mea ſint poteſtate . . . . . . in omnibus faciendi quid voluero. Similiter & ſi jam dicta Rattrada Dei Ancilla ſuper deceſſu meo vixerit, omnes ſervos, ancillas, ſeu aldiones meos, qui adhuc a me non judicati remanſerint, ſimul . . . . . . Ipſi homines abſolvendi . . . . . . De ordinatione vero eidem Eccleſie ſic inſertum*, ut Presbiter, aut Diaconas, qui a me, vel ab ipſa Rattrada poſt meo deceſſu ividem fuerit Rector, ordinare omni tempore in ipſo Dei Monaſterio, ſi ſuper nos vixerit, per unaqueque ebdomada in caſa predicte Eccleſie infra hanc Civitate ad menſa duodecim Pauperes & Peregrini . . . . . . *& qualiter hoc adimpleverit, aut officium & luminaria . . . . . vel eleemoſynam . . . . . in mea ſint poteſtate . . . . . .* (Reliqua deſiderantur.)

Alibi in hoc ipſo Opere geminas alias ejuſdem argumenti Chartas adferam, ex quarum primâ Anno DCCLIX. conſcriptâ deducitur, conſtructam fuiſſe a Gregorio filio Mauricii Ædem ſacram ſub vocabulo Sancti Donati in loco Aſulari, ibique Rectorem conſtitutum *Presbyterum, ſic tamen ut abſque ulla femina ibidem habitare debeat, & per ſingulas hebdomadas quatuor Peregrinos omni tempore die uno paſcere debeat*. In altera Charta ſcripta Anno DCCLXV. Rixſolſus *unus minoribus Presbyteris* (*conſentiente*, ut is ait, *mihi Domno patre meo Regnolfo Abbate*) Oratorio Sanctæ Mariæ, & Sancti Donati, a ſuo parente conſtructo, multa largitur, & *Presbyterum* Rectorem ibi ſtatuit, qui *per omnem ſeptimanam tribus diebus viginti quatuor Pauperibus prandium exhibeat*: prandium vero tale ſit: *ſcafbilum* (menſura frumentaria) *grani*, unde fiat *panis coctus, & duo congia vini, & duo congia pulmentarii ex faba & panico mixto, bene ſpiſſo, & condito de uncto aut de oleo*. Et quandoquidem Carolus Magnus, uti in Lege 63. Langobard. Part. II. Tomi I. Rer. Italicar. pag. 101. habetur, decrevit, *ut Epiſcopi & Abbates per Xenodochia & Monaſteria eorum, Hoſpitale, ubi antiquitus fuerit, faciant, & ſummopere curent, ut nullatenus prætermittatur*; aliaſque idem Auguſtus Leges promulgavit pro reſtaurandis Xenodochiis, Pauperibuſque rite reficiendis, quas Lotharius I. Imperator, ejuſque filius Ludovicus II. confirmarunt: propterea Ambroſius Lucenſis Epiſcopus Anno DCCCXLVII. Xenodochium Sancti Columbani, ſitum prope mœnia Civitatis, inſtauravit *ad ſalutem animarum Dominorum noſtrorum Hlotharii Imperatoris & Hludowici Regum*, memorans etiam *ſacram juſſionem Imperialem* hac de re, ſimulque conſtituit, *ut ſemper tribus diebus per ſingulas hebdomadas ibidem duodecim Pauperes paſcerentur*. En Chartam ipſam ex autographo exſiſtente in prælaudato Archiepiſcopii Lucenſis Archivo deſumtam.

Inſti-

Inſtitutio Rectoris Eccleſiæ & Xenodochii Sancti Columbani, facta ab Ambroſio Epiſcopo Lucenſi, Anno 847.

IN *Dei nomine. Regnante* Domno noſtro Hlothario Imperatore Auguſto, *Anno Chriſto propitio Imperii ejus, poſtquam in Italia ingreſſus eſt, Vigeſimo Quinto, Pridie Nonas Majas, Indictione X. In Chriſti nomine ego* Ambroſius *gratiâ Dei humilis* Epiſcopus *hujus ſancte* Lucane Eccleſie. *Manifeſta cauſa eſt mihi, quia dum* ſacra juſſio Imperialis *nos agnoſcentem de quibuſdam Senodochiis reſtaurandam, ac in Dei laudibus elevandas elemoſinas diſtribuendum*, unde ad ſalutem animarum Domnorum noſtrorum Hlotharii Imperatoris, & Hludowici Regum ..... *proficiatur ſalutem augmentum, ideo ..... una cum conſenſum Sacerdotum meorum de Eccleſia Sancti Columbani, quod eſt Sinodochio, ſita prope muras iſtius Civitatis Lucenſe, pertenens Eccleſie Epiſcopatui noſtro Sancti Martini, ut magis ac magis in Dei omnipotentis laudibus proficiat, propterea te Alipertum Presbiterum noſtrum, filio quondam Aliprandi in prefatam Dei Eccleſiam Sancti Columbani, & in omnibus caſis & rebus ejus, ubicumque ad eam pertinentibus, Rectorem ac gubernatorem ..... & conſtituo omnibus diebus vite tue abendi, regendi, gubernandi, meliorandi, uſumfructuandi, officium Dei per tuam diſpoſitionem die noctuque in eadem Eccleſia recto moderamine efficiendi,* & ſemper ter diebus pro ſingulas ebdomadas ibidem duodecim Pauperes paſcere debeas, *ſicuti ſtatuta inſtitutionem anteceſſorum meorum preordinatum eſt mos diligentiſſime adimplendum*, ad ſuſceptionem & refectionem Pauperum, *pro ſalutem & redemptionem animarum predictorum Dominorum noſtrorum, ſic tamen, ut dum* Gumperta Dei Ancilla, *quondam Ropprandi Presbiteri, advivere meruerit, in prefatam Sinodochio Sancti Columbani reſedere, & ubi tu reſedebat, ibidem Deo ſerbiendum*, & ipſos Pauperes ibi recipiendum & gubernandum, ſicut conſuetudo docet eos paſcendi: *& rebus eidem Eccleſie, dum advixerit, gubernandi & fruendi. Poſt vero ejus deceſſo in aliis omnibus, ut ſupra legitur, adimplere & obſerbare debeas. Nam ſi ego vel quiſcumque ſucceſſores meos contra hanc ordinationem aliquid agere aut diſrumpere queſierimus, dum ita adimpletum & conſerbatum fuerit, ſicut ſupra legitur, & ſic non permiſerimus quieto ordine permanere, ſicut ſtatutum eſt; promitto me ego cum ſucceſſores meos componere tibi Alipertum Presbiterum argentum Solidos duocentos, & preſens ordinationem firmam & ſtabilem permaneat; quam Petrum Clericum Notarium ſcribere rogavi.*

Actum Luca.

Ego Ambroſius Epiſcopus *in hanc hordinatibo ad me facta ſubſcripſi.*

Signum ✠ *manus Ghirperti filio bone memorie Wiſtriperti teſtis.*

Ego Teufridi Notarius rogatus ad Ambroſius Epiſcopus me teſte ſubſcripſi.

Ego Flaipertu Clerico rogatus ad Ambroſio Epiſcopus me teſte ſubſcripſi.

Ego Teudimundus rogatus ad Ambroſio Epiſcopus me teſte ſubſcripſi.

Ego Uppertus Diaconus rogatus ad Ambroſio Epiſcopus me teſte ſubſcripſi.

Ego Criſtianus Presbiter ſubſcripſi.

Ego Teudilaſcius Archidiaconus ſubſcripſi.

Ego Danibel Archipresbiter ſubſcripſi.

Ego Godiprandus Presbiter ſubſcripſi.

Ego Ratprandus Presbiter ſubſcripſi.

Ego Lanfridus Presbiter ſubſcripſi.

Ego Alipertus Presbiter ſubſcripſi.

Præcipue vero Majoribus noſtris mos olim fuit, Hoſpitales haſce ædes in Peregrinorum commodum atque ſubſidium condere ubi fluvii ſine ponte, & juga montium a viatoribus ſuperanda erant. Ac propterea Ludovicus II. Auguſtus in Capitulari ſpectante ad Annum Chriſti DCCCLV. atque a me primùm edito Part. II. Tomi I. Rerum Italicarum in Additamentis ad Leges Langobardorum, Legatos & ipſe, ſeu Miſſos per Italiæ Regnum direxit, Abbatibus in eam rem præſertim delectis, mandans, ut Monaſteria Monachorum & Puellarum viſitarent, atque inter cetera inquiens: *Senodochia autem ſicubi quæ ſunt neglecta, ad priſtinum ſtatum revocent. Hoſpitales vero Pauperum tam in Montanis, quàm & ubicumque fuiſſe noſcuntur, pleniter & diligenti curâ reſtaurentur.* Cur in montibus conſtructa fuerint pia iſthæc domicilia, nullo negotio intelliges. Nam quum ferreis illis temporibus rariores, quàm nunc, in altis montibus numerarentur domus; & contra ibi inhoſpiti ſaltus ac ſylvæ abundarent: infelices Peregrini nullum hoſpitium illic nacti in via, coacti fuiſſent ſub dio, feriſque expoſiti noctem ducere, ac non leve diſcrimen vitæ ſubire. Rurſus ad flumina pontibus deſtituta, ſi quando ex pluvia, nivibuſque ſolutis intumeſceret Fluvius, conſiſtendum erat viatoribus, atque idcirco Chriſtiana Miſericordia ſuadebat, ut in loco difficili præſidium illis pararetur. Quamobrem ibi potiſſimum conſulebant Majores noſtri Pauperum, immo etiam reliquorum itinerantium neceſſitati, ſive conſtructis ibidem Monaſteriis cum Xenodochio, ſive ſolis Xenodochiis una cum Oratorio dotatis ad hoſpites reficiendos. Iſtius pii moris exemplum præbebit nobis Ludovicus Pius Auguſtus, qui Hoſpitale domicilium *ad Peregrinorum receptionem excitavit*, & uberrimis reditibus dotavit in Monte Ciniſio. Id conſtabit ex Lotharii illius Filii Diplomate, quod non ſine mendis nunc profero, acceptum curâ Excellentiſs. Comitis Ludovici Caiſſotti, primi Præſidis Taurinenſis Senatus.

Monaſterii Appanis traditio facta a Lothario I. Auguſto Novalicienſi Cœnobio, ejuſque Abbati Hildrado, pro Hoſpitali Montiſcíniſii, quod idem Auguſtus e Monachorum Novalicienſium jure diſtraxit. Anno Ch. 825.

IN *nomine Domini Jeſu Chriſti Dei eterni*. Lotharius Auguſtus *invictiſſimi* Domini Imperatoris Ludovici Filius. *Conſtat enim nulli mortalium propriis meritis aliquid boni in hac miſeræ mortalitatis peregrinatione conſequi poſſe; ſed cum liquido cunctis pateat, omnia rerum temporalium a Deo bona gratis nobis eſſe donata, dignum eſt, ut ita pie prudenterque tractentur atque diſponantur, ut per ea perennem animæ noſtræ ſalutem valeamus Deo propitio nanciſci. Igitur comperiat cunctorum fidelium Sanctæ Dei Eccleſiæ, ſeu noſtrorum ſtrenuitas, quia dum ad Domini & genitoris noſtri Ludovici Sereniſſimi atque religioſiſſimi Auguſti ſacroſanctum votum* in Montecinisio quoddam Hoſpitale *in honore Domini Dei ac Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, ſeu & beatiſſimæ ſemper Virginis Mariæ* ad Peregrinorum receptionem, *eo jubente, fuerit conſtructum, voluit tantâ illud rerum propriarum ſubſtantiâ locupletare, per quam ſufficeret diurnus pauperum Chriſti concurſus tolerari. Sed cum eumdem locum talium rerum copiâ, quæ eſſent ipſa propinquitate aptiora, vellet honorare, volente Domino & genitore noſtro Ludovico glorioſiſſimo Imperatore, ſub* Monaſterio noſtræ proprietatis, quod vocatur Novelicium, *de noſtro patrimonio Regalia facta in præfatum locum per noſtræ auctoritatis Præceptum confirmavimus. Sed ut hoc ſanctum ac venerabile Monaſterium, in honore beatiſſimi Principis Apoſtolorum Petri fundatum, nullam miſſarum rerum pateretur jacturam, ſed potiore gratularetur dignæ recumpenſationis munere*, Monaſterium quoddam, quod Appanis nuncupatur, *id ipſum in ejuſdem Principis Apoſtolorum honore conſtructum & proprii juriſdictione ad hoc ſupplendum ibi reddidimus, conſiderantes, ut ſub unius Abbatis regimine utraque Monaſteria regulariter Deo militarent. Hiis ita geſtis, placuit noſtra Imperiali excellentiæ precibus venerabilis viri* Ildradi horum Monaſteriorum Patris *faventes, ut memoratum Monaſterium, cujus vocabulum eſt Appanis, Priori Monaſterio ſuo Novelicio, cum omnibus rebus atque appendiciis ſuis, juſte ſibi pertinentibus, per noſtræ auctoritatis Præceptum confirmaremus; quod & nos ita feciſſe omnium fidelium noſtrorum cognoſcat ſagacitas. Præcipientes ergo ſtatuimus, atque per hoc noſtrum Cæſareum Præceptum confirmamus ad Novalicium Monaſterium, Rectoreſque ejus, qui fuerint per tempora, in recompenſatione ſupramemoratum Hoſpitale ſub jure Monaſterii Novalicii & noſtra proprietate, concedimus ad prædictam neceſſitatem Monaſterium, quod vocatur Appanis, cum omnibus, quæ ad illud rite pertinere noſcuntur; ut amodo & deinceps in jure ipſius Monaſterii ſæpe nominati, Rectorumque ejus, perpetua ſtabilitate in Dei nomine maneat, ipſiſque Dei famulis utrobique dictim degentibus proficiat in augmentum, qualiter pro communi ſalute Dei miſericordiam jucundo animo valeant exorare. Ut autem hoc noſtræ confirmationis Præceptum ab omnibus credatur, & melius per futura tempora conſervetur, manu propria, & annuli noſtri ſigillo ſubter illud de-* A *crevimus eſſe muniendum.*

Signum . . . . . Lotharii glorioſiſſimi Auguſti.

Locus Sigilli ✠ cerei deperditi.

Ghuitardus ad vicem Vitgarii ſcripſi.

Datum XII. Kalendis Martias, Anno, Chriſto propitio, Imperii Domini Ludovici ſereniſſimi Imperatoris Undecimo, Regni Lotharii glorioſiſſimi Auguſti . . . . Indictione Tertia.

Actum Murinco ex Palatio Regio in Dei nomine feliciter. Amen.

Uti Sanctus Bernardus Menthonenſis in B Monte Jovis (nunc *il gran San Bernardo*) ad tranſeuntium commoditatem, Auguſtæ Prætoriæ circiter Annum DCCCCLXXX. Xenodochium *tam egenis quàm opulentis fabricavit*, ita & in aliis hujuſmodi locis idem a Chriſtiana Miſericordia præſtitum. Quem pium ritum æmulantur nunc Turcæ ipſi, hujuſmodi ædificia excitantes in peregrinantium, ſive iter facientium ſubſidium, quibus nulla alia diverſoria forent. Poſſem exempla hujus ritus ex univerſa Italia colligere. Sed juvat in una hac regione, quam incolo, eadem oſtendere. In agro Mutinenſi ad fluvium Scultennam (quo nomine is adhuc a montium habitatoribus donatur, quum planitiei incolæ *Panarium* appellent) Sanctus Anſelmus Nonantulani Monaſte- C rii fundator, ut ſupra vidimus, Hoſpitalem domum ſub nomine *Sancti Ambroſii* excitavit, cujus nulla nunc veſtigia ſuperſunt. Ad fluvium Gabellum, nunc *Secchia*, in agro Regienſi conſtitutum antiquitus fuit *Xenodochium Herberiæ* perquam opulentum, quod adhuc viget. Rurſus apud nos via eſt, quæ Saxolo ad Garfagnanam ac Tuſciam per interpoſitum Apenninum ducit. Illic in jugo a vetuſtis temporibus excitata fuit una cum Templo domus hoſpitalitati ſacra, quam *Hoſpitale Sancti Peregrini* adhuc nuncupant, reditibus tamen cunctis, atque eleemoſynis ex iniquitate temporum in Rectoris Laici utilitatem nunc ce- D dentibus, non autem in Pauperum alimentum, quibus a pietate Fidelium fuerunt deſtinati, & adhuc deſtinantur. *Fraxinorenſe* quoque Monaſterium in iiſdem montibus additum fuit a Mathilde magna Comitiſſa ejuſque matre Beatrice, ibique par eſt credere, hoſpitalitatem in uſu fuiſſe. Præterea ab agro Regienſi alia via eſt, quæ per Cerretum & Ligonchium, trajecto Apennino, in Garfagnanam deſcendit ad Silanum. Utrinque pone jugum montis exſtructa olim fuere Xenodochia, quibus adhuc eſt nomen *Hoſpitaletti*, ibique Caritas exercetur. Sunt & alia in Mutinenſium montibus loca, quæ non munus, ſed nomen hoc retinent, appellata nempe *Hoſpitaletti*. Ita Bononienſi- E bus eſt via, quæ per Apenninum ducit in Piſtorienſem agrum, ibique etiam durat *Hoſpitaletti* vocabulum, illud fortaſſe, cui celeberrima Comitiſſa Mathildis multos fundos in beneficium Peregrinorum contulit. Videant eruditi Bononienſes, num ad ipſum pertineat Char-

Charta, informis tamen, ab Henrico IV. Auguſto, non tamquam Imperatore, ſed tamquam ejuſdem Mathildis herede, ut is contendebat, ſubſcripta, & ſigno Crucis manu ipſius Imperatoris exarato firmata, quam olim Piſtorii in Archivo Monachorum Vallis-Umbroſæ legere mihi contigit.

Decretum immunitatis conceſſum Hoſpitali poſito juxta Renum in Curte Marchionis, ab Henrico Rege V. Imperatore IV. Anno 1118.

In nomine Domini Dei eterni. Henricus *Dei gratia* Romanorum Imperator Auguſtus, *Imperiali clementia precibus Teuzi venerabilis Presbyteri commotus, Preceptum, quod appellant Bannum, emiſit ſuper* domo venerabili, *hoc eſt*, Oſpitali, *que conſtructa eſt juxta Renum in Curte Marchionis, ut in omnibus rebus, quas* Comitiſſa Matildis *eidem venerabili domui largita erat, vel in futurum ei poſſint adquiri, ab omni injuria permaneant inleſa atque inviolata. Nec vero quiſquam hominum publicarum factionum exactorum aliquod ab ea petere vel percipere audeat, niſi illi Imperator ipſe nominatim jubeat. Quod ſi qua forte perſona publica ſeu privata contra preſentis tenorem aliquod injuriæ jam dictæ Domui intulerit, vel aliquid ab ea publice functionis nomine tentaverit exigere, centum Librarum auri optimi pene ſit obnoxius, cujus dimidium quidem noſtris ſcriniis, dimidium vero jam dicte venerabili domui perſolvat.*

Actum in loco Bonbiano, Anno ab Incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti Milleſimo Centeſimo Octavo Decimo, XI. Kalendas Julii, Indictione XI. feliciter. Interfuerunt teſtes Corvolus de Ferignano, & Serafinellus filius ejus, & Ugizone filio Raineri, & Ubertus de Bibiano, & Ubertinus nepos ejus, & Ubertinus de Siviliana, & Brunettus, & Jocus de eodem loco, & Melus de Caſtilione, & Saſolo, & Giſlzone de Gato, & alii quamplures ibi interfuerunt

Ego Gernerius Judex affui & ſubſcripſi.

Ego Girardus Judex & Notarius interfui, & per juſſione ſupraſcripti Henrici Imperatoris, qui iſtum ſingnum Crucis fecit, ſcripſi.

Commemorat Henricus antecedentem Chartam Mathildis Comitiſſæ, qua pro eâdem Hoſpitali æde Bannum Imperiale emiſſum fuerat. Hanc autem, uti & præcedentem, quia in prælaudato Archivo Piſtorienſis Abbatiæ Sancti Michaëlis in Furcule Monachorum Vallis Umbroſæ inveni, apponere heic ſtatui.

Mathildis Comitiſſæ & Duciſſæ Tuſciæ donatio facta Hoſpitali Sancti Michaëlis Archangeli de Bumbiano, Anno 1098.

In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. Anno ab Incarnacione ejuſdem Milleſimo Nonageſimo Octavo. Regnante Imperator Henricus *V. Idus Auguſti, Indictione VI. Sancto autem* Oſpitale, *quod eſt conſtructum ad onorem Dei & beati Michaëlis Archangeli, ſitum in loco Bumbiano, ubi dicitur Plano de la Curte prope Reno, Ego* Domna Matilda Duccatrice *pro timore Domini, & remedium anime mee, vel abluentis peccati mei, que commiſi, & pro anime* Bonifacii Marchione genitori meo, & Beatrice matris mee, *concedo ſeu offero vobis Donato Presbytero, & Girardo Monacho a parte predicto Oſpitale, ſeu in veſtris ſucceſſoribus, ad jure eidem Oſpitali idem locum & plano, ubi edificatum eſt, con juges quadraginta & octo de terra bona laboratoria, ideſt manſibus quatuor in circuitu predicti Oſpitalis; & de alia Silva Bonbiano habeant miniſtratori Oſpitali hius paſcendi gregis, & lignis, & feno faciendi, quantum oportum fuerit ad prefato Oſpitale, in jam dictis rebus qualiter ſuperius legitur. Concedo & offero ego predicta Domina Matilda eadem racione, ut Oſpitale fiant ſub jugum Sancti Petri, cujus eſt proprietas, hoc videlicet obſervandum, ut nullus Bolonienſi Epiſcopus tollat bonis de Oſpitale: & ſi tollerit, revertat in meam poteſtate. Qui autem jam dictas res, qualiter ſuperius legitur, cum ſuperioribus & inferioribus atque con ingreſſibus & acceſſionibus & affinibus ſuis in integrum, taliter a preſenti die & hora per hanc paginam offerſionis mee in vobis predictis Donato Presbyter, & Girardo Monacho, veſtriſque ſucceſſoribus a parte . . . . Oſpitale maneat, & perſiſtat poteſtatem, ad habendum, tenendum abſque omni contradictionem meam, meorumque ſucceſſorum. Et inſuper ſpondeo atque promitto ego predicta Matilda vobis nominato Donato Presbyter & Girardo Monacho a parte Oſpitalè ſupraſcriptis rebus omni tempore ab omni homine defenſare juſta legem, dampna litis omnia ſubſtinere: quod ſi ad defenſandum minime fecero, aut contra hanc oferſionem per quodcumque vis ingenium agere aut cauſare preſumpſero, vel ſi agentibus conſentientes fuero, tunc promitto componere Libras quinquaginta denariorum Lucenſium, & poſt penam ſolutam hanc paginam offerſionis mee omni tempore in ſua maneat firmitatem.*

Actum in Prato Feſcoſo feliciter, in preſencia Bernardo Epiſcopo feliciter.

Signum ✝ *manus ego predicta Matilda, que hoc fieri rogavi, & inſuper jubeo atque precipio & juſionem facio, ut nullus homo audeat frodare, neque furtum facere, aut ullam offenſionem facere ad jam dicto Oſpitale. Et quicumque hoc non obſervaverit, ſciat ſe compoſiturum Libras quinquaginta nomine pene.*

Si-

Signum manibus ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ Alberto Comite, & Raginerius filius quondam Bulgarelli, & Corbolo, & Alberto filio Maginfredi, & Saſolo da Bibianello, & Uberto de Stangno, qui rogati ſunt teſtes.

✠ *Namque Ardirico Judice teſte.*

✠ *Ego Gosberto Notarius ſubſcripſi poſt tradita complevit.*

Vide etiam Epiſtolam ſeptuageſimam quartam Codicis Carolini, in qua Hadrianus I. Papa Carolo Magno Francorum & Langobardorum Regi commendat *Monaſterium Sancti Hilarii Confeſſoris Chriſti in Calligata, una cum Hoſpitalibus, qui per colles Alpium ſiti ſunt pro ſuſceptione Peregrinorum, ut in omnibus pro Monachorum Deo ſervientium laudibus atque ſuſceptione Peregrinorum, juſtitiam illic conſervare dignetur, & invaſionem, quam Gundibrandus Dux Civitatis Florentinæ in eodem Monaſterio ingerit, emendare jubeat*. Uti verò innui in Libro *de Caritate erga Proximum*, barbaricis Sæculis minime in uſu fuiſſe videntur publica Hoſpitia, qualia hodie apud nos extant, ſive Diverſoria, ubi cœnarent & cubarent ſuâ pecuniâ Peregrini. Caruerunt iis antiquiores Græci & Romani primis ab Urbe condita Sæculis. Hoſpitia tunc apud amicos quærebantur. Eâ de cauſsâ inſtitutæ teſſeræ Hoſpitalitatis. *Veteres* enim, ut ait vetus Thebaidis Scholiaſtes, *quoniam non poterant omnes ſuos hoſpites noſcere, teſſeram illis dabant, quam illi ad hoſpitia reverſi oſtendebant præpoſito hoſpitii*. De hiſce Teſſeris Thomaſinium vide plura ſcribentem. Deinde paullatim Romæ, ac aliis in locis inſtitutæ fuerunt publicæ Cauponæ, ſive Tabernæ meritoriæ, ſordidæ plerumque, in quibus iter agentes & hoſpites excipiebantur. Earum meminit Plautus, meminerunt & alii, inter quos præcipue recenſendus Julius Maternus Firmicus Lib. 4. cap. 15. Aſtronomic. ubi de Veneris ſtellâ hæc ait: *Si in dejectis locis fuerit inventa, faciet Hoſpites, Popinarios, Tabernarios* &c. Hæc ille Sæculo Chriſtianæ Æræ Quarto, ſub nomine *Hoſpitum* deſignans Caupones, unde poſtea Italica vox *Oſte* eâ ſignificatione emerſit. Verùm ſubſequentibus Sæculis pauca publicorum Hoſpitiorum extra Urbes veſtigia invenias: quod indicio eſſe poſſit, tunc rara ea ſaltem fuiſſe. Idque nobis etiam perſuadeant verba Caroli Magni in Capitulari Anni DCCCII. Cap. 27. Tom. prim. Baluzii. *Præcipimus*, ait, *ut in omni Regno noſtro neque Dives neque Pauper Peregrinis Hoſpitia denegare audeant: ideſt ſive Peregrinis propter Deum ambulantibus per terram, ſive cuilibet iteranti. Propter amorem Dei, & propter ſalutem animæ ſuæ, tectum & focum & aquam nemo illi deneget*. Alibi in eiſdem Capitularibus Hoſpitalitas enixe commendatur. Non ait Carolus, hoſpitium Pauperibus tantummodo concedendum. Ait *cuilibet iteranti*, ideſt *itineranti* tam diviti quàm pauperi. Si Hoſpitia, quæ nunc *Hoſterie* appellamus, in uſu fuiſſent, illic divites ſaltem ſibi quæſiſſent requiem & cibum. Idem Carolus Magnus in Lege Langobard. undecima mandat, *ut nemo præſumat ad nos venienti Manſionem* (ideſt Hoſpitium) *vetare. Et quæ neceſſaria ſunt, ſicut vicino ſuo, ei vendat*. Quam Legem ita explicat & confirmat Pippinus Italiæ Rex ejus filius Lege ſextadecima inter Langobardicas: *De Epiſcopis, Abbatibus, & Comitibus; ſeu Vaſſis Dominicis, vel reliquis hominibus, qui ad Palatium veniunt, vel inde vadunt, vel ubicumque pergunt per Regnum noſtrum, ut quando hybernum tempus fuerit, nullus audeat Manſionem vetare ad ipſos iterantes, in tantum quod ipſi iterantes injuſte nullas cauſas* (nunc *Coſe*) *tollant*. Sed & Ludovicus II. Auguſtus Anno Chriſti DCCCLV. in Capitulari Ticinenſi a me edito Part. II. Tomi I. Rer. Italicar. pag. 158. conſtituit, ut a Fidelibus ſeu Vaſſis Cæſareis iter habentibus *non moleſtentur incolæ, aut eorum domos per vim invadant, vel propria diripiant abſque collato pretio. Sed neque indigenæ per ſolita loca tectum, focum, aquam, & paleam hoſpitibus denegare, aut ſua carius quam vicinis audeant vendere*. Ita in Diplomate Caroli Calvi Regis Francorum Anno DCCCXLVII. in Appendice Tomi ſecundi Annal. Benedictin. pro Monachis Sancti Amandi præcipitur, ut *ad Hoſpitale Pauperum Decimæ conferantur, atque ibi hoſpitalitas regulariter ad laudem Dei exhibeatur tam Divitibus quàm Pauperibus*.

In Urbibus verò aliquibus non deſiiſſe Cauponas atque Tabernas fortaſſis ſubodorare tibi videaris ex iis, quæ Agnellus circiter Annum Chriſti DCCCXL. in Vitis Ravennatum Pontificum deſcribens bellum civile, ait: *Clauſa ſunt Balnea: oppilaverunt Caupones Tabernas* &c. Sed prius ſtatuendum foret, quid *Tabernæ* nomine ſignificarit Agnellus. Ibi certe vinum, immo & alia comeſtibilia venibant. Incertum verò, an & illic hoſpitium præberetur. In Concilio Turonenſi Tertio, Anno DCCCXIII. Canon. 21. ſtatuitur, *ne Presbyteri Tabernas ingrediantur comedendi, bibendive cauſsâ*. Ammianus Marcellinus Lib. 28. Cap. 4. Hiſtor. de Ampelio Præfecto Prætorio loquens, ad Annum Chriſti CCCLXIX. ait: *Statuerat, ne Taberna vinaria ante horam quartam aperiretur, neve ad uſque præſtitutum diei ſpatium lixæ coctam proponerent carnem, vel honeſtus quidam mandens videretur in publico*. Erant & *Tabernæ caſeariæ*, atque aliæ, in quibus obſonia, aut aliæ merces venales erant. Inde ſibi victum peregrini comparabant, hoſpitium vero in privatorum ædibus, eorum videlicet, qui inde lucrum facere cupiebant, ac non difficile, ut puto, genti nobili aut bene nummatæ occurrebant, ſi quando amicis, aut Teſſeris deſtituti, hoſpitium quærere cogebantur. Anonymus Salernitanus in Paralipomenis a me editis Part. II. Tomi II. Rer. Italicar. pag. 221. Amalphitanos mercatores Tarentum, quæ tunc *Civitas opulentiſſima* erat, profectos Anno DCCCXL. exhibet, ut Siconolfum Principem de carcere educerent. *Dum finis*, inquit, *dici data fuiſſet, illi hac illac gradiebantur, quaſi Mauri, & ejuſmodi emittebant voces, quatenus aliquis eis daret manſionem*. Carcerum cuſtodes hiſce vocibus permoti eos invitarunt: *Scopis mundatam domum habemus. Venite, & hac nocte heic manete, & quod libet munus exinde date*. Tunc Amalphitani pecuniâ eis numeratâ dixere: *Ad forum pergite, dapeſque nobis emite, necnon præcipua vina*. Non ergo ibi publica Hoſpitia, ſed penes privatas perſonas tectum quærebatur, atque e foro vinum, panis, & obſonia petebantur. In Gallia quoque ſervatum hunc morem, publicaque ibi Hoſpitia deſiderata fuiſſe, ex Capitulari Theodulfi Epiſcopi Aurelianenſis, qui eiſdem fere temporibus floruit, haurire mihi videor. *Admonendi ſunt* (ita ille Cap. 25) *fideles, ut Hoſpitalitatem diligant, & nulli hoſpitium præbere detrectent. Et ſi cui fortè hoſpitium præſtiterint, nullam*

ab eo mercedem accipiant : niſi fortè ille , qui a te recipitur, ſponte ſuá aliquid det. Ergo apud quoslibet commodam habentes domum , Hoſpitium quærebatur. Peregrinus autem aut gratis recipiebatur , aut pretium conſtitutum perſolvebat . Quod poſtremum e ſubſequentibus Theodulfi verbis ediſcimus, quum ſubdit: *Nam ille modus Hoſpitalitatis non ſolùm inhumanus, ſed etiam crudelis eſt , quo numquam hoſpes in domum ante recipitur , niſi prius dandi hoſpitii merces compenſetur .* Accipe etiam , quæ eodem Sæculo ſcripſerit Walterius Epiſcopus Aurelianenſis in Capitulis a Cellotio editis, Cap. 8. ubi Hoſpitalitatem commendat : *Quod ſi quis Presbyter* , ait , *pro paupertate Hoſpitalitatem dicit viantibus exhibere non poſſe: ſaltem in domo ſua eum libenter recipiat ; ſalvamentum , focum , aquam , ſtramen ad lectum ei præſtet ; & ad emendum quæ ei neceſſaria ſunt , ei quærere adjuvet .* Nunc ergo aliquis percontetur , queî fieri potuit , ut tot inter Peregrinos improbi ſæpe non fuerint, qui hoſpitibus ſuis pro mercede Hoſpitalitatis intulerint vim , & aliquid e domeſticis rebus ſurripuerint . Juſta interrogatio : cui Riculfus Epiſcopus Sueſſionenſis Anno DCCCLXXXIX. in Conſtitutione ad Presbyteros hiſce verbis reſpondebat Cap. 12. *Et quoniam contingere ſolet , ut ſuſceptæ perſonæ , illis , a quibus ſuſcipiuntur , damnum aliquod inferant : ſi quos tales ſuſcipitis , de quorum perſona dubitetis , in remota eos domo collocate , ne locum inveniant aut ipſi peccandi , aut vobis diſpendium inferendi .* Hæc autem ſatis ſunt , ut intelligamus , obnoxiam multis incommodis fuiſſe Hoſpitalitatem , qua tamen privare bonos , ne eâ mali abuterentur , numquam Chriſtiana Lex æquum cenſuit , præſertim temporibus iis, quibus aut nihil publici diverſorii , aut Xenodochiorum raritas paſſim occurrebat , & periculum ſuberat , quemadmodum Riculfus idem ibi monet , *ne ſi aliquis pauperum hoſpitium poſtulaverit , & impetrare non meruerit , extra domum jacens , vel a beſtiis comedatur , vel frigore aut aliquâ hyemis aſperitate moriatur .*

Porro certum eſt, Sæculo XIII. immo longe antea , in nulla ferme ex Italicis Urbibus deſiderata fuiſſe itinerantium diverſoria . Præ aliis teſtibus præſto mihi eſt Auctor Chronici Parmenſis editi Tomo IX. Rer. Italicar. qui immanem Chriſti Fidelium motum deſcribens ad Romanum Jubilæum Anno MCCC. hæc habet : *Et ſingulis diebus videbatur , quod iret unus exercitus generalis omnibus horis per Stratam Claudiam intus & extra . Et omnes domus Stratæ Claudiæ in Civitate & extra , tam ſolita Hoſpitia & Tabernæ , quàm aliæ pro majori parte hoſpitabantur , & dabant cibum & potum pro denariis .* Attamen (quod mirere) nonnullis adhuc in locis non ſolùm in uſu non erat , ſed & interdictum fuit , aliquid comeſtibile in publicis Tabernis divendere . Leges Municipales Veronæ promulgatas Anno MCCXXVIII. vide , editas a doctiſſimo Campagnola . Ibi Rubricâ 201. legitur : *Prohibemus , quod nullus Tabernarius vel Tabernaria vendat ullo modo , vel vendi faciat per ſe , vel per ſuum familium , neque per aliam perſonam ſtantem in ſua domo pro eis , aliquid comeſtibile vel eſui paratum* &c. Infra verò ſubdit : *Exceptis Tabernariis & Albergatoribus ſuper ſtratis & in Villis, qui poſſint dare comedere foreſteriis, & alienis euntibus per ſtratas & albergantibus in ſuis domibus , non tamen illis de ſuis terris .* Itaque

A ſuſpicari quiſquam poſſit, in deſuetudinem abiiſſe olim publica diverſoria. ſiquidem ſtatuamus, minime iis caruiſſe Romanos , ex quo Barbaræ gentes in Italiam delapſæ ordinem omnem politiæ everterunt , nemine in poſterum audente hoſpites exleges, & mercedem a tabernario facile auferentes , in ſuis ædibus recipere . Quod ſi petas , quei tunc fuerit conſultum neceſſitatibus itinerantium : reſpondeo , multos ex iis apud amicos quæſiiſſe hoſpitium , reliquos ſeſe commendaſſe aut privatis perſonis, quibus Hoſpitalitas tantopere laudata a Deo, a Conciliis, a Patribus , ac demum a Carolo Magno cordi erat ; aut Xenodochia adiiſſe , quæ in hanc rem bene multa olim ædificari conſueverunt B ſecundùm normam Chriſtianæ Caritatis . Hæc erigere ac dotare unum ex præcipuis Pietatis operibus tum maxime reputatum eſt. Quid habeat Auctor Vitæ Beati Petri Urſeoli Ducis Venetiarum , ac deinde Monachi Sæculo Chriſti Decimo , accipe . Profectus Venetias Guarinus Abbas *expletis deprecationum vocibus, hoſpitium petiit , requirens a quodam indigenâ , qui ſibi fertur tale dediſſe reſponſum : Cur a me petis hoſpitium , cum minime ſim auſus , o domine , tibi vel alicui , huc ad Reliquias Beati Marci venienti , ego nec alius concedere ? At ille . Quare ? Reſpondit : Dux patriæ hujus , qui ſuſceptor eſt omnium Peregrinorum huc advenientium , conſtituit decretum , ne ab aliquo* C *noſtrorum hoſpitetur quilibet Peregrinus , niſi ab ipſo ſolo , vel de ejus licentiâ . Ædificatas namque habet maximas domos hoſpitum , ſimulque Xenodochium , in quibus Divites Pauperesque hoſpitantur , quibus etiam & neceſſarium præbet victus ſtipendium.* Vide in Tomo XVI. Rer. Italicar. Hiſtoriam Placentinam , ac mirare , quot olim Hoſpitales Ædes numerarentur in una Urbe Placentina , ejuſque agro . Hæc mihi vera cauſſa fuiſſe creditur , cur tot olim pia Hoſpitia a Chriſti Fidelibus fuerint inſtituta , videlicet diverſoriorum defectus . Si Turcæ ſuis itinerantibus conſulunt, cur non idem & majora præſtiterint Chriſti veri Dei adoratores ? Ita verò hac de cauſsâ invaluit , Sæculo D potiſſimum Æræ Chriſtianæ Nono , hic Hoſpitalitatis piæ uſus , ut pauca , ne dicam nulla , Monachorum eſſent , aut Canonicorum Collegia , quibus munus recipiendi Peregrinos non injungeretur , reditusque in idem opus affluerent . Inter Capitularia Caroli Calvi unum habetur , Anno DCCCLXVIII. editum , in quo Miſſis Regiis mandatur , *ut per Civitates & ſingula Monaſteria tam Canonicorum quàm Monachorum* (ecce Monaſterii nomen inditum Collegiis quoque Canonicorum ſub communi tecto viventium) *ſive Sanctimonialium, una cum Epiſcopo Parrochiæ* (ideſt Diœceſis) *uniuſcujuſque* &c. *victum ac potum , & veſtitum , atque cetera neceſſaria ordinent; & Hoſpitalitatem ſuper-* E *venientium Hoſpitum, & receptionem Pauperum ibidem diſponant , & ordinent .* Nomine *Hoſpitum* Divites etiam deſignantur , qui Hoſpitio indigebant, dum in itinere eſſent . Ac propterea, ut eſt in Vitis Antiſtitum Cenomanenſium apud Mabillonium , Bertichramnus Epiſcopus circiter Annum Chriſti DLXXXVI. Monaſterium Sancti Germani condidit , & *Hoſpitale Pauperum atque Nobilium inibi eſſe inſtituit .* Infra Cap. 12. repetitur conſtitutum ab eodem Epiſcopo Xenodochium , *ut omnes adventantes tam Divites quàm & Pauperes ibi refectionem haberent ; & alimenta & cetera neceſſaria abundanter ibi acciperent .* Præterea Lib. 3. Miſcel-
la-

lancor. Baluzii in Vita Aldrici Epiſcopi Cenomanenſis, qui ſub Ludovico Pio Auguſto floruit, Cap. 44. conſtructa ab eo traduntur *duo Hoſpitalia*, unum ad *receptionem Epiſcoporum, & Comitum, atque Abbatum, ſive cunctorum adventantium*: alterum, *in quo Pauperes, & Debiles, Cæci, ac Claudi, ſive aliarum debilitatum ſubnixi, & Indigentes multi reciperentur.* Ad hæc in ſuburbiis Civitatum Hoſpitales Ædes condere Majores noſtri in more habuerunt. Ita conſultum Peregrinis, quibus, ſi quando nocte intercepti ita fuiſſent, clauſis jam Urbium portis, ut extra eas quieſcere cogerentur, male ſucceſſiſſet, quum publica, uti diximus, tunc diverſoria deeſſent. Quamobrem eorum ſecuritati & quieti Chriſtiana pietas cavit. In Charta Monaſterii Padolironenſis, exarata Anno A MCXIX. commemoratur *Hoſpitale, quod bonæ memoriæ Comitiſſa Matilda conſtruxit in ſuburbano Mantuæ, ſitum juxta Portam, quæ dicitur de Hoſpitali*. Ex hiſce piis Hoſpitiis unum ſaltem fuiſſe pariter in ſuburbiis Mutinæ infra oſtendam. Nunc alterum Mediolani *in ſuburbio Portæ Ticinenſis* olim poſitum mihi occurrit. Illius cura commendata fuit a Sancto Galdino Mediolanenſi Archiepiſcopo Canonicis Sancti Euſtorgii, quorum poſtea Templum ac ædes tradita fuere Fratribus Prædicatoribus Anno MCCXVII. teſte Gualvaneo de la Flamma in Manipulo Florum, Tomo XI Rer Italicarum; qua de re ſi plura cupis, Puricellium B adi in Diſſertat. de Baſilic. Nazarian. Accipe nunc tabulas teſtes, quas olim Mediolani deſcribebam.

Milonis Archiepiſcopi Mediolanenſis Bulla, qua Canonicis Sancti Euſtorgii Hoſpitalis domus Portæ Ticinenſis, aliaque jura confirmat, Anno 1194.

MIlo *Dei gratiâ ſanctæ* Mediolanenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, *dilecto Fratri Guidoni Præpoſito & Fratribus Eccleſiæ beati Euſtorgii Mediolanenſis, tam præſentibus quam ſubſtituendis in perpetuum. Tunc verè aſſumptum videmur officium adminiſtrare, cum de Eccleſiis & earum ſervientibus, noſtro commiſſis regimini, ſinceriori & ampliori cura & meditatione ſolicita utiliter cogitamus, & eas totaliter ſatagimus ordinare, defendere, & fovere, ut nihil noſtræ ſit in poſterum negligentiæ imputandum, ſed potius ex utili proviſione noſtra ſpiritualiter & temporaliter auctore Deo ſuſcipiant incrementum, & quod canonice adeptæ ſunt, omni tempore ſine difficultate qualibet perpetuo valeant poſſidere quiete. Audivimus ſiquidem, & ex tenore Privilegiorum bonæ memoriæ* Domini Rubaldi, *&* Domini Oberti, *atque* beatiſſimi Confeſſoris Galdini, *prædeceſſorum noſtrorum nobis manifeſte innotuit, quod prædictus* Dominus Rubaldus Hoſpitale *ad honorem Dei*, & Pauperum ſuſtentationem in Suburbio Portæ Ticinenſis conſtructum, *& ejus ordinationem omnimodam, & memoratus* Dominus Obertus *ſuperſtantiæ Eccleſiæ veſtræ diſpoſitionem, regimen, dominium, & inveſtituram Eccleſiæ veſtræ, vobis, veſtriſque ſucceſſoribus donando conceſſerint, & concedendo donaverint: & prædictus* Beatus Galdinus tunc Mediolani Archiepiſcopus *illa eadem, necnon Eccleſiam Beati Petri, & Eccleſiam Sancti Stephani cum omnibus ad eas pertinentibus, tam in Decimationibus quàm in aliis redditibus, proventibus, & poſſeſſionibus, & omnia alia ad Eccleſiam Beati Euſtorgii pertinentia, Apoſtolicæ Sedis, cujus fungebatur delegatione, & ſanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ auctoritate, vobis, veſtriſque ſucceſſoribus confirmavit, libere & quiete habenda perpetuo, ſicut in eorum Privilegiis continetur. Nolentes igitur, quod a tantis Patribus, a nobis omnimodis imitandis, ſtatutum eſt, alicujus malignitate infringi vel mutari, honeſtis precibus & petitionibus veſtris annuentes, & grato concurrentes affectu*, Hoſpitale *prædictum, & ejuſdem omnimodam ordinationem atque diſpoſitionem, regimen, dominium, & inveſtituram ſuperſtantiæ Eccleſiæ veſtræ, & Eccleſiam beati Petri, & Eccleſiam ſancti Stephani, cum omnibus ad eas pertinentibus, & omnia alia ad*

Eccleſiam beati Euſtorgii pertinentia, ad inſtar Beati Galdini prædeceſſoris noſtri, auctoritate ſanctæ Mediolanenſis, cui licèt indigni præſidemus, Eccleſiæ, & noſtrâ, jure perpetuo vobis, veſtriſque ſucceſſoribus concedimus, confirmamus, & præſentis ſcripti paginâ communi- C *mus; ſtatuentes, ut nulli omnino hominum Clerico vel Laico in noſtra commoranti ditione liceat contra hanc noſtram confirmationem venire, vel eam auſu infringere temerario. Si quis verò id attemptaverit, & commonitus diligenter ſuam debita ſatisfactione non correxerit temeritatem, iram Dei omnipotentis & noſtram, ac ſui ordinis & officii periculum ſe noverit incurſurum.*

Ego Milo Mediolanenſis Archiepiſcopus *ſubſcripſi.*

Ego Philippus Mediolanenſis Archipresbyter.

Ego Obertus Mediolanenſis Archidiaconus.

Ego Vizardus Vicecomes Presbyter ſub-
D *ſcripſi.*

Ego Petrus Presbyter ſubſcripſi.

Ego Albertus Presbyter ſubſcripſi.

Ego Guiſcardus Mediolanenſis Eccleſiæ Presbyter ſubſcripſi.

Ego Rolandus Mediolanenſis Eccleſiæ Diaconus & Cancellarius ſubſcripſi.

Ego Otto Diaconus ſubſcripſi.

Ego Otto Diaconus Vicedominus ſubſcripſi.

Ego Oldo Mediolanenſis Eccleſiæ Diaconus ſubſcripſi.

Ego Obertus Mediolanenſis Eccleſiæ Diaconus ſubſcripſi.

Ego Faxatus Subdiaconus ſubſcripſi.

Ego Lanterius Subdiaconus ſubſcripſi.

E *Ego Jacobus Caſſina Subdiaconus ſubſcripſi.*

Datum per manum Domni Rolandi Mediolanenſis Cancellarii, Milleſimo Centeſimo Nonageſimo Quarto, XIII. die Martii, Pontificatus Domini Milonis Dei gratiâ Mediolanenſis Archiepiſcopi Anno Septimo.

Conferenda Charta hæc rurſus eſt cum iis, quæ nuper laudatus Puricellius diſputat de Anno ordinationis Milonis hujus Archiepiſcopi in Monument. Baſilic. Ambroſian. num. 605. Neque illibenter hujuſmodi piorum locorum curam Monachi & Canonici ſuſcipiebant, tum quod Hoſpitalitatis & Caritatis Chriſtianæ officiis fungebantur, tum etiam quod quæ e pe-

regrinorum alimentis ſupererant , in proprium uſum convertebant . Lupum Abbatem Ferrarienſem in Gallia Sæculo Chriſti Nono hæc ſcribentem audi : *Cellam* (ita ille Epiſtolâ undecimâ ad Lotharium Regem inquit) *Sancti Jodoci , quam Magnus Carolus quondam Alcuino ad eleemoſynam exhibendam Peregrinis commiſerat , beatæ memoriæ pater veſter nobis eâ ratione conceſſit , ut quod eleemoſynæ ſupereſſet , in noſtrum uſum cederet* . Atque hactenus de piis ædibus in ſubſidium Peregrinorum conſtructis .

Non tam facile vero , neque tam ſæpe in veterum Sæculorum Hiſtoria ac monumentis reperias excitata a Chriſtiana Caritate habitacula ad excipiendos pueros ab incertis parentibus natos , aut ab inhumanis parentibus expoſitos . Uti in Libro *de Caritate* animadverti , ex Lege Conſtantini Magni quicumque infantem projectum colligebat atque alebat , jus in illum ita ſibi parabat , ut ipſum retinere , *ſive filium , ſive ſervum , omni repetitionis inquietudine ſublatâ* , ſibi liceret . Juſtinianus autem Auguſtus l. *Sancimus* C. *de Infantibus expoſit.* hujuſmodi pueros a conditione Servorum abſolvit . Attamen apud Francos prior conſuetudo diu obtinuit , mihique incertum eſt , quem morem ſequuti fuerint Itali , regnantibus Langobardis & Francis . Jam ſupra vidimus memorata in Codice Juſtinianæo *Brephotrophia* , hoc eſt , pias ædes , ubi Infantes alebantur ex Fidelium munificentia. An illuc deferrentur tenelli fœtus a matribus projecti , nondum agnovi . In Capitularibus Regum Francorum Lib. 2. Cap. 29. ex Juliano Anteceſſore Novella 7. Cap. prim. commemoratur , & ab *Orphanotrophio* diſtinguitur *Brephotrophium, ideſt locus venerabilis , in quo Infantes aluntur* . Mos iſte alendi pauperes Infantes an ex Oriente in Italiam primis Eccleſiæ pacatæ Sæculis invectus fuerit , quaſve radices heic egerit , veterum monumenta, quæ norim, non produnt . Quod ergo animadvertendum , ſaltem Octavo Epochæ vulgaris Sæculo ſanctæ hujuſce inſtitutionis exemplum occurrit , idque Mediolani, ubi Anno DCCLXXXVII. exſtructum eſt piâ liberalitate domicilium , in quo pueri expoſiti exciperentur , a *Datheo Archipresbytero ſanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ* . Vide Puricellium in Monumentis Baſilic. Ambroſian. qui num. 17. tabulas refert Petri Archiepiſcopi Mediolanenſis, ſcriptas Anno Chriſti DCCLXXXIX. non verò DCCXC. quibus ſubſcribit *Datheus Archipresbyter ſanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ* . Ille idem eſt ac pii loci conditor , de quo nunc mihi ſermo . Fundationis Chartam deſcripſi e Codice Franciſci Caſtelli , qui manu exaratus Anno MDL nunc adſervatur in Bibliotheca Ambroſiana Mediolani . Adnotat autem ibi Caſtellus , hoſce duos verſus in muſivo pavimenti *Sancti Salvatoris in Xenodochio* adhuc legi , videlicet :

SANCTE MEMENTO DEVS , QVIA CONDIDIT ISTE DATHEVS
HANC AVLAM MISERIS AVXILIO PVERIS

Deſiderantur in eadem Charta Anni Pippini Regis , non ex incuria Librarii, ſed ut ab aliis Notariis factum iiſdem temporibus fuit , qui Annos tantùm Caroli memorabant , ut alibi oſtendi . Accipe nunc , quomodo recipiendi , & quoto tempore nutriendi forent hujuſmodi infantes , liberi tamen dimittendi .

Fundatio, ſeu dotatio. Brephotrophii Sancti Salvatoris, facta a Datheo Archipresbytero Mediolanenſis Eccleſiæ, Anno 787.

IN *Chriſti nomine . Regnantibus Dominis noſtris* Karolo *&* Pipino *excellentiſſimis* Regibus , *Anno Regni eorum in Italia Tertio Decimo , VIII. Calendis Martiis , Indictione X. Conſtat* ſancto Exſenodochio , quod *divina adjuvante clementia* Datheus Archipresbiter ſanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ , filius bonæ memoriæ Dommatoris Magercurii , intra hanc Mediolanii Civitatem juxta Eccleſiam Majorem inſtruere & conſirmare videtur . *Si deſideriis ſubjectis carnalibus ex multis utique ſordibus animæ noſtræ . . . . nitorem ſedamus , expedibile valde eſt , ut ex multis miſericordiarum conatibus animam a contagione peſtifera abluamus, ut id genus peccati , quod ſuadente hoſte occidit innoxios , e contrario genus juſtitiæ vincat , & vivat per clementiam , quos conſuetis negare crudelitas . Et quia frequenter per luxuriam hominum genus decipitur , & exinde malum homicidii generatur , dum concipientes ex adulterio , ne prodantur in publico , fetos teneros necant , & abſque Baptiſmatis lavacro Parvulos ad Tartara mittunt , quia nullum reperiunt locum , in quo ſervare vivos valeant , & celare poſſit adulterii ſtuprum ; ſed per cloacas & ſterquilinia , fluminaque projiciunt , atque per hoc toties exercentur homicidia in Orbe , quoties ex fornicatione concipitur infans : id circo ego , qui ſupra Datheus Archipresbiter , tam pro mercede animæ meæ , quàm pro univerſorum Civium ſalute , diſpono atque ordino , & per præſentem Judicatum meum confirmo* , ut ſit Exſenodochium prædictorum Parvulorum in domo mea , *quam emi de Andrea & Bono germanis , filiis quondam Gauſoni , cum univerſis rebus, quæ ex his per emptionem vel donationem advenerunt , ſimul & portionem Thomæ Presbiteri germani prædictorum, quam emi de Thoma Notario , qui in uno membro ſe tenere videntur, qualiter Cartula emptionis meæ legitur , vel in antea Deo juvante addidero . Et volo , ut ſit ipſum Exſenodochium in poteſtate & jura Sancti Ambroſii , ſeu Pontificis , qui pro tempore fuerit . Et volo , ut regatur per Archipresbiterum ſanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ, pro eo quod ipſa domus Eccleſiæ coheret , ut ipſe abſque fatigatione ad Officium Eccleſiæ occurrere poſſit . Ordo diſpoſitionis meæ ita eſt .*

Volo atque ſtatuo , ut cum tales feminæ, quæ inſtigante adverſario ex adultero conceperint & parturierint , ſi in Eccleſia provenerint , continuo per Præpoſitum colligantur , & collocentur in prædicto Exſenodochio , atque nutrices eis provideantur mercede conductæ , quæ Parvulos lacte nutriant, & ad Baptiſmatis purificationem perducant . Et cum ablactati fuerint , illic de-

mo-

morentur uſque ad annos continuos ſeptem , & artificio quocumque imbuantur ſufficienter , habentes ex ipſo Exſenodochio victum & veſtitum ſeu calceamentum . Et cum ad ſeptem annorum ætatem expletam pervenerint, ſtent omnes liberi & abſoluti ab omni vinculo ſervitutis , ceſſo eis jure patronatus eundi vel habitandi , ubi voluerint . Quod ſi forte Archipresbiter noluerit hujus mercedis fieri particeps , & renuerit eſſe Præpoſitus , volo ut præfatus Pontifex de ipſo ordine Presbiterorum ſeniorem , qualem meliorem præviderit, ordinare dignetur , ut ipſe hoc Exſenodochium gubernet & perficiat univerſa , ſicut ſupra ſtatui , per providentiam ſacri Pontificis . Et ut communiter omnium noſtrorum merces accreſcat , ita ſane ut tres partes ſine hujuſmodi acceſſione vel reditibus ipſius Exſenodochii Præpoſitus , qui pro tempore fuerit , in ſuo ſtipendio , in familiæ gubernatione , vel infra paramentis tectis habeat , & in luminaribus Sanctæ Dei Genitricis Mariæ , quam ego Deo juvante mihi ædificavero vel congregavero . Quartam vero portionem ſine diminutione ex integro habeat , ut diximus , in victu & veſtimento ſupradictorum Parvulorum . Et ſi forſitan de tali procreatione Parvuli nati , aut jactati non fuerint, quibus ipſa quarta portio tribuatur ; tunc ex omnibus dentur Egenis, Pauperibus , & Peregrinis . *Et hoc vero ſtatuo atque confirmo , ut in ipſo Exſenodochio Presbyteri ex ordine Cardinali in ſala, quam ego ædificavero , habeant hoſpitium per partem, ſi quis voluerit , aut quanti ex his voluerint , ad manendum , quatenus ad Officium Eccleſiæ noctu ſine impedimento aliquo poſſint eſſe parati , nullam dominationem vel impertionem aliam ibi habentes , niſi pro Dei amore & ipſius Exſenodochii exiſtentes adjutores vel defenſores , in quantum valuerint , ut participes efficiantur noſtræ mercedis . Cuſtodes etiam predicti Exſenodochii majores ſint diebus vitæ ſuæ , quos ego , aut quem me vivente ordinavero ſub cura cautæ ſolicitudinis Pontificis Sanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ . Poſt vero eorum deceſſum in curam & poteſtatem jam fati Pontificis deveniat , ut ſuperius inſtitui , ordinandum ; reſervatâ autem mihi diebus vitæ meæ poteſtate inibi in omnibus imperandi & gubernandi , necnon in alio modo judicandum habiturus . Adjuramus omnes Pontifices ſanctæ Eccleſiæ Mediolanenſis per inſeparabilem Trinitatem, adventumque æterni Regis, ut hanc diſpoſitionem meam inconvulſam , & ſine aliqua traſmutatione conſervent , & nullam ſuppoſitionem Exſenodochio faciant, niſi in quantum mea decrevit voluntas . Et ſi fecerint, retribuatur illis in judicio Judicis ſempiterni . Quam enim Cartulam diſpoſitionis vel Judicati mei , Anſpertum Subdiaconum ſanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ reſcribere rogavi, & ſubter propriis manibus confirmavi , teſtibuſque obtuli roborandum .*

Actum Mediolanio , Die , Regno , & Indictione ſupraſcripta .

Ego Datheus Archipresbiter ſanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ *in hac Cartula diſpoſitionis ſeu Judicati a me facta relegi & ſubſcripſi .*

Ego Petrus Diaconus ſanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ in hac Cartula diſpoſitionis ſeu Judicati rogatus a Datheo Archipresbitero teſtis ſubſcripſi .

Fortis Diaconus ſanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ in hac Cartula Judicati rogatus a Datheo Archipresbytero teſtis ſubſcripſi .

Natalis Presbiter ſanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ in hac Cartula Judicati rogatus a Datheo Archipresbitero teſtis ſubſcripſi .

Odelpertus Diaconus ſanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ in hac Cartula Judicati rogatus a Datheo Archipresbitero teſtis ſubſcripſi .

Ego Beatus Diaconus ſanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ rogatus a Datheo Archipresbitero teſtis in hac Cartula Judicati ſubſcripſi .

Ego qui ſupra Anſpertus Subdiaconus Scriptor hujus Cartulæ Judicati , quam poſt traditam complevi & dedi .

Hæc Mediolani acta Sæculo Chriſti Octavo, quo tempore apud Francos perſeverabat mos antiquorum in liberis exponendis . Ii verò *Collecti* appellabantur , quod nimirum colligerentur a prætereuntibus . Servi fiebant colligentis, niſi intra decem dies a parentibus aut cognatis agniti repeterentur . Vide Lib. 6. Tit. 144. Capitular. cum reliquis ibi a Baluzio adnotatis . Mos etiam tunc fuit , ſi expoſitus infans nondum ſacro Baptiſmate lotus erat , ſal in faſciis puerilibus includere : quo ſigno miniſtrandum Baptiſma puerulo innuebatur. Sed & alter locus Mediolani olim exſiſtebat ad ipſos Infantes expoſitos excipiendos , nempe Hoſpitalis domus in Brolio poſita non longe a Platea Urbis . Ibi , teſte ſupra laudato Caſtello , affixa in muro tabula marmorea viſebatur , continens decretum *Sancti Galdini* Mediolanenſis Archiepiſcopi , cui ſubſcribunt *Algiſius & Milo* , ipſam Cathedram ſubinde conſequuti . Potiorem partem inde excerptam accipe.

Pa-

Pacta & Conventiones inter Magiſtrum, Decanos, & Fratres Hoſpitalis Brolii ad præſentiam Domini Galdini Archiepiſcopi, & Apoſtolicæ Sedis Legati, Anno 1168.

NOs *Otto Præpoſitus de Creſentiago, Johannes Presbyter Eccleſiæ Sancti Silveſtri, Petrus Presbyter Eccleſiæ Sancti Xiſti, atque Anſelmus de Orto, ex præcepto* Domini Galdini ſacroſanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ Archiepiſcopi, & Apoſtolicæ Sedis Legati; *inter* Fratres Hoſpitalis Pauperum, *& Decanos Conſortii Pauperum, viſâ prius conventione inter eos factâ, & Privilegio* Domini Oberti *bonæ memoriæ* Archiepiſcopi, *ita ſancimus, ut deinceps uſque in perpetuum omnia bona jam dicti Conſortii, quæ nunc habet, & in futurum habeat,* ſimul atque Infantium, *ſint communia cum bonis omnibus dicti Hoſpitalis* ad languentium Pauperum refectionem, & Pupillorum nutritionem: *tali videlicet modo, ut* Converſi *dicti Hoſpitalis, qui nunc ſunt, vel pro tempore fuerint,* colligere debeant omnes ægrotantes Pauperes, *quibus ad ſerviendum perſonarum & rerum ſubſidium deeſt, &* expoſitos Infantes, quos per Urbem invenerint, & ad Oſpitale ducere, & ſufficientem victum & veſtitum pro poſſe tribuere *&c.*

Ego Galdinus *ſanctæ* Mediolanenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, & Apoſtolicæ Sedis Legatus *hoc pactum ſeu conventionem confirmavi & ſubſcripſi.*

Ego Milo *Mediolanenſis Archipresbyter ſubſcripſi.*

Ego Algiſius *Mediolanenſis Eccleſiæ Cimiliarcha & Cancellarius ſubſcripſi.*

Et ego Otto Creſcentiacenſis Præpoſitus hanc conventionem cum prædictis ſociis ex juſſione Domini Galdini Mediolanenſis Archiepiſcopi & Apoſtolicæ Sedis Legati compoſui & ſubſcripſi.

Ego Johannes Eccleſiæ beati Silveſtri immeritus Officialis prænominatæ conventioni interfui & ſubſcripſi.

Actum eſt hoc Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Centeſimo Sexageſimo Octavo, XI. Kalendis Septembris, Indictione Prima.

Animadverte, Hoſpitalium domorum, ac Noſocomiorum Miniſtros, etiamſi Monaſticum inſtitutum minime profiterentur, appellatos fuiſſe *Fratres*. *Converſi* quoque dicebantur; neque enim Sacerdotes ad ejuſmodi munus eligi ſatis decere creditum fuit. Noſocomio quoque Mutinenſi præfuiſſe mihi creditur *Frater Guielmus*, cujus mentio eſt in Inſcriptione, quam allaturus ſum in Diſſertatione LXXV. *De piis Laicor. Confraternit.* In ſententiâ itidem Anno MCLIII. pronuntiata ab Archiepiſcopo Mediolanenſi Oberto, atque jam a me evulgatâ in Diſſertatione XXXIII. *de Origine Italicar. voc. Fratres Hoſpitalis Sancti Michaëlis* contendebant, *Hoſpitale non eſſe de Parochia Eccleſiæ Sancti Michaëlis; & ſe liberam habere poteſtatem requirendi Sacerdotem undecumque vellent, qui in celebrandis divinis Officiis eis ſerviret.* Ex quo intelligimus, Hoſpitalium Curatores fuiſſe Laicos viros, eiſque liberum exſtitiſſe eligere Sacerdotem, qui Sacramenta ibi cum Archiepiſcopi veniâ miniſtraret. Quod autem in Charta Mediolanenſi nuper vidimus, collectos fuiſſe *omnes ægrotantes Pauperes*, nos tandem monet, ut ſermonem ad eos quoque

A convertamus. Nam quæ hactenus deduximus, nihil habent de pio erga *Ægrotos* Chriſtianorum ſtudio & Caritate. Præcipua nempe eorum temporum cura eò collineaſſe videtur, ut Peregrinantium neceſſitatibus quotidianis occurrerent: quæ autem ſubſidia Ægris pararint, nondum ſatis patuit. Immo in ipſa Mediolanenſi Urbe Sæculo Chriſti XI. quo ſcribebat Landulphus Senior (cujus Hiſtoria a me edita fuit in Tomo IV. Rer. Italicarum) nullam *Noſocomiorum* mentionem invenio. Quippe is deſcribens Eccleſiæ Ambroſianæ ordinem Lib 2. Cap. 35. hæc habet: *Præterea Xenodochia, e quibus alia ſuſcipiebant Clericos peregrinos,*
B *alia mulieres tantùm pauperes, & peregrinas; alia infantulos, qui ante Eccleſiæ januas a parentibus, qui eos nutrire ac fovere minime valebant, nimiâ paupertate attenuati, mittebantur, & mercede ac ſtipendiis obſtetricibus ordinatis pueriliter alebantur.* Verum enim vero quum vel ipſo Chriſtianæ Æræ Sæculo Quarto in Oriente Sanctus Baſilius, ac deinde Sanctus Johannes Chriſoſtomus, tum Juſtinianus Auguſtus, aliique pietate inſignes viri, publicas exſtruxerint ædes ad recipiendos pauperes Ægrotos; in Occidente verò Fabiola Romæ, teſte Sancto Hieronymo, eiſdem Valetudinarium conſtituerit: difficile ad credendum inducor,
C exaruiſſe tam ſubito ſanctiſſimæ hujus liberalitatis conſuetudinem in Italia & Gallia. Immo veri videtur ſimile, continuatam fuiſſe, quando in ſupra laudato Capitulari Reg. Francor. Lib. 2. Cap. 29. *Noſocomium* quoque memoratur, *ideſt locus venerabilis, in quo Ægroti homines curantur*; & Childelbertus Rex pium hujuſmodi domicilium Lugduni, ut infra dicam, exſtruxerit. Præterea quoties *Xenodochii* nomen occurrit in veterum Libris & Chartis (occurrit autem ſæpe) non continuo excogitandum, ea tantùm loca ſignificari, quibus adventantes peregrini exciperentur; ea enim appellatio complectebatur omnia Caritatis do-
D micilia, ſive Pauperibus, ſive Peregrinis, ſive Ægrotantibus conſtituta, quemadmodum & noſtris temporibus *Hoſpitalium* nomine ſingula Miſericordiæ loca deſignamus, in quibus vel peregrinis, vel egentibus, vel ſenibus, vel ægris alimenta & reliqua pietatis officia præſtantur. Juſtinianum Auguſtum audi in l. *quum dedititii §. ſed ſcimus C. de Latina Libert. tollenda* ita loquentem: *Si quis ſervum ſuum ægritudine periclitantem a ſua domo publice ejecerit, quum erat ei libera facultas, ſi non ipſe ad ejus curam ſufficeret, in Xenonem eum mittere* &c. Idem eſt *Xenon* atque *Xenodochium*, ſive *Hoſpitalis domus*; & Xenones conſtitutos ad ægro-
E tantium curam nunc videmus. Ita in Concilio Aurelianenſi V. quod celebratum fuit Anno Chriſti DXLIX. apud Labbeum Tomo quincto pag. 394. memoratur Canone XV. *Xenodochium, quod piiſſimus Rex Childebertus in Lugdunenſi Urbe condidit.* Infra vero ſtatuitur, ut ibi *cura Ægrotantium ac numerus, vel exceptio Peregrinorum inviolabili ſemper ſtabilitate permaneat.* Proinde Sanctus Adalardus Abbas Corbejenſis ſub Ludovico Pio Cæſare, ut ex

ejus

ejus Vita habemus, ad diem II. *Januarii* , *Orphanorum quoque , & Debilium , necnon & hoſpitum Xenodochium conſtituerat* . Angilberga etiam Auguſta Ludovici II. uxor, ut eſt in poſtremis ejus tabulis apud Campium Tomo primo Hiſtor. Eccleſ. Placentinæ , quum inſtituiſſet Placentiæ Parthenonem Sancti Sixti , ei Anno DCCCLXXVII. junxit *unum Xenodochium Debilium , & adventantium Peregrinorum* . Ita eodem Sæculo Lupus Abbas Ferrarienſis , quamquam Cellam Sancti Jodoci , ut ſupra vidimus , ſuo Monaſterio conceſſam ſcribat *ad eleemoſynam exhibendam Peregrinis* : eâ tamen ſibi ſublatâ , ſcribit ad Hincmarum Remenſem Archiepiſcopum Epiſtol. 44 in hæc verba : *Hinc queruntur Infirmi : apud nos conſueta requirunt , nec inveniunt Hoſpites* . Et in Epiſtola 45. *Pueros , Senes , atque Infirmos propter inopiam non fovemus* .

Quare a vero non abludit , ne fuiſſe quidem neglectos a Chriſtiana pietate Sæculis iis barbaris Pauperes a morbis afflictos . Attamen ſi in re obſcura conjecturis agere licet , ego quidem puto , frequentius eâ tempeſtate conſultum fuiſſe Ægrorum inopum neceſſitatibus , effuſis dumtaxat in illos eleemoſynis , quas ad Pauperum ſolamen Fidelium Caritas conferebat . Sed ſimul opinor , perquam rara fuiſſe publica Valetudinaria , qualia nunc complura tantâ cum laude & gloriâ Chriſtiani nominis in ſingulis Italiæ Civitatibus , atque extra Italiam, conſpicimus . Horum uſus potiſſimùm invaluiſſe videtur poſt Annum Chriſti Milleſimum . Sanctus Lanfrancus Anno MLXX. Archiepiſcopus Cantuarienſis in Anglia creatus , uti ex ejus Vita ab Eadmero ſcripta ad diem 28 Maji habemus , Noſocomium Cantuariæ excitavit , in duas partes diviſum , *viros videlicet variis infirmitatum qualitatibus preſſos uni ; parti vero alteri feminas ſe male habentes inſtituens* . Ticinenſis patria , atque adeo Italicus genere fuit ſanctus ille Antiſtes , & fortaſſis ex Italia in Angliam Noſocomiorum inſtitutionem & exemplum detulit . In Charta Attonis Epiſcopi Florentini , Anno MXXXVII. ſcripta apud Ughellium Tom. 3. Ital. Sacr. in Epiſcop. Florentin. deſcribuntur Pietatis & Caritatis Opera, quæ in Sancti Miniatis Monaſterio exercebantur . Ibi inter cetera *Peregrinorum , & Hoſpitum turba , quaſi in propriis domibus , receptionis & refocillationis adipiſcuntur neceſſaria fomenta . Ibi Infirmi aluntur . Ibi Pauperes beneficio alimoniæ ſatiantur* . Porro ſub Innocentio III. Papa novimus excitatum Romæ fuiſſe , magnificentiſſimum nunc , Sancti Spiritus in Saxia ad Ægrorum levamen Domicilium . Neque juvat excurrere per ſingula loca : vix ullum invenias , cujus originem ſupra ſeptingentos annos producere poſſis . Nam quod ait Gregorius Lombardellus , celebre *Noſocomium Senenſe* , ſub nomine Sanctæ Mariæ de Scala fundatum fuiſſe Anno DCCCXCVIII a Beato Servo Dei Sorore , immo illud eſſe primum in Italia conditum poſt barbaros exactos: vereor, ut certis tabulis , legitimiſque teſtibus nitatur. Nam etſi vel antiquis Sæculis Noſocomia aliquot Italia quoque habere potuerit , pleraque tamen barbaricis temporibus deleta fuiſſe videntur, atque in eorum locum alia ſenſim ſucceſſiſſe tantummodo poſt Sæculum a Chriſto nato Decimum . Certe perquam rara eadem fuiſſe olim puto , quum alium curſum liberalitas Chriſtiana eâ tempeſtate teneret . Fuerunt etiam antiquitus nonnullis in locis *Leproſorum Domus* : ac præterea accedere cœperunt poſt Sæculum , ut opinor , Undecimum Hoſpitales ædes iis deſtinatæ , qui *Ignis Sacri* morbum contrahebant : quæ morborum genera apud nos ex Dei Optimi Maximi munere evanuerunt , ſimulque cum eis inſtitutæ domus. Vide ſupra Diſſertationem XVI. *de Feneratoribus* . Nunc unam lubet proferre Chartam , olim mihi traditam a doctiſſimo & amico viro D. Petro Canneto Abbate Camaldulenſi . Ex eâ conſtabit , in Monaſterio Canonicorum Regularium Sanctæ Mariæ ad Carceres , quod veteres Eſtenſes Marchiones in agro Eſtenſi condidere , non *hoſpitum* dumtaxat , ſed & *Ægrotantium* curam fuiſſe olim ſuſceptam . Scripta quidem Charta Anno MCXCVII. Sed pia iſta liberalitas jam antea in mores inducta fuerat . Azzo enim Eſtenſis Marchio eâ ratione Canonicis dona parentum ſuorum confirmat , ut *Prior , & ejus Fratres perpetuo debeant in Hoſpitum receptione* , & *Infirmorum cura* , *uberioribus eleemoſynis , ſicut prius bene & laudabiliter faciebant , attentius vigilare* .

In-

Inveſtitura bonorum data ab Azzone Marchione Eſtenſi Livaldo Priori & Canonicis Monaſterii Sanctæ Mariæ ad Carceres, Anno 1197.

A*Nno Domini Milleſimo Centeſimo Nonageſimo Septimo, Indictione XV. die V. exeunte Menſe Junii, in præſentia* Domini Piſtoris Vicentini Epiſcopi, *& Domini Gerardi Præpoſiti, Magiſtri Dominici Judicis, & Presbyteri Ortonis, Presbyteri Azonis, Presbyteri Deodati, & Presbyteri Jacobini, Canonicorum Sanctæ Mariæ ad Carceres, & aliorum:* in ſolario Hoſpitum Sanctæ Mariæ ad Carceres, Dominus Azo Eſtenſis Marchio *in remiſſione peccatorum ſuorum, ſuorumque prædeceſſorum, conceſſit* Domno Livaldo Priori Sanctæ Mariæ ad Carceres, *& ejus Fratribus Canonicis ejuſdem loci, recipientibus pro ipſa Eccleſia; & per fuſtem, quem in manu habebat, eundem Priorem inveſtivit, præſentibus Fratribus, ejuſdem Eccleſiæ nomine recipientem, ut dictum eſt, de omnibus poſſeſſionibus ſive in aquis ſive in terris cultis, vigris, paſcuis, nemoribus, paludibus, ubicumque jacentibus,* ad Eſtenſem Domum pertinentibus, *quas prædicta Eccleſia tum temporis forte minus juſte poſſidebat, ita ſcilicet, ut ab inde in perpetuum ipſa Eccleſia ea, quæ minus juſte forte poſſidebat, juſte & legitime perpetuo, omni ſua ſuorumque* A *ſucceſſorum omnium contradictione, habere & tenere & quiete poſſidere debeat. Et hoc eo intuitu fecit præfatus Marchio, ut ibi dictum eſt,* ut prædictus Prior, & ejus Fratres, eorumque ſucceſſores, Deo dante, perpetuo debeant in Hoſpitum receptione, & Infirmorum curâ uberioribus eleemoſynis, ſicut prius bene & laudabiliter faciebant, attentius vigilare.

Actum eſt hoc in ſuprascripto loco &c.

Ego Oldricus Imperialis Aulæ Notarius interfui, & hanc Cartam juſſu iſtius Marchionis ſcripſi.

Conſueverunt autem Romani Pontifices, ut Caritas & beneficentia in Pauperes propagaretur, piis hiſce locis patrocinium ſuum impendere, B eiſque Privilegia impertiri. Cujus rei unum exemplum proferam. Celeberrimum eſt, ut antea dixi, a multis Sæculis Senenſi in Urbe Noſocomium Sanctæ Mariæ de Scala. Porro quantopere eidem faverit Alexander IV. Romanus Pontifex, ex illius Literis diſces, quas ex autographo deſcriptas ad me miſit, dum vivebat, Clariſs. vir Hubertus Benvoglientus.

Privilegium conceſſum Rectori & Fratribus Hoſpitalis Pauperum Beatæ Mariæ Senenſis ab Alexandro IV. Summo Pontifice, Anno 1257.

ALexander Epiſcopus, *ſervus ſervorum Dei, univerſis Chriſti Fidelibus, ad quos Literæ iſtæ pervenerint, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Si juxta ſententiam Sapientis inter tempus ſeminandi diſcernimus & metendi, ſeminare debemus in terris, quod cum multiplicato fructu recolligere debeamus in cœlis, facientes nobis de mammona iniquitatis amicos, qui, quum defecerimus, in æterna tabernacula nos admittant. Sic enim theſaurizamus nobis theſauros in cœlo, ubi fures non fodiunt nec furantur. Sic terrena in cœleſtia, & tranſitoria in æterna felici commercio commutamus. Licèt autem indigentibus univerſis aperire teneamur viſcera Caritatis, illis tamen ſpecialius & abundantius quodammodo liberalitatis debemus gratiam exhibere, qui quum ſint pauperes ſpiritu, ſponte ſubeunt onera paupertatis, ut pauperibus poſſint copioſius ſubvenire, dum tamquam nihil habentes, & omnia poſſidentes, velut penuriam pati & abundare didicerint, abundant pauperibus, ſibi egent, & in ſe aliorum egeſtatem aſſumunt, ut ex indigentia liberali liberalius miniſtrent hoſpitibus & egenis. Hoc vero quamvis multi laudabiliter exſequantur, illi tamen ſtudent laudabilius adimplere, qui Hoſpitalitati vacantes, non ſolùm recipiunt hoſpites, ſed & trahunt, illud Propheticum exſequentes:* Frange eſurienti panem tuum, & Egenos, Vagoſque induc in domum tuam. Quum videris Nudum, operi eum, & carnem tuam ne deſpexeris. *Hi enim quum paſcunt eſurientes, ſitientes potant, colligunt hoſpites, nudos veſtiunt, & non ſolùm infirmos viſitant, ſed eorum in ſe infirmitates aſſumunt, miniſtrant in carcere po*- C *ſitis, & quibus in infirmitate participant, communicant in ſepultura defunctis, illa omnia exſequuntur, propter quæ Dominus in ultimo diſtrictionis examine remuneraturum ſe bonos, & malos aſſerit puniturum. Quum igitur dilecti filii* ..... Rector, & Fratres Hoſpitalis Pauperum Beatæ Mariæ Senenſis *ad hoc totis viribus elaborent*, ut undique confluentium egenorum, pariter & Ægrorum neceſſitatibus ſe exponant, *monemus univerſitatem veſtram, & homines in Domino, ac in remiſſionem vobis injungimus peccatorum, quod, ut cooperatores ſitis operum pietatis, accedentes ad vos eorum Nuntios benigne recipere ac honeſte tractare cu*- D *retis, eis grata ſubſidia, & pias eleemoſynas conferentes, ut quod pauperibus contuleritis per manus eorum in terris, vobis per manus pauperum theſaurizetis in cœlis, cum Apoſtolo ſentientes, quoniam* qui parce ſeminat, parce & metet: & qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet vitam æternam. *Nos autem de omnipotentis Dei miſericordia, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate, ac eâ, quam nobis indulſit, poteſtate confiſi, omnibus, qui de facultatibus ſuis ipſis ſubvenerint, & in tam ſancta Fraternitate ſtatuerint ſe collegas, eiſque beneficia præſtiterint* E *annuatim ſeptimam partem injunctæ pœnitentiæ relaxamus. Auctoritate Apoſtolica ſtatuentes, ut iis, qui eorum Fraternitatem aſſumſerint, ſi Eccleſiæ, ad quas pertinent, fuerint interdictæ, ipſoſque mori contigerit, niſi excommunicati vel nominatim interdicti fuerint, aut etiam publice uſurarii, ſepultura Eccleſiaſtica non negetur. Receptores quoque Fraternitatis & Collectarum*

ipſa-

ipſarum , ſalvo jure Dominorum ſuorum , ſub beati Petri & noſtra protectione ſuſcipimus . Statuentes , ut ſi qui Fratrum ipſorum , qui ad eaſdem Fraternitates vel Collectas miſſi fuerint, in quamlibet Civitatem , Caſtellum , vel Vicum interdictum advenerint, in eorum jucundo adventu ſemel aperiantur Eccleſiæ annuatim : & excommunicatis , & nominatim interdictis ejectis , divina ibi Officia celebrentur , ut ſuper eleemoſynis acquirendis verbum exhortationis ad Populum proponatur . Salva in omnibus ſupradictis declaratione Concilii Generalis . Date igitur eleemoſynam , ut omnia munda ſint vobis , quoniam eleemoſyna a morte liberat , & ipſa eſt , quæ purgat peccata , & facit invenire vitam æternam ; quia ſicut aqua ignem ardentem extinguit , ſic eleemoſyna peccato reſiſtit.

Datum Viterbii V. Kalendas Julii, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

Mihi verò per ſuas Literas ſignificavit olim eruditionis antiquæ cultor indefeſſus Benvoglientus ſupra laudatus, ſervari apud ſe Literas Cæleſtini III. Papæ, datas Anno Tertio ſui Pontificatus , hoc eſt , Anno Chriſti MCXCIII. per quas ille Noſocomium Senenſe in aliquibus eximit e jure Canonicorum , quod iſti intemperanter multos pii loci fundos diſſipaſſent . Adſervabat etiam idem Benvoglientus Diploma Henrici Regis, quem genuit Fridericus II. Imperator , datum Senæ Anno MCCXLI. per quod eidem Noſocomio privilegia confirmat . Atque hæc erant apud Majores noſtros Caritatis Criſtianæ munia . Antiquis verò Monachis, animadvertas velim non unum tantummodo hoſpitalitatis domicilium fuiſſe , eorum Cœnobio plerumque contiguum , ſed & plura interdum. Ad Padolironenſe celebre Monaſterium, quod in agro Mantuano ſitum eſt, ſpectabat olim *Hoſpitale, quod bonæ memoriæ Comitiſſa Matilda conſtruxit in ſuburbano Mantuæ, ſitum juxta Portam, quæ dicitur de Hoſpitali.* Locum hunc Monachi Monaſterii Mantuani Sancti Andreæ ſuum eſſe contendebant , eiſque Monachi Padolironenſes obſiſtebant . Anno MCIX. controverſiam hanc poſtremo decreto diremit *Maifredus Epiſcopus Mantuanus* , pro Monachis Padolironenſibus pronuntians . Ita a Monachis Benedictinis , Leonenſe Monaſterium in Brixiano agro ſitum incolentibus, præter alia regebatur olim Xenodochium Sancti Ægidii , cujus nunc nulla veſtigia ſuperſunt , non longe a mœnibus Mutinenſis Urbis ſitum . Quum verò ejuſdem pii loci regimen in leve commodum Brixiani Monaſterii cederet ob nimiam diſtantiam ipſum tradidere Leonenſes Monachi nomine emphyteuſis Monachis Sancti Petri Mutinenſibus. Legitur adhuc in iſtorum Tabulario Charta exarata Anno MCLXXV. *in loco Leni* (ita enim Monaſterium Leonenſe , ſive ad Leones , appellatum poſterioribus Sæculis fuit) *in qua Domnus Albertus Abbas Leonenſis Monaſterii inveſtivit Presbyterum Sichenzonem & Cantetholum ejus Converſum , de Hoſpitali Sancti Ægidii , & de omnibus ad ipſius jus pertinentibus , quod eſt ſcitum juxta Mutinam , in perpetuum nomine Hoſpitalis Sancti Nicolai* &c. (erat & iſtud Xenodochium olim juxta unam e Portis Mutinæ , qua fluit Canalis *della Predella* , a Benedictinis Mutinenſibus rectum) *ut jam dictus Presbyter , & ejus ſucceſſores debeant ſolvere per ſingulos annos in Feſto Sancti Martini quatuor Libras ceræ , nomine cenſus , præfato Monaſterio Sancti Benedicti* (Leonenſis) *in loco Panziani* , ubi multa prædia Brixianis Monachis erant . Sed & ipſis Monachis Mutinenſibus Sancti Petri ſua erat antea Hoſpitalis domus: idque eis potiſſimum a *Johanne Epiſcopo Mutinenſi* commendatum in Charta donationis , Anno DCCCCXCVI. ſcripta , ubi hæc leguntur : *Et Domum Hoſpitalem habeant , ubi SECVNDVM MOREM Hoſpites de Decimis laborum ſuorum recipiant* : Quæ poſtrema verba indicant, quota pars Monaſticorum redituum impendi ſoleret in Hoſpitalitatis uſu. Atque ex his paucis diſce, quot olim Xenodochia Monachorum curæ commendata fuerint, quando Mutinæ quoque Brixiani Monachi Hoſpitalem domum regebant . Et *Leonenſis* quidem Cœnobii facta mihi eſt alibi mentio, hoc eſt in Diſſertatione XV. *de Manumiſſionibus* . Illud Mabillonius in Annalib. Benedictinis vix pro merito agnoviſſe videtur , pauca tantùm de eo habens ad Annum DCCLIX. ubi ejus fundationem refert ad Deſiderium Langobardorum Regem , cui revera ſacratus ille locus originem ſuam debet , ac ampliſſimæ dotationis donum . Addit Mabillonius , *hoc Monaſterium a Conrado Secundo Imperatore ſolo æquatum* . Verùm in nuper memorata Diſſertatione ego monumenta indicavi ad idem Monaſterium , ejuſque Abbates ſpectantia , etiam poſt tempora Conradi Secundi Regis Romanorum , nam duos Conrados Imperiali nomine inſignitos non habuimus . Atque heic jam vidiſti ad Annum Chriſti MCLXXV. ideſt poſt Conradi II. tempora *Albertum Abbatem Leonenſem*. Reſtat adhuc & altera pergamena in Chartophylacio eorumdem Benedictinorum Mutinenſium Sancti Petri , controverſiam exhibens inter ipſos Monachos , *& Domnum Guillielmum Dei gratiâ Abbatem Monaſterii de Leno Dioceſis Brixienſis* . Neque ſe peritiorem celebris illius Cœnobii prodidit Angelus de Nuce Caſinenſis Abbas in Notis ad Chronicon Caſinenſe Leonis Marſicani . Auctor eſt idem Leo Lib. 2. Cap. 65. Monachos Caſinenſes , abjecto Baſilio Abbate ſpurio , Anno MXXXVIII. *Richerium , qui tunc Leonenſem Abbatiam regebat , in Abbatem ſibi dari expoſtulaſſe* . Nihil de Abbatia illa Angelus de Nuce habet , hoc unum inane adnotans , pro *Abbatiam* legi in MSto Codice *Eccleſiam* , quaſi is Eccleſiam aliquam antea regeret Caſinenſi Cœnobio ſubjectam . Longius etiam a veritate receſſit Camillus Peregrinius in Serie Abbatum Caſinenſium, quum hæc de Richerio ſcripſit : *Richerius Abbas Leodienſis Imperatorem Conradum in Italiam ſequutus , ad Abbatiam Caſinenſem translatus eſt* . Scribendum ei fuerat *Leonenſis* . Vide in Tom. XIV. Rer. Italicar. Jacobum Malvecium Hiſtoricum Brixianum, qui pag. 848. *de conſtructione Monaſterii de Leno* agit , eique præter alia obligatas fuiſſe ait *Decimas & Primitias deſuper totam Abbatiam in uſu Pauperum & Peregrinorum* . Tum ad Annum MCXXXV. tradit , *Cœnobium Leonenſe funditus igne dirutum.* Is etiam narrat, ſacrum locum gravibus ærumnis peſſumdatum jacuiſſe diu , *& meis quoque diebus omni decore nudatum , nec amplius Religioſorum Cœnobium , Pauperum reſugium , Peregrinorum Hoſpitium dici poteſt* . An neget Clariſſimus Marchio Scipio Maffejus in Verona Illuſtrata, Monaſterium hoc Brixiani agri fuiſſe , aliis perpendendum relinquo.

Sed quando in *Leonenſe Monaſterium* incidimus , veniam mihi a Lectoribus polliceor , ſi illud non ante dimittero , quàm Opuſculum hactenus luce carens hiſce veterum Sæculorum me-

monumentis adjecero. Ejus Auctor eſt *Bonizo* primo *Sutrinus*, tum teſte Bertholdo Conſtantienſe Hiſtorico *Placentinus Epiſcopus*, qui Anno Chriſti MLXXXIX. quod virili animo Schiſmaticis, hoſtibuſque Eccleſiæ Romanæ obſiſteret, ab ipſis obtruncatus glorioſo certamine mortem ſubiit. Eum inter Scriptores Eccleſiaſticos jamdiu retulit Anonymus Mellicenſis a Clariſs. P. Pezio editus. Tum de eo egerunt Ughellius Tomo primo Ital. Sacr. in Sutrinis Epiſcopis, & Tom. 2. in Placentinis, & poſtea Petrus Lambecius in Commentar. de Biblioth. Cæſar. & Guillielmus Cave in Hiſtor. Literar. ac nuperrime omnium fuſiſſime Caſimirus Oudinus in Commentar. de Scriptorib. Eccleſiaſticis. Latent ejus Opera inter ſcrinia Cæſareæ Vindobonenſis Bibliothecæ: hoc eſt *Syntagma Decretorum e ſacra Scriptura, Conciliis, & Patribus collectorum*; atque *Epitome Hiſtoriæ Pontificum Romanorum*: cujus poſtremi Libri quum ego ſummopere avidus forem, intellexi tamdem, nihil aliud illic exhiberi, niſi merum brevem Catalogum Romanorum

A

Pontificum, quales multos habemus, propterea que ab eo ultra mihi procurando abſtinui. Alia quoque ab eo conſcripta Opuſcula periiſſe creduntur, de quibus conſulendus nuper memoratus Oudinus. Ad præſens quod attinet, Mabillonius in Itinerar. Italic. pag. 13. hæc jam ſcripſerat, de Ambroſiana Mediolanenſi Bibliotheca agens: *In alio Codice exſtat Bonizonis Sutrini Epiſcopi Liber de Sacramentis ad Gualterium Leonenſis Monaſterii Abbatem: quo in Libro Auctor meminit alterius Opuſculi ſui contra Ugonem Schiſmaticum*. Sed & ante Mabillonium Petrus Maria Campius in Hiſtoria Eccleſ. Placentinæ ad Annum MXLIV. & MLXXXVII. plura attulit de Bonizone prælaudato, atque inter cetera monuit, ſe Romæ

B

vidiſſe illius Librum *de Eccleſiaſticis Sacramentis*. Igitur Opuſculum iſtud, quod e MSto Codice Ambroſianæ Bibliothecæ olim ego hauſi, ad *Gualterium Leonenſis Monaſterii* non Abbatem, ſed *Priorem*, ſcriptum Diſſertationi huic additum volo.

Incipit Libellus de Sacramentis *a Bonizone Sutrino Epiſcopo* editus *ad Gualterium Leonenſis Cœnobii Monachum & Priorem* miſſus.

C

SAncta & univerſalis mater Eccleſia, uni viro conjuncta Chriſto, quia non ambulat in umbra, ſed Dei gratia certa jam fruitur re, multa non recipit Sacramenta. Habet tamen pauca, duo ab ipſo Domino tradita, quædam verò ab Apoſtolis inſtituta. Præceptum enim Baptizandi, & qualiter baptizandis, quo in novum renaſcitur hominem, & ſine quo, teſte veritate, nemo intrabit in regnum Cœlorum, dari debeat Baptiſmus, poſt reſurrectionem Apoſtolis a Domino traditum in Evangelio ſecundùm Matthæum legimus in hunc modum: Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti: *ut doctrina antecedat Baptiſma, ſcilicet ut ante doceatur credere qui baptizandus eſt, quàm baptizetur; quia ſicut Fides ſine operibus mortua eſt, ita & opera, ſi non ſunt ex Fide, nihil proſunt. Quod in parvulis quidem non obſervatur, quia per Fidem parentum, & eorum a quibus ſuſcipiuntur in ſacro Baptiſmate, ſalvari creduntur. Ita tamen ut quum ad intelligibilem ætatem pervenerint, non ſolùm doceantur, quid in corde debeant credere, ſed etiam quid in opere obſervare. Et licèt ante dominicam Paſſionem Chriſti legamus, baptizaſſe Diſcipulos, tamen quia nondum erat immolatus Agnus, qui venerat tollere peccata Mundi, hujuſmodi ſuſcipientibus Paradiſi non reſerabat introitum, & non poterant, in novum reſurgere hominem, qui conſepulti non erant Chriſto per Baptiſmum in mortem. Ceterum licèt talibus regni cœleſtis per hujuſmodi Baptiſma non aperiebatur janua, non tamen omnino erat ſupervacaneus. Tantùm enim proderat ille Baptiſmus, quantùm Exorciſmus & Catechizatio proſunt baptizandis. Nec quemquam moveat, quod Baptiſmus talis dicitur Chriſti in Evangelio. Nam & Fides, qua imbuuntur Catechumeni, & dicitur Chriſti, & eſt. Sine perceptione tamen Baptiſmi non ſalvat Catechumenos. Enimvero licèt poſt reſurrectionem, & præceptum baptizandi, & modum Apoſtolos legamus a Domino ſuſcepiſſe, non tamen legimus eos baptizaſſe, niſi poſt adventum ſancti Spiritus Parācliti. In die enim ſancto Pentecoſtes quum Apoſtoli linguis loquerentur omnium gentium, Judæis eos muſto plenos eſſe concrepantibus, Petrus Johelis prophetiá falſa profari perfidos demonſtravit, & Davidico teſtimonio evangelizans illis Jeſum mortis ſolutis doloribus ſurrexiſſe, compunctos corde ipſo uſque die ad tria millia in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti baptizavit. Quapropter a Romanis Pontificibus definitum eſt, ut ſicut infirmis, & morte periclitantibus, & obſidione poſitis, & in naufragio & in ceteris periculis, ne ſine gratia Baptiſmi pereant, omni tempore ſubveniendum; ſic ſanis & incolumibus in ſancto tantùm Sabbato Paſchæ, & Sabbato Pentecoſtes ſubveniendum eſt. Præterea ſi quando vel Hæreticorum veſaniá, vel ſtultorum Sacerdotum*

D

ignorantiá, una ex tribus in Baptiſmo fuerit innominata perſona, non erit ratum Baptiſma, nec dici poterit iteratum, quod conſtat non recte factum. Quod etiam in Actibus Apoſtolorum feciſſe legimus Paulum de his, qui Baptiſmate baptizati erant Johannis. Nam quia Spiritum Sanctum nondum, ſi eſſet, cognoverant, iterum baptizantur, immo verò verum ſuſcipiunt Baptiſma. Oportet enim, ut qui filii debent eſſe adoptionis, eo renaſcantur Spiritu, quo Dominicus Homo in Virginali utero conceptus eſt. Gratiá enim Dei renaſcimur. Et quia una eſt Patris & Filii & Spiritus Sancti Deitas, una voluntas, una procul dubio eſt operatio. Hæc de Sacramento Baptiſmi nunc breviter me

E

dixiſſe ſufficiat. Nunc verò ad Euchariſtiæ tranſeamus Sacramentum.

De Sacramento Euchariſtiæ.

ULtimo phaſe cum Apoſtolis a Domino celebrato, de quo ſecundùm Lucam habes, Dominum dixiſſe: deſiderio deſideravi, hoc Paſcha manducare vobiſcum, antequam patiar. Dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in Regno Dei. Et accepto Calice gratias egit & dixit: Accipite & dividite inter vos. Dico enim vobis, quod non bibam de generatione vitis, donec

Re-

Regnum Dei veniat . *Abolito igitur veteris Legis ſacramento , ſpretiſque carnalibus Judaicæ plebis cerimoniis , quæ vetus nomine in hoc loco deſignatur , * protinus novi Teſtamenti Sacramentum , & ritum celebrandi , accipiens panem , commendavit Apoſtolis dicens :* Hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis tradetur . Hoc facite in meam commemorationem . Similiter & Calicem , poſtquam cœnavit , dicens : Hic eſt Calix novum teſtamentum in Sanguine meo , qui pro vobis fundetur . *Verùm poſt Dominicam reſurrectionem Chriſto cum Apoſtolis ſæpius manducante & bibente & colloquente , non oportebat Apoſtolis , gaudio reſurrectionis repletos Sacramentum in commemoratione Dominicæ Paſſionis celebrare . Quid enim piſcis aſſus poſt reſurrectionem a Chriſto manducatus , & Diſcipulis traditus , niſi Chriſtum paſſum deſignabat , cum eodem panem & piſcem ſuprapoſitum prunis edebant , & ipſum eumdem in Sacramento panis & piſcis & favi mellis manducabant ? Poſt adventum verò in Diſcipulos Sancti Spiritus Paracliti cum invidea * multitudinis credentium eſſet cor unum & anima una , in Actibus Apoſtolorum legimus, Apoſtolos fregiſſe panes in domibus & circa domos in commemorationem Dominicæ Paſſionis , & populos credentium communicaſſe . Nec multopere curabant utrum panis eſſet azimus vel fermentatus . Poſtea verò Chriſtiana pullulante Religione , Diſcipulis in Orbe terrarum diſperſis, & maxime quum Vas Electionis prædicatâ Damaſco & Arabia , incipiens ab Hieroſolymis uſque ad Illyricum, & uſque in Spanias & in Inſulas interjacentes ſeminaſſet Evangelium , cœperunt Eccleſiæ in una Sabbati ad audiendum verbum Dei in loco , quo poterant , convenire : & poſt prædicationes , immo verò collationes, pane & ſimpliciter tantùm vino in menſa ſive lignea ſive ex lapidibus conſtructa ſuper impoſito , obſecrationibus & orationibus necnon & poſtulationibus , quam uſque hodie in ſancto Paraſceve Eccleſia decantat, a Sacerdote ſuper Euchariſtia rite celebratis , Dominicâ oratione lentâ voce , ut a circumſtantibus vix poſſit audiri , decantatâ , Populus in commemoratione Dominicæ Paſſionis ſecundùm Dominicam traditionem communicabat , & hoc in pleriſque Eccleſiis a jejunis . In aliquibus verò in exemplum Dominicæ cœnæ fiebat a cœnatis . Quod etiam uſque ad beati Auguſtini tempora duraſſe , ipſo docente in Epiſtola , quam ſcribit ad Januarium Epiſcopum de Cœna Domini, ita eſſe cognovimus . Beatus vero Paulus Apoſtolus Magiſter gentium, dum Timotheum ad regimen inſtrueret Epiſcopale , inter cetera ſic ait :* Obſecro primùm fieri obſecrationes , orationes , poſtulationes , gratiarum actiones pro Regibus , & his , qui in ſublimitate ſunt poſiti , ut quietam vitam agamus &c. *Et hunc ritum Sacramentorum ab Apoſtolis celebratum, & Eccleſiis traditum , beatus Cœleſtinus Romanus Epiſcopus in Decretali ſua Epiſtola Africanis Epiſcopis miſsâ , quum de Gratia Dei diſputaret , inter cetera ſic ait :* Obſecrationem quoque Sacerdotalium Sacramentorum recipiamus, quæ ab Apoſtolis tradita , in toto Mundo , atque in omni Catholica Eccleſia uniformiter celebratur, ut legem credendi ſtatuat lex ſupplicandi . Quum enim ſanctarum Plebium Sacerdotes mandatâ ſibimet legatione fungantur , apud divinam clementiam humani generis agunt cauſſam , & totâ ſecum Eccleſiâ congemiſcente poſtulant & precantur , ut Infidelibus donetur Fides , ut Idolatræ ab impietatis ſuæ

A liberentur erroribus , ut Judæis ablato cordis velamine lux veritatis appareat , ut Hæretici Catholicæ Fidei perceptione reſipiſcant , ut Schiſmatici ſpiritum redivivæ Caritatis accipiant, ut Lapſis pœnitentiæ remedia conferantur , utque Catechumenis ad regenerationis ſacramenta perductis cœleſtis miſericordiæ aula reſeretur . *Hæc ab Apoſtolis ita celebrata , & Eccleſiis tradita , & beati Pauli Apoſtoli traditione inſtruimur , & beati Cæleſtini Romani Pontificis ita edocemur Epiſtolâ . Supereſt nunc qualiter hæ noſtræ * quæ in Occidentali Miſſæ celebrantur clixtate , inſtitutio celebrari debeat, & a quibus auctoribus ſumpſerit exordium , me ſcribere . Tu verò pro nobis orare non differas ,* B *ut Dominus gratiâ ſuâ , carbone de altari forcipe ſublato , mea dignetur purgare labia . Quis enim ego ſum , qui tanta poſſim enucleare myſteria ? Sed & in ſpinis locutus eſt Dominus. Et utinam , o bone Jeſu , meos non horreſcas vepres , qui tollis peccata Mundi .*

Poſt beati Petri Apoſtolorum Principis inclytum martyrium quod uno eodemque die cum beato Paulo Doctore gentium ſub Nerone Cæſare ſuſcipiens, glorioſam Romanam fecit Eccleſiam, Clemens natione Romanus Romanum ſuſcepit Pontificatum . Qualiter verò primus ſit per electionem Petri , & tertius in gradu , ſi quis gnarus eſſe voluerit , legat Librum , *quem ſcripſi* in Ugonem Schiſmaticum , *& ibi inveniet ad plenum dilucidatum . Hic verò ſpiritu Dei plenus* C *intuens , ne ſolemnes , quas ſuperius diximus , orationes ſæpius auribus Populorum recitatæ vileſcerent, & quod plus eſt, ne forte ab Ethnicis memoriæ commendatæ in compitis & in plateis , in theatris & in delubris Idolorum recitarentur , ob reverentiam Apoſtolorum uno die , in ſancto ſcilicet Paraſceve , ſecundùm præteritum morem præcepit celebrari . Ipſe verò Canonem inſtituit , qui per annum totum ſuper Euchariſtiam recitaretur ſecrete , ut qui tanto ſecretius , tanto avidius tantoque reverentius a Populo ſuſciperetur . Hic idem in Dominicis diebus in loco , qui inveniri poterat , opportuno Populum inſtituit credentium convocari , datâque collectâ , quam obſecrationem dicit beatus* D *Auguſtinus , lectoque a Populo Evangelio , poſt prædicationem imponi ſuper menſam panem , & ſimpliciter tantùm vinum præcepit . Obſecrationibus quoque ſecrete ſuper oblationem decantatis a Sacerdote ſalutari Populum in hunc modum :* Dominus vobiſcum ; *quo reſpondente* & cum ſpiritu tuo , *iterum admoneri , ut ſurſum habeat cor , ut quæ ſurſum ſunt, cogitet non quæ ſuper terram , inſtituit . Quo reſpondente , ſe habere ad Dominum, ad agendas Deogratias eumdem protinus invitet Populum . Quo reſpondente :* dignum & juſtum *eſſe , Deo gratias agere, illico ſic incipiat dicens :* Verè dignum & juſtum eſt , æquum & ſalutare , nos tibi ſemper E & ubique gratias agere , Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus , per Chriſtum Dominum noſtrum : per quem majeſtatem tuam laudant Angeli , adorant Dominationes , tremunt Poteſtates , cœli, cœlorumque Virtutes, ac beata Seraphim ſociâ exſultatione concelebrant . Cum quibus & noſtras voces ut admitti jubeas deprecamur , ſupplici confeſſione dicentes . *Quumque ab omni Eccleſia* Sanctus , Sanctus , Sanctus , Dominus Deus Sabaoth . Pleni ſunt Cœli & Terra gloriâ tuâ . Oſanna in excelſis . Benedictus, qui venit in nomine Domini . Oſanna in excelſis , *fuerit decantatum , illico Canonem , quem beatus Auguſtinus Orationem vocat , ſuper Euchariſtiam ſecrete*

recitari inſtituit in hunc modum : Te igitur , clementiſſime Deus &c. (a) Hanc igitur oblationem ſervitutis noſtræ , ſed & cunctæ familiæ tuæ , quæſumus , ut placatus accipias per Chriſtum Dominum . Quam oblationem tu , Deus , in omnibus , quæſumus , benedictam , aſcriptam , ratam , rationabilem , acceptabilemque facere digneris , ut nobis Corpus & Sanguis fiat dilectiſſimi filii tui Domini noſtri Jeſu Chriſti . Super quæ propitio ac ſereno vultu &c. (b) Per quem hæc omnia , Domine , ſemper bona creas , ſanctificas , vivificas , benedicis , & præſtas nobis per ipſum , & cum ipſo & in ipſo &c. *His ita perlectis , Dominicâ ſecrete finitâ Oratione , invitato Populo ad benedictionem , inſtituit ſupra Populum dari benedictiones , quas beatus Auguſtinus nominet Poſtulationes ; & particulâ Panis intus poſitâ in Calice communicabant , qui volebant . Et ſic finita erat Miſſa .*

Hoc modo Anacletus , qui Clementi ſucceſſit in Pontificatum , & Evariſtus Anacleti ſucceſſor , Miſſas celebravere . Beatus verò Alexander Evariſti ſucceſſor memoriam Paſſionis Chriſti addidit in Canone ab eo loco , ubi ſic incipit : Qui pridie quàm pateretur , *uſque ad :* ſupra quæ propitio ac ſereno vultu . *Inſtituit præterea , ut panis tantùm Azymus offerretur : nam ante indifferenter & fermentatus & azymus offerebatur . Præcepit etiam , ut in Sacrificio aqua vino miſceretur . Et hoc tantùm in Miſſarum ſolemniis ſupraddito , per omnia beati Clementis inſtituta ſecutus , quem Sixtus ejus ſucceſſor per omnia imitatus eſt . Teleſphorus verò Sixti ſucceſſor Hymnum Angelicum in Miſſarum ſolemniis addidit decantandum . Quod etiam Teleſphorus , Higinus , & Pius , Agnitius , & Soter , Leuterius , & Victor , Zephirinus , & Calixtus , Urbanus , & Pontianus , Anterus , & Fabianus , Cornelius , & Lucius , Stephanus , & Dionyſius , nihil addentes in Canone , azyma offerentes , & aquam in Sacrificio vino miſcentes ſecundùm inſtitutum Alexandri Papæ , Miſſas celebravere . Felix verò Dionyſii ſucceſſor inſtituit , ut nomina Martyrum , uti Apoſtolorum , recitarentur in Canone . Addidit etiam in Canone ab eo loco , ubi ſic incipit :* Nobis quoque peccatoribus *uſque :* Per quem hæc , Domine , ſemper bona creas . *Præcepit etiam , ut ſupra Sepulcra Martyrum & ſuper Reliquiis Miſſæ cantarentur . Quod beatus Auguſtinus in Tractatu ſuper Johannem laudat benefactum , ut memoria paſſionis Martyrum paſſionis Chriſti miſceatur . Poſt hunc Marcus & Eutitianus , Gajus , & Marcellinus , & Euſebius , Melciades , & Silveſter , Marcus , & Julius , Liberius , & Felix , Damaſus , & Ciricius , & Anaſtaſius , nihil addentes in Miſſarum officio , Miſſas ſecundùm ritum anteriorum ſuorum celebravere . Innocentius verò Anaſtaſii ſucceſſor finitâ Dominicâ Oratione , antequam particula panis poneretur in Calice , pacem Populo altâ voce annuntiari , & inter Miſſarum ſolemnia dari inſtituit Populo jam ante Dominicam Orationem ab Epiſcopo vel a Sacerdote benedicto . Quo ritu Zoſimus , & Cœleſtinus , Sixtus , & Primus Leo Miſſas celebraverunt . Primus verò Leo finito Evangelio Symbolum ab omni Populo inſtituit decantandum . Hilarius verò Leonis ſucceſſor , & Simplicius , Felix , & Gelaſius , qui Librum Collectarum fecit , quem poſtea beatus Gregorius correxit , Anaſtaſius & Symmachus , Ormiſda , & Johannes , Felix , Bonifacius , Agabitus , & Silverius , Vigilius , & Pelagius , Johannes , & Benedictus , & Pelagius beati Gregorii prædeceſſor , Miſſas ſecundùm traditionem anteriorem ſuorum nihil addentes celebravere . Beatus verò Gregorius primus in Romana Eccleſia inſtituit , ut Antiphona , quæ vocatur* Introitus , *ad mulcendum audientium animos decantaretur , & hoc a Mediolanenſi habuit Eccleſia . Deinde* Kyrie eleiſon *a Clero novies decantari , & poſt Apoſtolum Gradale & Alleluja , excepto a Septuageſima uſque ad Paſcha : in quo tempore Tractus cantari conſtituit . Lectoque Evangelio dum oblationes offeruntur , Offertorium decantari inſtituit . Addidit præterea in Canone :* Dieſque noſtros in tua pace diſponas , atque ab æterna damnatione nos eripias , & in electorum tuorum jubeas grege numerari , per Chriſtum Dominum noſtrum . *Addidit etiam :* Præceptis ſalutaribus moniti , & divinâ inſtitutione formati audemus dicere : Pater noſter &c. *Et conſtituit , ut hoc cum Dominica Oratione ſuper Euchariſtiam alta voce a Sacerdote decantaretur , ut ſequens Oratio , quæ ſic incipit :* Libera nos , Domine , ab omnibus malis : *quæ ante eum altâ voce decantabatur , ſecrete diceretur . Et poſt fractionem Euchariſtiæ poſt communicaverint , antiphonam , quam vocant poſt-communionem , decantari inſtituit . Et poſt ſuſceptam Euchariſtiam , gratiarum actionibus Deo oblatis , poſtulationes , quæ a beato Clemente uſque ad ſua tempora ſupra Populum dabantur , antequam pax Domini diceretur , finitis poſt-communionibus , ſupra Populum dari inſtituit . Nam antea potitus Sacerdotali benedictione Populis quaſi ſecurus abibat , & ad gratiarum actiones Deo reddendam non intererat . Sergius verò Romanus Epiſcopus , qui a beato* (c) Hieronymo *vigeſimus fuit ,* Agnus Dei *inſtituit inter Miſſarum ſolemnia , ſicut hodie fit , decantari .*

De Sale & ejus virtute .

VEniam nunc ad Sacramenta ab Apoſtolis inſtituta . Et primùm de ſacramento Salis , Deo adjuvante , dicere incipiam . In veteri Teſtamento omne ſacrificium Sale aſpergebatur . Sal enim diſcretionem , quæ magiſtra eſt Virtutum , ſignificat , ſine qua & quæ videtur , virtus eſt vitium . Sale enim fœtor morbidæ carnis aboletur , & viſcera ſale condita in multam ſervantur ætatem . In Evangelio habes , Dominum dixiſſe Apoſtolis : Habete Salem in vobis . *Et in alio loco ad eoſdem Apoſtolos dixiſſe :* Vos eſtis Sal terræ . *Sed uniformiter in univerſa definitum eſt Eccleſia . Quum quis ad catechizandum acceſſerit , petit exſufflationem Sacerdotis , qua Spiritus immundus expellitur ; Sal per manus accipiat Sacerdotis , dicente eodem :* Accipe Sal ſapientiæ , quod proficiet tibi in vitam æternam : *non quod vita æterna donetur Catechumenis , ſed quia Sal ſacramentum eſt Fidei , quæ per dilectionem operatur , & baptizatos perducit ad vitam æternam . In pleriſque verò Eccleſiis Sal ſemel datur Catechumenis : in quibuſdam verò omnibus ſcrutiniis .*

De triplici Oleo , & ejus virtutibus .

TRanſeundum nunc eſt ad Olei Sacramentum , quod trifarie dividitur . Eſt enim Oleum

(a) Sequitur Canon Apoſtolorum . Ibi fit mentio uſque ad Sanctum Thaddæum incluſive .

(b) Neque adſunt Conſecrationis verba .

(c) Legendum *beato Gregorio*.

Oleum Chriſmale , cujus conſignatione ſeptiformis gratia Sancti datur Spiritus. Eſt & Oleum exorcizatum , quo unguntur Catechumeni ad effugandum inimicum . Eſt & Oleum Infirmorum ad ſanitatem corporis & animæ præparatum . Habet etiam Oleum hoc proprium , ut mixtum aliis liquoribus ſupernatet omnia liquamina , & non miſceatur . Et ſignificat veritatem , quæ ſurſum tendit , & de ſurſum eſt, & non miſcetur mendacio . Præterea & ad illuminandum liquor eſt idoneus . Non enim tantùm accenſus illuminat , verùm etiam tenebroſæ noctis tempore projectus in mari aquas illuminat . Habet Oleum etiam hoc proprium . Illuminat , nutrit , vulnera curat , tumores deprimit , febres extinguit , calores repellit . Legimus etiam ad Noë rediiſſe columbam ad veſperam , ramum olivæ portaſſe in ore , ex quo cognovit , pacem redditam eſſe in terris humani generis propagator . Intellexit enim vir Spiritu Sancto plenus a veſperaſcente Mundo per avem , quæ caret felle , per quam Spiritus Sanctus deſignatur , per olivæ ſacramentum genus humanum Sanguine Chriſti Deo Patri reconciliandum ; & licèt non viſibili ſed inviſibili præ conſortibus ſuis Oleo unctus ſit Chriſtus, Chriſtus tamen Unctus *interpretatur . A Chriſto Chriſtiani vocamur ,* Populus acquiſitionis , gens ſancta , *& ut in Epiſtola ſua dicit Cephas ,* regale Sacerdotium . *Antiquitus enim Reges tantùm & Sacerdotes & Prophetæ Chriſmali ungebantur Oleo . In novo verò Teſtamento omnes per Baptiſmum renati Oleo ſanctificantur inviſibili , & unguntur viſibili : licèt in primitiva Eccleſia, quæ in Judæa poſt Dominicam Aſcenſionem pullulavit , datum fuiſſe non legimus . Ceterum in primitiva Eccleſia , quæ in Judæa cœpit , credentes non Chriſtianos nominari , ſed Nazarenos in Actibus Apoſtolorum ſatis aperte Vas electionis ad Felicem Præſidem declarat , dicens :* De ſecta autem Nazarenorum , ſupra qua accuſor , ſic Deo meo deſervio , ut paternis non obviem traditionibus . *In Antiochia verò ad evitandam ironiam Judæorum , nomen Chriſtianorum primitus exortum eſt . Et hoc Sacramento ab Apoſtolis , antequam dividerentur , inſtituto baptizatis , & in Chriſto renatis per Apoſtolos & eorum ſucceſſores Epiſcopos , ut tutorem haberent Paraclitum per manus impoſitionem, & per Chriſmalis Olei inſignitionem cœpit Spiritus Sancti orando donari chariſma . Quia verò Oleum Infirmorum ab Apoſtolis inſtitutum teſtatur Jacobus Apoſtolus dicens :* Infirmatur quis in vobis ? inducat Presbyteros Eccleſiæ , ut orent ſuper eum , ungentes eum Oleo ſanctificato . Et oratio Fidei ſalvabit infirmum ; & ſi in peccatis fuerit , remittetur ei . *Hoc omni tempore inter Miſſarum ſolemnia a Presbyteris in eo loco , ubi ſic legitur :* Per quem hæc omnia bona creas , *ſolebat conſecrari . Nunc verò a ſolis Epiſcopis in eodem loco Miſſæ in Cœna Domini conſecratur . Oleum verò Chriſmale odoriferi balſami recipit commixtionem . Oleum enim miſericordiæ & veritatis & luminis ſic odorem ſuum longe lateque habet diſpergere , ut ex bonis operibus a videntibus honorificetur Pater noſter , qui in cœlis eſt , & qui non conſentiunt veritati , non habeant unde detrahant religioni . Beatus verò Anacletus Clementis ſucceſſor in Epiſtola ſua Decretali dicit , Epiſcopum minus quàm a tribus non poſſe conſecrari . Et hoc exemplo Jacobi Hieroſolymitani comprobat Epiſcopi , qui a Petro & Johanne & Jacobo ordinatus eſt , & hoc in Dominicis diebus . Dicit etiam , caput Epiſcopi debere Chriſmate*

A *perungi , ut principale noſtrum , qui eſt mens , Spiritu Sancto delibuta ſecundùm Dei imaginem vivat & ſapiat & conformetur , & ut manus ejuſdem , per quas opera deſignantur , Chriſmate perungantur , ut poſſit audire a conſecrante :* Quæcumque benedixeris , ſint benedicta , & quæcumque conſecraveris , ſint conſecrata . *Hæ ſunt manus , quæ Chriſma conficiunt, cujus unctione ad invocationem Epiſcopi ſeptiformis gratia ſuper baptizatos Sancti Spiritus effunditur . Et quæ eodem Chriſmate manus perungant Sacerdotis , eiſque poteſtatem tribuant baptizare & prædicare , & Miſſas tam pro vivis quàm pro defunctis decantare . Conſecrationes verò Eccleſiarum & Altarium a beato Silveſtro* B *in Eccleſiaſticis Hiſtoriis ſumſiſſe legimus exordium . Nam antea licèt Oratoria eſſent, in quibus Dei Populus conveniebat , non tamen Altaria vel Eccleſias , Paganorum ſæviente procella audebant publice habere conſecratas , ſed in Cryptis & Cœmeteriis & in domibus occulte Miſſas celebrabant . Poſtquam verò Conſtantinus Chriſtianæ ſe ſubjecit Religioni , in Palatio ſuo Lateranenſi Eccleſiam in honore Salvatoris ædificavit , & ut imago Salvatoris publice depingeretur in parietibus , & imago Jovis ex alto dejiceretur , & ut Templa clauderentur , & Eccleſiæ publice ædificarentur , inſtituit . Et ex illo tempore cœperunt menſæ Altarium lapideæ Chriſmate perungi in ſimilitudinem lapidis il-* C *lius , quem erexit Jacob in titulum , qui Chriſtum deſignabat ,* qui eſt lapis angularis , qui fecit utraque unum . *Sunt præterea & alia Sacramenta , quibus nunc utitur Eccleſia Dominico exemplo , quamvis non tradito præcepto , ut eſt exſufflatio in Exorciſmis , effetatio in Catechumenis , & manus impoſitio , qua Baptizatis conſignando Sanctus datur Spiritus , & qua reconciliantur Peccatores matri Eccleſiæ, & quæ Epiſcopis & Sacerdotibus & Levitis virtus traditur miniſterii .*

Explicit Libellus de Sacramentis a Bonizone Sutrino Epiſcopo editus , ad Gualterium Leonenſis Cœnobii Monachum & Priorem miſſus.

Ceterum quæ hactenus dixi de pia veterum Fidelium munificentia in inſtituendis atque di- D tandis tot Caritatis Chriſtianæ domiciliis , optandum eſt , ut præſentes & poſteros ad imitationem atque æmulationem commoveant . Sed potiſſimum commendanda illa loca , quæ veris Pauperibus , & Ægrotis ſubſidium præbent . At in Peregrinorum hoſpitiis , ſi aliquid fortè deſiderem , mihi facile , ut ſpero , etiam probi ignoſcent . Utique laudanda piorum hominum peregrinatio , eiſque tectum & victum amore Chriſti largiri , ſine ulla hæſitatione mercede ſua in cœlis minime fraudabitur . Verùm tot ex hiſce peregrinis num germanæ devotionis cauſsâ ad Sanctorum loca pergunt ? Experientia negat . Ii nempe manuum laborem E averſati , quamquam robuſtiſſimi , erroneam vitam perquam ſuavem eligunt : atque huc & illuc , dum vires adſunt , excurrentes , & ad eadem loca , quæ antea inviſerant , regredientes , Clericalem etiam (quod turpe ac intolerandum eſt) habitum nonnumquam mentiti , in ebrietatem & furta etiam proni, procaciſſime hinc inde eleemoſynas corradunt . Nonne panis, quem perditæ ejuſmodi nebulonum turmæ uſurpant , rectius effunderetur in pauperrimos patriæ ſuæ Cives (neque enim iis ulla Civitas, ullus locus caret) atque in peregrinos tantummodo veræ Pietatis cauſsâ itinerantes ? Vide , quæ dicam in calce Diſſertationis LVIII. *de Chriſtian. veneratione erga Sanctos.*

DE JUDICIIS DEI,

SIVE

EXPERIMENTIS VETERUM,

AD SCRUTANDUM HOMINUM CRIMEN,

SIVE INNOCENTIAM.

DISSERTATIO

TRIGESIMA OCTAVA.

DISSERTATIO TRIGESIMAOCTAVA.

INter antiquorum ritus, qui ad tempora noſtra minime penetrarunt, immo jamdiu proſcripti ſunt, *Judicia Dei* potiſſimùm animadvertere ad eruditionem noſtram pertinet. Eo nomine olim ſignificabantur experimenta a Chriſtianis inſtituta cum invocatione nominis divini, ut ſi quando objecta alicui crimina dubia, aut occulta forent, accuſationem ſuam actor, interveniente Deo, probare, aut reus eluere poſſet. Nimirum ſibi nullo negotio eorum temporum homines perſuadebant, Deum ſcelerum ultorem, innocentiæ verò patronum, prodigiis quoque, ſi invocaretur, certaturum pro detegenda veritate, quam pertingere oculi humani acies nequibat. Hinc ſenſim varii inſtituti fuere modi, quibus explorari putabatur de controverſis criminibus ſcientia & teſtificatio Dei. Proinde experimenta hæc appellata fuere *Judicii Dei*, quaſi ad omniſcientis Judicium controverſia deferretur, & inde juſta ſententia exſpectanda foret. *Purgationes* quoque dicebantur, quoties ad ea confugiebat accuſatus, ut inlatum crimen a ſe removeret. Omnium antiquiſſima Purgatio, neque ſolùm antiqua, ſed ſemper a Conciliis & Patribus probata, *Jusjurandum* fuit, quod alio nomine *Sacramentum* vocarunt. Ut major in ipſo emittendo reverentia foret, illud ſuper Sanctorum tumulis atque Reliquiis præbere, mos olim fuit. Circiter Annum Chriſti CCCCIV. Sancti Auguſtini diſcipulus accuſatus a Bonifacio Presbytero, crimen in ipſum Bonifacium tranſtulit. Dubia res erat; ſcandali periculum inſtabat. Quid heic Auguſtinus? *Elegi* (ita ille ſcribit Epiſtolâ 78. olim 137.) *aliquid medium, ut certo placito ſe ambo conſtringerent ad locum ſanctum ſe perrecturos, ubi terribiliora opera Dei non ſanam cujuſcumque conſcientiam multo facilius aperirent, & ad confeſſionem vel pœnâ vel timore compellerent* &c. *Multis notiſſima eſt ſanctitas loci, ubi beati Felicis Nolenſis Corpus conditum eſt: quo volui ut pergerent; quia inde facilius fideliuſque ſcribi poteſt quidquid in eorum aliquo divinitus fuerit propalatum.* Et ſane quàm celebris eâ tempeſtate foret Sancti Felicis Nolani tumulus, ex hujuſmodi etiam miraculis, Natales in ejus honorem conſcripti a Sancto Paulino (quorum pars a me primum evulgata fuit in Tomo primo Anecdotorum) ſatis produnt. Addit Auguſtinus: *Nam & nos novimus, Mediolani apud memoriam Sanctorum, ubi mirabiliter & terribiliter Dæmones confitentur, furem quemdam, qui ad eum locum venerat, ut falſum jurando deciperet, compulſum fuiſſe confiteri furtum.* Ita Gregorius Magnus in Epiſtola 33. Lib. 2. ad Juſtinum Prætorem ſcribit, ſe in Leone quidem Epiſcopo nullam inveniſſe culpam: attamen ſubdit, *ne quid videretur omiſſum, aut noſtro potuiſſet dubium cordi remanere, ad beati Petri ſacratiſſimum Corpus diſtricta eum ex abundanti fecimus ſacramenta præbere. Quibus præſtitis, magnâ ſumus exſultatione gaviſi, quòd hujuſcemodi experimento innocentia ejus evidenter enituit.* Idem factum a Martino Diacono ipſe tradit Epiſtolâ 18. Lib. 7. ut alia loca omittam. Ad Sancti quoque

A Geminiani Mutinenſium Epiſcopi & Patroni tumulum habita hujuſmodi Judicia, oſtendam in Diſſertatione LVIII. *de Chriſtian. veneratione erga Sanctos*. Immo quoties Epiſcopis, atque ipſis Romanis Pontificibus aliquod crimen objectum fuit, non aliam viam iidem inierunt, ut ſe ſe innocentes oſtenderent. Sed quia perquam commodâ ratione videbantur multi criminationes evadere, interpoſito dumtaxat Jurejurando, ſancitum fuit ab antiquis Principibus, diuque ſervatum, ut accuſatus alios quoque adhiberet teſtes innocentiæ ſuæ, quos *Sacramentales*, vel *Sacramentarios*, vel *Conjuratores* appellare vulgo conſueverunt. Atque hinc B nata formula dicendi, *jurare quartâ manu*, *quintâ manu* &c. hoc eſt, quatuor, quinque, & pluribus conjuratoribus adhibitis ſe ſe purgare. Id moris in Italia quoque temporibus Langobardorum fuiſſe obſervatum, nos edocebit Lex 367. Rotharis Regis Part. II. Tomi I. Rer. Italicar. ubi hæc verba: *Si contigerit, hominem poſt datum fidejuſſorem de Sacramento, & Sacramentales nominatos, mori* &c. Additur ibi: *Sacramentum tunc intelligitur ruptum, quando præſentibus ſacroſanctis Evangeliis, aut armis ſacratis, ille, qui pulſatur, cum Sacramentalibus ſuis ſe conjunxerit* &c. Uſitatiſſimum vero fuit ubique Jusjurandum emittere ad C *Sancta Dei Evangelia*, teſtibus etiam ſanctis viris Ambroſio, & Gregorio Nazianzeno. Propterea in ejuſdem quoque Rotharis Lege 364. iterum occurrit *jurare ad Evangelia ſancta cum duodecim aidis ſuis, ideſt Sacramentalibus: & jurare ad arma ſacrata*. Scilicet omnibus Septemtrionalibus Populis, uti Du-Cangius erudite oſtendit in Gloſſario Latino, maxime probabantur Sacramenta præſtita tactis armis, quibus benedixerat ante Sacerdos. Proinde a ſcopo aberravit Macer in Hierolexico ad vocem *Juramentum*, contendens, heic ſignificari *Arma Sacerdotalia*, hoc eſt, *inſtrumenta Sacrificii*, ſeu *Paramenta ſacra*. De veris armis hæc D intelligenda ſunt, in quibus poſt Sacra opinionem Honoris ſtatuebant tunc militares viri. Locum verò & formulam ad jurandum præſcripſit Italico Populo Carolus Magnus in Lege Langobard. 38. hiſce verbis: *Omnia Sacramenta in Eccleſiis, aut ſuper Reliquias jurentur. Et quæ in Eccleſia juranda ſunt, vel cum ſeptem electis, aut ſi duodecim eſſe debent. Et ſic jurent: Si illum Deus adjuvet, & illi Sancti, quorum Reliquiæ iſtæ ſunt, ut veritatem dicat.* Plura non addo, ne longius, quàm par ſit, Lectorem in hocce argumento deducam. Illud tantummodo adjiciam, hunc unum Purgationis modum pro legitimo a Patribus ſemper habi- E tum, & Canonicum adhuc appellari. Conſulendus eſt in hanc rem Gratianus Cauſsâ 2. Quæſtion. quinctâ, & Gregorius IX. in Decretal. Lib. quincto, Tit. 34. de purgat. Canonicâ.

Judiciis quoque Canonicis adjungenda videretur *Purgatio per Euchariſtiam*, cujus hæc fuit methodus. Quum accuſatus ſuſpicionem a ſe amoliri cupiebat alicujus criminis, quod manifeſtis rationibus aut confirmari, aut dealbari nequibat, ad ſacram Synaxim adducebatur. Et antequam Domini Corpus ore acciperet,

ret, coram adſtantibus proteſtabatur: *Corpus Domini ſit mihi ad probationem hodie*, aut aliud quid ſimile. Quo facto quies ei reſtituebatur, dimiſsâ Deo curâ puniendi hominis, ſi is mendax commiſſum facinus negaſſet, aut ficte pollicitus aliquid fuiſſet. Purgationem hanc Hadrianus II. Papa Anno DCCCLXIX a Lothario Lotharingiæ Rege, ſuiſque comitibus accepit. Atque ipſe Rex, ceterique divino, quemadmodum creditur, judicio percuſſi, brevì finem vivendi fecerunt, ut habent Annales Bertiniani, Metenſes &c. Sed præcipue Epiſcopi & Sacerdotes, alicujus culpæ inſimulati, conſuevere Sacrum celebrare, & ad Communionem palam ſeſe innocentes profiteri, Deum vindicem invocantes, ſi mentirentur. Ita Gregorius ipſe Septimus Papa Anno MLXXVII. ſe purgavit Canoſſæ coram Henrico IV. Germaniæ ac Italiæ Rege: tum alii Epiſcopi & Presbyteri, quos omitto. A nonnullis etiam Conciliis probata eſt ejuſmodi Purgationis forma, in qua nihil ſuperſtitionis, nullamque Dei tentationem invenias. Et ſane vix a *Jurejurando* differt. Attamen Sæcula poſteriora unum *Jusjurandum* pro legitima & Canonica Purgatione acceperunt. Sed præter iſtas excogitatæ ſunt ab antiquis aliæ rationes eruendæ, ut ſibi perſuadebant, veritatis occultæ, & accuſationis aut confirmandæ aut diluendæ, idque non ſine ingenti temeritatis, & nimiæ credulitatis nota. Non has Eccleſia adinvenit, non has Romani Pontifices umquam probarunt: immo eas tandem penitus ſuſtulerunt. Propterea *Purgationes vulgares*, quaſi a vulgo inſtitutæ, appellabantur; uti & *Judicia Dei*, cujus nominis cauſſam antea aperui. Primum locum faciam *Judicio Aquæ frigidæ*. Quum gravia flagitii alicujus indicia quemquam gravabant, ſed non ita, ut convinci reus poſſet, res ad Deum judicanda deferebatur, piâ quidem, ſed temerariâ, ut dixi, perſuaſione. Parabatur, ſive deligebatur lacus Aquæ, ad quem accuſatus, antea in Templo monitus & adjuratus, accedebat: & præmiſſis orationibus, atque invocato Deo teſte veritatis, ac ſcelerum vindice, in altum projiciebatur, intentis interea adſtantium oculis, num aqua eum reciperet, an ſuſtentaret. Non ingratum, puto, Lectoribus erit, accipere deſcriptum verbis antiquorum hunc ritum, quando ejus duplex monumentum ex membranis eductum præſto mihi eſt. Primum deſcripſi e pervetuſto Antiphonario, nempe circiter Annum Chriſti MCL. manu exarato, & exſiſtente in Bibliotheca inſignis Capituli Metropolitani Canonicorum Mediolanenſium; quod olim ſpectabat ad Canonicam Vallis Travaliæ. Alterum excerpſi ex antiquiſſimo Rituali MSto, quem olim poſſidebat amicus meus D. Cæleſtinus Lorefice Monachus Benedictinus. Ita verò inſcribitur Mediolanenſis MSti Ritus.

Ordo ad faciendum Judicium ad Aquam frigidam.

HOc eſt verum Judicium ad hominem, qui debet exire in Aquam frigidam, *quando Romani propter invidentiam tulerunt Domno Leoni Papæ oculos & linguam, propter theſaurum Sancti Petri. Tunc venit ad Imperatorem Carolum, ut eum adjuvaret de inimicis ſuis. Tunc Imperator duxit eum Romam, & reſtituit eum in locum ſuum, & theſaurum ſupradictum non potuit invenire aliter, niſi per iſtud Judicium; quod Judicium fecere Beatus Eugenius, & Leo, & Imperator, ut Epiſcopi & Abbates & Comites firmiter teneant & credant, quod probatum habuerunt illi ſancti Viri, quod invenerunt. Quum homines vis dimittere in Aquam frigidam ad probationem, ita debes facere. Accipe illos homines, quos vis mittere in aquam, & duc eos ad Eccleſiam coram omnibus. Et cantet Presbyter Miſſam, & facit illos ad ipſam Miſſam offerre. Quum autem ad Communionem venerint, antequam communicent, interroget eos Sacerdos conjuratione iſtâ, & dicat*: Adjuro vos homines per Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, & per veram Chriſtianitatem, quam vos ſuſcepiſtis, & per Unigenitum Dei Filium, & Sanctam Trinitatem, & per ſanctum Evangelium, & per iſtas Reliquias, quæ in hac Eccleſia ſancta ſunt, ut non præſumatis ullo modo communicare, neque accedere ad hoc ſanctum Altare, ſi vos hoc feciſtis, aut conſenſiſtis, aut ſcitis, qualiter hoc egerint. *Si autem homines tacuerint, & nemo ullum ſermonem dixerit, tunc accedat Sacerdos ad Altare, & communicet ex illis quemcumque vult mittere in Aquam. Quum communicant, dicat Sacerdos ad unumquemque per ſingulos*: Hoc Corpus & Sanguis Domini noſtri Jeſu Chriſti ſit tibi acceptum ad probationem hodie. *Expletâ Miſsâ faciet ipſe Sacerdos Aquam benedictam, & accipiat ipſam Aquam, & vadant ad locum, ubi homines probati debeant eſſe. Quum autem venerit ad jam prædictum locum, præbeat illis omnibus de ipſa ſupra benedicta Aqua bibere. Ut autem dederit, dicat ad unumquemque*: Hæc eſt Aqua benedicta. Sit tibi ad comprobationem fidei. *Poſtea verò conjuret Sacerdos Aquam, ubi illos mittere debet*: Adjuro & benedico te, Aqua, in nomine Dei Patris omnipotentis, qui te in principio creavit, & juſſit miniſtrari humanis neceſſitatibus. Qui etiam te juſſit ſegregari ab aquis ſuperioribus. Adjuro te etiam per ineffabile nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti, Filii Dei omnipotentis, ſub cujus pedibus mare elemento aquarum ſe calcabile præbuit; qui etiam ſe baptizari in aquarum elemento voluit. Adjuro te etiam per Spiritum Sanctum, cujus voluntate mare diviſum eſt, & Populus Iſraël per illud ſiccis veſtigiis tranſivit: ad cujus etiam veſtigii invocationem Elias ferrum, quod de manubrio exierat, ſuper Aquas natare fecit: ut nullo modo ſuſcipias hos homines, ſi in aliquo ex his ſunt culpabiles, quod illis objiciat, ſcilicet aut per opera, aut per conſenſum, aut per ſcientiam, aut per ullum ingenium. Sed fac eos natare ſuper te, ut nulla poſſit eſſe cauſa aliqua, aut nulla præſtigiatio, quæ illos poſſit non manifeſtare. Adjuro te per Nomen ejus obedias, cui omnis Creatura ſervit, quem Cherubin & Seraphin laudant dicentes: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum*; qui etiam dominatur per infinita ſecula ſeculorum. Amen. *Item poſt conjurationem Aquæ apprehendat ipſos homines, qui ad Judicium debent intrare. Exuat illos veſtimentis eorum, & faciat oſculari ſingulos Sanctum Evangelium & Crucem Chriſti. Poſt hæc iſta conjuratio fiat per unumquemque*: Adjuro, homo, per invocationem Domini noſtri Jeſu Chriſti, & per Judicium Aquæ frigidæ. Adjuro vos/te per Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, & per Trinitatem inſeparabilem; & per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum;

ſtum ; & per omnes Angelos & Archangelos ; & per Nomen Dei ; & per diem tremendum Judicii ; & per viginti quatuor Seniores , qui cotidie Deum laudant ; & per quatuor Evangeliſtas Marcum & Matthæum , Lucam & Johaneem ; & per duodecim Apoſtolos ; & per omnes Sanctos Dei , per Martyres & Confeſſores atque Virgines , & Principatus & Poteſtates & Dominationes & Virtutes ; & per Thronos , Cherubin & Seraphin ; & per omnia ſecreta Cœleſtia ; & per tres pueros Sidrac , Miſac , & Abdenago , qui cotidie Deum laudant ; & per centum quadraginta quatuor millia , qui pro Chriſti nomine paſſi fuerunt ; & per Mariam Matrem Domini noſtri Jeſu Chriſti ; & per cunctum Populum ſanctum Dei ; & per illud Baptiſmum , quod Sacerdos vos/te regeneravit : vos/te adjuro , ut ſi vos/tu hoc furtum ſcitis/ſcis aut audiſtis/audiſti aut bajulaſtis/bajulaſti aut in domos veſtras/domum tuam recepeſtis/recepeſti aut conſentientes/conſentiens aut conſentanei fuiſtis/conſentaneus fuiſti aut ſi habetis/habes cor incraſſatum vel induratum , aut ſi inculpabiles eſtis , evaneſcant corda veſtra , / inculpabilis es , evaneſcat cor tuum , & non ſuſcipiat vos/te Aqua , neque ullum maleficium contra prævaleat . Per *&c.* *Oratio* . Propterea obnixe te deprecamur , Domine Jeſu Chriſte ; tale ſignum fac , ut ſi culpabiles ſunt hi homines , / culpabilis eſt hic homo , nullatenus recipiantur/recipiatur ab Aqua . Hæc Domine Jeſu Chriſte , ad laudem & gloriam & invocationem nominis tui , ut omnes agnoſcant , quia tu es benedictus Deus , qui vivis & regnas in Secula ſeculorum . Amen . *Deinde accipiat modò Presbyter de ipſa Aqua benedicta , quam prius fecerit. Aſpergat ſuper unumquemque : & ſtatim illos projiciat in Aquam .*

Accipe nunc non diſſimilem narrationem ex prælaudato MSto Rituali.

Benedictio Aquæ Frigidæ *ad furtum* .

JUſtum Judicium homines , quia verum eſt , quod Domnus Papa Eugenius conſtituit ad faciendum , ut nullum liceat perjurare ſuper Sancta Sanctorum , juſtum faciant , Epiſcopi , Abbates , & Comites , & Vaſſi Dominici . Et eſt conſtitutum in omnem regionem Romanorum. Adjuro te , homo , per Patrem & Filium & Spiritum Sanctum ; per Diem tremendum ; per viginti quatuor Seniores , qui quotidie laudant Deum ; per centum quadraginta quatuor millia , qui Chriſti Martyres ſunt ; & per omnes ſanctas Virgines ; & per beatam Virginem Mariam , quæ Chriſtum portare meruit ; & per illum Baptiſmum , quem Sacerdos ſuper te regeneravit . In hoc tibi ſupra dico , cum Sanctis tibi invocor , ut tu (ille) de hoc furto aut conſenſiſti , aut bajulaſti , aut conſentaneus fuiſti . Cor incraſſatum aut induratum . Si culpabilis es , non ſuſcipiat eum hodie Aqua . Pro hoc , Domine , fac ſignum tale , ut omnes co-

A gnoſcant , quia tu es Deus benedictus in ſecula ſeculorum . Amen . *Incipit Judicium , quod fecit Beatus Eugenius cum Domno Papa Leone , & Domino Karolo Magno Imperatore , & Romani , propter theſaurum Sancti Petri , & invidiam inſimul tulerunt Leoni Papæ oculos & linguam . Ille evaſit vix de manibus eorum , & venit ad Imperatorem Karolum , ut eum adjuvaret de ſuis inimicis . Et tunc Imperator reduxit eum Romæ . Et theſaurum ſupradictum non potuit invenire aliter , niſi per juſtum Judicium , quod fecit beatus Eugenius , & Leo Papa , & Imperator Karolus , ut Epiſcopi , & Abbates , ſeu Comites firmiter teneant & credant , quia probatum habuerunt illi Sancti , quos invenerunt . Iſtam facere debes , quum hominem vis mittere in Aquam ad probacionem . Tunc accipe illos homines , quos in voluntate habes mittere in Aqua : & duc eos ad Eccleſiam . Et coram omnibus canant Miſſam , & faciat eos ad ipſam Miſſam offerre . Quum autem ad Communionem venerint , antequam communicent , interroget eos Sacerdos , & conjurationem iſtam dicat . Conjuratio hominis .* Adjuro vos , homines , per Patrem , & Filium , & Spiritum Sanctum *&c.* (a) *Si autem omnes tacuerint & nullus hoc dixerit , accedat Sacerdos ad Altare , & communicet eos , quos vult mittere in Aqua . Quum autem communicat , dicat Sacerdos per ſingulos :* Corpus & Sanguis Domini noſtri Jeſu Chriſti ſit tibi hodie ad probationem . *Poſtea verò conjuret Sacerdos Aquam , ubi homines mittendi ſunt . Conjuratio Aquæ :* Adjuro te , Aqua , in nomine Dei Patris omnipotentis *&c.* (b) *Poſt conjurationem autem Aquæ , exuat illos veſtimentis eorum : & faciat illos oſculari Sanctum Evangelium & Crucem Chriſti . Poſt hæc de ipſa Aqua benedicta aſpergat Presbyter ſuper unumquemque , & projiciat eos ſtatim in Aqua per ſingulos . Hæc autem omnia facere debent jejunando . Neque illi comedant cibos , neque qui pro ipſis mittuntur in Aqua . Conjuratio hominis :* Adjuro vos , homines/te , homo ill. per invocationem Domini noſtri Jeſu Chriſti , & per Judicium Aquæ frigidæ *&c.* (c)

Quum audis , communicantibus exhibitum fuiſſe *Corpus & Sanguinem Domini* , habes etiam antiquitatem Ritus , qui in uſu fuit , antea quàm Calicis uſus Laicis , ita jubente Eccleſia , adimeretur . Simul autem animadverte , non vulgo tantùm probata olim fuiſſe hujuſmodi ſpuria Judicia , ſed etiam nonnullis Eccleſiaſticis viris , quandoquidem in ſacris eorum Ritualibus , non ſecus atque alia Eccleſiaſtica inſtituta occurrunt . Et ſane ex ipſis Ritualibus alias non diſſimiles ejuſdem Ritus formulas edidere Juretus , Lindenbrogius , Goldaſtus , Mabillonius , Du-Cangius , Bignonius , & alii . Neque mirum , quod tanta fides adjungeretur hujuſmodi probationum generi : quum ejus inſtitutores venditarentur , ſi ſuperis placet , Leo III Romanus Pontifex , & Carolus Magnus , & Beatus Eugenius , idem fortaſſe , qui Landulpho Seniori Lib. 2. Cap. undecim. Hiſtor. Mediolanenſ. Tom. IV. Rer. Italicar. memoratur . Grandia hæc nomina fidem miram invento conciliabant . Neque rudis Popelli erat fictioni larvam detrahere , & præſertim quod a Sacerdotibus quibuſdam res proponebatur , eorum-

(a) Formulam hujus conjurationis habes ſupra in *Ordine ad faciendum Judicium* &c.

(b) Conjuratio Aquæ heic eſt eadem , quam accepiſti in ſupra laudato *Ordine* .

(c) Vide ſupra formulam Conjurationis hominum.

rumque Rituales Libri veluti certam hanc detegendæ veritatis formam commendabant. Hincmarus ipſe Remenſis Epiſcopus, vir doctiſſimus, inventum hoc laudabat in Opuſculo *de divortio Lotharii*. Sed jam exclamantes audi: o barbarum ac truculentum morem, fabulamque ſumme pernicioſam, quæ hominibus fortaſſe culpa carentibus tam facile vitam eripiebat! Bona verba quæſo. Et mihi olim ea opinio inſederat, infelices ita demerſos animas reliquiſſe ſub aquis; ac proinde ritum barbaricum exſecrabar. Gregorius Turonenſis Lib. primo, Cap. 69. & 70. de Gloria Martyrum, auctor eſt, duas mulieres adulterii accuſatas, *ut aquis immergerentur dijudicatas fuiſſe*. Ex iis una innocens reputata *ſuper aquas ferri cœpit*. Alteram *ſtilus ſub aquis tenuit, ne ad fundum fluminis perveniret*: idque miraculi loco fuit; quapropter veluti inſons dimiſſa eſt. Ad hæc Du-Cangio referente, in Statutis MStis Caroli I. Siciliæ Regis, qui poſt dimidium Sæculi XIII. regnavit, iſta leguntur: *Quant aucuns eſtoit accuſez d'aucun crime, dont il deuſt eſtre noyez, s'il n'eſtoit coupables, il ne pooiet noer. Mais ce n'eſt mie voirs; car ce feſoit li banſices de l'air, qui le retient, non mie autre choſe*. Quæ, ſi bene intelligo, hæc ſonant: *Quum de aliquo crimine quiſquam accuſabatur, propter quod in aqua ſuffocandus eſſet: ſi innocens erat, ſuffocari non poterat. Sed iſtud minime verum eſt; fiebat enim aëris beneficio, qui projectum in aquas retinebat: neque ob aliam cauſſam id contingebat*. Hæc & mihi ante oculos erant olim. Verùm in hanc rem diligentius introſpiciens, deprehendi, aliter rem actam antiquioribus Sæculis. Clariſſimus vir P. Edmundus Martene Monachus Benedictinus Tom. 3. Lib. 3. Cap. 7. de antiqu. Eccleſ. Ritib. aliquot congeſſit formulas *Probationum in aqua frigida*, ex Archivis Gallicis; nam & ibi idem mos ſummo in honore & vigore fuit. Ita & P. Pezius in Theſauro Anecdotor. noviſſim. Part. 2. Tomi 2. pag. 635. Et antea Mabillonius in Analectis pag. 161. noviſs. edition. alias edidere Formulas ejuſmodi Ritus. Itaque apud eumdem Martene iſta leguntur: *Deinde verò cordâ quadam, quæ eum tenere queat, circa lumbos alligetur, atque in cordâ fiat nodus; & ſic in aquam ſuaviter, ne aquam commoveat, demittatur. Si verò uſque ad nodum demerſus fuerit, extrahatur ceu ſalvus; ſin autem, quaſi reus a videntibus æſtimetur*. Itaque animadvertendum eſt (ſecus quàm ego ſcripſeram in Notis ad Legem Langobard. 55. Lotharii I. Part. II. Tom. I. Rer. Italicar.) eos ſolùm in ejuſmodi Judicio culpæ reos fuiſſe habitos, quos aqua averſabatur, atque in ſinu ſuo recipere negabat, perinde quaſi ſcelere inquinatos ipſa quoque horreret. Ceterum qui revera demergebatur, protinus veluti innocens reputatus, ex aqua incolumis educebatur. Attentius vide, quid in ſupra evulgato Ritu contineatur. Adjurat Sacerdos Aquam, *ut nullo modo ſuſcipiat eos homines, ſi in aliquo ſunt culpabiles; ſed faciat eos natare ſuper ſe*. Infra adjurantur *homines, ut ſi furtum ſciant, aut receperint* &c. *aut ſi inculpabiles ſint* (pro *culpabiles* ita ibi ſcriptum) *evaneſcant eorum corda, & non ſuſcipiat eos Aqua*. Ita in alterâ Formulâ apud ſupra laudatum Martene rogatur Deus, *ut ſi innocens de hoc furto, unde purgatio quærenda eſt, in hanc Aquam corpus ſuum immittere voluerit, confeſtim ab ipſa excipiatur Aqua. Si autem culpabilis aut reus* &c. *ab iſta Aqua rejiciatur* &c. Diſerte etiam tradit ſupra memoratus Hincmarus, *conligatos fune in aquam fuiſſe demiſſos, ne ſi innoxios Aqua reciperet, ii periclitarentur*. Quare nocentes, uti ſupernatantes, minime in imum, ut ferunt, dilabebantur. Atque, ut vides, nullum aliud in ejuſmodi Judicio periculum aderat, niſi quum Aqua irata ſinum aperire nolebat cadenti homini: tunc enim is illati criminis reus decernebatur. Commodiſſimam profectò dicas vel pro perditiſſimis hominibus viam iſtam ſeſe purgandi. Immo veniam efflagito ego, ſi ſuſpicer, ab aliquo verſuto potius quàm pio Viro adinventam fuiſſe rationem hanc explorandæ veritatis, ut per minime periculoſum experimentum ſub ſpecie divinæ Revelationis eriperetur pœnæ aliquis improbus, & veluti teſtimonium innocentiæ haberetur, quod illum aqua in ſinum ſuum excepiſſet, ac minime ſuo dorſo ſuſtentaſſet. Perquam rudes profectò fuerint homines iis Sæculis oportet, & non levi credulitate laborarint, quando ad innocentiam dignoſcendam pro cæleſti voce atque prodigio accipiebant, hominem bene ponderoſum in Aqua mergi. Sed ne quid diſſimulem, in Chronico Moſomenſi edito a Dacherio ad Annum MCLXVI. narratur, ex nonnullis Hæreticis, deprehenſis apud Vizeliacum, duos ſe ſe obtuliſſe examini Aquæ. *Adducti ſunt ergo ad Judicium examinis Aquæ; & eorum unus omnium judicio ſalvus per Aquam factus eſt. Fuerunt nonnulli, qui exinde dubiam tulere ſententiam. Alter porro remerſus in Aquam, fere omnium ore damnatus eſt* &c. *Ipſo petente, ad Aquæ Judicium reductus, & ſecundò demerſus, nec vel parum ab Aqua receptus eſt. Bis denique damnatus, igni ab omnibus adjudicatus eſt*. Guibertus quoque Abbas Novigenti Lib. 3. Cap. 14. de Vita ſua, par miraculum narrat de fure quodam. De altero eadem habet Hermannus Monachus in Lib. Miracul. Sanctæ Mariæ Laudun. Quibus in exemplis vides, ſeſe Deum accommodaſſe interdum ad hominum piam fidem & preces. Mabillonius quoque in Annalib. Benedictin. ad Annum MXXI. & MXXX. paria miracula contigiſſe refert. Si vera ſunt etiam, quæ interdum audivi, in Tranſilvania perdurat adhuc Experimentum *Aquæ* ad dignoſcendas Sagas, ſive Incantatrices maleficas, quarum ingens copia ibi traditur eſſe, & de quibus multa narrantur, quæ tamen credere vera ſapiens nolit, niſi ſuos ipſe oculos teſtes adhibeat.

Ejuſdem quoque generis, & in eumdem finem excogitatum fuit alterum *Judicium Panis & Caſei*. Nempe poſt multas Eccleſiaſticas cæremonias, orationes, Miſſam, & Communionem, accuſato Panis & Caſeus benedicti tradebantur. Si edere & glutire poterat, jam exploratæ illius innocentiæ omnes plaudebant. Sin cibus comedi, atque in ventriculum demitti nequibat, continuò objecti criminis reus dijudicabatur. *Judicium Caſei* in Germanico Codice proſtans indicarunt etiam Eccardus, & Clariſs. P. Godefridus Abbas Gottwicenſis Lib. I. Cap. II. Chronici Gottwicen. Accipe nunc ejuſmodi Ritus deſcriptionem nondum editam ex antiquiſſimo Rituali ſupra mihi memorato.

Bene-

Benedictio Panis & Caſei .

AGios , Agios , Agios . Sancte Pater , qui es inviſibilis , æterne Deus , omnium rerum Creator , Deus ſpiritalium orator , qui cunctorum conditor es , & arcana conſpicis . Qui ſcrutaris corda & renes , Deus , deprecor te ; exaudi verba deprecationis meæ , ut qui hoc furtum admiſerit, Panis vel Caſeus iſte fauces & guttura eorum tranſire non poſſit . Amen . *Alia benedictio* : Domine, qui liberaſti Moiſen & Aaron a dextra Ægypti , Davit de manu Goliæ , Jonam de ventre Ceti, Petrum de fluctibus , Paulum de vinculis , Theclam de beſtiis , Suſannam de falſo crimine , tres Pueros de camino ignis ardentis, Danielem de lacu leonum , Paraliticum de grabato , Lazarum de monumento , oſtende miſericordiam tuam , ut qui hoc furtum commiſerunt , Panis vel Caſeus iſte fauces vel guttura eorum tranſire non poſſit . Per &c. *Conjuratio Panis & Caſei* : Te igitur , clementiſſime Pater , per Jeſum Chriſtum filium tuum Dominum noſtrum ſupplices rogamus & petimus , ut inhæreas linguas gutturibus iſtorum hominum , qui hoc furtum fecerunt vel commiſerunt , aut numquam manducent neque glutiant creaturam tuam Panem & Caſeum iſtum , ut ſciant, quia tu es , & non eſt alius Deus præter te . Summe Deus , qui in cœlis moraris , qui habes ob Trinitatem & majeſtatem tuam juſtos Angelos tuos , emitte , Domine , Angelum tuum Gabrielem , qui ora hæreat gutturibus eorum , qui hoc furtum fecerunt , ut nec manducent nec glutiant creaturam tuam Panem & Caſeum iſtum . Abraam , Iſaac , & Jacob , hos Patriarchas invoco cum duodecim millibus Angelorum & Archangelorum . Invoco quatuor Evangeliſtas Marcum , Matthæum , Lucam , & Johannem . Invoco Moiſen & Aaron , qui mare diſiverunt : ut ligent linguas gutturibus iſtorum hominum , qui hoc furtum fecerunt, aut conſenſerunt . Si hanc creaturam tuam Panem & Caſeum guſtaverint , tremulent ſicut arbor tremulus , & requiem non habeant nec requieſcant in faucibus eorum creaturam Panis & Caſei ; ut ſciant omnes , quia tu es Deus , & non eſt alius præter te . Per &c *Conjuratio hominis* : Conjuro te , *homo* , per Patrem & Filium & Spiritum Sanctum , & per tremendum Judicii diem , per quatuor Evangeliſtas , per duodecim Apoſtolos, & per ſexdecim Prophetas , & per viginti quatuor Seniores , qui cotidie in laudem Dei adorant , per illum Redemtorem, qui pro noſtris peccatis manus ſuas ſanctas in Cruce ſuſpendere dignatus eſt ; ſi in hoc furtum mixtus es , aut feciſti, aut bajulaſti , taliter tibi ordinetur de manu Domini , vel de tanta ſua ſancta gloria & virtute , ut Panem & Caſeum iſtum non poſſis manducare, niſi inflato ore , cum ſpuma & gemitu & dolore & lacrymis ; faucibuſque tuis ſis conſtrictus per Eum, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos , & Seculum per ignem .

In Antiphonario quoque vetuſtiſſimo Capituli Metropolitani Mediolanenſis , cujus ſupra mentionem feci , legebatur *Benedictio Panis & Caſei ad inveniendum , qui furatus eſt* . Aſt ego , ne Lectori ſim tœdio , unicum exemplum attuli , & præſertim quod non diſſimilis hujuſce Judicii deſcriptio occurrat apud prælaudatum Martene in Libr. de antiquis Eccleſ. Ritibus . Gravioris contra diſcriminis fuit *Ju-
A dicium Aquæ ferventis*. In hanc demiſſus homo ſi urebatur , intentati criminis nulla defenſio ſupererat . Is enim reus a Cælo indicatus credebatur . Viciſſim verò innocentem deprædicabant (neque injuriâ) ubi is inde illæſus emergebat . Manum tantummodo , non autem corpus totum , in lebetem ferventis Aquæ eâ occaſione ſolitam fuiſſe immitti , antiquorum monumenta teſtantur. Immo innuere videntur, Servos dumtaxat alicujus culpæ arceſſitos ſubiiſſe ejuſmodi Judicium . In Capitulari Ludovici Pii, edito Anno Chriſti DCCCXIX. apud Baluzium Tom. primo Capitular. Reg. Francor. pag. 598. & 669. atque inter Leges Langobardicas Cap. 9. Ludovici Pii , pag 128.
B Part. II Tomi I. Rer. Italicar. ubi de homicidiis intra ædes ſacras perpetratis agitur , hæc habentur : *Si proprius Servus hoc commiſerit , judicio Aquæ ferventis examinetur , utrum hoc ſponte , an ſe defendendo feciſſet . Et ſi manus ejus exuſta fuerit , interficiatur*. Sed longe antea ritum eumdem indicaverat Liutprandus Langobardorum Rex Lege 21. Lib. 5. pag 61. ejuſdem Partis II. Tomi I. Rer. Italicar. his verbis : *Si quis Servum alienum ſine voluntate Domini ſui in ſacramentum miſerit , aut manum in Caldaria mittere fecerit , componat Domino ejus Solidos viginti* . Gregorius quoque Turonenſis non diſſimile experimentum narrat Lib. primo , Cap. 81. de Gloria Martyrum ,
C quod inſtitutum fuit inter Catholicum & Hæreticum in orthodoxæ Fidei teſtimonium . Hac de re legendus Du Cangius in Gloſſar. Latin. ad vocem *Aqua* , & videndæ Formulæ hujus Ritus apud ſupralaudatum Martene Tom. 3. Lib. 3. Cap. 7. de antiquis Eccleſ. Ritibus . Ego tantummodo proferam , quæ in nuper laudato Rituali MSto de hoc Ritu habentur : unde etiam elucebit , nihil aliud quàm *manum* immitti conſueviſſe in Aquam ferventem, quum ejuſmodi experimentum peragebatur .

Benedictio ſuper *Aquam ferventem* .

DEus Judex juſtus , fortis & patiens , qui
D auctor pacis es , & judicas æquitatem , judica quod juſtum eſt , Domine , & rectum Judicium tuum . Qui reſpicis ſuper terram , & facis eam tremere . Tu Deus omnipotens, qui per adventum Filii tui Domini noſtri Jeſu Chriſti Mundum ſalvaſti , & per ſanctiſſimam ejus Paſſionem genus humanum redemiſti : tu hanc Aquam igne ferventem ✠ ſanctifica . Qui tres pueros , ideſt Sidrac , Miſac , & Abdenago , jubente Rege Nabuchodonoſor in camino ignis accenſa fornace ſalvaſti . Tu , clementiſſime Dominator præſta , ut ſi quis innocens de hoc furto , vel ſtupro in hanc Aquam igne ferventem Manum miſerit , ſicut tres pueros ſupradictos de camino ignis ſolvi-
E ſti , & Suſannam de falſo crimine liberaſti , ita & qui innocens de hoc furto in hanc Aquam igne ferventem Manum miſerit , ſalvam & illæſam educat . Ita , Domine omnipotens , ſi quis eſt culpabilis , incraſſante Diabolo cor induratum , præſumſerit Manum ſuam mittere , tu , juſtiſſime , qui es Veritas , heic in corpore ſuo veritatem manifeſta , ut anima per pœnitentiam ſalvetur . Et ſi culpabilis eſt , & per aliquod maleficium , aut per herbas peccatum ſuum tegere voluerit , tua dextera evacuare dignetur . Per &c. *Alia benedictio* : Benedico ✠ te , Creatura Aquæ igne ferventis , in nomine Patris , ex quo cuncta procedunt ,

dunt, & Filii, per quem facta ſunt omnia, & Spiritus Sancti, in quo univerſa ſociantur. Et adjuro te per Eum, qui te ex quatuor fluminibus totam terram rigare produxit: nam & te in vinum mutavit; etiam in te baptizatus eſt. Ut nulla inſidia Diaboli, neque maleficia hominis inimici te a veritate Judicii ſeparare poſſint; ſed punias noxium, & illæſum purifices innocentem, per Eum, cui nulla latent occulta, & qui miſit te per Diluvium ſuper univerſum Orbem, ut peccatores deleres; & adhuc venturus eſt judicare vivos & mortuos, & Seculum per ignem.

Narrantur & de hoc Judicio miracula nonnulla cælitus patrata. Unum præ ceteris refert Hincmarus ſupra memoratus in Libro *de divortio Lotharii*, qui rem quoque ſibi probari ſatis ſignificat. Neque diſpar fuit *Judicium Ferri candentis*. In vetuſto Antiphonario Capituli Metropolitani Mediolanenſis habetur *Benedictio ad Judicium Ferri ardentis in manu*. Scilicet qui illæſus Ferrum candens manibus retinebat, a ſe veritatem aut innocentiam ſtare ejuſmodi prodigio evincebat. Qui adurebatur, certum vulgo præbebat judicium, ſe mentitum, aut crimine illato gravari. En quæ in Rituali MSto de hujuſmodi Judicio reperi.

Benedictio *Ferri* ad Judicium faciendum.

IN *primis benedicatur ignis*: Domine Sancte Pater omnipotens æterne Deus, in nomine tuo, & Filii tui Dei, & Domini noſtri Jeſu Chriſti, & Spiritus Sancti, benedicimus ✠, & ſanctificamus ignem hunc. Adjuva nos, qui vivis & regnas, per *&c. Sequuntur Letaniæ. Poſtea legitur Evangelium*: In illo tempore ductus eſt Jeſus in deſertum *&c. Alia benedictio*: Deus qui tribus pueris mitigaſti flammam ignium, concede propitius, ut nos famulos tuos non exurat flamma vitiorum, per *&c. Alia benedictio*: Deus, quem omnia opera benedicunt, quem Cœli glorificant, quæſumus te orantes, ut ſicut tres pueros de camino ignis incendio non ſolùm illæſos, ſed etiam in tuis laudibus conclamantes liberaſti, ita & nos a peccatorum nexibus abſolutos, a devoragine ignis eripias. Ut dum te Dominum Deum patrem benedictione laudamus, criminum flammas, operumque carnis incendia ſuperantes, ſacrificium tibi debitum fieri mereamur, per Dominum *&c. Alia*: Deus, cui noticiam nullam umquam ſecreta fugiunt, fidei noſtræ tua bonitate reſplende, & præſta, ut quiſquis purgandi ſe gratiâ hoc igni tulerit ferrum, potentiæ tuæ indicio vel abſolvatur innocens, vel obnoxius detegatur, per *&c. Alia*: Benedic, Domine, per invocationem ſanctiſſimi nominis tui, ad manifeſtandum verum Judicium tuum, hoc genus metalli, ut omni dæmonum falſitate procul remotâ veritas veri Judicii manifeſta fiat, per *&c.*

Similem, niſi idem ſit, Ritum ſubnecto. Novem aut duodecim ferrei *Vomeres* candentes ſubſternebantur, ac ſuper eos pedibus nudis incedere eligebat aut jubebatur, qui ſuam veracitatem aut innocentiam probandam ſuſceperat. Victor abibat, qui nullum ab igne detrimentum reportabat; victus, qui lædebatur. In Lege Langobardica 105. Caroli Magni Part. II. Tomi II. pag. 106. Rer. Italicar. edicitur, ut qui homicidium ſe perpetraſſe negaverit, *ad novem Vomeres ignitos Judicio Dei examinandus accedat*. Adeo verò pervulgatum erat & commendatum Ferri candentis Judicium, ut Monachi ipſi non rarò ad illud in rebus dubiis appellarint. Sirmondus V. Cl. in Notis ad Epiſtol. 39. Lib. 3. Goffridi Vindocinenſis acta controverſiæ inter Haimericum Vicecomitem, ac Theodoricum Sancti Albini Abbatem. Vicecomitem adiit Abbas, paratus *aut calidi Ferri Judicio ſecundùm Legem Monachorum per ſuum hominem probare, aut ſcuto & baculo juxta Legem Sæcularium defendere* &c. Mabillonius quoque in Appendice ad Tom. 4. Annal. Benedictinor. num. 42. Chartam refert, in qua Monachi Majoris-Monaſterii ad litem dirimendam uti decreverunt *Solito candentis Ferri Judicio*. Vide quàm altas radices temerarii iſti mores egerint, quando & ipſi religioſi viri in eos conſentiebant, adeo ut *candentis Ferri Judicium* familiare Monachis evaſerit, & veluti *Lex Monachorum* cenſeretur. Quod plus etiam mirere, obnoxiæ fuerunt ejuſmodi Judiciis Imperatrices ipſæ atque Reginæ, quoties in dubium revocabatur illarum honeſtas. Carolus Craſſus Auguſtus Anno DCCCLXXXVII. Annaliſta Saxone teſte, Conjugi ſuæ adulterii crimen objecit. *Illa virginitatem ſe approbare Dei Judicio, ſi marito placeret, aut ſingulari Certamine, aut ignitorum Vomerum examine affirmabat; factoque diſcidio, in Andelam Monaſterium Ancillarum Dei in Alſatia, quod ipſa exſtruxerat, Deo famulatura receſſit, in quo ſepulta multis miraculis præfulget*. Henrici I. Auguſti in Cælitum catalogum illati Conjugem ſanctam norunt omnes *Cunegundem*. Sed non omnibus notum eſt, adactam fuiſſe caſtiſſimam Auguſtam, ut a ſe thori violati ſuſpicionem atque accuſationem removeret, ad Judicium Vomerum ſuſcipiendum. Rem narrat vetuſtiſſimus Auctor Vitæ ipſius apud Ludewigum Tomo primo, pag. 346. Scriptor. Bambergenſ. atque inter cetera ſcribit: *Expurgationis gratiâ ad Vomeres candentes illud ſibi Judicium elegit, quod propter duritiam hominum inſtitutum eſſe cognoſcitur* &c. *Stupentibus & flentibus univerſis, qui aderant, Vomeres candentes nudo veſtigio calcavit, & ſine aduſtionis moleſtia, ſecura pertranſiit*. Ita paucis poſt annis, hoc eſt Anno MXXXIII. inſimulata inhoneſtæ conſuetùdinis Emma Angliæ Regina apud Eduardum Regem filium innocentiam ſuam *Ferri candentis examine* probavit, ſuper novem ignitos Vomeres in pavimento Templi paratos illæſa perambulans. Neque aliâ ratione *quidam homo ingenuus, de homicidio Sigefredi Comitis incuſatus*, culpam a ſe amovit. Hoc eſt, *candenti Ferro ſe expurgavit, & ex decreto Synodi poſt duas noctes illæſus apparuit*, ut habetur in Vita Sancti Meinwerci Epiſcopi Paterbrunenſis Cap. 99. apud Leibnitium Tomo primo Scriptor. Brunſvicenſium. Neque reticere volo famoſum facinus, cujus auctorem habemus Godefridum Viterbienſem Part. 17. Chronici, ubi res geſtas Ottonis III. Auguſti perſequitur. Quum is *juxta Mutinam* verſaretur, deperiit Auguſta Conjux Comitem Urbis, & ad infanda ſolicitavit. Procacem feminam repulit Comes, ſibique ex ejus irâ imminere jam mortem præſentiens, conſciam ſervatæ fidei propriam Uxorem voluit, eique inter cetera dixit:

Tu mihi poſt mortem conſcia teſtis eris.
Si dubium videatur eis, quod teſte probabis,
Judicio Candentis eos Ferri ſuperabis.

Neque

Neque ſecus accidit. Necato Comite, quem apud maritum irata Auguſta calumniata fuerat, illius Uxor intrepida Ottonem Auguſtum adit, & re prodita, ſeſe examini *Ferri candentis* offert, ex quo illæſa prodiit. Flammis propterea adjudicata eſt Imperatrix, cælo auctore damnata. Equidem novi, a Pagio, Leibnitio, aliiſque doctiſſimis Viris concordi calamo nunc inter fabulas amandari totam iſtam Viterbienſis narrationem, quum de ea altum ſilentium ſit apud omnes ſynchronos & propiores Hiſtoricos, & jam communi ſententia inter eruditos ſtatutum ſit, Ottonem III. Auguſtum nuptias numquam cum ulla femina celebraſſe. Attamen alibi animadverti, & nunc repeto, Landulphum Seniorem, Hiſtoricum Mediolanenſem Lib. primo, Cap. 18. Hiſtoriar. Tomo IV. Rer. Italicar. in hæc verba de eodem Auguſto loqui: *Erat Otto Ottonis filius Secundi a conſilio conjugali, mortua Conjuge, ex qua ſibi filium maſculum minime genuerat, alienus. Qui quum in caſtitate videns per humanam fragilitatem perſiſtere ſe non poſſe* &c. Tum pergit dicere, miſſum ab eo fuiſſe Arnulphum Mediolanenſem Archiepiſcopum ad Græcorum Imperatorem, ut ejus filiam ſibi in uxorem peteret. Rebus humanis exemtus eſt Otto III. in juventutis flore Anno MII. Landulphus autem Hiſtoricus hæc de eo ſcribebat circiter Annum MLXXXIV. Quare vides, non exiguum robur hinc accedere Godefridi Scriptoris Italici verbis. Auguſtæ illius impudicæ mortem & facinus ignominioſum ſatius duxerint Germanici Hiſtorici (ſynchronos autem unum aut duos tantùm habemus) ſilentio tegere, quàm in infamiam gentis ſuæ, atque affinium commemorare. Quum verò averſantem ſecundas nuptias Landulphus Ottonem exhibet, indicare etiam videtur, primas ei male ceſſiſſe. Quæri autem poſſet, num præter ſuperſtitionem præſtigiæ quoque & doli in hujuſmodi experimenta coirent. Certe cultores quoque Apollinis in Monte Soracte, Plinio teſte Lib. 7. Cap. 2. *ſuper ambuſtam ligni ſtruem ambulantes, non aduri tradebantur*. Quod & Vergilius ſcripſit Libro undecimo, verſu 787. Æneid.

— — — *Et medium freti pietate per Ignem*
Cultores, multa premimus veſtigia pruna.

Id autem Varro apud Servium ab Hirpinis tentatum ait, quod *medicamento plantas tingerent*. De cultoribus Feroniæ parem audaciam Strabo refert. Albertus quoque Magnus in Libro de Mirabilibus nos docet, quibus medicamentis in manu deferri poſſit ignis ſine læſione deferentis. Ego fabulas ſuſpicor. Experimentum tamen aliis dimitto. Quod certum eſt, diu etiam inter Fideles Chriſti ejuſmodi Judicium locum habuit. Nam (uti auctor eſt Radevicus Lib. primo, Cap. 26. de Geſtis Friderici) in Legibus militaribus ab ipſo Friderico I. Auguſto Anno MCLVIII. promulgatis, *Servus culpatus, non in furto deprehenſus, ſequenti die expurgabit ſe Judicio igniti Ferri, vel dominus juramentum pro eo præſtabit*. Immo quod mirere, vel Anno Chriſti MCCCXXIX. in ipſa Mutinenſi Urbe Ferri igniti experimentum perdurabat, uti fidem facit Bonifacius de Morano in Chronico Mutinenſi, Tomo XI. Rer. Italicar. ubi immanem Theutonicorum militum impotentiam deſcribit in Cives, a quibus & acciti & benevole excepti nuper antea fuerant. *Aggrediebantur etiam* (ſunt ejus verba) *Cives & Comitatinos, aſſerendo, ſe eiſdem pecuniam mutuaſſe, petendo ſibi ſatisfieri de eadem. Et ipſi Mutinenſibus denegantibus, ut rei veritas ſe habebat, & regulam* (nunc *Riga*) *ferream igne calefactam manu ſuam re offerebant. Quam accipiebant nulla habita læſione ipſi Mutinenſes. Theotonici ſic videntes aſſerebant, ſe nolle credere fallaci probationi hujuſmodi, & hoc Arte Magica procedere aſſerebant.*

Ad hactenus recenſita accedat *Judicium Crucis*, cujus eſt mentio in Lege X. Langobard. Caroli Magni, Part. II. Tomi I Rer. Italicar. pag 95. Hæc in Codice Eſtenſi ita legitur: *De eo, qui perjurium fecerit* &c. *Quod ſi accuſator contendere voluerit de ipſo perjurio, ſtent ad Crucem*. In Capitularibus quoque Regum Francorum non ſemel experimenti hujus mentio occurrit. Multum verò ſe fatigavit eruditiſſimus Du-Cangius in Gloſſar. Latin. ut decerneret, qualis forma olim fuerit hujuſce Judicii: ac denique ſtatuit, eos, qui Crucis examen ſubibant, expanſis in Crucis formam, ſive ſublatis in altum brachiis, ante Crucem in Templo ſtetiſſe certo ac definito tempore, hoc eſt, donec recitaretur Evangelium, aut Pſalmi nonnulli. Immobiles perſiſtentes, innocui: contra qui ſuſtinere tamdiu brachia nequibant, ſontes veluti divino judicio habebantur. Hujus rei documentum protulit Dubletus ex Sandionyſiano Pariſienſi Archivo, illatum ſubinde a celeberrimo Mabillonio in Appendicem Rei Diplomaticæ num. 51. Contendente Herchenrado Epiſcopo Pariſienſi Anno Chriſti DCCLXXI. contra Monaſterium Placicium coram Carolo Magno Rege, *ad Dei Judicium ad Crucem* provocatum fuit, in quo ſuccubuit homo Epiſcopi. Alterum exemplum protulit Ughellius Tomo V. in Epiſcop. Veronenſibus, nempe experimentum Anno DCCCCXXXVII. Veronæ factum a duobus Clericis, qui *in Eccleſia Sancti Johannis Baptiſtæ ad Domum, ad Crucem ſteterunt. Ambo ab Introitu Miſſæ uſque ad medium Paſſionem ſecundùm Matthæum* conſtantes perſtitere. Tum unus ex iis laſſus *in terram velut exanimis corruit. Alter pacificus* (fortaſſe Pacificus nomine) *uſque ad finem Paſſionis ſtetit*, hoc eſt victoriam retulit. Nullum hinc grave damnum in devictos fluxiſſe vides, uti in examine Ignis factum oſtendimus. Ac proinde nil mirum, ſi Carolus Magnus in Diviſione Regnorum inter filios ſuos, Tomo primo, pag 44 Capitularium, *Judicium Crucis* ſelegerit, ad definiendas in poſterum controverſias, quæ inter eoſdem ſuborirentur, *nec umquam pro tali cauſa cujuslibet generis pugna vel campus ad examinationem judicetur*. Erit mihi infra in peculiari Diſſertatione ſermo *de campo*, hoc eſt *de Duello*.

Interea Judiciorum ſeriem abſolvam, famoſiſſimum præ ceteris referens illud, quod *tranſitus per Ignem* mihi appellabitur. Ejus veſtigia ante Annum a Chriſto nato Milleſimum in Occidente non invenio. At Cedrenus ſub Anaſtaſio Imperatore circiter Annum DVI. auctor eſt, Epiſcopum Orthodoxum Ariano hanc in Oriente obtuliſſe conditionem, *ut per Ignem, cujus eſſet Fides verior, probaretur. Recuſante facere Ariano, Orthodoxus intrans per Ignem, illæſus exivit*. A Græcis, ut reor, didicere Itali poſt aliquot Sæcula ejuſmodi experimento uti ad Religionis tutelam, ac præcipue ad convincendos Epiſcopos Simoniæ accuſatos. Celeberrimus hac de cauſa evaſit *Petrus* cognomento *Igneus*, Vallumbroſani Cœnobii Monachus, di-

dignus qui poſtea ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis & Epiſcopus Albanenſis renuntiaretur . Contendente Populi Florentini parte , *Theuzonem Epiſcopum* ſimoniace Epiſcopalem cathedram ſibi quæſiiſſe , gemina lignorum ſtrues , Sancti Johannis Gualberti Abbatis juſſu, Anno MLXVII. paucis a Florentia paſſuum millibus paratur , relictâ in medio ſemitâ unius brachii, per quam homo tranſire poſſet . Ardentem rogum Petrus intrepidus intrat, illæſus inter flammas pertranſit, & Epiſcopum hoc prodigio veluti cæleſti voce convictum extrudendum oſtendit . Rem fuſe narrant Acta Sancti Johannis Gualberti , Johannes Villanius , Baronius , Ughellius , & alii . Neque minori famæ celebritate per Italiam inſonuit *Judicium Ignis* , quod Liprandus Presbyter Mediolanenſis Anno MCII. ſubiit , ut evinceret , Groſſulanum, ſive Chryſolaum Archiepiſcopum per Simoniam in Mediolanenſem Cathedram inſiliiſſe . Habes narrationem in Hiſtor. Mediolanenſi Landulphi junioris Cap. decimo, pag. 481. Tomi V. Rer. Italicar. quam conſulere potes . Attamen non tam proſpere res illa proceſſit, ut integra fides prodigio accederet . Nam uti Landulphus in ejus excuſationem ſcribit , *quia ignis manum Presbyteri , in projiciendo aquam & incenſum ſuper ignem , læſit ; & quia pes equi Johannis de Rhaude nudum Presbyteri pedem de igne exeuntis dure calcavit : turba triſtis de caſu & ruina Groſſolani , in Presbyterum & ejus legem poſt paucos dies ſcandalizavit* &c. Ambiguo pariter ſimilique ſucceſſu a Petro Bartholomæo rudi Clerico tentata eſt *Ignis* fortuna in expeditione Hieroſolymitana Anno MXCVIII. ut Lanceam a ſe inventam Antiochiæ probaret illam eſſe , quæ latus Salvatoris noſtri aperuerat . *Per Ignem tranſivit* , inquit Willelmus Tyrenſis Lib. 7. Cap. 18. Hiſtor. *quantùm Populo videbatur, illæſus* . Verùm res in dubium paulo poſt verſa eſt . *Nam ille idem infra paucos dies vitâ deceſſit . Cujus accelerati obitus occaſionem , quum homo ſanus & vitalis prius videretur, quidam aſſerebant tentatum incendium. Alii verò dicebant, quod ab incendio ſanus evaſerat & incolumis : ſed egreſſum ab igne turbæ cauſâ devotionis irruentes oppreſſerant & contriverant* . Richardus Cluniacenſis , cujus Hiſtoriam in hoc ipſo Opere evulgabo infra , addit : *Populus volens eum tangere , vel de veſtimento ejus aliquid accipere , fecerunt tria vel quatuor vulnera in ejus cruribus , abſcindentes de carne , & pinnam dorſi ejus confringentes , crepuerunt eam* . Quod ego vehementius obſtupeſco , quum deinde per aliquot Sæcula intentatum fuiſſet immane hoc experimentum , ſub finem Sæculi XV. idem rurſus propoſitum fuit a viris quidem religioſis Florentiæ ; immo & in illud conſenſerat Hieronymus Savonarola, vir pietate non minus quàm doctrinâ celeberrimus adhuc . Cur peractum reapſe non fuerit, Nardius , Johannes Franciſcus Picus , atque alii Hiſtorici tradidere.

Juvat nunc exclamare: oh miſeram hominum conditionem , quantopere , quàm ſæpe te prodis ! & quanto opinionum impetu in abrupta , tibique pernicioſa interdum raperis! Erant hæc olim in uſu , ubique commendabantur : neque dubitabant vulgares homines , quin ad hujuſmodi Judicia confluerct peculiaris quædam occulta Dei virtus . Et nihilominus perſpicere majores quoque noſtri poterant experimentis iis *tentari Deum* , & plane dedecere cum Numinis dignitatem, tum exilitatem noſtram, velle quodammodo cogere Deum ad patranda miracula ad arbitrium noſtrum , & pro levibus plerumque cauſſis . Gratulandum autem Sæculis noſtris , quod hiſce morbis minime laboramus; nam illorum ſemina jamdiu præciſa fuere Romanorum Pontificum & Eccleſiæ decreto . Aventinus Lib. 4. Annalium Bojorum hæc ipſa Judicia olim uſitata deſcribit , eorumque formam refert . Tum in hæc verba erumpit : *Atque hæc tantùm abſuit , ut impia judicarentur, ut ſanctiſſimos Pontifices , Principes Chriſtianiſſimos , viros atque feminas ſacratas , uſurpaſſe iſtas purgandi cæremonias inveniam . Illud tum erat ſapere , fidem Deo habere , omnem ſpem in ipſo collocare . Noſtro Sæculo nihil minus . Quippe nihil aliud eſt , quàm delirare ; Deumque immortalem irritando ad iracundiam provocare . Solet id factum , ut video, diverſis ætatibus , heic pietatis , alibi erroris nomen accipere* . Ita ille : cui tamen repoſitum velim , iſta quidem vetuſtis temporibus uſurpata paſſim fuiſſe , ſed numquam calculo Romanæ Eccleſiæ probata ; neque defuiſſe inter ipſos Chriſtianos , qui ejuſmodi Judicia averſarentur atque damnarent . Propterea *Vulgaria* appellata ſunt , ideſt a vulgo adinventa, non autem recepta ab univerſali Eccleſia . Nam etſi Concilia quædam Germanica , ac præcipue Triburienſe Anno DCCCXCV. ab Epiſcopis XXII. celebratum , *ferventis Aquæ* , & *Ferri candentis* purgationem in caſibus dubiis amplexa fuerint , in eamdem tamen Diſciplinam minime reliquas Eccleſias conſenſiſſe reperimus . Diſciplinam , inquam ; neque enim hæc ad Dogma pertinent. Immo ante Patres Triburienſes Agobardus Archiepiſcopus Lugdunenſis , vir doctiſſimus , Librum ediderat *contra damnabilem opinionem putantium divini Judicii veritatem igne , vel aquis , vel conflictu armorum patefieri* . Quem Librum Maſſonus , ac deinde Baluzius evulgarunt . Ipſo autem teſtante , *vani* dumtaxat *homines nominabant iſta Judicium Dei.* Eadem repetit in Libro adverſùs Legem Gundobadi , ſcribens : *Non oportet , mentem fidelem ſuſpicari , quod omnipotens Deus occulta hominum in præſenti vita per Aquam calidam , aut Ferrum revelari velit : quanto minùs per crudelia certamina ?* A Gratiano quoque Cauſa 2. Quæſt. 5. c. *conſuluiſti* , Stephano V. Papæ Epiſtola tribuitur ad Lambertum Epiſcopum Moguntinum , in quo hæc verba : *Nam Ferri candentis , vel Aquæ ferventis examinatione confeſſionem extorqueri a quolibet, ſacri non cenſent Canones; & quod Sanctorum Patrum documento ſancitum non eſt , ſuperſtitioſâ adinventione non eſt præſumendum* . Ita alii Romani Pontifices , quorum ſententias habes in Decretal. Gregorii IX. Papæ , Lib. V. Tit. *de Purgatione vulgari* . Ivo Carnotenſis , atque alii , in pravas hujuſmodi conſuetudines inſurrexere, eaſque abrogarunt . Longe verò antea deſiit examen Crucis . Interdictum quippe fuit a Ludovico Pio , ſive ab ejus filio Lothario I. , ut habetur in Lege 90. Langobard. ejuſdem Lotharii , hiſce verbis : *Statutum eſt , ut nullus deinceps quamlibet examinationem Crucis facere præſumat, ne Chriſti Paſſio , quæ glorificata eſt , cujuslibet temeritate contemtui habeatur* . Reverentia ergo Dominicæ Paſſionis facile Populo perſuaſit , ut ab hujuſmodi experimento abſtinerent . Johannes Ferrandus in Diſquiſition. Reliquiar. Lib. 2. Cap. 3 opinatur, prælaudatâ Lege interdictam quoque fuiſſe eorum audacem pietatem , qui lignum Crucis

Crucis

cis ſanctæ ſibi oblatum, exploraturi an verum, falſumve foret, illud in ignem conjiciebant, veneraturi poſtea, ſi illæſum inde extraheretur. Verùm id a mente Principis alienum fuiſſe puto: aliud enim eſt *examinatio Crucis*, aliud *examinatio Ligni Crucis*.

Suſtulit quoque Ludovicus Pius Auguſtus *Aquæ frigidæ* Judicium in Capitularibus. Et Lotharius illius filius in Lege Langobard. 55. Part. II. Tomi I. Rer. Italicar. pag. 143. edixit, *ut examen Aquæ frigidæ, quod hactenus faciebant, a Miſſis noſtris interdicatur, ne ulterius fiat*. Verùm id perinde mihi eſt, ac nihil interdixiſſe, quando ii ipſi Imperatores liberum alibi dimiſere curſum aliis, ut ajebant, Judiciis Dei, hoc eſt, *Aquæ ferventis*, *Ferri candentis*, & *Monomachiæ*. Suſpicor ego potius, Aquæ frigidæ experimentum ab iis interdictum, non quòd tentatio Dei revera crederetur ab ipſis, ſed quòd ad illudendos homines excogitatum videretur, quum per illud innocentes reputarentur, qui in Aquam demiſſi mergebantur: quo quid facilius? Ceterum ne tunc quidem, neque poſtea, abrogatum puta Judicium iſtud. Ejus exempla bene multa Sæculum etiam Vulgaris Epochæ Undecimum ſuppeditat, quæ a congerendo nunc abſtineo, ne cui ſim tœdio. Reticere tamen nequeo, quod habet Ughellius in catalogo Barenſium Archiepiſcoporum, hoc eſt pacta inita inter Rogerium I. Siciliæ Regem, & Cives Barenſes *Anno MCII. Indictione X.* Ita ſcriptum ab Ughellio: ſed parùm caſtigate. Scribendum quippe fuit *Anno MCXXXII. Indictione X.* Illic enim diſerte Rogerius appellatur *Siciliæ & Italiæ* (hoc eſt *Apuliæ*) *Rex magnificus*: quem titulum circiter ea tempora is arripuit. Et Anno quidem MCXXXII. Rogerius, teſte Anonymo Caſinenſi, potitus eſt Barenſi Civitate. Immo eodem Anno, ut auctor eſt Falco Beneventanus, Populum illum vacillantem in fide recepit, nolenſque eum *exacerbare, quibuſdam eorum petitionibus, prudenti conſilio uſus, conſenſit*. Leguntur autem in Charta Ughelliana

A hæc verba: *Quod ſi Dominus Rex Tancredo filio ſuo, vel alii filiorum ejus, Civitatem Barum dederit* &c. Atque hinc emendandus Rocchus Pirrus, celeberrimus alioqui Scriptor Siculus, qui in Chronologia Regum Siciliæ, enumerans filios Rogerii I. Regis, non ſolum non agnovit, ſed rejecit *Tancredum*, inquiens: *Addunt nonnulli male Tancredum Bari Principem*. Atqui in præmemorata Charta diſertiſſime commemoratur *Tancredus Rogerii filius*. Accedat & Alexander Abbas Teleſinus, qui Cap. poſtremo Libror. de Geſt. Rogerii, Tomo V. Rer. Italicar. de ipſo Rege circiter Annum MCXXXV. hæc adnotavit: *Duos liberos ſuos ad Militiam promovit, Rogerium ſcilicet*
B *Ducem, & Tancredum Barenſem Principem*. Ac proinde tum apud Pirrum, tum in Arbore Genealogicâ præpoſitâ a Suritâ Hiſtoriæ Gaufredi Malaterræ, in eodem Tomo V. Rer. Italicar. addendus eſt *Tancredus* iſte, cujus etiam non ſemel mentionem fecit Romualdus Salernitanus in Chronico Tomo VII. Rer. Italicarum, ac præcipue ad Annum MCXXX. Mirum certe, quei heic ceſpitaverit Rocchus Pirrus, qui etiam fallitur, quum Amphuſium alterum Rogerii filium recenſens, ſubdit: *quem falſo Alphonſum appellat Surita*. Immo nihil aliud fuit *Anfus*, *Anfons*, & *Anfuſius* apud Hiſpanos, quàm *Alphonſus*. Rem exploratam nihil opus eſt exemplis confirmare. Redeo ad pacta Ba-
C renſium, ubi Rogerius hæc pollicitus dicitur: *Ferrum caccavum, pugnam, aquam vobis non judicabit, vel judicari faciet*. Scribe: *Ferrum, cacavum*, hoc eſt, cacabum ſive Caldariam &c. Ideſt: Barenſes numquam compellet ad ſubeundum Judicium *Ferri candentis*, *Aquæ ferventis*, *Monomachiæ*, & *Aquæ Frigidæ*. Ex his intelligis, Anno MCXXXII. nondum ſublatam fuiſſe prorſus ejuſmodi Judiciorum conſuetudinem, quandoquidem Barenſis Populus ſe ab iis immunem cupit. Verùm par eſt credere, non diutius illa ſtetiſſe: illorum enim exempla Sæculo ſubſequenti nequaquam occurrunt.

DE DUELLO,
EJUSQUE ORIGINE
AC USU.

DISSERTATIO
TRIGESIMANONA.

DISSERTATIO TRIGESIMANONA.

INter Judicia Dei, ut olim ajebant, poſtremum locum *Monomachiis* ſervavi. Quod argumentum etſi protritum jam ſit, & doctorum hominum, ac præcipue Italicorum, calamo illuſtratum, de me tamen, neque injuriâ, conquereretur, ſi eum ego inſalutatum dimitterem, dum reliquos antiquorum mores oratione perſequor. Ejus originem fuere qui retulerunt ad vetuſtiſſima Græcorum atque Latinorum tempora. Alii a Langobardis derivarunt. Certe ſingularis Certaminis exempla refert Poëtarum, quos habemus, vetuſtiſſimus Homerus, ut ſacras Hiſtorias prætercam, atque Romanas. Reticere tamen non poſſum, quæ Livius Lib. 28. Cap 21. Hiſtor. contigiſſe narrat Scipioni, dum Carthaginem in Hiſpanicam Urbem rediiſſet, gladiatorii ſpectaculi edendi cauſsâ. *Non illud*, inquit Livius, *vile ac venale. Voluntaria omnis & gratuita opera pugnantium fuit. Nam alii miſſi ab Regulis ſunt ad ſpecimen inſitæ genti virtutis oſtendendum. Alii ipſi profeſſi ſe pugnaturos in gratiam Ducis. Alios æmulatio & certamen, ut provocarent, provocatique haud abnuerent, traxit. Quidam quas diſceptando finire nequiverant, aut noluerant, pacto inter ſe, ut victorem res ſequeretur, ferro decreverunt*. Tum narrare pergit Livius, inter ceteros Corbim & Orſuam, patrueles fratres, *de principatu Civitatis, quam Ibem vocabant, ambigentes, ferro ſe certaturos, nec alium Deorum hominumve, quàm Martem ſe Judicem habituros*, profeſſos, in arenam deſcendiſſe: quorum alter a fortiore ſuperatus cecidit. Vellejus quoque Paterculus Lib. 2. Hiſtor. ſub Tiberio Auguſto ſcribebat, *Germanos* Quinctilio Varo gratias egiſſe, *quod lites Romanâ juſtitiâ finiret, & ſolita armis diſcerni, jure terminarentur*. Hæc, fateor, Duellorum non obſcura, ne dicam certa, veſtigia ſunt. Attamen quod in præſentia quærimus, nondum ſatis Certamen, de quo agimus, nobis exhibent. Antiquiſſima certe ſunt ſingularia Certamina, & prope eſt ut dicam, cum iracundia & furore hominum, ac proinde cum ipſo terrarum Orbe nata; ſed illis temporibus non eo titulo ſuſcipiebantur, quo Sæcula Chriſtianorum uti conſuevere. Ethniciſmo regnante ad ſingularem pugnam prodibant privati homines aut cupiditate laudis, ut fortitudinem ſuam teſtatam facerent; aut rabie urgente, ut quando æmulum ſive inimicum, ſive in lite adverſarium, aliter dejicere ac vincere non poſſent, viribus & armis odiorum ac litigiorum finem committerent. At Duella, de quibus nunc mihi ſermo eſt, ea intelligo, quæ olim duo aut plures ſingulares adverſarii inter ſe conſtituebant, quoties occultum aliquod crimen aut purgare, aut confirmare certis indiciis ac rationibus nequibant, eâ perſuaſione imbuti, fore ut Deus veritatis ac innocentiæ vindex melioris cauſſæ patrono victoriam decerneret. Propterea ipſum quoque Duellum inter *Judicia Dei* paſſim recenſebatur. Quando hæc opinio emerſerit inter Chriſtianæ Fidei profeſſores, incertum duco. Illud certum, ejus originem, & exordia Duelli, perperam Langobardorum genti tributa fuiſſe. A Nam æque ac illi, ceteræ Septemtrionis Nationes, in Italiam, Galliam, Britanniam olim prolapſæ, uſum ſingularis Certaminis ſecum advexere, & ſingulæ familiarem habuerunt atque probarunt. Primus autem, qui barbaro ac peſſimo ritui auctoritatem Lege latâ conciliaſſe videtur, is fuit *Gundobadus Burgundionum Rex, Hæreticus Arrianus*, qui illuſtri Galliæ parte potitus, Anno Chriſtianæ Epochæ DIX. numquam ejurato errore ſuo finem vivendi fecit. Proſtant ejus Leges, in quibus Tit. 35. ſtatuit, ut ſi quis jusjurandum oblatum rejiciens, *adverſarium ſuum veritatis fiduciâ armis dixerit poſſe convinci, pugnandi licentia non negetur*. Non B is profectò Monomachiæ, tamquam Judicii ſub Dei oculis faciendi, inſtitutor; ſed tantummodo propagator dicendus. Nam, ut habet Sanctus Agobardus Lugdunenſis Archiepiſcopus Cap. 13. Libri contra Gundobadi Legem, Sæculo IX. conſcripti, quum improbaret Beatus Avitus Viennenſis Epiſcopus ejuſmodi certamina, reſpondebat idem Gundobadus: *Quid eſt, quod inter Regna & Gentes, vel etiam inter perſonas ſæpe ſingulas, dirimendæ prœliis cauſſæ divino Judicio committuntur: & ei maxime parti, cui juſtitia competit, victoria ſuccedit?* Hæc negabat conſtantiſſime Sanctus Avitus; immo reponebat: *Sæpe, ut cernimus,* C *pars aut juſte tenens, aut juſta depoſcens, laborat in prœliis, & prævalet iniquæ partis vel ſuperior fortitudo, vel furtiva ſubreptio*. En quam mature in barbaricam & impiam conſuetudinem Sancti Viri inſurrexerint. Verùm ii ſurdis canebant.

Itaque tam proſpero ſucceſſu pervaſit Duellorum uſus per univerſum Septemtrionem, ut nulla ferme gens ibi fuerit, quæ non ſolùm armis dubias lites dirimeret, ſed etiam publico decreto veluti legitimum morem confirmaret. Proinde ejus non ſemel mentio in Legibus Alamannorum, Bajuvariorum, Langobardorum, Danorum, & Francorum. Gothos olim a Duello averſos invenio: nam Theodericus apud Caſſiodorium Lib. 3. Epiſtol. 24. ad Barbaros D & Romanos per Pannoniam Sirmienſem conſtitutos ſcribens: *Cur*, inquit, *ad Monomachiam recurritis, qui venalem Judicem non habetis? Imitamini Gothos noſtros, qui foris prœlia, intus norunt exercere modeſtiam*. Neque in Legibus Wiſigothorum Hiſpaniâ potitorum, mentionem Duelli inſpicio. Subſequutis tamen temporibus prava conſuetudo apud ipſos quoque invaluit. Sed in primis Langobardi certarunt uſu Duelli. Auctor eſt Paullus Diaconus Lib. 4. Cap. 49. de Geſt. Langobardor. Gundibergam Rodoaldi Regis uxorem, *de crimine adulterii apud virum accuſatam fuiſſe*. Tunc *proprius ejus Servus, Carellus nomine, a Rege expetiit, ut cum eo, qui Reginæ* E *crimen ingeſſerat, pro caſtitate ſuæ Dominæ Monomachiâ dimicaret. Qui dum cum criminatore illo ſingulare certamen iniiſſet, cuncto Populo aſtante, ſuperavit. Regina verò poſt hoc factum ad dignitatem priſtinam rediit*. Nempe firmâ perſuaſione tenebantur, victori Deum fuiſſe opitulatum, ut innocentiam aut veritatem tueretur.

retur . Vides heic Servum Duello contendiſſe. Id certe rarum : ſed venia Principis acceſſit . Quod tamen ad decus Langobardicæ gentis non omittendum eſt, Liutprandus Rex, quamvis & ipſe Duella ſuis in Legibus quodammodo probarit , faſſus eſt tamen , id ſe *Neceſſitate* compulſum egiſſe, quum ſecus agere nequiret, & *Conſuetudinem* , quæ nimis inoleverat , e Populo ſuo eradicare ſupra vires ſuas eſſet . Quibus verbis ille ſatis aperte profeſſus eſt , ſe non ignorare , quàm immerito inter Judicia Dei referrentur ejuſmodi pugnæ , quum ſæpe in iis innocentes ſuccumberent . *Quia* (inquit ille Lib. 6. Lege 65. atque ego temperare mihi non poſſum , quin repetam) *incerti ſumus de Judicio Dei , & multos audivimus per pugnam ſine juſta cauſſa ſuam cauſſam perdidiſſe . Sed propter Conſuetudinem gentis noſtræ Langobardorum Legem impiam vetare non poſſumus* . In Notis tamen ad eamdem Legem Part. II. Tomi I. Rer. Italicar. animadverti , antiquos Codices heic habere *ipſam* non verò *impiam* , uti præferunt vulgares editiones. Liutprandus enim inane quidem ac infidum Judicium arbitratus eſt ejuſmodi pugnas ; at non eò uſque progreſſus eſt , ut impium ſimul judicaret . Cur verò tantâ animi contentione amplexi fuerint atque uſurparint olim Germanici Populi Duellorum uſum ſupra cetera vulgaria tentamenta divini Judicii , hoc in cauſſa mihi fuiſſe videtur . Ut enim nunc , ita & antiquiſſimis temporibus , immo longe acrius tunc , quàm tempeſtate noſtrâ , ſtatuebant Germani , Tacito etiam teſte, potiorem gloriæ partem in fortitudine, in bello , in cædibus . Singularium Certaminum ſpectacula non tam experimentum erant , ut putabatur , divinæ ſententiæ , quàm propriæ virtutis , ſive , ut certius loquar , ſuarum virium & militaris induſtriæ . Victorem ſequebatur laus & claritas nominis , & exiſtimatio ingens apud Principes ; neque minor apud feminas . Dulce quoque fuit , manibus propriis vindictam ſumere poſſe de adverſario , aut ei vitam precanti generoſe concedere . Uno verbo: cum inani perſuaſione Numinis ad eas pugnas peculiari modo accurrentis , tot alii affectus rationeſque conjungebantur , ut nihil mirum videri poſſit , ſi tam pertinaci ſtudio & tamdiu , immo pæne ad noſtra uſque tempora , hujuſmodi barbaricus ritus perdurarit .

Age verò , quando mihi contigit evulgare Ermoldi Nigelli Poëma magni faciendum , de Reb. geſt. Ludovici Pii Auguſti , Part. II. Tomi II. Rer. Italicar. atque is nobis pictum reliquit ſingulare Certamen , initum coram ipſo Auguſto inter Beram ſive Beronem Comitem Barchinonenſem, & Sanilonem , qui eum perfidiæ erga Regem inſimularat : juvat nunc ab ipſo Auctore Synchrono accipere , quo ritu pugna tunc peracta fuerit . Uterque Gothicæ nationis erat . Sat prodit Ermoldus , in more fuiſſe Francis, pedites ad Certamen procedere, neque aliis armis pugnare , quàm quibus per Legem licebat ; Gothorum verò fuiſſe , inſidentes equis certare , & propriis armis uti , haſtâ videlicet , ſcuto, & gladio . Nam Bero a Cæſare petiit :

More tamen noſtro liceat reſidere caballum,
Armaque ferre mea .

Negavit Ludovicus , & rem peragendam decrevit *more Francorum* ; quamquam poſtea ab eorum precibus victus indulſit , ut ſecundùm
A Gothicæ gentis ritum dimicarent . Præterea tradit Ermoldus , nonniſi veniâ ab Auguſto factâ ſuſceptum fuiſſe judicium pugnæ . Ipſe verò , ut erat ſupra omnes mitis ac pius , antequam in campum prodirent , plurimum operæ poſuit , ut illorum litem componeret , veniam pollicitus fatenti crimen . At illi in propoſito conſtantes pugnam prætulerunt . Anno DCCCXX. in Aquiſgranenſi Urbe ſpectaculum Populo præbuere ambo iſti pugiles . Deſcribitur autem a ſæpe laudato Poëta locus , ubi Certamen editum eſt . Ponè ſequebatur Regiorum famulorum turba , ut ſi quem cadere percuſſum viderent , e manibus victoris vivum
B eriperent :

Ut ſi quis ſocium gladio percuſſerit , illi
More pio eripiant ; mortis ab ore trahant .

Tum ſuccedebant (quod maxime animadvertendum) qui feretrum ſecum adducebant , ut ſi quem inter vulnera vita deſereret , illum continuo efferrent :

Mox Gundoldus adeſt, feretrum de more paratum
Ducere poſtque jubet , ut fuerat ſolitus .

In nonnullis Germaniæ locis , unde inſana Duelli licentia nondum paſſa eſt ſe evelli, ſunt qui mihi narrant , perſeverare adhuc morem
C deferendi feretri ad certaminis campum , ne in pugna confoſſis tarda ſit ſepulturæ quies . Signo deinde inchoandæ pugnæ ab Imperatore dato , concurrunt æmuli :

Arte novâ , Francis antea nota minus .

Quæ verba rurſus indicant , nequaquam conſueviſſe Francos equeſtri pugnâ ſuas lites dirimere , ſed quidem pedeſtri , atque aliis armis . Res acta primùm haſtis ; tum iis fractis ſucceſſere enſes . Ictus tandem Bera ſuccubuit , & culpam faſſus , a Regiis famulis neci eripitur . Hæc Ermoldus .

Mitius autem in ſingulari Certamine proceſ-
D ſere olim Franci ; plerumque enim , Legibus ita ſtatuentibus , Scuto tantùm , ac Fuſte, ſive baculo , armati inter ſe pugnabant . In Lege Langobardorum 66. Caroli Magni , Part. II. Tomi I. Rer. Italicar. *Melius viſum eſt , ut in campo cum Fuſtibus pariter contendant , quàm perjurium perpetretur* . Rurſus in Lege III. Ludovici Pii : *Eligantur duo ex ipſis , ideſt ex utraque parte unus, qui cum Scutis & Fuſtibus in campo decertent , utra pars falſitatem vel veritatem ſuo teſtimonio conſequatur* . Quid plura ? Lotharius I. in Lege Langobard. 31. ita decernit : *Quibuſcumque per Legem propter aliquam contentionem pugna fuerit judicata , præter de infidelitate Regis , cum Fuſtibus & Scu-*
E *tis pugnent, ſicut in Capitulare Dominico prius conſtitutum eſt* . Itaque raro , immo perquam raro accidebat , ut quiſquam certando occumberet . In Antiquitatib. Eſtenſib. pag. 152. Par. I. Cap. 16. Placitum evulgavi , habitum Anno DCCCCLXXI. ubi Viventius Advocatus Presbyterorum ait : *Ecce me paratum cum Evangelia , & Scuto & Fuſte , eadem punna faciendum* . Ita illis temporibus . Diu etiam Patavii perduraſſe hunc morem teſtatur Anonymus Auctor , cujus Tractatum MStum *de Generatione aliquorum Civium Urbis Paduæ* poſſideo . Ibi hæc leguntur : *Cavacii fuerunt divites Populares tempore Ezerini de Romano*

in

in Vico Sanſti Urbani, *qui ante exſtiterant Campiones bellorum*. *Talis enim erat Antiquorum conſuetudo*. *Si duo Nobiles aut potentes homines inter ſe homicidium commiſiſſent*, *utraque pars inveniebat ſibi unum Campionem pretio*; *& ordinatâ die hi duo Campiones intra ſtangatum*, *quod juxta Portam Baxanelli erat ordinatum*, *ponebatur*, *& claudebantur armati clypeis*, *baculis*, *& maſchariis de ligno* (ideſt larvati incedebant ejuſmodi Campiones: cujus ritus veſtigium nuſquam alibi mihi occurrit). *Et ille*, *cujus Campio bellum ſuſtinere non poterat*, *condemnabatur in certa pecuniæ quantitate Communi Paduæ perſolvenda*. Sed longe atrociores ſcænas vidêre Sæcula ſubſequuta. Non fuſtibus, ſed armis funeſtiſſimis, a gente, ut ita dicam, furente res peragebatur. Ceterum antiquitus homini, qui victus in certamine cadebat, *propter perjurium*, *quod ante pugnam commiſerat*, *dextera manus amputabatur*: quam tamen pœnam quiſque pretio perſoluto redimere conſuevit. Scilicet non ſolùm, ut in Lege XVII. Lib. 6. Liutprandi habetur, præmittendum provocanti erat jusjurandum, ſe pugnam *non aſto animo obtuliſſe*; ſed etiam uterque litigator antea jurabat, ſe pro una veritate certaturum, ut habes in Formulis antiquis ad Leges Langobardor. Ottonis II. Part. II. Tomi I Rer. Italicar. Victus verò e veſtigio cenſebatur pro falſitate in arenam deſcendiſſe. Aſt ubi condicta erat pugna, *quam* (inquit Regino Lib. 2. Cap. 77. de Eccleſ. Diſcipl.) *noſtri Campum vocant*, utraque pars W*adiam* dare cogebatur, hoc eſt fidejuſſorem, ſive pignus exhibere de pugna reapſe peragenda, ne ſine pœna recedere ex obligatione ei poſtea liceret. Tanta autem fuit divini patrocinii ſpes in abominandis hiſce certaminibus, ut Johanne Sariſberienſi in Epiſtol. 169. aliiſque teſtibus, certaturi noctem præcedentem ducerent inſomnem in Templo ad tumulum alicujus Sancti, ut eum in agone propitium experirentur. Neque tamen cogitandum, antiquis temporibus licuiſſe cuicumque ad arbitrium ſuum, & pro quacumque cauſſa, pugnam offerre atque ſuſcipere: quod effrenata licentia poſteriorum Sæculorum invexit. Paucæ erant cauſſæ, eæque a Legibus præſcriptæ, pro quibus, quum dubia lis erat, ad arma ſe convertere licuit; in ceteris nefas fuit. Haſce cauſſas, quæ tamen ubique ſemper nequaquam eædem fuere, enumeratas vide ab Alciato, Fauſto de Longiano, Lando, aliiſque Italicis Scriptoribus de Duello. Eaſdem quoque recenſet Du-Cangius ex Bellomanerio. Ego ab iis referendis abſtineo, ne nimius ſim; præterquamquod in Additamentis ad Langobardicas Leges pag. 163. Part. II. Tomi I. Rer. Italicar. jamdiu evulgavi *intentiones*, *unde per Leges poteſt haberi pugna*.

Quod præcipue in hoc argumento conſiderandum eſt, ut humanarum mentium infirmitas hinc etiam luculentius appareat, erant certe vel antiquis temporibus, qui fera hujuſmodi atque inſana ſpectacula improbabant, eaque divinis adverſari Legibus contendebant: inter quos præſertim effulſit Agobardus Lugdunenſis Antiſtes ſub Ludovico Pio Auguſto in Lib. adversùs Legem Gundobadi. Inſtabat ille, ut Duelli uſus e Lugdunenſi provincia auferretur. Inquit enim Cap. 7. *Frequenter non ſolùm valentes viribus*, *ſed etiam infirmi & ſenes laceſſuntur ad certamen & pugnam*, *etiam pro viliſſimis rebus*. *Quibus feralibus certaminibus contingunt homicidia injuſta*, *& crudeles ac*

A *perverſi eventus judiciorum non ſine amiſſione Fidei*, *& Caritatis*, *ac Pietatis*, *dum putant Deum illi adeſſe*, *qui potuerit fratrem ſuum ſuperare*, *& in profundum miſeriarum dejicere*. Infra addit: *Talia certamina vehementer contraria ſunt Simplicitati & Pietati Chriſtianæ*, *& doctrinæ Evangelicæ nimis adverſa* &c. Neque ſecus ſenſit Nicolaus I. Romanus Pontifex in cauſſa Lotharii Regis ac Theotbergæ Epiſtol. quinquageſimâ. Vide Gratianum Diſt. 2. Quæſt. 4 Ac deinde Atto Vercellenſis Epiſcopus in Libello de Preſſur. Eccleſ. apud Dacherium in Spicilegio, hæc ſcribebat circiter Annum Chriſti DCCCCXLV. *Si aliquis Militum Sacerdotes Dei in crimine pulſaverit*, *per pu-*
B *gnam hoc ſingulari certamine ajunt diſcernendum*. *Sed iſtud judicium quorumdam Laicorum ſolummodo eſt*, *quod nec ipſis etiam omnino approbatur*. *Nam ſæpe innocentes victi*, *nocentes verò victores in tali judicio eſſe videntur*. Aliis teſtibus parco. Attamen diſſimulare nolim, ita olim invaluiſſe iniquum morem, ut non dumtaxat rude vulgus, ſed etiam Principes ipſi paſſim, immo & ipſi Eccleſiaſtici viri, ſive permittendo, ſive probando, ſingularia Certamina foverent, ſuoque exemplo veluti ſacrarent. Sed potiſſimum reſerata ſunt clauſtra abominandis hiſce pugnis in Italia ſub Germanis Auguſtis. Vigente Francorum Imperio, Duellum, ſive *campo contendere*, ut ajebant,
C toleratum potius quàm imperatum videbatur. Verùm ſiſte tibi Ottonis II. Cæſaris Leges inter Langobardicas Part. II. Tomi I. Rer. Italicar. Ibi, *ſi contentio fuerit* de quibuſdam caſibus, ut *per pugnam decernatur*, *edicit*, *jubet*, *præcipit* Imperator. Proinde mirum in modum crevit exinde in Italico Populo Duellorum ſeges atque licentia. Quod etiam dolendum, minime corruptelæ huic obſiſtebant Epiſcopi, immo ſuffragio ſuo vim tanto morbo addidiſſe putandi ſunt. Leges quoque promulgavit Italicæ genti obſervandas, & Langobardicis additas, Henricus inter Auguſtos Primus, quem Cælitum catalogo additum adhuc veneramur. Ibi pariter decernitur, ut *per pugnam* Homici-
D dia dubia purgentur. Leges verò teſtatur piiſſimus Cæſar ſe edidiſſe in Regni Comitiis, *atteſtatione laudis quamplurium nobis adſtantium fidelium Archiepiſcoporum*, *Mediolanenſis videlicet*, *& Ravennenſis*, *ſive Treverenſis*, *Epiſcoporum quoque Transburgenſis*, *Placentini*, *Cumani*, *Vercellenſis*, *Parmenſis* &c. Suas quoque Leges Duellum præcipientes ſtatuerat Otto II in Veronenſibus Comitiis Anno DCCCCLXXXIII. *conſentientibus omnibus Italiæ Proceribus*, adeoque ipſis etiam Epiſcopis. Quamobrem nil mirum, ſi in monumentis antiquitatis tam ſæpe nobis occurrant Canonici & Clerici, Abbates & Monachi, ipſæque Sanctimoniales aut pugnam in litibus offerentes, aut in
E eamdem oblatam conſentientes. Pro *Curte Stationa*, quæ nunc *Angleria* ad Verbanum Lacum appellatur, altercatio oborta eſt inter *Berengarium & Hugonem Comitem*, *& Eufraſiam Abbatiſſam* Parthenonis Ticinenſis Sancti Felicis. Litem diremit pugna peracta *in Papienſi Palatio ante præſentiam Henrici I Auguſti* ſupra laudati; & victoria ſtetit, *divinâ auxiliante gratiâ*, pugnanti pro ſacris Virginibus. En tabulas rei teſtes: hec eſt, Diploma ejuſdem Auguſti, ex Archivo Monaſterii illius olim a me deſcriptum. Præferebat pergamena notas omnes authentici ſive autographi Privilegii: ſed prava Latinitas ancipitem me in ea ſententia reliquit. Con-

Confirmatio omnium Privilegiorum & jurium facta ab Henrico I. Imperatore Parthenoni Sancti Felicis Ticinenſis, quod appellatur Monaſterium Reginæ, Anno Chriſti 1014.

IN nomine Sancte & individue Trinitatis. Hinricus *divina favente gratia* Romanorum Imperator Auguſtus. *Omnium fidelium noſtrorumque tam preſentium quàm & futurorum noſcat induſtria, quod concedimus atque confirmamus pro anime noſtre remedio Monaſterio Sancti Salvatoris, quod dicitur Regine, medietatem de duabus partibus tam de Caſtellis quàm de Curtis ſeu Villis, cum aldiis utriuſque ſexus, atque cum omnibus pertinentiis, nomina quorum hec ſunt: Coronate, Caſtronovo, Radea; item Coronate, & Caſtro-Inſula, que nominatur Majore, infra Laco Majore; Lexa, Valle, Summovico, Mezanuga, Villa Bulgari, Colonaco, Sebiate, Paſſeriano, Verderio, Veduſclo, Salimputeo, Tricio, Comiſa, Ambreciaco, Ambeciaco, Bugenaco, Boſonaco, Curunas, Terrentiſſi, Vigueria, Pinioli, Moreniſe, Fanigaſce, Bibliano, Sparoaria, Strixia, Bavena, Cariciano, Leocarni, Yerucia de duabus porcionis, medietatem ſcilicet de caſis & tribus Capellis, que ſunt conſecrate, una in honore Dei & Domini Salvatoris, alia in honore Sancte Dei Genetricis Marie, tercia in honore Sancti Romani, cum Curtibus vel ortibus ſeu pudteis ibi habentibus, que videntur eſſe in Civitate Papia tam ad locum, ubi dicitur Moneſterio Bernardi, quamque in reliquis locis infra predictam Civitatem. Item alia Curte, que dicitur Stasziona, ſeu Caſtelli, & Paniano cum ſervis & aldiis utriuſque ſexus, que omnia dedit Domno Ottoni Tercio Imperatori Liutefredus Terdonenſis Epiſcopus, & idem Domnus Imperator pro anime ſue remedio conceſſit precepto prefato Monaſterio. Sed eo defuncto invaſerunt* Berengarius & Hugo Comes, quos ante noſtri preſentiam per Pugnam devicit, divina auxiliante gracia, in Papienſi Palacio prefatum Monaſterium, Eufraxia Abbaptiſſa ei ſtudente providentie. *Necnon etiam cum his concedimus illi & alias Cortes & Villas, quas a noſtris Predeceſſoribus preceptali ſecuritate, vel alico modo adquiſivit, videlicet: Meroni, Villa Regine, Panariana, Caluliani, Suaicho, Ginaſco, Luliaco, in Placentia Capella, que eſt conſecrata in honore Dei & Domini Salvatoris, cum omnibus ſuis pertinentiis: Cimiliano, Mirogia, Manonate, Giſlaringo cum Capella, que eſt conſecrata in honore Sancti Deſiderii: Cliano, Montecalvo, Poliano, Zurringo, Belba, Wida, Luciano, Vedori, Qintinari, Ercinaſco, Roveglo, Vicoſuave, Petroniate, Niſizca, Valcinaſca, Calvonigo, Fenile, Durvento, ... dido, Senna, in Montemalo Capella una, que eſt conſecrata in honore Sancti Petri, cum omnibus rebus ſuis. Quapropter notum ſit Catholicorum Fidelium, quod ſi quis violator hujus Precepti extiterit, quod minime credimus, prenoſcat, ſe compoſiturum auri puriſſimi Libras centum, medietatem Regie Camere, & medietatem Monaſterio jam dicto, & inſuper anathematis jaculo damnandum veteri ac novi Teſtamenti. Et ut hujus Precepti pagina inconvulſa permaneat manu propria roborantes, noſtri Sigilli eam inſigniri precepimus.*

Signum Domni Henrici ſereniſſimi  *& invictiſſimi Imperatoris Auguſti.*

Heinricus Cancellarius vice Everardi Epiſcopi & Archicapellani recognovit.

Datum Anno Dominice Incarnationis MXIIII. Indictione XII. Anno verò Domni Heinrici Imperatoris Auguſti Regnantis XII. Imperii ejus Primo.

Actum Papie feliciter. Amen.

Pendebat Bulla plumbea, jam deperdita.

Berengario & Hugoni Comiti, quorum heic eſt mentio, pater fuit *Sigefredus Comes*, potentiſſimus vir, ut oſtendi Par. I. Cap. 14. pag. 110. Antiquitat. Eſtenſium, ubi inſigne Placitum evulgavi, ad hoc ipſum Monaſterium, eamdemque cauſſam pertinens. Neque abhorruiſſe ab hujuſmodi ſpectaculis Henricum I. Auguſtum, diſcimus ab Annaliſta Saxone apud Eccardum ad Annum MXX. *Hujus* (ſcilicet Bernhardi junioris Ducis Saxoniæ) *frater Thietmarus interfectus eſt in Duello coram Heinrico Imperatore*. Quum verò non liceret olim ſine venia Principis, aut Ducum, & Comitum, Monomachiam peragere (quod ſalutare aliquomodo frenum conculcavit immanis licentia Sæculorum ſubſequentium) fuere non pauci ex Clero, qui veluti Privilegium ſibi ab Imperatoribus procurarunt facultatem dirimendi, quum opus eſſet, lites ſuas *per Duellium*. Id præ ceteris impetrarunt Canonici Volaterrani ab Henrico II. Imperatore, uti conſtabit ex ejus Diplomate, quod ex antiquo apographo apud eoſdem Canonicos exſiſtente a me deſcriptum, nunc publici juris factum volo.

Henrici III. Regis, & II. Imperatoris Diploma, quo Clerum Volaterranum a jure Comitum eximit, & Eccleſiæ Volaterranæ omnia illius jura ac Privilegia confirmat, Anno 1052.

IN nomine Sancte & individue Trinitatis. Henricus *divine pietatis ordinatione* Secundus Romanorum Auguſtus. *Ea conditione curam noſtri officii nobis divinitus commiſſam credimus, quatenus in cunctis negotiis divini timoris zelum ſemper præ oculis habentes ſic ſollicitemur de mundani Regni diſpoſitione, ut ante Regem Regum ſecuri veniamus in reddenda ratione. Quapropter cum omnium ſubjectorum nos oportet curam agere, Eccleſiarum tamen precipue, quarum ſalva incolumitate dum divino cultui debitum ſolvitur, Chriſtianæ Religionis integritas conſervatur. Quocirca omnibus ſancte Dei Eccleſie, noſtriſque Fidelibus, notum eſſe volumus tam preſentibus, quàm futuris, qualiter* Wido Sancte Volterrenſis Eccleſie Epiſcopus *noſtram clementiam adiit, ſuper Comitem, reliquoſque publici juris Miniſtros miſerabilem querimoniam agens, quod ſub occaſione exigendi juris, Clericos & famulos Eccleſie, alioſque ſuper terram Eccleſie ſtantes graviter affligendo inquietant, & dignitatem ſancte Eccleſie indecentiſſime inhoneſtant. Ejus itaque miſerabili querimonie aurem noſtre pietatis adhibentes, de Eccleſie liberatione ſtatuimus, ne perfidiâ iniquorum hominum ulterius eam ſub qualibet occaſione lacerandos permitteremus. Interventu itaque* Agnetis noſtre dilecte contectalis, & Opizonis noſtri Cancellarii, *concedimus predicto Epiſcopo, ſuiſque Succeſſoribus Clericos & famulos, alioſque ſuper terram ſue Eccleſie* A *inhabitantes in ſua poteſtate, ut liceat eum ante ſe cauſam agere,* & per Duellium qualibet legali ſententia litem diffinire, *omnium hominum remota contradictione. Preterea omnia, que Adelmus bone memorie cum uxore ſua per cartulam oblationis Volterrenſi Eccleſie contulit, ſcilicet Caſtellum de Pulliciano, cum Monaſterio Sancti Sepulcri, aliiſque pertinentiis, & Caſtellum de Monteacutulo, cum ſuis pertinentiis, & ſuam portionem de Rocca de Cori, cum ſuis pertinentiis, & eam portionem, quam predictus Epiſcopus de Caſtello de Montegabro adquiſivit, ſeu quicquid predicta Eccleſia in Caſtello de Caſallia tenebat, & judicatum, quod Ugo Cunizonis filius predicte Eccleſie fecit, & omnia,* B *que Deo annuente eadem Eccleſia juſte & legaliter admodum adquireret, noſtra preceptali auctoritate dicte Eccleſie confirmando ſtabilimus, eo videlicet ordine, ut nullus Dux, Marchio, Comes, ſeu quelibet magna parvaque perſona predictam Eccleſiam vel Epiſcopos per tempora Deo dante ibidem ordinatos de omnibus, que ſupra leguntur, diſveſtire ſeu moleſtare preſumat. Si quis igitur hujus noſtre donationis & confirmationis preceptum violare preſumpſerit, componat auri optimi Libras centum, medietatem Camere noſtre, & medietatem jam dicte Eccleſie, ſuiſque Rectoribus. Quod ut verius credatur, diligentiuſque ab omnibus obſervetur, manu propria roborantes, Sigillo noſtro hoc Preceptum inſigniri juſſimus.*

Signum Domni Henrici  *Secundi Romanorum Imperatoris Auguſti.*

Opizo Cancellarius vice Herimanni Archiepiſcopi & Archicancellarii.

Actum XV. Kalendas Julii, Anno Dominicæ Incarnationis MLII. Anno autem Donni Henrici Tertii Regis, Secundi Imperatoris, ordinationis ejus XXIV. Imperii VI.

Actum Turengo, feliciter, Amen.

Sequuntur ſigna Notariorum, qui deſcripſerunt ex authentico.

Ita Conradus I. inter Auguſtos An. MXXVIII. uti legitur Tomo IV. Italiæ Sacræ, Petro Epiſcopo Novarienſi Comitatus quoſdam & Caſtella confirmans, tribuit *licentiam dirimendi Regali, ſeu Duellari diffinitione emerſuras contentiones*. Legendum heic *Legali ſeu Duellari.* Sed numquid Clerici ac Monachi, percontetur imperitus quiſquam, & ipſi ad Duellum proceſſere aliquando? Apage. Erant eis Advocati tum ad alia diverſa munia, tum ad hoc etiam electi, ut quum pro tutandis Eccleſiæ rebus ad Certamen prodire opus erat, ipſi armati adverſariis ſeſe in agone opponerent. Vide ſis infra Diſſertationem LXIII. *de Advocatis Eccleſiarum*. Atque interea accipe Legem III. Ottonis II. Auguſti inter Langobardicas: *De* C *Eccleſiarum rebus, ut per Advocatos pugna fiat, ſimiliter jubemus.* Fortaſſis *Advocati* vox hoc in loco latiori ſignificatione ſumenda eſt, ut ſit, alium quemcumque pugnatorem pro ſe ſubſtituere. Certo quippe novimus, per alios quoque pugiles Clerum quandoque, immo plerumque, ſua jura in campo ſuſtinuiſſe. Hos quoque *Advocatos* appellare conſueverunt. Anno Chriſti MX. Placitum habuit *Helmpertus Epiſcopus Arretinus*, quem Ughellius appellat *Elimpertum*, ſive *Elimptum*, ſeu *Humbertum*. Coram eo litem agitavit Rodulfus Abbas Cœnobii Arretini Sanctarum Floræ & Lucillæ contra Petrum Notarium; & ut moris erat, Farulfus Advocatus Abbatis & Monaſterii pro eo inſtabat contra adverſarium, quem tamdem pro-

provocavit ad pugnam. Digna eſt, quæ luce fruatur, Charta litis illius, & pugnæ condictæ. Eam ex membrana, quæ videbatur authentica, exſiſtente in Archivo ſupra laudati Monaſterii, ego olim deſcripſi.

Placitum coram Helmperto Arretino Epiſcopo habitum, in quo Rodulphus Abbas Monaſterii Sanctarum Floræ & Lucillæ litem Petro filio Andreæ movet de quodam Manſo, & Farulfus Advocatus Abbatis deciſionem per Pugnam petit, Anno 1010.

IN Dei nomine, Comitatu Aretino, in caſa domnicata Helmperti *ſanctæ* Aretinæ Sedis *venerabilis* Epiſcopi, *in loco, qui dicitur Ceſa, in judicio reſidebat jam dictus religioſus Epiſcopus, & Gerardus Vicarius, Bertulfus, & Baldizo, & Lambertus Judices. In preſentia Urſi, & Arinulfi, qui fuit Notarius, & Heldebrandi filii Rodulfi, & Berardi filii Griſonis, & Ubaldi filii Ildizonis, & Gerardi filii Leonis, & Petri filii Ragincrii, & Gosberti filii Leopcrti, & Teuzonis filii Gerardi, & in preſentia multorum hominum, quorum nomina dicere longum eſt. Aderat* Rodulfus Abbas Eccleſie, & ſacri Cenubii ſanctarum Virginum Floræ & Lucillæ, una cum Tarulfo, quem Advocatum ſibi elegit: *& ex alia parte Petrus filius Andreæ, qui fuit Notarius. Tunc denominatus Tarulfus dixit ei*: Hoc quero adverſum te, quod Manſus integer de loco Ripule in Caſale Quarto cum ſua pertinentia, & terra illa, quam Senior meus Rodulfus Abbas cum ſuis hominibus tibi eri oſtendit, quantum ex ea pertinet de prenominato Manſo de Ripule, predium Sancte Flore eſt; & tu Manſum & terram illam malo ordine inveſtiſti. *Ad hec reſpondit ſupraſcriptus Petrus*: Duas partes Manſi & terre hujus mea proprietas eſt: tertiam autem non contendo, quia non poſſum, eo quod Sancte Flore propria eſt, & michi non pertinet, niſi tantum, quantum ex parte ſançti veſtri Monaſterii eam in beneficio habui. *Denominati itaque Judices taliter audientes judicaverunt, ut Petrus cum ſuis heredibus ſit de tertia portione illa, quam diximus de Manſo & terra, tacitus & contemptus & remotus, & Monaſterium prefatum habeat eam ſecure, & firmiter ad proprietatem. Farulfus itaque Advocatus iterum dixit ad Petrum*: De tertia parte, quam dicis, taceo, & de duabus petiis de terra, que fuerunt de Manſo illo de Ripule, quas Winizo tenuit. De Quarto nichil tibi dico. De duabus reſiduis quero contra te, quod predium Eccleſie & Monaſterii Sancte Flore eſt; & tu eum malo ordine inveſtiſti. *Et Petrus reſpondit*: Ex hoc tortum adverſum me queris. *Farnulfus inſtans, non viribus proprii corporis confiſus, ſed de ſola veritate, & auxilio Sanctarum Dei Virginum Floræ & Lucillæ preſumens, dixit*: Querelam meam in te depoſitam, falſam, vel, ut dicis, tortam non credo, quia cum Dei adjutorio per Pugnam exinde veritatem invenire volo. *Petrus autem, hoc neſcio, ſi ex corde, ſi ore non renuit. Judices vero conſiderantes eum penè carentem tutela propriæ dexteræ, & memores quod legerant de duobus altercantibus, quia in Lege eorum ſcriptum eſt*: quod ſi unum eorum juvenilis vel decrepitatas, ſeu infirmitas pugnare prohibuerit, liceat ei pro ſe Pugnatorem mittere; *ea autem auctoritate muniti* permiſerunt ei Pugnatorem habere. *Petrus autem ducens ſecum Dominicum, qui Gezo, filium Inge..... & eum pro ſe* Pugnatorem *conſtituit; quibus Farulfus wadiam dedit de inveſtitura predii ujus veritatem* per Pugnam *invenire, & fidejuſſorem Gerardum filium Leonis poſuit ſub obligatione pene decem Librarum argenti, & amiſſione terre, ſi ſe ſubtraëret. Petrus econtra cum denominato* Pugnatore *recipientes eam, eidem Farulfo wadiam dedit, id ipſum per prefatum* Pugnatorem *defendere, & Hubaldum filium Ildizonis fidejuſſorem poſuit, ſimiliter ſub obligatione pene decem Librarum argenti, & amiſſione terre, ſi ſe ſubtraxerint.*

Hoc factum eſt in Anno ab Incarnatione Domini Noſtri Jeſu Chriſti Milleſimo Decimo, Hoctavo Kalendas Aprilis, per Indictionem VIII.

Lambertus Judex ſcripſit & complevit.

Animadverteris Abbatem ad Placitum conveniſſe *una cum Farulfo, quem Advocatum ſibi elegit*. Temperare ſuſpicione non poſſum, quin Abbas inito antea conſilio deterrendi adverſarii per oblationem certaminis, Farulfum hunc eâ tantùm occaſione, ideſt extra ordinem conſtituiſſe ſuum Advocatum, quod eum noſſet viribus & lacertis bene munitum, adverſarium verò imparem ad reſiſtendum. Et ſane infelix Notarius certamen oblatum, verbis quidem, ſed non corde acceptum habuit. Verùm Judices, quibus aliunde perſpecta erat ejus impotentia, ſimulque noverant, Leges in hiſce caſibus infirmitati hominum opem ferre: *permiſerunt ei Pugnatorem habere*, hoc eſt, alium pro ſe pugnantem inducere: quod ille perlubenter accepiſſe putandus eſt. Legem ergo laudarunt Judices illi, edicentem de duobus altercantibus: *Si unum eorum juvenilis, vel decrepita ætas, ſeu infirmitas Pugnare prohibuerit, liceat ei, pro ſe Pugnatorem mittere.* Et revera id ſtatutum ab Ottone II. Auguſto Lege X. Langobard. totidem verbis. Quare non Eccleſiaſticis tantùm, ſed & *Comitibus*, & *Laicis* iis, quos juvenilis aut decrepita ætas, aut infirmitas aliqua excuſabat, feminis denique, licuit pro ſe Pugnatorem exhibere. Ita decretum ab eodem Ottone II. Lege XI Langobard. ſtatuente, ut ii *per conſimiles Advocatores per pugnam lites dirimant. Ceteri verò naturâ liberi* (Servis enim pugnare interdictum fuit) *per ſemetipſos reſpondeant*. Sub nomine *Advocatoris* heic potius ſignificari videntur ii, quos *Campiones* & *Camphiones* in aliis Legibus appellatos reperimus. *Vicarii* quoque a nonnullis nuncupati ſunt, quòd vices pro alio in Monomachia ſuſtinerent. Atto Vercellenſis Epiſcopus in Opuſculo de Preſſur. Eccleſ. *Ad Pugnam producere*, inquit, (*heu*) *noſtros compellimur Vicarios, ut vel iſtorum cæde victi, vel illorum, quaſi abſoluti eſſe videamur.* Quod verò *Campiones* & *Camphiones* promiſcue ii fuerint

rint appellati, tribuendum Germanicæ Linguæ, in qua *Campff* eſt Certamen , ſive pugna ; & *Campffen* pugnare ; *Campffer* verò idem , ac qui Italis *Campio* & *Camphio* . Apud veteres *Campus* fuit locus prœlii , atque ipſum prœlium . Inde hoc nomen . At inquies : quicumque ergo facultate offerendi *Campionem* , ſive loco ſui Pugnatorem , fruebatur , quam fortiſſimos poterat elegerit . Ita ſane . At hac ipſa in re iniquitas conſuetudinis & Legis illius evidentius ſeſe prodebat . Cuicumque enim Laico cum Clerico contendenti aut victum ſe dare , aut pugnam ſuſcipere opus fuit . Si ſuſcipiebat, qualiſcumque foret , hoc eſt , licèt viribus & armorum uſu parum inſtructus , Campo contendere ipſemet cogebatur . Contra *Comites* , *Eccleſiaſtici* , ceterique a Certamine immunes, fortiſſimum omnium pugilem a ſe delectum pro ſe offerre ad Certamen poterant . Porro neceſſe eſt , multum detulerint ſuperno auxilio , & cæleſtibus prodigiis , qui tanta impari- A tate aleæ certaminis ſe committebant . At revera non deerant , qui malebant in Judicio victas manus dare, quandoquidem ſe ineptos ad reſiſtendum armis agnoſcebant , quàm graviſſimo periculo ſuo expoſcere & exſpectare miracula e cælo . Vide Præfationem meam ad Leges Langobard. Part. II. Tomi I. Rer. Italicar. ubi Placitum evulgavi , coram Bonifacio Marchione habitum Ferrariæ Anno Chriſti MXV. Ibi Epiſcopus Ingo , oblato Duello , *timore coactus*, Monaſterium a ſe occupatum dimittit. Wido quoque Lucenſis Epiſcopus Anno MLV. cum Azone Advocato ſuo coram Henrico Imperatore II. contendebat cum Gandulfo Lucenſi, cauſsâ tertiæ portionis Caſtelli Aginulfi . A ſe B juſtitiam ſtare Epiſcopi Advocatus *per Pugnam probare voluit* : Gandulfus autem ſatius duxit pellem ſuam , quàm Caſtelli poſſeſſionem tueri. Ejus rei teſtem profero Chartam , quam ex vetuſtiſſimo Regeſto Cathedralis Sarzanenſis ſive Lunenſis exſcripſi .

Placitum in Runcaliis habitum coram Henrico Rege III. Imperatore II. in quo Lucenſis Epiſcopus Wido evincit tertiam partem Caſtelli, quod dicitur Aginulfi, contra Gandulfum de Luca, Anno 1055.

DUm in Dei nomine , *loco Runcalia* , *in judicio reſidebat* Domnus Henricus ſereniſſimus Imperator *ad juſtitiam faciendam ac deliberandam*, *reſidentibus cum eo* Wido Archiepiſcopo Mediolanenſe, & Ambroſio Epiſcopo Bergamenſe , & Dyoniſio Epiſcopo Placentino , *Bonusfilius* , *Otto* , *Wibertus* , *Ubertus* , *Atto* , *Burgundius* , *Walcauſus*, & *Sembardus* , *Azo* , *Anſaldus* , *Johannes* , *Stado* , *Judices ſacri Palacii*, & *reliqui plures*. *Ibique in eodem veniens judicio* Domnus Wido Lunenſis Epiſcopus , *una cum Azone Judice & Advocato ipſius Eccleſie* , *nec non ex alia parte Gandulfus filius quondam Henrici de Luca* : & *reclamaverunt ſupraſcriptum Gandulfum de Caſtello , quod dicitur Aginulfi , prope Portam, que dicitur Bertam , de tertia portione ipſius Caſtelli , & monte , & Corte , cum omnibus pertinenciis eorum , que olim fuerunt Sancte Marie Lunenſis Eccleſie* . *Et dixerunt , quod pars predicte Eccleſie de iſta tercia porcione inveſtita fuiſſet , & ſupraſcriptus Gandulfus malo ordine diſveſtiſſet* . Et ſic per Pugnam probare volebant : & ſupraſcriptus Gandulfus hec defendere noluit : *ſed per fuſtem , quem in ſua tenebat manu , refutavit predictam tertiam porcionem ſupraſcripti Caſtelli , & Curtis , & eorum pertinenciis in manibus predicti Epiſcopi , & ejus Advocati . Tunc predictus Epiſcopus , & ejus Advocatus dixerunt* : Habemus & tenemus ad proprietatem ipſius Epiſcopii ſupraſcriptam terciam porcionem de ſupraſcriptis Caſtello , & de ſupraſcriptis omnibus rebus . Et ſi quilibet homo adversùs nos exinde aliquid dicere vult , parati ſumus, cum eo inde racione ſtandum & legitime finiendum . Et quod plus eſt , querimus , ut dicat iſte Gandulfus , qui ita de ſupraſcriptis eſt , ſi iſtam terciam porcionem Caſtelli & ceterarum rerum proprie ſunt ſupraſcripte Lunenſis Eccleſie : aut ſi ipſe Gandulfus aliquid ſcriptum aut firmitatem habet , per quas nobis ſupraſcriptis rebus intencionare poſſit annon . *Cum ipſe Epiſcopus & ejus Advocatus taliter retuliſſent , ad hec* C *reſpondit ſupraſcriptus Gandulfus* : Verè tercia porcio iſtius Caſtelli & Curtis & eorum pertinenciis propria eſt ſupraſcripte Eccleſie Lunenſis , & eſſe debet cum Lege . Et mihi ad habendum vel requirendum nichil pertinet vel pertinere debet , pro eo quod nullum ſcriptum , nullamque firmitatem vel racionem habeo , per quas intentionare aut contendere poſſem : ſed ut dixi pars eſt ſupraſcripte Eccleſie , & eſſe debet cum Lege . *Et ſpondit ſe ſupraſcriptus Gandulfus , & ſui heredes , ut ſi unquam in tempore de iſta tercia porcione Caſtelli & Curtis , & eorum pertinenciis adversùm predictam Eccleſiam & adversùs predictum Epiſcopum & ejus Advocatum , vel* D *ſucceſſores eorum , aut cui ipſi dederint , agere aut cauſare vel removere preſumpſerint, vel per Placitum fatigare per ſe , vel per ſubmiſſam perſonam , & taciti exinde omni tempore non permanſerint , vel ſi apparuerint ullum datum , aut factum , vel quodlibet ſcriptum , quod ipſi exinde in aliam partem feciſſent , & claruerit, tunc obligavit componere ipſe Gandulfus ſuique heredes ad partem ſupraſcripte Eccleſie penam dupli ſupraſcriptis rebus , ſicut pro tempore fuerint meliorate , aut valuerint ſub extimatione in conſimilibus locis , & inſuper penam auri optimi Librarum centum . Et inſuper ſupraſcriptus Domnus Imperator per fuſtem , quam ſua tenebat manu , miſit bannum ſuper predi-* E *ctam Eccleſiam , & Advocatum ejus in Libris centum auri optimi ; ut ſi quislibet homo amodo preſumpſerit de jam dicta tercia porcione ſupra ſcripti Caſtelli & rebus deveſtire aut moleſtare vel contendere , aut in aliquis ſubtraère temptaverit , ſciad ſe eſſe compoſiturus ſupraſcriptas Libras centum auri . Is actis & manifeſtacio ut ſupra facta , rectum eorum Judicum & Auditorum paruit eſſe judicaverunt , ut juxta eorum profeſſionem & manifeſtationem jam dictus Epiſcopus & ejus Advocatus ad partem ſupraſcripte Eccleſie habeant & teneant ad proprium jam dictum Caſtellum , & omnibus rebus . Et ipſe Gandulfus & ſui heredes maneant exinde*

omni tempore taciti & contenti. Finita eſt cauſa. Et hanc noticiam pro ſecuritate ſupraſcriptæ Eccleſie fieri ammonuerunt.

Quidem & ego Wilielmus Notarius ſacri Palacii ex juſſione ſupraſcripti Imperatoris & Judicum hanc noticiam ſcripſi, Anno ab Incarnatione Domini Noſtri Jeſu Chriſti Milleſimo Quinquageſimo Quinto, Imperii verò Domni II. Henrici Imperatoris Auguſti Anno Nono, quinto die menſis Madii, Indictione Octava.

Nuper dixi, abſque veniâ Principis nefas fuiſſe Duellum facere. Id quoque obſervatum videas a Veronenſi Republica Anno MCCXXVIII. quum inter Leges municipales ejuſdem Populi, ab amico meo erudito Archipresbytero Campagnola editas, Cap. 78. Prætor hoc inter alia ſe præſtiturum polliceatur: *De maleficiis abſconſis, ſi perſona ſuſpecta ſit, ſine indicio; ſi autem ſuſpecta non fuerit, cum indicio, meo arbitrio determinabo Duellum, vel judicium judicabo. Et ſi de aliqua cauſa Pugna erit ordinata vel judicata, faciam fieri juramentum ſecundùm Legem. Et ſi actor amiſerit Pugnam, ipſum meo arbitrio puniam.* Quæ tamen hactenus de imparitate pugnatorum objecta ſunt, ſi non ubique, certe multis in locis emendata fuere. Nimirum cavebatur, ne infirmo, & certaminum imperito fortis ac peritus objiceretur. Audi eadem Veronenſium Statuta Cap. 126. *Omnes Camphiones bravos & magiſtratos* (ideſt Italice *ammaeſtrati, e pratici del combattere*) *per me* (hoc eſt, Prætorem) *vel per Judices Communis Veronæ, ſive Conſules, bonâ fide coæquabo: factâ coæquatione, defendenti electionem dabo.* Atque hinc etiam colligere poſſumus, conceſſam fuiſſe a Veronenſibus facultatem cuicumque eligendi, ſi mallet, qui pro ſe cum adverſario pugnam iniret, contra quàm Otto II. ut antea vidimus, conſtituiſſet. Conducebantur autem carò ejuſmodi Campiones: idque nos edocent eadem Statuta Cap. 125. ubi hæc decernuntur: *Nullus Camphio noſter, ſive extraneus, de cetero ararum nomine ultra centum Solidos ſuſcipiat aliquâ occaſione, vel ſub aliquo colore: nec aliquis ultra præſumat dare.* Neque tantam pecuniæ ſummam exigere iniquum fuit; nam Campioni victo pœna manus truncandæ imminebat, uti ſupra innuimus: quam tamen pœnam, ut puto, ii pretio oblato redimere ſolebant. Ceterum alicubi extra Italiam infames habebantur ejuſmodi pugiles conductitii; in Italia verò ſecus, immo inter bravos, hoc eſt, fortes ac animoſos computabantur. Vidimus, quotieſcumque incertum erat crimen alicui objectum, controverſiæ deciſionem (ſtulte profectò) commiſſam Pugnæ fuiſſe. Perdurabat autem in Lombardia exſecrandus iſte mos ſub finem Sæculi XII. atque ad eum ſeſe accommodare Mulieres ipſæ cogebantur. Nam, ut habetur in Vita Sancti Lanfranci Epiſcopi Ticinenſis apud Bollandianos ad diem XXIII. Junii, quum *puella quædam, nomine Galaſia, veneni propinati fratri ſuo incuſata, factum inficiaretur,* Prætor *Ticinenſis Duellum fieri debere judicavit.* Quot verò tum iniqua, tum ridenda interdum acciderent in ejuſmodi feralibus Pugnis, quæ in campo peragebantur, ſive in area undique clauſa, univerſo Populo ſpectante, ut olim ad Gladiatorum ſpectacula factum eſt, Lectori gratum erit accipere ab altera Charta, quam ex Archivo Regienſis Monaſterii, olim Sancti Proſperi, nunc Sancti Petri, deſcriptam ad me miſit tum ex doctrinâ, tum ex piis moribus ſpectatiſſimus Vir, Domnus Maurus Valliſnerius Abbas Benedictinus Regienſis. Ex ea autem, ut obiter dicam, elucere etiam poterit, Mathildem Comitiſſam celebrem Regienſi Urbi titulo Comitis præfuiſſe.

Memoria litis & Pugnæ inter Monaſterium Sancti Proſperi Regienſis, & Commune Vallis pro bonis in territorio Naſetæ, coram Judicibus Matildæ Comitiſſæ, Anno 1098.

UT in poſterum firmius memoriæ commendetur, neceſſarium duximus, his litteris breviter innoteſcere de Lite, quæ fuit inter Abbatem Monaſterii Sancti Proſperi de Regio & homines, qui dicuntur de Vallibus. Conqueſtus eſt Abbas cum ſuo Advocato ante Ubaldum Judicem de Carpeneta, quod ipſi homines de Valle injuſte tenebant quaſdam res territorias in Curte de Naſſeto, quæ erant juris Eccleſiæ Sancti Proſperi. Qua quæſtione ab Ubaldo diligentiſſime examinata, & per tres homines Curtis Naſſetæ jurejurando deciſa; reddidit poſſeſſionem Eccleſiæ, ut in Notitia legitur. Quo facto homines de Vallibus iverunt ad Matildam Comitiſſam, *& dixerunt, ſe injuſte diſveſtitos eſſe. Quapropter ipſa Comitiſſa miſit Bonum Judicem de Nonantola, & præcepit Ubaldo Judici, ut iterum inquirerent, & præciperent utrique parti,* ut inde eſſent parati ad Pugnam. *Partibus congregatis ad hoc coram prædictis Judicibus, ipſe Abbas ſtatim oſtendit Præcepta Regum, ſcilicet Karoli & Ottonis, in quibus apte dinoſcitur res proprias eſſe Eccleſiæ, ut in ſcriptis Eccleſie continetur. Et inſuper Cauſidici Abbatis oſtenderunt Legem Sereniſſimi Imperatoris Juſtiniani, in qua continetur, eos, qui ab Herrario, vel ab Auguſtali Domo aliquid accipiunt, ſtatim ſecuros eſſe, ſive experiantur, ſive conveniantur, ut apte claret in Juſtiniano Codice, & Inſtitutionis. Et alias multas optimas oſtenderunt allegationes: quas prædicti Judices omnino reſpuerunt; & dixerunt nullo modo facturos, niſi quod fa*cerent Pugnam. *Et invita parte Eccleſiæ fecerunt appellationem, & reſponſionem de Pugna. Et fecerunt invadiare ſub pena decem Librarum Lucenſ. Et ſtatuto die,* Campionibus paratis ad Pugnam, pars Eccleſiæ tantam habuit humilitatem, ut totas illas res, quæ in lite erant ex parte Eccleſiæ, concedebant adverſariis, *ſecundùm laudamentum Miſſorum Comitiſſæ: quod adverſaria pars penitus renuit.* Campionibus ad Pugnam conjunctis, Campio ipſorum hominum de Vallibus jactavit pro maleficio, antequam inciperet Pugnam, wantonem fæmineum, variis coloribus diſtinctum, ſuper caput Campionis Eccleſiæ: quod omnino Leges vetant, atque mulctant. Illis autem pugnantibus, nemo illorum cecidit. Sed dum ſe invicem manibus arriperent & dilaniarent, multitudo

tudo hominum partis eorum de Vallibus compreſſerunt Campionem Eccleſiæ , & apprehenderunt eum . Sed ipſe evaſit de manibus eorum ; & reverſus in Campum , viriliter requiſivit Pugnam . Iterum aggreſſi , violenter ceperunt eum , & crudeliſſime ceciderunt eum . Sed pars Eccleſiæ , quamvis minima , volens adjuvare eum , mercedem tamen petendo, fere omnes percuſſi & vulnerati vix evaſerunt . *His omnibus , ita ut ſuperius legitur , ordine peractis , contentio orta eſt , ita quod pars hominum de Vallibus dicebant , ſe per Pugnam viciſſe , & pars Eccleſie aſſerebat , ſe minime eſſe victam* : & Campio partis Eccleſie dicebat, ſe nullo modo ſuperatum eſſe, & viriliter & prudentiſſime volebat pugnare . *Et ipſe Ubaldus Judex , in cujus proviſione Pugna erat conſtituta, dicebat , Litem in dubio remanere , neque per hanc Pugnam deciſam eſſe : qua de cauſa nullam inde Judices dedere ſententiam . Hæc cauſa accidit præſentibus Judicibus Ubaldo , & Bono , atque Alberto Cauſidicis , etiam Ubaldino Heriberto Advocato prædictæ Eccleſiæ , Giberto Carbone , atque Frogerio , & ceteris , Hadegerio & Ugone filiis condam Manfredi de Gruppo , Gottefredo de Roſano , & Sigefredus Sigezone , atque Ildeberto de Regio , Sigezone atque Giberto filiis Bibentiſaquam , Rozone de Pellavo , Ingebaldo , Mazzolino , & filio ejus , Rodulpho de Pulliano & frater ejus , & Burnengo de Bundolo , & Manfredo de Villula, & aliis quampluribus , Anno ab Incarnatione Domini Noſtri Jeſu Chriſti Milleſimo Nonageſimo Octavo , III. Nonas Julii , Indictione Septima, in Villa , quæ dicitur Garfagnolo .*

Uti legere potuiſti, maleficii ſuborta ſuſpicio eſt , quod Laicorum Campio ante pugnam Wantonem , ſive chirothecam, *variis coloribus diſtinctum* , projecerit *ſuper caput Campionis Eccleſiæ* , ſubdendo : *quod omnino Leges vetant & mulctant* . Innuitur fortaſſis heic Lex Langobard. 371. Rotharis Regis, in qua ſtatuitur, *ut nullus Campio præſumat, quando ad Pugnam contra alium vadit , herbas , quæ ad maleficia pertinent, ſuper ſe habere, nec alias ſimiles res, niſi tantùm arma ſua , quæ conveniunt.* Vide quàm ſuperſtitioſæ olim forent in hiſce Pugnis Majorum noſtrorum mentes , & quàm delicatus, ne dicam ridendus eſſet Monachorum metus ex chirothecâ in ſuum Campionem projectâ . Si conjicere licet , non aliâ de cauſsâ ipſam adverſarius projeciſſe videtur, niſi ut initium Pugnæ indicaret . Non enim à vero abhorret , jam tum obtinere cœpiſſe uſum laceſſendi ad Pugnam , ſive diffidationis , ut appellabant , per chirothecam , quam *il guanto della battaglia* noſtri dicere poſtea conſueverunt . Certe Judices ii nullam rationem habuere Wantonis *projecti* , etiamſi *variis coloribus diſtinctus* eſſet . Ceterum in nimium ſermonem oratio excreſceret , ſi ſingula perſequi vellem ad barbaricum hoc argumentum ſpectantia , & potiſſimùm quouſque proceſſerit perverſæ & feralis hujus Conſuetudinis exceſſus uſque ad Sæculum XVI. quo declinante declinare ſenſim & ipſa cœpit . Subſequenti autem Sæculo adeo enervata eſt , ut noſtris jam diebus , niſi perquam raro , audiamus , furentem aliquem ad ſingularem Pugnam condicto tempore procedere . Atque heic quamquam res ſit alioqui vulgatiſſima , commemoratum volo Duellum famoſiſſimum , conditum Anno Chriſti MCCLXXXIII. inter Carolum I. Siciliæ , ac Apuliæ Regem , & Petrum Aragonum Regem , ob ereptam eidem Carolo Siciliam . Qualem exitum ea conſilia habuerint , nihil eſt, quod ego ediſſeram , quum de his multa habeantur in Collectione mea Rerum Italicarum . Rem tamen non ingratam Lectoribus facturum me ſpero , ſi quæ Carolus tunc ad Rempublicam Mutinenſem ſcripſit , ex hujus Archivo adſeram , ad illius temporis Hiſtoriam opportuna.

Literæ Caroli I. Siciliæ Regis ad Mutinenſem Rempublicam , quibus Petrum Aragonum Regem injuſtum , infidum , atque infamem evincere conatur , & qualibus conditionibus condictum antea inter ipſos fuerit ſingulare Certamen , exponit , Anno 1283.

Memoriale ſit Ambaſſatoribus Regiis euntibus ad partes Italiæ , quod Civitatibus & Amicis Italiæ exponent ea , quæ ſequuntur .

Karolus &c. talibus &c. ſalutem . Quia firmiter credimus , quod de ſtatu & proceſſibus noſtris felices libenter auditis rumores , amicitiæ veſtræ cupimus eſſe notum , quod in ſcriptione præſentium cum cariſſimo Domino & Nepote noſtro Rege Franchorum Illuſtri apud Moraſcum ſani eramus , hilares & jocundi , gratiâ omnium Creatoris ; & ut de proceſſibus noſtris, & Petri olim Regis Aragonum veritatem ſciatis , totius facti ſeriem , pactorum, & belli initorum inter Nos & ipſum , vobis ut Amicis noſtris cariſſimis , in quodam rotulo cum Literis noſtris de credentia , per portitorem præſentium deſtinamus : per cujus tenorem dilucide videre poteritis, quod per ſanctam Romanam Eccleſiam Regno Aragoniæ , & omnibus aliis Terris ſuis, ac etiam per ſe ipſum privatus eſt , prout in proceſſu Summi Pontificis , & dictis pactis , & conventionibus continetur . Et per hoc videre poteritis , quod ipſum excæcaverunt ejus peccata , a natura operum Prædeceſſorum ſuorum ſic turpiter deviando , quod in defectus multiplices incidit , ut evidenter apparet . Factum enim iſtud novum eſt , extraneum , & horribile cuique bono viro ad intelligendum ac etiam audiendum : de quo omnes debent mirari , qualiter homo tantæ propaginis propriâ voluntate tam graves defectus incurrit , verecundiis inexcuſabilibus oneratus . Super quibus boni debent dolere , quod homo tantæ bonæ originis , in tot & tantos defectus ſe poſuit , ut dictum eſt . Et poteritis videre per ea , quæ ſequuntur , quod ſententiam , per quam appellabamus eum de proditione vel quaſi , intelligere clare poterat & debebat , & nullatenus ignorare .

Dicebamus primo & dicimus , quod nullatenus ſperabamus , nec credere tenebamur , quod idem Petrus deberet intrare , vel invadere Regnum noſtrum , eo quod tractaverat, & tractabat nobiſcum tunc de Matrimonio contrahendo inter unum de Liberis ſuis & unam de Infantibus filii noſtri : & dum in Urbeveteri eramus ,

per

per dies non multos ante rebellionem Siculorum, nobis ſuper tractatu hujus Matrimonii Præpoſitum Maſſilienſem cum ſuis Literis de credentia deſtinavit; per quam credentiam nobis dixit Dominus Præpoſitus, quod dictus Petrus de dicto Matrimonio contrahendo magnam voluntatem habebat, quodque ſupra Saracenos ire intendebat in brevi: & volebat nobis inter cetera promittere, ut ſi contingeret, ipſum Regnum aliquod acquirere contra Saracenos, quod Regnum ſic acquiſitum filio ſuo, qui cum filia filii noſtri contraheret, & alias Terras, ſi quas acquireret, aſſignaret. Inſuper dixit nobis dictus Præpoſitus alia multa verba amicabilia ex parte ipſius. Item ex eo quod dictus Petrus de Aragonia requiſivit Summum Pontificem ſuper Decimis Terræ tunc ſuæ, ſibi per ipſum Summum Pontificem concedendis, & ſuper eo quod ipſe Romanus Pontifex dictam Terram reciperet in gardia & protectione ſua & Eccleſiæ Romanæ, aſſerendo ſibi, quod ipſe ibat contra Saracenos ad exaltationem Fidei Chriſtianæ. Item ex eo quod ipſe Petrus de Aragonia, cum nobis ſuas Literas deſtinaret, ipſe ſemper in eiſdem ſuis Literis Nos ipſos Regem Siciliæ nominabat, & noſtrum filium in ſuis Literis filium Regis Siciliæ nominabat. Item ex eo quod cum memoratus Rex Franchorum intellexiſſet, quod idem Petrus vaſa ſua paraverat ad navigandum per mare, ipſe Franchorum Rex miſit eidem Petro Nuncios ſuos ſolempnes, dicentes ſibi, quod ipſe Petrus nihil faceret, neque iret contra Nos, nec contra filium noſtrum: & ſi hoc ipſe faceret, haberet pro firmo, quod ipſe Rex Franchorum teneret & haberet illud, tamquam ſi perſonæ ſuæ propriæ factum eſſet; ipſe verò Petrus reſpondit eiſdem Nuntiis, ſe contra Nos, ſeu contra filium noſtrum non facturum aliquid, quod eidem Regi Franchorum diſplicere deberet. Illud etiam vos ſcire volumus, quod tractatus Matrimonii ſupradicti de liberis filii noſtri, & Petri prædictorum durabat & tunc, quando ipſe Petrus intravit & invaſit Regnum noſtrum.

Item ex eo quod idem Petrus non ſolùm in dicto tractatu Matrimonii, immo etiam in multis aliis oſtendebat amorem erga Nos & filium noſtrum, ad hoc ut ipſe nos poſſet melius decipere, & ad hoc ut nos poſſemus minus percipere de mala voluntate, quam erga nos habebat, & de iis, quæ contra nos facere intendebat, & ad hoc ut magis deberemus confidere de eodem. Item ex eo quod idem Petrus nullatenus oſtendit diſplicere ſibi, cum nos ivimus contra Principem Manfredum quondam ejus Socerum, nec umquam aliquam petitionem, ſeu querelam de dicto Regno Siciliæ fecit coram Summo Pontifice, nec etiam coram nobis. Et omnes cauſæ ſupraſcriptæ fuerunt ſibi dictæ, quando Nos appellavimus eum pro Bello faciendo. Et ad hoc poteritis cognoſcere & ſcire, quod ipſe Petrus ſæpe dictus potuit bene ſcire & cognoſcere, qualiter & quare Nos appellabamus eum ad faciendum Bellum ſupradictum. Iſtud etiam vos ſcire volumus, quod appellatio prædicta, quam Nos ſibi faciebamus, & quam Nos ſibi mandavimus per Nuntios noſtros, fuit facta hoc modo, videlicet: Quod ipſe intraverat Regnum noſtrum Siciliæ contra rationem, & malo modo, nullâ diffidatione nobis factâ, propter rationes & cauſas hìc ſcriptas, & per Nos ſibi mandatas. Per quas ipſe intelligebat, & intelligere debebat, qualis erat forma appellationis prædictæ, quam ſibi mandabamus. Nos enim dictam appellationem ſibi mandavimus, &

A verba prædicta curialiùs quàm potuimus. Et tamen injunximus Nuntiis noſtris, quod ipſi declararent eidem Petro formam appellationis prædictæ, & ſpecialiter illa verba, quod malo ordine intraverat, ſi non intelligeret, qualiter Nos intelligebamus eadem. Quare Nuntii noſtri, cum ſibi dixiſſent, quod Nos appellabamus eum in iſta forma, quod noſtrum Regnum intraverat contra rationem & malo modo, nulla diffidatione præmiſſa, dixerunt ei, Nos ipſis injunxiſſe, quod ſi ipſe non bene intelligeret illa verba, quæ ſibi mandaveramus; videlicet quod ipſe intraverat malo modo, prout nos intelligebamus eadem, quod ipſi ſibi clare dicerent, & darent intelligere. Ipſe verò Petrus B eiſdem Nunciis noſtris reſpondit altâ voce, & coram multis ibidem præſentibus, audientibus, & intelligentibus, ſe bene intelligere vim & tenorem verborum illorum, quod male intraverat. Nam per illa verba intelligebat, quod nos imponebamus ei pravitatem, infidelitatem, & proditionem. Et tunc præfati Nuntii noſtri reſponderunt, quod ex quo intelligebat illa verba ſupradicta eodem modo, quo Nos intelligebamus, non erat neceſſarium eidem ea verba amplius declarare. Dixerunt etiam ſibi iidem Nuntii noſtri, quod ſi nos curialius potuiſſemus mandaſſe, quàm ſit dicta forma per eundem Petrum intellecta & reſponſa, & per Nos ſimiliter intellecta, nos hoc feciſſemus libentius, quàm per C verba prædicta. Verba enim ſupradicta, quæ Nos ſibi mandavimus, & illa, quæ vobis tenore præſentium intimavimus, non potuimus, nec poſſumus curialius denotare, ex eo quod facti turpitudo id requirit. Quod quidem factum Attentatum per eum non poteſt dici ſeu diſcooperiri abſque contumelia. Nos enim credebamus, & credere debebamus, conſideratis propagine, ex qua idem Petrus deſcendit, & ſimulatione, quam de ſe ipſo oſtendebat, quod ſi ipſe certus eſſet, ſe moriturum in Bello ipſa die, cogitando ſe facere quod debebat, ipſe debuiſſet & voluiſſet potius eligere Bellum faciendo quod debebat, quàm ſe ſic turpiter abſentare, & ſe onerare de tot & tantis contumeliis, & injuriis D contractis in conventionibus ſupradictis, promiſſis & juratis per eumdem. In quo facto, ſimulatione, & exemplo ipſe dedit ſuſpicionem multis filiis proborum hominum per exemplum, quod dedit eis. De quo cor ſuum debet eſſe in magna anxietate & grandi dolore, ſi delectaretur in bono, & ſi ipſe ſapiens eſſet, & adverteret facta ſua prædicta, & conventiones prædictas initas inter Nos, & eumdem, in quibus pœnæ graviſſimæ continentur.

Et quia Bellum & conventiones ſupradicta ſciuntur, & divulgata ſunt per univerſum Orbem, ideo ipſius exceſſus amplius aggravatur, & dat pœnis exemplum: cum caſus ſimilis numquam, aut raro acciderit de voluntate ambarum E partium, contumeliis & injuriis tam magnis, & pœnis tam grandibus oneratus. Propter quas rationes ipſe debuiſſet potius voluiſſe mori in dicto Bello, quàm ſe cum tanta ignominia abſentaſſe. Nos certe pro firmo aſſerimus, quod nos magis voluiſſemus in memorato Bello mori, quàm in die ad Bellum faciendum aſſignata non veniſſe, ſicut ipſe non venit, nec comparere curavit. Et hoc idem deberet velle omnis homo, qui deſiderat honorem acquirere, & infamiam evitare. Et turpiſſimum quidem eſt in homine non dubitare acquirere infamiam, vel eam cooperire ſub velamine truffæ, ſive bordæ, oſtendendo, infamiam non eſſe, ubi eſt. Et certe

omnes

omnes illi , qui hoc vitio laborant , utuntur grandi exceſſu , & non videntur ſervere in bene faciendo . Probo tamen homini difficile quidem eſt , ſcire ſe in ſuis exceſſibus confortare , cum natura & ratio confirmationem hujus ſibi non ſuadeant , immo tollant . Propter quod nos dicimus , quod ſic illi ſe confortantes , habent grandem prærogativam , eo quod de facili in eorum exceſſibus & infamiis confortantur ; licèt hoc non conſonet rationi : non tamen per hoc auferunt , nec auferre poſſunt noticiam & cognitionem infamiæ hominibus hujuſmodi . Et in hoc , ut nobis videtur , poſſunt cognoſci pii ab impiis evidenter , quia ſæpe contingit , quod probi homines appetentes bene facere , & dubitantes infamiam conſequi , timent & dubitant , ne delinquerent vel excederent , ſi facerent aliqua , in quibus , ſi ea facerent , nullatenus excederent nec peccarent . Et hoc contingit propter magnum deſiderium , quod habent de bono faciendo , & honore acquirendo , & propter magnum amorem , & dubitationem , quam habent de malo faciendo , & infamiam conſequendo . Et ab hac probi homines , quoniam in hoc minus cognoſcunt propter grandem amorem , & dubitationem , quam habent de malo faciendo & infamiam conſequendo , & propter grandes labores & pœnas , quos & quas in eorum cordibus ſubſtinerent , ſi per eorum culpam infamiam acquirerent , minus poſſunt ipſi invenire de excuſationibus & rationibus & velamentis , ad cooperiendum , colorandum , & monſtrandum modo . . . . infamiæ , ſi intrarent in eamdem. Verumtamen illi , qui parum valent , & parum infamiam dubitant , non multum curant , nec multum cogitant , nec multum timent , incurrere infamiam : immo , cum ipſam conſequenter parum inde curant , & in hoc de facili ſe confortant , & de facili inveniunt vias , colores , & ſimulationes , ad hoc ut infamia non ſit ibi , ubi verè eſt . Propter quod apparet , hominem non dubitantem infamiam , non de facili poſſe convinci , ut cognoſcat , ſe eâdem infamiâ oneratum . Et hæc ſunt vera , & conſonant rationi. Et verè fatuitas quædam eſſet , eadem ſuadere alicui , infamiam non dubitanti , ipſum ex aliquo facto conſequutum , vel conſequuturum infamiam , ex quo cognoſcunt , illum infamiam non timere .

Et propter prædictas rationes dicimus , quod ſi idem Petrus olim Rex Aragonum dubitat , & dubitavit infamiam . . . . ſibi ſuadet , & grandis bonaque propago , unde deſcendit , ipſe A *bene oſtendet in antea , & cognoſcet infortunia & infamias , quæ contigerunt eidem . Et niſi ipſe oſtendat , ſe inde dolere , fatue ageret , qui ipſum in antea ab incurſione infamiæ initæ . . . . Et verè ſi dictus Petrus tantùm timuiſſet infamiam conſequi , quantùm Judas Machabeus, probus & bonus Miles , qui dubitavit & timuit de Sole , quod ab eodem Sole verecundiam haberet , ſi ipſe Judas male faceret , præcaviſſet ſibi idem Petrus , nec ſupradicta feciſſet , quæ ſibi infamiam perpetuam irrogarunt , prout omnes ſciunt , & communiter hæc agnoſcunt. Nec credant aliqui , quod Nos ſupraſcripta intimemus ad hoc , ut eumdem Petrum diffamare velimus ; ſed quia pura & clara veritas ſic ſe habet. Nec* B *poſſumus , exceſſus , culpas , & infamias ejuſdem curialius denotare . Et hæc ſciuntur fere per omnes gentes . Propter quod poſſent , & debent homines advertere , ſi nos veritatem diximus in præmiſſis . Nos enim ſi aliud quàm veritatem in præmiſſis poneremus , ut fatui ageremus , & in noſtram infamiam redundaret . Et præterea vos ſcire cupimus , quod Nos de ſupraſcriptis conventionibus inter Nos & eumdem Petrum conventis , promiſſis , & juratis , habemus duo paria Literarum apertarum , Sigillo dicti Petri , & quadraginta Militum communitas . Inſuper amicitiam veſtram ſcire volumus, quod Illuſtris Rex ſuorum pendonibus munitarum . . . . . . quas parati ſumus oſtendere omni-* C *bus , qui ſuper prædictis conventionibus dubitarent . Ipſe verò Petrus ſæpe dictus habuit & habet Literas noſtras ſuis prædictis conſimiles , Sigillo noſtro , & quadraginta Militum communitas . Inſuper amicitiam veſtram ſcire volumus , quod Illuſtris Rex Franchorum ſupradictus, attendens , quod Petrus memoratus loco & die* ad dictum Bellum *faciendum aſſignatis comparere aliquatenus non curavit , eâdem die contra eumdem Petrum conſequitur viriliter & potenter , ſic quod in brevi dicti Regis Franchorum potentia per opera cognoſcetur . Inſuper noveritis , quod die Martis XXV. menſis Maji proxime præteriti intravimus Civitatem Burdegalenſem , in qua fuimus continue uſque ad diem* D *Veneris XI. diem Junii proxime præteriti , licèt ultra præfatam diem Junii Nos non teneremur expectare eumdem , tum propter defectum ipſius , qui dictum diem defecit , tum ob infamiam , quam ob hoc incurrit , ut eſt dictum ; qui nec venit , nec ſe aliquatenus excuſavit , ſicut homo de toto honore ſimpliciter , & finaliter deſperatus .*

Li-

Literæ Petri Aragonum Regis contra Carolum I. Siciliæ Regem ex Regeſto Communis Mutinæ, pag. 272. Anno 1283.

PEtrus Dei gratiâ Aragonum, & Siciliæ Rex. Ad notitiam præſentium, & memoriam futurorum. Pridem inter Magnificum Principem Karolum Jeruſalem Regem Illuſtrem, & inter Nos mutuo præcedente tractatu, quod Rex ipſe eligeret ſex de ſuis Militibus viros probos & fideles, & Nos eligeremus ſex de noſtris Militibus viros probos & fideles; qui omnes duodecim Milites per ipſum Regem Karolum & Nos taliter electi, corporali prius per eos præſtito juramento, legaliter, & bona fide tenerentur eligere locum communem, & ſtatuere terminum ad Pugnam faciendam inter ipſum Regem Karolum, & centum de ſuis Militibus ex una parte, & Nos, ac centum de noſtris Militibus ex parte altera, *pro eo quod ipſe, tamquam petitor, nobis oppoſuit & opponit, quod nos intravimus in Regnum Siciliæ contra rationem & malo modo, & ipſo prius non diffidato; & hoc paratus erat & eſt, probare de ſuo corpore, & centum de ſuis Militibus contra noſtrum corpus, & centum de noſtris Militibus. Noſque Rex prædictus, tamquam defenſor, ſibi reſpondimus & reſpondemus, quod in ingreſſu Siciliæ, vel in aliquo, quod fecerimus contra eum, rem non fecimus, unde noſtra legalitas minus valeat, vel verecundiam habere debeamus in Curia, ſeu coram aliquo probo viro.* Et quod Pugna de ipſo, & centum de ſuis Militibus contra Nos, & centum de noſtris Militibus nobis placet: *Nos de fide, prudentia, & legalitate, ac armorum experientia Guilielmi de Caſtronovo, Rodorici Exementi de Luna, Petri de Queralco, Eximeni de Arceda, Radulfi de Manuele Militum, & Judicis Reinaldi de Limogiis de Meſſana, per nos ad hoc parati, & pro uno Milite computati, familiarium & fidelium noſtrorum, plenarie confidentes, ipſos elegimus, fecimus, conſtituimus, & ordinamus, eiſque per noſtras patentes Literas exhibuimus plenariam poteſtatem: quod ipſi una cum Jordano de Inſula, Johanne Vicecomite de Tremblay, Jacobo de Burſono, Euſtachio de Andegavir, & Gilio de Salſi, familiares & fideles ipſius Regis Karoli, per eum ad hoc electis, factis, conſtitutis, & ordinatis, prout per patentes Literas ipſius Regis Karoli, pendente cereo Sigillo munitas, apparuit & apparet, corporalibus inter ipſos duos hinc & inde electos pro parte ipſius Regis Karoli & noſtrâ, ac ipſorum taliter electorum, hinc inde receptis & præſtitis juramentis, legaliter & bonâ fide poſſent eligere, & eligerent locum communem, & terminum ſtatuerent competentem,* ad Pugnam *faciendam inter ipſum Regem Karolum, & centum de ſuis Militibus, ac Nos, & centum de Militibus noſtris, certumque præfigerent terminum, in quo ipſe Rex Karolus cum centum de ſuis Militibus, & Nos cum centum de noſtris Militibus, commode eſſe poſſimus, & ſimus in loco, quem prædicti per ipſum Karolum Regem & Nos taliter electi,* ad Pugnam *hujuſmodi faciendam unanimiter, & concorditer ducerent eligendum.*

Dedimus etiam eiſdem quinque Militibus, & dicto Judici Reinaldo pro Milite computato, familiaribus & fidelibus noſtris, plenariam poteſtatem, quod ipſi ſecuritates neceſſarias, & quas inſpicerent, opportunas, nomine noſtro præſtare & recipere ad prædicta omnia & ſingula; quæ ſub hypotheca bonorum noſtrorum rata & firma habere, ac inviolabiliter obſervare promiſimus; & tractare, eligere, ordinare, ſtatuere poſſent libere, & firmare. Adjecimus autem, quod ſi aliquis vel aliqui ex prædictis noſtris ſex Militibus, infirmitate, vel alio caſu quolibet emergente, in prædictis, vel aliquo prædictorum, perſonaliter intereſſe non poſſet, vel non poſſent, totidem quot ex prædictis noſtris eſſent taliter præpediti, eximerentur de numero prædictorum ſex Militum, per ipſum Regem Karolum ad prædicta taliter electorum: & reliqui tam per eumdem Regem Karolum, quàm per Nos, electi, unanimiter & concorditer ea omnia & ſingula poſſent libere perficere & complere. Et hoc idem gravaretur, ſi aliquis, vel aliqui de prædictis ſex Militibus per ipſum Regem Karolum electis eſſent infirmitate, vel caſu quovis alio præpediti, ita videlicet, ut totidem eximerentur de numero prædictorum ſex Militum, per Nos taliter electorum; & reliqui qui forent reſidui tam per ipſum Regem Karolum, quàm per Nos electi, unanimiter in prædictis omnibus & ſingulis tractarent, ordinarent, eligerent, ſtatuerent, facerent, firmarent, jurarent ſub hypotheca bonorum noſtrorum, rata & firma habere, & inviolabiliter obſervare promiſimus, & juravimus, tactis corporaliter Evangeliis ſacroſanctis. Securitates etiam omnes & juramenta præſtare, obligationes & cautiones præbere, quas prædicti duodecim ab eodem Rege Karolo & Nobis electi, vel reſidui ex eis, aliqua, vel aliquibus ex una parte vel altera præpediti, & totidem ab una parte vel ab omni exempto, vel exemptis, a nobis ducent poſtulandas: prout hæc omnia in patentibus Literis noſtris in teſtimonium inde confectis, & prædicto Sigillo noſtro munitis, eidem Regi Karolo pro parte noſtra exhibitis, quarum eſt Data Meſſanæ VII. Kalendas Januarii, Anno ab Incarnatione Domini MCCLXXXIII. plenius & apertius continetur.

Idem autem Rex Karolus prædictus Jordanum de Inſula, Johannem Vicecomitem de Tremblay, Jacobum de Burſono, Euſtachium de Haidiconie, Johannem de Viſi, & Guillielmum de Salis, familiares & fideles ſuos, ad hoc pro ſe obligare fecit, conſtituit, ac etiam ordinavit; dans & concedens eiſdem pro parte ſua conſimilem per omnia poteſtatem, prout in patentibus Literis ipſius Regis Karoli exhibitis, quarum eſt Data Regii Anno Domini MCCLXXXIII. die XXVI. menſis Decembris, Undecimâ Indictione, plenius continetur. Et licèt Data tam prædictarum ipſius Regis Karoli & Noſtrarum, quàm etiam præſentium, & aliarum pro parte ipſius Regis Karoli præſentibus conſimilium Literarum, videantur in Annis Domini diſcordari, eo quod earumdem noſtrarum Literarum Data facta eſt Anno Domini MCCLXXXII. ſecundùm conſuetudinem Regni Aragonum, & quamplurium aliarum partium Ultramontanarum, a quibus Annus ab Incarnatione Domini computatur; & earumdem Literarum dicti Regis Karoli Data facta eſt ſecundùm Romanæ Eccleſiæ, totiuſque fere Ytaliæ con-

conſuetudinem generalem , Anno Domini MCCLXXXIII. currente , qui Annus a Nativitate Domini computatur . Horum Annorum deſcriptionem diverſam, ſcilicet LXXXIII. & LXXXII. adnotavimus , ſecundùm diverſitatem regionum imponentium vocabula diſcordantium , uno tamen & eodem in exiſtentia permanente , ne ullum propter hoc aliquibus dubium generetur , ſed ſit firma ſingulis certitudo , quod tam prædicti de poteſtate ipſis duobus tradita ipſius Regis Karoli & noſtri , quàm præſentes , & ipſius Regis Karoli iis conſimiles & correſpondentes Literæ fuerint uno & eodem anno , menſe , & die confectæ . Præfati quoque ſex Milites per eumdem Regem Karolum , ac præfati ſex per Nos electi , in Regali Palatio noſtro Meſſanæ parte congregati , & ad perfectionem hujus negotii procedentes , poſt tractatus multiplices , diſcuſſiones diverſas , examinationes varias , indagineſque ſubtiles , perpenſo , ac diligenti deliberato conſilio inter eos , ex poteſtate ipſis ab eodem Rege Karolo, & Nobis per eaſdem Literas traditâ , unanimiter & concorditer elegerunt , quod prædicta Pugna inter Nos & centum de noſtris Militibus , ac dictum Regem Karolum , & centum de ſuis Militibus facienda , fiat in poſſe Regis Angliæ , videlicet in Guaſconia , in territorio Burdegalenſi , in aliquo Campo , vel Platea ipſius territorii : quem vel quam idem Rex Angliæ magis convenientem pro utraque parte viderit ad Pugnam ipſam de ducentis Militibus faciendam . Et quod locus ipſe , in quo prædicta Pugna fieri debet , ſit circumdatus, & bene clauſus palis & clauſurâ , & aliis opportunis , ita quod nullus pedes vel eques locum ipſnm poſſit intrare vel exire , niſi per portas .

Statuerunt etiam prædicti duodecim , per dictum Regem Karolum , & Nos electi , præfato Regi Karolo , & Nobis terminum ad repræſentandum Nos coram dicto Rege Angliæ in eadem Civitate Burdegalenſi ad Pugnam hujuſmodi faciendam , noſtrûm quemlibet cum prædictis noſtris centum Militibus , primum diem menſis Junii , primò futuri hujus XI. Indictionis . Adjecerunt etiam iidem duodecim , per eumdem Regem Karolum , & Nos electi , quod id, quod de præſentatione ejuſdem Regis Karoli, & Noſtrâ coram eodem Rege Angliæ facienda dixerunt , ſic volunt intelligi, quod ſi ipſe Rex Angliæ in dicto loco & termino perſonaliter eſſe non poſſet , idem Rex Karolus , & Nos præſentemus coram eo , quem idem Rex miſerit ſpecialiter ad recipiendam præſentationem hujuſmodi loco ſui. Et ſi ipſe Rex Angliæ in eodem loco & termino præſens non fuerit , nec aliquem ad hoc ſpecialiter miſerit loco ſui , dictus Rex Karolus , & Nos teneamur , nos præſentare coram eo , qui vicem dicti Regis Angliæ geſſerit in loco prædicto . Ordinaverunt tamen & ſtatuerunt prædicti duodecim , quod prædicta Pugna in loco prædicto non fiet coram aliquo de gente ipſius Regis Angliæ , niſi ipſe Rex Angliæ perſonaliter eſſet præſens , ſalvo ſi ad Pugnam ipſam aliter faciendam ipſe Karolus , & Nos eſſemus in communi concordia & aſſenſu . Quod ſi in prædicto die prædictus Rex Angliæ præſens in dicto loco non eſſet , idem Rex Karolus , & Nos teneamur ipſum Regem Angliæ , vel reſponſionem ſuam de veniendo , vel de non veniendo ad locum ipſum , a die prædicto uſque ad triginta dies expectare . Et ut ipſius Regis Angliæ præſentia modis in hoc omnibus procuretur , voluerunt prædicti duodecim , quod idem Rex Karolus , & Nos , quilibet per ſe , promittamus & juremus , quod legaliter & bona fide pro poſſe procuremus , & ſine fraude vel ingenio quolibet , diligenter & ſolicite faciamus , & facere ſtudeamus , quod ipſe Rex Angliæ ad prædictam ſtatutam primam diem primò futuri menſis Junii in eadem Civiate Burdegalenſi , ſitâ in Guaſconia , præſens ſit , & perſonaliter : & guadias , per ipſum Regem Karolum , & Nos coram ipſo offerendas , ipſe Rex Angliæ recipiat ad Pugnam hujuſmodi faciendam .

Ordinaverunt & ſtatuerunt prædicti duodecim , quod ipſe Rex Karolus , & Nos cum noſtra utriuſque Comitiva , donec in Guaſconia moram traxerimus , pro Pugna hujuſmodi facienda , & etiam per octo dies poſt omnem terminum completum , pro recedendo inde & eundo , quò utrique noſtrûm placuerit , Nos , & noſtræ dictæ Comitivæ in perſonis , animalibus, & rebus , quas Nos , & ipſæ Comitivæ noſtræ duxerimus , & portaverimus ad Pugnam hujuſmodi faciendam , Nos ad invicem nullatenus offendamus. Dictique Duodecim Treuguas & ſecuritates utrique noſtro nomine ſibi dederunt & fecerunt ad invicem , ac eidem Regi Karolo, & Nobis Treuguas & ſecuritates indixerunt eaſdem , ut eas donec in Guaſconia pro eâdem Pugna facienda manſerimus , & etiam per octo dies poſt omnem terminum præcompletum , pro recedendo inde , & eundo , quò utrique noſtrûm placuerit, Treuguas & ſecuritates ipſas Nos & Comitiva noſtra inviolabiliter obſervemus. Ordinaverunt inſuper prædicti Duodecim , quod prædictus Rex Karolus , & Nos legaliter & bonâ fide debeamus promittere & jurare , quod quicumque noſtrûm prædictorum duorum Regum , videlicet prædicti Regis Karoli , & noſtri Petri , legitimo , aperto , & bene probato corporis ceſſante defectu , ad præfatos diem & locum præfato Regi Karolo , & Nobis ſtatutos & præfixos ad Pugnam hujuſmodi faciendam , defecerit, & in eadem die , qui erit primus dies primò futuri menſis Junii , & in eodem loco , qui eſt Civitas Burdegalenſis , ſita in Guaſconia , in poteſtate Regis Angliæ , cum eiſdem centum Militibus præſens non fuerit ad Pugnam hujuſmodi faciendam , ab eadem prima die primò futuri menſis Junii, qui ſic defecerit, & in eadem Civitate Burdegalenſi præſens non fuerit, ut dictum eſt in antea, toto tempore vitæ ſuæ ſe tenere debeat pro devicto , perjuro, falſo , fallito , infideli , & proditore . Et quod numquam ſibi aſcribere debeat nomen Regium & honorem: quin immo ipſo facto remaneat nomine & honore Regio , & cujuslibet alterius officii, ſeu dignitatis exutus , ſpoliatus perpetuo & privatus , & tamquam devictus , perjurus , falſus , fallitus , infidelis , & proditor , infamis ſit , & perpetuo habeatur . Et ſi hoc aliquis ei oppoſuerit publice vel occulte, negare non poſſit, ſed confiteri publice teneatur : prout hæc omnia per prædictos Duodecim electos ordinata , ſententiata , & firmata in duabus conſimilibus patentibus Literis , pendentibus Sigillis eorumdem Duodecim communitis inde confectis , unâ ex eis præfato Regi Karolo, alterâ verò Nobis traditâ ad cautelam , plene & ſatis evidenter apparent.

Nos autem præfatus Rex Petrus , nolentes in his de contingentibus quicquam obmittere , vel aliquem pro parte noſtra intervenire defectum, quinimmo volentes omnino prædicta & ſingula per præfatos Duodecim electos ordinata , & quantum in Nobis eſt , complere totaliter , & inviolabiliter obſervare , bonâ & ſpontaneâ volun-

luntate noſtrâ , legaliter & bonâ fide promittimus , tactis corporaliter Evangeliis ſacroſanctis , quod ſi ad eoſdem diem & locum , eidem Regi Karolo , & Nobis per eoſdem Duodecim præfixum & ſtatutum , ad Pugnam *hujuſmodi faciendam defecerimus , & in eadem die , qui erit prima dies primò futuri menſis Junii hujus XI. Indictionis , & in eodem loco , qui eſt Civitas Burdegalenſis , ſita in Guaſconia , in poteſtate Regis Angliæ , cum eiſdem centum noſtris Militibus perſonaliter præſentes non fuerimus ad* Pugnam *hujuſmodi faciendam , prout per prædictos Duodecim ordinatum & ſtatutum eſt , ac ſuperius continetur , ab eadem prima die primò futuri menſis Junii , hujus XI. Indictionis : in qua ſi defecerimus , & in eadem Civitate Burdegalenſi cum eiſdem centum noſtris Militibus ad* Pugnam *ipſam faciendam perſonaliter præſentes non fuerimus, in antea toto tempore vitæ noſtræ Nos tenebimus pro devicto , perjuro , falſo , fallito , infideli , & proditore , & numquam Nobis nomen & honorem Regium aſcribemus : quinimmo volumus & conſentimus expreſse , quod ex tunc ipſo facto remaneamus nomine & honore Regis , & cujuslibet officii ſeu dignitatis alterius exuti , ſpoliati perpetuo & privati ; & tamquam devictus , perjurus , falſus , fallitus , infidelis & proditor , infamis ſimus , & perpetuo habeamur . Et ſi hoc aliquis Nobis oppoſuerit publice vel occulte, nullatenus hoc negemus, nec negare poſſimus, ſed hoc confiteamur , & teneamur ubique publice confiteri . Et ut hæc omnia eo permaneant firmiora, & quamplurium fide clarorum teſtimoniis & aſſertionibus firmiter roborata , infraſcriptos quadraginta Milites affectuoſe rogavimus & rogamus , quod ipſi hæc omnia , quæ Nos facturos & impleturos promittimus , pro Nobis & noſtro nomine promittere debeant & jurare.*

Nos autem præfati quadraginta Milites , videlicet , Guillielmus de Caſtronovo : Rodericus Eximeni de Luna : Petrus de Queralco : Eximenius de Arceda : Rodulfus de Manuele Judex : Raynaldus de Limoge de Meſſana, ad hoc pro Milite computatus : Arnaldus Roglerii : Comes Palarienu : Ermengaldus Comes Urgelenſis : Petrus Ferrandi, frater dicti Regis Petri : Jacobus Petrus , filius ejuſdem Regis : Lucus Ferrandi de Luna: Girardus Eſtur: Pontius de Riballo : Santius de Antilieno : Petrus Arnaldi de Butidac : Alanus de Lentino, Regni Siciliæ Magiſter Juſticiarius: Arduinus de Vigintimiliis, Comes Inſulæ Majoris: Federicus Muſca , Comes Moac : Orlandus de Apello : Gualterius de Altagirono : Bernardus Roglerii de Eril: Roglerius de Lamia : Lupus Ferrandi de Cruſillo : Bernardus de Monte Pavone : Stephanus Muni : Petrus Garſendæ de Mirze : Bertrandus de Bellopodio : Guillielmus de Bellera: Garſias de Araur : Eximenus Lupi de Ambon : Raymondus de Melina : Symon de Lauro : Blaſius Maſſa de Gavalur : Egidius Rodorici de Montogna , Garſias Arnaldi de Til : Berengarius de Euſegato : Guintimidus de Villafrancha : Raymondus de Coreada : Jacobus de Oblitis : & Baſtus de Alaſcon ; ad preces & requiſitionem dicti Regis Petri , bonâ & ſpontaneâ voluntate noſtrâ promittimus & juramus , tactis corporaliter Evangeliis ſacroſanctis , nos legaliter ac bonâ fide pro poſſe facturos & curaturos , quod ipſe Rex Petrus prædicta omnia & ſingula , per eum promiſſa & jurata , firmiter adimplebit , & inviolabiliter obſervabit. Et ſi , quod abſit , contingeret , quod ipſe Rex Petrus , legitimo , aperto , & bene probato corporis ceſſante defectu , ad prædictos diem præfixum & locum ſtatutum deficeret, & in eodem primo die menſis Junii primò futuri in eadem Civitate Burdegalenſi , ſitâ in Guaſconia in poſſe Regis Angliæ, cum eiſdem centum ſuis Militibus perſonaliter præſens non fuerit ad Pugnam *hujuſmodi faciendam , prout per eoſdem Duodecim ordinatum & ſtatutum , & per ipſum Regem petitum, promiſſum eſt firmiter & juratum: nos ex tunc in continenti ſocietatem , ac ſervicium ipſius Regis Petri , velut de dictis promiſſionibus & conventionibus ex tunc devicti , perjuri , falſi , falliti , & infidelis , & proditoris , totaliter & perpetuo deſeremus; & numquam poſtea toto tempore vitæ noſtræ cum eo erimus , nec ſibi præſtabimus in aliquo auxilium , conſilium, vel favorem , verbo vel opere , publicum vel occultum . Et nos præfatus Rex Petrus , ſi , quod abſit , in præmiſſis omnibus , legitimo , aperto , & bene probato corporis defectu ceſſante , defecerimus , ex nunc volumus & conſentimus expreſſe , quod ipſi quadraginta Milites ab omni fidelitate homagii , & quolibet alio juramento , quo nobis tenentur , prorſus ſint liberi.*

Denique , ut hoc etiam moneam , qui in Certamine ſuccumbebant , aut a victore urgente, aut a Judicibus cogebantur fateri, quod antea negarant , aut negare , quod antea affirmarant . Nunc appellamus Italice *diſdirſi*, atque in Formulis a me additis Legibus Langobardorum occurrit interdum eadem ſignificatione *ſe exdicere* . Hoc idem ſignificabat olim *ſe Recredere* , unde *Recrediti* , & *Recreduti* Probri autem graviſſimi loco *ſe Recredere* habebatur , ita ut in infamiam cederet, & pro contumelia gravi objiceretur . Inter pacta de Duello ineundo ab eodem Carolo I. Siciliæ Rege , inita cum Petro Aragonenſium Rege , quæ nuper attuli , Johannes Villanius Lib. 7. Cap. 85. Hiſtoriar. ſtatutum tradit : *Che quale di detti Re vinceſſe la detta battaglia , aveſſe di choto la detta Iſola di Cicilia con volontà della Chieſa : e quelli , che foſſe vinto , s'intendeſſe per Ricreduto e Traditore per tutti i Criſtiani ; e mai non s'appellaſſe Re* . De eorum munere , quibus *cuſtodia campi Duellorum* commendabatur , agam infra in Diſſertatione LXIII. *de Advocatis* .

DE RHYTHMICA VETERUM POËSI,

ET ORIGINE

ITALICÆ POËSEOS.

DISSERTATIO QUADRAGESIMA.

DISSERTATIO QUADRAGESIMA.

NON minus, quàm *Italica Lingua*, originem ſuam barbaricis temporibus debet *Italica Poëſis*, cujus tamen fundamenta altius ſunt nobis inveſtiganda. Ariſtoteles in principio Poëtices inquirens, unde ortum Poëſis habuerit, ſtatuit eam ex amore *imitationis* prodiiſſe, qui hominibus inſitus eſt, atque ex amore *Harmoniæ*, & *Rhythmi*. Præcipue verò ait: Κατὰ φύσιν δ' ὄντος ἡμῖν τοῦ μιμεῖσθαι, καὶ τῆς ἁρμονίας, καὶ τοῦ ῥυθμοῦ (τὰ γὰρ μέτρα ὅτι μόρια τῶν ῥυθμῶν, ἐστὶ φανερὸν) ἐξ ἀρχῆς οἱ πεφυκότες πρὸς αὐτὰ μάλιστα κατὰ μικρὸν προάγοντες, ἐγέννησαν τὴν Ποίησιν ἐκ τῶν αὐτοσχεδιασμάτων: quæ Latine ita ſonant: *Quum ergo ſecundùm Naturam ſit in nobis ipſum imitari, & Harmonia & Rhythmus (nam Metra particulas eſſe Rhythmorum manifeſtum eſt) a principio qui Naturâ maxime ad hæc apti erant, paullatim promoventes, genuerunt Poëſim, extemporanee verſificantes*. Mirum, quantùm ad hæc verba hæſerint, certarint, ingeniumque ſuum torſerint Ariſtotelicæ Poëtices Interpretes, præſertim Itali, quod nempe vim vocis *Rhythmi* aſſequi ſatis non poſſent, & *Harmoniæ* vocem hic aliter, aliter ille explicarent. At germanus Philoſophi ſenſus eſt, nos ex inſtitutione naturæ delectari non ſolùm *Imitatione*, ſed etiam *Harmonia*, hoc eſt modulatione & Muſicâ Harmonicâ, ſive ea ex Cantu aut voce animantium naſcatur, ſive ex Sonitu inſtrumentorum Muſicorum; atque inſuper *Rhythmo*, ideſt ordine & collocatione verborum ita conjunctorum, aut deſinentium, ut voces etiam ſine cantu, ac tantummodo pronuntiatæ, conſonantiam, ac quamdam, ut ita dicam, Melodiam reddant, & delectabili jucundâque ſenſatione auditorum aures feriant. *Metri* autem nomine ſignificatur oratio, quarumdam legum inventione & conſtitutione ita ligata & fabricata, ut certo pedum numero conſtet, & in ipſis pedibus exacte ratio habeatur ſyllabarum longarum & brevium. *Metra* autem Verſus Poëtarum ideo appellati ſunt, quod Μέτρον idem ſit ac *Menſura*. In Verſibus verò ad leges Poëticas conſtructis & vinctis ita menſura temporis ſervatur, ut eadem ſemper recurrat in ejuſdem generis Verſibus, ſive longis pedibus illi, ſive brevibus, ſive mixtis conſtent. Scribit autem Quinctilianus Inſtitution. Oratorian. Lib. 9. Cap. 4. *Longam ſyllabam eſſe duorum temporum, brevem unius, etiam pueri ſciunt*. Proinde in periodis Rhetorum occultâ arte elaboratis concentus quidam auditur: eâque de cauſsâ tum Tullius, tum idem Quinctilianus *Rhythmum* in oratione procurandum jubent, non autem *Metrum*. Præceſſit autem Ariſtoteles, ſcribens Rhetoric. Lib. 3. Cap. 8. Ῥυθμὸν δεῖ ἔχειν τὸν λόγον, Μέτρον δὲ μή: ideſt, *Rhythmum oportet habere orationem, non verò Metrum*. Alioquin, ut ille addit, *Poëma erit*. Ad quem locum Cicero reſpiciens, ubi de ipſo Ariſtotele loquitur, ait: *Is igitur Verſum in oratione vetat eſſe, Numerum jubet*. Vertit ille μέτρον *Verſum*, ῥυθμὸν verò *Numerum*, unde *numeroſa oratio* dicta etiam fuit. Inde ergo exorta eſt Poëſis, uti Philoſophus recte monuit, A quod primo quidam Populi (ſive Hebræi, ſive Græci, ſive quiſquis alius, hoc enim nihil moror) quum in ſacrificiis, aut in nuptiis, conviviis, victoriis, aliiſve tripudii & lætitiæ publicæ vel privatæ temporibus, Harmoniæ operam darent, tibiis aut fidibus utentes, ſenſim Vocem & Cantum jungere ſono tibiæ aut citharæ cœperunt. Quam in rem compoſitionem quamdam dictionum & pedum adhibebant, in quorum ſtructura *Rhythmus*, ſive Concentus audiebatur, quum in uno commate vocum, ac pedum connexio alteri ſubſequenti commati reſponderet. Sed tunc nulla, aut certe exigua cura fuit brevitatis aut longitudinis Syllabarum, B quum ſatis foret, ita conſtruere brevem illam orationem, & ſtatuere aliqualem pedum numerum atque menſuram, ut ad aurium judicium inde exſurgeret aliquid modulationis atque concentus. *Verſus* appellari cœpta eſt ejuſmodi brevis orationis ſtructura, quam non meditatio, ſed extemporanea vis ingenii effundebat, ut noſtris quoque temporibus ab iis Ruſticis præſtatur, qui ex tempore Verſus faciunt. Hæc Poëſeos fuere primordia. Quum verò delectatio inde in auditorum aures animumque non modica flueret, rem imperfectam ſenſim docti & egregii Viri perfecerunt, invectis nempe nonnullis legibus, quibus deinceps Ver- C ſus conſtruerentur, & adhibitâ in illis caſtigatiore menſurâ pedum, ita ut rigide etiam temporis ratio & uniformitas ſervaretur in uſu ſyllabarum brevium atque longarum. Priores Verſus *Rhythmici* appellati ſunt, *Metrici* verò ſecundi. Atque hinc intelligimus, cur Sanctus Auguſtinus Lib. 3. Cap. 2. de Muſica ſcripſerit: *Quocirca omne Metrum Rhythmus; non omnis Rhythmus etiam Metrum eſt*. Exempli enim gratiâ in Vergilii aut Homeri verſibus Hexametris non ſolùm *Rhythmus*, ſeu melodicum quidquam auditur; ſed etiam *Metrum*, hoc eſt accurata obſervatio temporis deprehenditur, quum ſive brevibus, ſive longis pedibus Ver- D ſum Poëta efformet, atque in ſingulis Hexametris ſemper vigintiduo tempora vocis occurrant. Eadem eſt proportio in reliquis Verſuum generibus apud meliores Poëtas. At in Verſibus Rhythmicis ita quidem ex copulatione verborum, ac pedum etiam numero ſæpius obſervato, concentus aliquis enaſcitur, ut audienti voluptas creetur; ſed ibi aut parum aut nihil ſolicitus eſt artifex, brevibuſne an longis pedibus utatur: legemque reſpuit & compedes, quos ſibi præſtantes Poëtæ jamdiu poſuerunt. Dicis cauſsâ, penultimus Hexametri pes Dactylum exigit, hoc eſt tres ſyllabas, quarum prima longa ſit, reliquæ duæ breves, E uti *Carmina*, *Turgidus*. Verùm Quinctiliano monente Lib. 9. Cap. 4. *Rhythmo indifferens eſt, Dactyluſne ille priores habeat breves, an ſequentes*; ac propterea idem eſt Rhythmum conficienti, adhibere Tribrachum, e tribus brevibus compoſitum, ut *Macula*, *Canimus*; an Anapæſtum ex duabus brevibus & longâ conflatum, ut *Rutilans*, *Frato*; aut Creticum ex longa, brevi, & longa contextum, ut *Achates*, *Fulgidis*. Sonum iſtæ quoque voces reddunt ſimilem aut proximum Dactylo; & qui

aures

aures tantùm judices habet, nihil aut parum diſcriminis deprehendit inter ſonum iſtorum pedum, qui tamen apud Metricos Poëtas diverſus plane cenſetur. Qua olim arte, quave pulſatione vocis antiqui Græci & Latini diſtinguerent verborum præcipue diſſyllaborum brevitatem ac longitudinem, incompertum mihi fateor. Fruſtra enim intenta aure nunc quæro, cur vox *Mala*, ſive res malæ, diverſam temporis rationem habeat a *Mala*, ideſt *Poma*, aut *Gena*, quum utriuſque vocis ſonus idem mihi ſit, alius autem ſecundùm Proſodiæ leges habeatur.

Itaque duplex Poëſeos genus olim exſurrexit; alterum antiquius, ſed ignobile ac plebejum; alterum nobile, & a doctis tantummodo viris exſcultum. Illud *Rhythmicum*, iſtud *Metricum* appellatum eſt. Sed quod potiſſimùm eſt animadvertendum, quamquam Metrica Poëſis primas arripuerit, omniumque meliorum ſuffragio & uſu probata, laudibus ubique ornaretur: attamen Rhythmica Poëſis non propterea defecit apud Græcos atque Latinos. Quum enim vulgus indoctum, & ruſtica gens Poëtam interdum agere vellet, neque legibus Metri addiſcendis par eſſet: quales poterat, Verſus efformare perrexit; hoc eſt Rhythmo contenta, Metrum contemſit. *Metrum*, inquam, hoc eſt, rigidas Proſodiæ leges, quas perfecta Poëſis ſequitur. Ceteroqui latiore ſignificatione *Metri* quoque nomine donatos interdum video Rhythmicos Verſus, quod & in iis aliqua *menſura* pedum & temporis obſervaretur. Primi autem Rhythmicos verſus, atque adeo Poëſim invexere apud Latinos Ruſtici, quibus tamen præiverant Græci. Mos enim eorum fuit, poſt meſſem ſeſe exhilarare, conviciis alternis ſeſe ferientes, & verſibus Rhythmicis certantes, qui *Feſcennini* etiam appellati ſunt. Rem deſcribit Horatius Lib. primo, Epiſtolâ primâ, & *Agricolis priſcis* eorum originem tribuit, ac tamdem ait:

Feſcennina per hunc inventa (an potius *invecta?*)
  licentia morem,
Verſibus alternis opprobria ruſtica fudit.

Par eſt Tibulli ſententia Lib. 2. Elegiâ ſecundâ.

Agricola aſſiduo Primum laſſatus aratro
  Cantavit certo ruſtica verba pede.

Livius quoque initio Lib. 7. Annal. de ludionibus Etruſcis loquens, ait: *Imitari deinde eos juventus ſimul inconditis, inter ſe jocularia fundentes, Verſibus cœpere*. Verſus *inconditos* Livius appellat eorum Verſus, quod & facit Vergilius in Ecloga ſecunda, atque in Lib. 2. Georgicor. ubi *incomtos* dicit *Ruſticorum Verſus*, quod nempe rudes forent, neque certâ Proſodiæ ratione incederent. Ejuſmodi Verſus infra ab eodem Horatio appellatur *horridus*, ideſt *rudis* & *incomtus*. Neque diſpar fortaſſe fuit *Saturnius*, nam Saturni tempore illud Verſuum genus in uſu fuiſſe credebatur.

- - - - - - - - - - - - - *Sic horridus ille*
Defluxit numerus Saturnius . . . .

Numerus Latina vox *Rhythmum* Græcum exprimit. Pergit ſcribere Horatius:
- - - - - - - - - - - - *Et grave virus*
Munditiæ pepulere. Sed in longum tamen ævum
Manſerunt, hodieque manent veſtigia ruris.

A Hoc eſt, quamvis a Græcis didicerimus *Metri* regulas, & pro rudibus Ruſticorum *Rhythmis* caſtigatos nunc politoſque Verſus conficiamus, attamen Rhythmica Poëſis perduravit ſemper, & adhuc apud vulgus viget. Horatii Interpretes in hunc locum verba Servii proferunt, qui ad Lib. 2. Georgicor. *Verſus incomtos* a Vergilio memoratos explicans, *carminibus*, ait, *Saturnio Metro compoſitis, quæ ad Rhythmum ſolum Vulgares componere conſueverunt*. Quare conjicere hinc poſſumus, eoſdem fuiſſe olim *Saturnios* & *Feſcenninos* verſus. Obſtat tamen Aſconius, cui commemoratur *ſenarius hypercatalectus, qui & Saturnius dicitur*: hæc enim indicare poſſunt, Verſum illum non Rhythmicum, ſed Metricum fuiſſe. Attamen Livius

B iterum audiatur, qui Poëſi paullatim nitorem acceſſiſſe ſcribens Libro eodem ſeptimo ait: *Non ſicut ante Feſcennino Verſu ſimilem, incompoſitum temere, ac rudem, alternis jaciebant*. Quibus ille verbis deſcribit primos Latinorum Verſus; *incompoſitos*, videlicet ex tempore & improviſo effuſos, atque procuſos ſine exactâ ordinis ac temporis obſervatione, quam in Metris ad Proſodiæ leges compoſitis ſentimus, ideoque impolitos ac rudes. Quum verò in nimiam dicacitatem ac Satyram ejuſmodi Feſcennini ſeu joculares Verſus ruerent, legibus Romanis eorum licentia compreſſa eſt, ita ut fas tantummodo fuerit, per eos mordere

C in Nuptiis atque Triumphis. Vide Ferrarium Lib. 6. de Veter. Acclamationib. Capite decimo, qui rem illuſtrat, atque exempla profert. Inclinante autem Romanorum Imperio, oblectatum fuiſſe Populum hujuſmodi quoque Rhythmis, fatis prodit Vopiſcus in Aureliano, cujus verba multis illuſtravit Salmaſius. Tum verò ſub Auguſtis Chriſtianis, ſed potiſſimùm ſub Regibus barbaris, multus Rhythmorum uſus fuit, non ad maledicentiam, aut vituperationem, ſed ad honeſta quævis argumenta, ac præcipue ad laudes Dei atque Sanctorum, ſive etiam viventium. Quamvis enim nullo umquam tempore *Metrica* Poëſis defecerit, ſuoſque Poëtas, vinctâ oratione utentes, neque omnes contemnendos, ſingula Sæcula oſtendere

D potuerint: attamen quum bonis Literis magnum vulnus inflictum fuiſſet, & ignorantia pleroſque tunc hominum teneret, Proſodiæ legibus pauci ſtudebant, eratque iis levius negotium ſeſe exercere in Rhythmis: quod nempe id genus lucubratiunculæ minus curæ atque laboris exigeret. Proinde videas medii ævi Scriptores tum *Rhythmica*, tum *Metrica* Opuſcula commemorare atque diſtinguere. Sanctus Bonifacius Moguntinus Epiſcopus circiter Annum Chriſti DCCXL. Epiſtol. 4. ſcribit: *Obſecro, ut mihi Aldhelmi Epiſcopi aliqua Opuſcula, ſeu Proſarum ſeu Metrorum, aut Rhythmicorum dirigere digneris*. Literariæ Hiſtoriæ

E Scriptores commemorant Aldhelmi iſtius Librum *de Metrorum generibus*, ſive *de Arte Metrica*. Ita Alvarus Hiſpanus Scriptor circiter Annum DCCCXLVII. in Vita Sancti Eulogii, hæc habet verba: *Epiſtolatim invicem egimus, & Rhythmicis Verſibus nos laudibus mulcebamus*. Ekkehardus in Vita Beati Notkeri Balbuli, apud Goldaſtum Tomo primo pag. 237. Rer. Alamann. Cap. 16. hæc ſcribit: *Sequentias, quas idem pater Sanctus fecerat, deſtinavit per bajulum Urbis Romæ Papæ Nicolao, & Liutwardo Vercellenſi Epiſcopo, tunc tempore Karoli Magni Imperatoris* (ideſt Caroli Craſſi circiter Annum DCCCLXXXIII.) *Qui vene-*

venerandus Apoſtolicæ Sedis Pontifex omnia, quæ Beatus vir Notkerus dictaverat, canonizavit, videlicet Hymnos, Sequentias, Tropos, Letanias, omneſque Cantilenas Rhythmice, Metrice, vel Proſaice, quas fecerat &c. Porro idem Ekkehardus, ſeu alter, Cap. I. de Caſib. S. Galli, agens de Salomone Abbate & Epiſcopo Conſtantienſi, hæc ſcribit: *Scholas præteriit, oſtium aperuit, & intravit. Erat utique jus illorum, ſicut hodie quidem eſt, quoniam exleges quidem ſunt, ut hoſpites intrantes capiant; captos, uſquedum ſe redimant, teneant*. Vide, quam vetuſtus ſit abuſus, qui in Ticinenſi Gymnaſio perdurare adhuc dicitur. *Spupillare* appellant. Poſt multa Diſcipuli illi, *medii Rhythmice, ceteri vero Metrice effantur*:

Quid tibi fecimus tale, ut nobis facias male?
Appellamus Regem, quia noſtram fecimus legem.

At alter verſificator inquit:

Non nobis pia ſpes fuerat, quum ſis novus hoſpes,
Ut vetus in pejus tranſvertere tute velis jus.

Sic Hermannus Contractus apud Pezium in Præfatione ad Theſaur. Anecdotor. Rhythmicum hunc Verſum habet:

Carmen oro pange Metro, ſeu canore Rhythmico.

Ordericus quoque Vitalis Sæculo XII. *Rhythmicos Verſus* laudat; & circiter Annum MCXCV. Silveſter Giraldus Britannus in Speculo Eccleſiæ Lib. 4. Cap. 16 de quodam Golia hæc tradit: *Literatus affatim, ſed nec bene morigeratus, nec diſciplinis informatus, in Papam & Curiam Romanam Carmina famoſa pluries & plurima, tam Metrica, quàm Rhythmica, non minus impudenter, quàm imprudenter evomuit*. Quæ omnia ſatis indicant, quanto olim in uſu fuerit Rhythmica Poëſis, neque ab ea interdum abhorruiſſe doctos etiam viros. Qua ratione verò a Metris Rhythmi differrent, Beda Sæculo VIII. in Lib. de Metris ita explicuit: *Videtur autem Rhythmus Metris eſſe conſimilis. Eſt autem verborum modulata compoſitio, non Metricâ ratione, ſed numero Syllabarum ad judicium aurium examinata, ut ſunt Carmina vulgarium Poëtarum. Et quidem Rhythmus ſine Metro eſſe poteſt; Metrum verò ſine Rhythmo eſſe non poteſt. Quod liquidius ita definitur: Metrum eſt ratio cum modulatione; Rhythmus modulatio ſine ratione*. Iſidorus quoque Lib. primo, Cap. 38. Origin. Rhythmos a Metris diſtinguit.

Age verò quis Rhythmorum curſus fuerit, videamus. Paucis greſſibus plerique iter ſuum conficiebant, Diſthicorum, Epigrammatum, Odarum, aut Hymnorum, curſum imitati, hoc eſt, exigua, aut certe mediocri Verſuum ſerie contenti. Sed neque defuere, qui ultra haſce metas progrèdiebantur, prout materies, aut artificis conſilium exigebat. Rhythmopœjos autem ſi dixero omni Verſuum genere uſos olim fuiſſe, quibus Poëtica diſciplina eſt oblectata, fortaſſe non immeritò dicam. Immo veri videtur ſimile, Lyricam Poëſim e Rhythmorum artificibus tantam varietatem carminum primo didiciſſe, eamque paullatim Metro adjuncto perfeciſſe. Dithyrambica enim Poëſis primis temporibus inſtituta, ex Rhythmis varii generis, Proclo etiam teſte, compoſita eſt; atque ut illinc Tragœdia & Comœdia ortum

A traxiſſe creditur, ita & Lyrica credenda eſt. In hoc etiam conſentire videtur Scholiaſtes Ariſtophanis. Sed hæc miſſa facio. Illud tantummodo animadvertendum, Anacreontem, etſi inter Lyricos Græcos ſuavitate & gratia excellat, attamen magnâ licentiâ ferri in Verſibus ſuis, uſque adeo ut ad Rhythmicam libertatem accedat. Accedit quod, quæ verba Horatii ſupra mihi commemorata ſunt, de Dithyrambis illius ætate efformatis dicta fuere Lib. 4. Ode 2. Inquit enim:

Seu per audaces nova Dithyrambos
Verba devolvit, Numeriſque fertur
Lege ſolutis.

B Spartianus quoſdam Verſus adfert Hadriani Auguſti, videlicet:

Ego nolo Florus eſſe,
Ambulare per tabernas,
Latitare per popinas,
Culices pati rotundos.

Vix dubito, quin inter Rhythmicos ii ſint referendi, ut & alii, quos idem Auguſtus moriens effudiſſe dicitur. In iis certe exactam Metri rationem minime deprehendas. Attamen ut verum fatear, Rhythmi ipſi ita efformabantur, ut ſæpe aliquam Metrorum ſpeciem exhi-
C berent. Nam ſi verum eſt, quod Quinctilianus tradit Lib. 9. Cap. 4. Inſtitution. Oratoriar. *Metrici quidem pedes adeo reperiuntur in oratione, ut in ea frequenter non ſentientibus nobis omnium generum excidant Verſus. Et contra nihil eſt proſâ ſcriptum, quod non redigi poſſit in quædam verſiculorum genera*. Quanto ergo facilius idem in Rhythmis occurrat? Auctor verò eſt Leo Allatius in Diatriba de Simeon. uſum Rhythmorum apud Græcos quoque recentiores perduraſſe. *Politicos Verſus* ii appellabant, qui, ut ipſe ſcribit, *Jambicis, & Anacreonticis ut plurimum conſtant: ita tamen, ut nulla quantitatis Syllabarum (quod accuratiſſime veteres obſervabant) ratio habea-*
D *tur; tantùm earum numerus, declinationeſque accentuum attendantur. Quæ ratio fingendorum carminum non nunc primum in ea natione, ſed multis ab hinc Sæculis in uſu fuiſſe comperitur, ut videmus in Photii Patriarchæ, Chriſtophori primi a ſecretis, Pſelli* &c. *verſibus*. Voſſius quoque Lib. primo, Cap. 8. Inſtitut. Poëtic. animadvertit, Rhythmum, non Metrum, ineſſe in Verſibus Politicis Conſtantini Manaſſis, Ttetzæ, & ſimilium. Tum ſubdit: *Nec dubium, quin antiquiores ſint Verſus, in quibus ſolùm Rhythmus eſt*. Addit etiam: *Poëtarum aliqui ſolo erant Rhythmo contenti; nec alio a vulgari ſermone diſcrepabant. Alii Rhythmum animabant ſermone Poëtico. Alii deni-*
E *que etiam Metrum ſuperaddebant*. Quod ipſe didicit a Beda in Libro de Arte Metrica. Sunt ejus verba connexa cum iis, quæ nuper attuli: *Plerumque tamen caſu quodam invenies etiam rationem in Rhythmo, non artificii moderatione ſervatam, ſed ſono & ipſa modulatione ducente, quem vulgares Poëtæ neceſſe eſt ruſtice, docti faciant docte. Quo modo & ad inſtar Jambici Metri pulcherrime factus eſt Hymnus ille præclarus*:

Rex æterne Domine
Rerum creator omnium,
Qui eras ante Sæcula
Semper cum Patre Filius.

Et

Et alii Ambroſiani non pauci. Item ad formam Metri Trochaici canunt Hymnum de Die Judicii per alphabetum :

Apparebit repentina Dies
Magna Domini, fur obſcurâ
Velut nocte improviſos occupans.

Hæc Beda. Niſi excidiſſent innumeri ex hiſce Rhythmis (neque enim par eorum cura habita eſt atque Metrorum) ingentem in iis Verſibus varietatem nunc deprehenderemus. Equidem e MSto Codice Ambroſianæ Bibliothecæ deſcriptum dedi Antiphonarium Benchorenſis Monaſterii, atque edidi Tomo 4. Anecdotor. Latinorum. Ejus ætas ad Sæculum Chriſtianæ Æræ Octavum referenda videtur. Complures ibi occurrunt Hymni, quos omnes in Rhythmicorum cenſum conjiciendos parum cuſtodita Metri ratio perſuadet.

Præcipue verò in Rhythmis frequens uſus fuit Verſus *Trochaici catalectici*, uti illum Terentianus Maurus appellat in Lib. de Liter. & Metr. Immo reliquit & ille ex iis non paucos a ſe lucubratos. Exemplum ex eo proferamus.

Syllabas, quæ rite Metro congruunt Heroico,
Captus ut meus ferebat, diſputatas attuli &c.
Eſt celer phaſelus ille, quem videtis hoſpites.

Ejuſmodi verſu dicteria præſertim efferebantur, ut eſt decantatum illud militum in Julium Cæſarem, dum triumphum Gallicum duceret :

Gallias Cæſar ſubegit : Nicomedes Cæſarem :
Ecce Cæſar nunc triumphat, qui ſubegit Gallias:
Nicomedes non triumphat, qui ſubegit Cæſarem.

Alterum exemplum Suetonius ſuppeditat, Verſus nempe in eumdem Cæſarem tunc depromtos :

Urbani ſervate uxores. Mœchum calvũ adducimus.
Aurum in Gallia effutuiſti : heic ſumſiſti mutuum.

Utrobique idem habes Metrum, & Dactylum in fine, & quindecim ſyllabas ſingulis in Verſibus ; ſed non eamdem brevium & longarum obſervationem. Quindecim inquam ſyllabas : paritatem enim ſyllabarum Rhythmopœji veteres fere ſemper curabant, quum & ejuſmodi Verſus canerentur ad Muſicos modos. Immo & ſaltatio addebatur, & quædam digitorum percuſſio, ut Cicero, Quinctilianus, & alii innuunt. Id quoque a Judæis antea factum videtur. Neque enim tantummodo apud Romanos dicteria per Rhythmos jactata in uſu fuere, ſed etiam apud Judæos, & longe antea, quàm a Romanis uſurparentur. Vide Lib. primum, Cap. 18. verſ. 6. Regum. Quum reverteretur, percuſſo Philiſthæo, David, mulieres cantantes, chorosque ducentes in occurſum Saul Regis, præcinebant dicentes : *Percuſſit Saul mille, & David decem millia*. Male habuit Regem aculeatus Rhythmus, cujus voces antiquiſſimus Interpres ita vertit, ut Verſum Trochaicum inde confecerit, quales erant complures e veterum Rhythmis. Idque ea ratione factum, quod in Hebraico ſcomma illud duobus verſiculis octoſyllabis effertur hoc modo :

חכה שאול באלפיו
Icchà Saùl balafaju,
ודוד ברבבתיו
Vedavìd berivvodaju.

Atque heic mature animadvertas velim, in ejuſmodi Verſiculorum fine ſyllabas conſonas, quas *Rime* Italice appellamus. Caſu-ne, an arte factum, judicent alii. De his infra ſermo erit. Itaque ſicuti Cantilenæ noſtræ certis pedibus conſtant in ſingulis ſtrophis, ut idem ſit in omnibus Muſicus concentus; ita & veterum Rhythmi proceſſere. Eumdem verò morem retinuere Chriſtiani barbaricis temporibus, quum Hymnos componebant : quod etiam e Benchorenſibus nuper memoratis liquebit. Exempli gratia hos tantùm commemoro, unum Verſum in duos verſiculos dividens :

In Prophetis inveniris
Noſtro natus Sæculo :
Ante Sæcla tu fuiſti
Factor primi Sæculi, &c.
Cum jubet parvos necari,
Turba fecit Martyrum.
Fertur infans occulendus,
Nili flumen quo fluit.

Allatius quoque prælaudatus animadvertit in Verſibus Græcorum *Politicis*, *in quibus*, ut ipſe ſcribit, *Syllabas quindecim numquam excedunt ; & ſi quæ ultra videntur, eas per aphæreſin, ſive ſynaloephen, decurtant & abſumunt.* Ejuſdem autem Metri ſunt *Planctus Rhythmicus* ſuper morte Conſtantini Monachi Luxovienſis a *Gudino Monacho* compoſitus, & *Adelmanni Scholaſtici Rhythmi Alphabetici* de Viris Illuſtribus ſui temporis, quos Sæculo XI. compoſitos Mabillonius V. Cl. inter vetera Analecta edidit. Vide pariter inter Opera Sancti Fulberti Rhythmos, verſibus minime diſtinctis editos. Floruit ille quoque Sæculo XI. Similem etiam Rhythmum Landulphus ſenior Hiſtoricus Mediolanenſis exhibuit, a me evulgatum Tomo IV. Rer. Italicar. Mihi de ipſo infra ſermo recurret. Alterum quoque vide a me publici juris factum in fine Paralipomen. Anonymi Salernitani, Part. II. Tomi II. Rer. Italicarum. Sed ſupra ceteros Rhythmos ii fortaſſis æſtimandi, utpote antiquiſſimi, atque ad Hiſtoriam perutiles, quorum primum, Veronæ encomia complexum, ſuis Analectis Mabillonius idem adjunxit. Alterum in Mediolani laudem fabricatum edidi ego in eadem Part. II. Tomi II. Rer. Italicar. Uterque Veronenſi Rhythmopœjo natalem ſuum debet, aut ſaltem debet vitam, qua nunc fruitur, quum ex Codicibus Veronenſibus ambo depromti curâ tandem noſtrâ in lucem emerſerint. Et ſane hoc præcipue titulo tam Mabillonio, quàm mihi ſpes futura erat, nos gratiam inituros Clariſſimi Viri Marchionis Scipionis Maffeji Veronenſis, qui tum patriam ſuam, tum antiquam eruditionem ſumma cum laude illuſtrare pergit. Sed quod mirere, vix aliud ille in conſilio noſtro reperit, niſi argumentum iræ atque cenſuræ. Quid amico viro heic minime probatum fuerit, quidve ille ſcripſerit in Diſſertatione, quam de Verſib. Rhythmicis Anno MDCCXXVII. edidit, amice referam.

Mo-

Moleſte fert ille primo , ejuſmodi Rhythmos a nobis fuiſſe productos , quales in MStis Codicibus deprehendimus , hoc eſt, erroribus ſcatentes . Deinde nos arguit , quod non Verſibus diſtinctis , ſed continuatâ oratione ad inſtar proſæ , ſervato dumtaxat ſtropharum ordine , utrumque Rhythmum prœlo ſubjecerimus : *Si fatti Monumenti* , ſcribit ille , *non vanno ſtampati come le Iſcrizioni, o come i vecchi Strumenti*, *ſenza mutar lettera*; *eſſendo che altro è un' originale d'antico Notaio , dove più coſe inſegnano anche gli errori ; ed altro è un' Iſtoria , o Componimento tramandatoci da' Copiſti , i quali dalla mente , e dallo ſcritto dell' Autore abbiano deviato ſcioccamente . In queſto caſo egli è neceſſario uſar lucerna critica, e conoſcere ed emendare, ove poſſiam farlo con ſicurezza* . Tum Rhythmum a Mabillonio editum rurſus ipſe exerit , ſingulos Verſus diſtinguens; & errores, quoſcumque poteſt, adhibitâ emendatione tollit . *Criticam* viri doctiſſimi *lucernam* hercle ego & probo & commendo, quod eſt ad caſtigandos defæcandoſque eoſdem Rhythmos : ſed nemo fortaſſis erit , qui homini plaudat inſurgenti , non dicam , in me (hoc enim nihil refert) ſed in Mabillonium , tam bene de Literis & de Republica Literaria meritum , ac ſumma veneratione apud omnes dignum . Quum ex uno antiquiſſimo MSto aliquod veterum monumentum deſcribitur & evulgatur , rite ſemper munere ſuo fungitur editor , ſi quidquid Codex MStus habet , fideliter exprimit , exceptis craſſioribus quibuſdam ſphalmatis , quæ uti in omnium oculos incurrunt , ita veniam dant cuncti , ut, ne monito quidem Lectore , auferantur . Numquam Lectorem fallo , dum ego non fallar in intelligendâ recteque reddendâ antiqui illius Codicis ſcripturâ . Deinde verò liberum cuicumque Critico Lectori eſt , innuere meliores lectiones , caſtigare depravata , ſupplere quæ deſunt . Immo ſecus agere periculoſum videatur, & præcipue quum de Carminibus veterum agitur, quorum ſimiles Rhythmi ſunt: delicatum enim artificium illorum eſt , neque nimium in iis caſtigandis audendum , niſi de medela adhibita Lector moneatur , cui meditanti forſitan melior in mentem venire poſſit . Si locus futurus eſſet regulæ, quam nunc primum procudit amicus Maffejus , miſeros jam appellare liceret quoſvis Eruditos , qui monumenta veterum tenebris , noſtro potiſſimum Sæculo , eripuerunt , neque Lucernam Criticam ad ſingula accenderunt . Atque mea in primis deploranda fortuna foret, qui in Rerum Italicarum Collectionem tot Hiſtorias intuli numquam antea editas , eaſque dedi , quales e MStis accepi , vitiis videlicet veterum Librariorum ſæpe fœdatas . Sed aliud certe eruditi Orbis judicium erit . Mabillonio , mihi , ceteriſque Anecdotorum editoribus unum plerumque conſilium fuit, ac futurum eſt, nempe in Literatorum commodum quæ latebant in MStis luce donare , non autem ſubſiſtere ad omnia , expendenda meditatione rigidâ , atque expurganda , ſuſceptâ veluti anatome exquiſitâ vitioſi ac inordinati corporis. Eſt hoc hominum majori otio fruentium ; immo omnium eſſe poteſt , qui beneficio per nos delato uti deinde velint . Quamobrem moroſus plane ſit , qui celeberrimum illum Virum, meque ſimul increpandos ſibi ſumat , quod Rhythmos , quales in unico vetuſtiſſimo Codice invenimus , verſibus etiam indiſtinctis , quemadmodum reapſe illos Codex

A ſuppeditavit , ab interitu atque oblivione vindicaverimus , etiamſi omnes inde errores per nos non fuerint ſublati. Sed quid plura ? Cenſorem noſtrum ad Judicem egregium ſiſto, cujus calculo conſtabit , quàm levi fundamento nitatur novitia hujuſmodi cenſura . Is autem non alius eſt , quàm Eruditiſſimus ipſe Maffejus, qui primùm editis Florentiæ Anno MDCCXXI. Caſſiodorii Complexionibus , Epiſtolam ſuam addidit , antea quoque evulgatam Tomo V. Italiæ Sacræ , Venetæ editionis , in qua Rhythmum ipſum *de Laudibus Veronæ* a Mabillonio editum , non ſemel , ſed bis , æneis typis tradidit , atque iiſdem plane verbis, quæ apud Mabillonium leguntur , & nullâ factâ B Verſuum diſtinctione , nullâque adhibitâ Criticâ Lucernâ , quum tamen in eodem Libro ipſe Rhythmum ſepulcralem *Pacifico Archidiacono* poſitum , ac ejuſdem Metri , mihi quoque rurſus infra edendum in hoc Opere , Diſſertatione XLIII. *De Literarum ritu* , ordinatis verſibus protuliſſet . Cur , amabo , quod ipſi Maffejo fas ac laudandum Anno MDCCXXI. credebatur, poſt ſex annos nefas & culpandum viſum fuit ? En ut ſuis ipſe armis contra ſe pugnat . Si quid ergo video , non quod ille adversùs Mabillonium, meque excogitavit, ſed hoc unum ex illius nuperrime adinventâ ſententiâ conſequi tantummodo poteſt : ſcilicet , Lectoribus injectam ſuſpicionem fuiſſe, eamque C vix umquam delendam, ſi quando aliquid novi ex antiquis Codicibus ipſe proferet , nos non accepturos illud , quale in membranis erat , ſed quale *Lucernæ Criticæ* doctiſſimi Viri viſum fuerit; atque adeo certos nos in poſterum eſſe non poſſe , multis ne in locis veterum verba ac mentem, an Maffeji (veteres loquentes , prout ipſe melius cenſuit , inducentis) ſenſa habeamus . Quæ ergo illi fides in poſterum habenda ?

Has ego legitimas germanæ Criticæ regulas reor. Scilicet in Veterum monumentis primùm edendis , & præcipue ſi ex aliquo ſingulari antiquiſſimo MSto illa depromantur , eoque magis ſi Carmina ſunt , nihil opus eſſe diſcedere D a lectione Codicis : immo rem poſcere , ut quantum fieri poſſit , eadem lectio retineatur, excluſis tantùm apertiſſimis Librarii mendis , quæ tamen diſtinguere omnium eſt . Si quid verò gravius editori immutare , delere , ſupplere animus eſt, id clanculum facere, Lectoribuſque minime conſciis , nequaquam licet . Neque enim ad ejuſmodi licentiam purgandam, ſatis eſſet dicere : feliciſſimas conjecturas , opportunaque remedia ad mentem Auctorum, & ad Metri leges adhibui . Nam ut ut ingenii acumine quiſquam abundet , quam laudem procul dubio agnoſco & ego in Clariſſimo Maffejo : attamen liberum ſemper Lectori judicium ſervandum erit , ut perſpicere poſſit , E recte-ne , an ſecus Criticus vir medicas manus intulerit antiquis Codicibus, veterumque lucubrationibus . Et profectò quanticumque ſint Critici in emendandis veterum Libris , ii non raro nobis propinant non Auctorum verba, ſed meditamenta ac divinationes ſuas , quæ tamen veteres ne ſomniarunt quidem. In Rhythmo Mabillonii curâ edito ita ſe habebat hic Verſus :

Ab Oriente habet primum Martyrem Stephanum.

Ita illum e conjecturâ ſuâ reſtituit Maffejus.

Ab Oriente habet primũ Protomartyrem Stephanũ.

 Si

Si Auctori illud *primum* adhibitum fuiſſet non adverbii, ſed adjectivi loco (quod ſane merito opinari licet, alioquin is *primò* non *primùm* dixiſſet) rideret ille, puto, nunc videns in ejuſmodi emendatione ſe coactum appellare *primum Martyrem* non ſemel, ſed bis *Stephanum*. Cur ergo non liceat & mihi verſum illum leviori additamento reſtituere, ac ſcribere?

Ab Oriente habes primũ nam Martyrem Stephanũ.

Quando luxata oſſa reponenda heic ſumimus, ſatius eſt curam complere, quàm nova inferre vulnera. Duobus enim verſiculis conſtant horum Rhythmorum verſus: quorum primus octo, alter ſeptem Syllabis expeditur, dummodo legibus communibus illius Rhythmi pareatur. Si *Protomartyrem Stephanum* legimus, ultra metas excurret Syllabarum numerus: æquius ergo ſuppleatur ſcribendo *nam Martyrem Stephanum*. Sed quid heic ajo? Cæcutiamus neceſſe eſt in barbaricorum temporum ſcriptis emendandis, ac non raro fallemur, quoties Librariorum incuriæ ac ignorantiæ tribuemus vitia, quæ ipſis indoctis Auctoribus ſunt tribuenda. Metri leges, hoc eſt, Syllabarum numerum, in verſibus hiſce Rhythmicis neglectas cernimus. Quis certos nos facit deliquiſſe Librarium potius, quàm eorum Auctorem? Aſpice illic alios verſus enormes:

Præcurſorem Baptiſtam Johannem, & Martyrem Nazarium.
Mammam, Andronicum, & Probum cum quadraginta Martyribus.
Temporibus Principum, Regum Deſiderii & Adelchis.

Ceteros omitto. Similem habemus in Epitaphio Pacifici Archidiaconi, quod tamen ex marmore expreſſit idem Marchio Maffejus:

Septimo Viceſimo ætatis Anno Cæſaris Lotharii.

Scribendum autem monet Clariſſimus Marchio in Mabillonio *Adelchiis* (an melius *Adelchii?*) ut & alibi *Baptiſmium* & *Ravennia*: Dactylum enim, aut Creticum, aut Anapæſtum in fine exigunt id genus Rhythmi. Ita ſane. Sed adhuc incertum eſt, an vulgares eorum temporum Rhythmopœji tam religioſe hiſce legibus conſtringi ſe ſinerent. Quid factum fuerit in Syllabarum obſervatione nuper vidimus. Vopiſcus etiam in Aureliano militarem Rhythmum refert, hiſce verbis conceptum:

Mille, mille, mille, mille, mille decollavimus.
Unus homo mille, mille, mille decollavimus.
Mille, mille, mille vivat, qui mille occidit.
Tantum vini habet (fortaſſe *bibit*) *nemo, quantum fudit ſanguinis.*

Ita ſcribendos eos verſus puto, e quibus tertius, uti videtur, contra leges clauditur verbo *occidit*. At Hexametri quoque interdum non Dactylo, ſed Spondæo clauduntur apud meliores Poëtas.

Quod eſt ad Rhythmum *de Laudibus Mediolani* a me editum, doctiſſimus Cenſor conqueritur, quod prave deſcriptus fuerit ex pervetuſto Codice Veronenſi: quibus verbis tacite imperitiam objicere videtur doctiſſimo Viro Bartholomæo Campagnolæ, Capituli Canonicorum Veronenſium Cancellario, & nunc in eadem Urbe Archipresbytero Eccleſiæ Sanctæ Cæciliæ, a quo Opuſculum deſcriptum, atque ad me miſſum fuit. Sed mirum, quei vir alioqui perſpicaciſſimus non ante ſecum reputaverit, an præcipitis Judicis notam incurrere poſſet, quando Codice MSto minime inſpecto ſibi de re ignota ferendum erat judicium. Atqui erroribus abundat Rhythmus. Non abnuo: ſed quid inde apud cautum Judicem conſequitur? Non minora vitia in Mabilloniano Rhythmo occurrunt; incomparabilem tamen virum certe nemo neget, antiquæ ſcripturæ peritiſſimum. At, regerit Maffejus, *pauciſſimorum nunc eſt intelligere veterum charactteres*: quos ille *antico corſivo* appellat. Sed quid ſi inter hoſce pauciſſimos locus Campagnolæ ipſi negandus non eſſet? Liberum eſt nunc, ut puto, Maffejo ipſi (quod olim non licuit) ſub oculos habere eumdem Codicem, qua parte Rhythmum a me editum complectitur. Tum prudentius judicabit, tribuenda-ne ſint antiquiſſimo Librario, ne dicam Rhythmi ipſius Auctori, an ſolertiſſimo Campagnolæ, quæ aut corrupta, aut obſcura in hocce Rhythmo adhuc deprehenduntur. Et ego Rhythmum eumdem exactiſſime deſcribendum, iiſdemque plane characterum formis ex MSto exprimendum curavi, ita ut propriis veluti oculis Codicem ipſum inſpexerim: ac manu tetigi nihil ab ejuſdem Codicis fide diſcrepaſſe exemplum olim ad me miſſum ab accuratiſſimo ipſo Campagnola. Quidquid in editione a me facta diſſidet a Codice immutatum, emendatumve a me uno fuit. Indulgetur enim (id repeto, atque id etiam præcipit Clariſſimus Maffejus) deſcribenti veterum monumenta e Codicibus (quorum pauci Librariorum erroribus carent) patentia inde tollere menda, ea tamen tantùm, quæ recte conjicere poſſumus ex Amanuenſium oſcitantia proceſſiſſe. Reliquum ego dimiſi, ingentis operis mole ad alia ſolicitatus atque intentus. Neque verò majora audere fas putaſſem inſciis Lectoribus. Nunc etiam animadverto, nihil opus fuiſſe, ſcribere *quæſtu* pro *quæſtum*; ſed ultra non vacat, levibus hiſce controverſiis ſeu tricis inſiſtere.

Unum tantummodo adjiciam, nempe cogi nos credere, amicum Maffejum ingenti prurigine cenſoriæ virgæ adhibendæ, quum hæc ſcripſit, agitatum fuiſſe. Neque enim hiſce contentus, & extra ſemitam proreptus, invaſit etiam fruſtulum Vitæ Sancti Geminiani Epiſcopi Mutinenſis, quam ex altero Veronenſi Codice excerptam protuli in eadem Parte II. Tomi II. Rer. Italicarum, ejus Auctorem arbitratus, *circiter Annum Chriſti DCCCCX.* floruiſſe. Mihi profectò ſi eadem libido inſideret, ſique par pari reddere animus foret, non deeſſent, quæ in Cenſoris doctiſſimi Libris æquiori cenſuræ paterent. Verùm amicitiæ leges minime oblitus, clypeo tantùm, non enſe heic utar. Ille ergo ſcribit, fragmentum nuper memoratum Vitæ Sancti Geminiani deſumtum fuiſſe e *Lectionario circiter Sæculum XIV. ſcripto*. Ut lubet: rariores etiam gemmas interdum ſervarunt nobis Sæculi ejus Codices, videlicet & ipſi ab antiquioribus deſcripti. Addit: *Poco conto ſi può farne, mentre interpolazioni molto inette hanno le Vite in tal Lezionario: e così tra l'altre quella di San Zenone.* Quod in Vita Sancti Zenonis Interpolationes occurrant, deducere velle, reliquas etiam Vitas Codicis illius interpolationibus ſcatere, non pro-

probabunt, ut puto, Eruditi. Quod plus A eſt, nullam in prælaudata S. Geminiani Vita Interpolationem quiſquam oſtendet. Cur ergo hæc Maffejus? Pergit ille: *L'Autor della giunta fa menzione dell' antica ſcorreria degli Ungheri; ma non moſtra eſſer viſſuto a tempo di quella, bensì d'alcun' altra delle fatte da quella gente*. Atqui certum apud omnes Eruditos futurum eſt, eamdem Vitam, una cum lacinia a me edita, *ante medium Sæculum X.* fuiſſe literis conſignatam. Mihi perſuaſeram, additamentum illud luce hucuſque caruiſſe, quod in Vita a Cl. P. Bollando edita ad diem XXXI. Januarii ipſum deſiderari animadvertiſſem. Sed hæc ſcribens, nunc deprehendo, B ab eodem Bollando in Calce Tomi in Addendis ad eam diem *ex Codice MSto Bodecenſi* fragmentum idem fuiſſe jamdiu productum, quamquam eâ diverſitate, ut me neutiquam pœniteat, illud ipſum rurſus evulgaſſe. Jam ergo habemus, non uni Codici Veronenſi fragmentum illud acceptum eſſe referendum. Ibi verò ſcriptum eſt: *Sed quia tanti Patris Domni Geminiani, prout potuimus, Vitam ſtilo tranſegimus, libet quoque de ſitu Urbis, in qua reſedit Epiſcopus, aliquid enucleare veracius*. Palam hæc produnt, non ab aliena manu, ſed ab ipſo Auctore Vitæ adjecta fuiſſe, quæ ad ſitum Mutinenſis Urbis pertinent. Quonam autem tempore idem Auctor floruerit, evi- C dentiſſime ex aliis ejus verbis colligitur, ubi de *Hungarorum ſæviſſima, ac pene omnibus metuenda gente* is loquitur, *quam*, inquit, *in Noſtris tribulationibus Compertam Habemus*. Deinde ſubdit, eos *a parte Aquilonari Italiam ingreſſos, Forojulienſi vaſtatâ Marchiâ, Veronam uſque tranſiliiſſe, & univerſam regionem depopulatos, cuncta firmiſſima Urbium mœnia, cunctaque murata, nullo reſiſtente invaſiſſe Oppida*. Denique ſcribit: *Itaque lues illa (quam Utinam Neſciremus) non dico certaminis, ſed inſoliti funeris &c. tamdem ad Mutinenſe devenit Epiſcopium &c.*

Nemo non videt, hæc ſcripta fuiſſe ab homine, qui non tantùm viderat, ſed etiam ex- D pertus fuerat, quantâ rabie Italiam dilaniaret, aut paucos ante annos dilaniaſſet immanis Hungrorum Populus, e Scythia in Pannoniam, quam ſibi ſubjecit antea, hoc eſt, circiter Annum Chriſti DCCCLXXXIX. illapſus. Prima eorum impreſſio in Italiam, teſte Hermanno Contracto, & Continuatore Annalium Fuldenſium, aliiſque, illiganda videtur Anno DCCCC. Annaliſta Saxo, ab Eccardo editus, Reginonem ſequutus, aut eamdem, aut alteram irruptionem deſcribit ad Annum DCCCCI. his verbis: *Langobardiam quoque ingreſſi, cædibus incendia miſcent: quumque incolæ terræ conglobati reſiſtere conarentur, plurimi Epiſcopi, & Comites cum innumerabili hominum multitudine ſagittarum ictibus trucidantur. Liutwardus* E *Vercellenſis Epiſcopus aſſumtis theſauris fugiens, incidit ſuper eos, moxque interficitur*. En quouſque Anno illo aut præcedenti penetrarit ferociſſima gens. Illorum autem irruptio in Mutinenſem agrum, & vaſtatio celeberrimi Nonantulani Monaſterii per eos facta, in eoſdem Annos conjicienda videtur, ut Pagius recte monuit. Tum ſubſequentibus Annis nova ab iis vulnera inflicta fuere Italiæ; nam poſt profligatum Chriſtianorum exercitum, quem in eos Berengarius I. Italiæ Rex adduxerat, *non erat* (ut Liutprandus Ticinenſis tradit Lib. 2. Cap. 6. Hiſtor.) *qui eorum præſentiam, niſi munitiſſimis fortè præſtolaretur in locis*. Teſte eodem Liutprando, quo Anno Ludovicus III. Imperator a Berengario captus temeratæ fidei pœnas dedit, hoc eſt, aut Anno DCCCCII., aut ſerius, ut alibi oſtendi, *Hungarorum rabies totam per Italiam nullis reſiſtentibus dilatatur*. Richardus Cluniacenſis, & ex eo Bonfinius, tradunt, Hungros exinde fere *quotannis* populandi cauſsâ, ut quidquid remanſerat eraderent, repetere Italiam conſueviſſe. Anno Chriſti DCCCCV. Sigonius ſcribit, barbaros eoſdem *novam incurſionem* feciſſe. Tum Anno DCCCCXXI. & ſubſequenti ex eorum gladiis, & ſagittis Italia ſanguine maduit. Anno autem DCCCCXXIV. adeo illorum potentia, ac rabies eſt aucta, ut præclariſſimam Regni ſedem Ticinum ad deditionem compulerint, & incendio abſumſerint. Iidem An. DCCCCXXXVII. Alamanniam, Galliam, & Burgundiam pervagati, *per Italiam* ad ſua regna redierunt. Auctor quoque eſt Lupus Protoſpata, eos Anno DCCCCXX. Italiam vexaſſe, tum An. DCCCCXXXVI. DCCCCXL. & DCCCCXLVII in Apuliam irruiſſe, Capuam obſediſſe, ac innumera iis regionibus intuliſſe mala. Habetur etiam nota marginalis in MSto Codice Bibliothecæ Caſanatenſis Romæ, ubi legitur Cyclus Paſchalis Dionyſii Exigui, hiſce verbis concepta: *Hoc Anno* (ideſt Anno C. 922.) *venerunt Hungari in Apuliam quarto die ſtante menſis Februarii*. Sed clades ejuſmodi nihil ad Langobardiam ſpectare videntur, quum non terreſtri itinere, ſed navigio adhibito illuc Hungari penetraſſe potuerint. Poſt mortem quoque Hugonis Italiæ Regis iidem Hungri in Italiæ ſinum irruerunt, ſed muneribus a Berengario Marchione, poſtea Rege, placati abſceſſere. Baronius & Pagius actum hoc Anno DCCCCXLIX. putant. Sed hoc antea contigiſſe, ex Liutprando Hiſtorico fortaſſe colligas. Denique Frodoardus in Chronico ad An. DCCCCLI. tradit, Hungaros *ex Italia in Aquitaniam* fuiſſe progreſſos. Fortaſſis & Anno DCCCCLIV. Hungros e Gallia fugientes Italia vidit; at ultra non legimus, immitiſſimam gentem irrupiſſe in haſce regiones: eam quippe bellicoſi Germanorum Populi, multis cædibus illatis, ſeſe intra limites ſuos continere tamdem edocuit. Tota ergo periodus ærumnarum, quas ab Hungris Italia ſuſtinuit, inter Annum DCCCC. & DCCCCL. revera concluditur. Quum ergo exploratum ſit, ut ſupra vidimus, Scriptorem Vitæ Sancti Geminiani eâdem ipsâ tempeſtate floruiſſe: peto ego, an cenſuræ alicui juſtæ locus fuerit, quod ſcripſerim, Auctorem illius *CIRCITER Annum Chriſti DCCCCX.* floruiſſe? At inquit amicus Maffejus: *non oſtendit is Auctor, ſe vixiſſe, quum Hungari Anno DCCCC. aut DCCCCII. impreſſionem in Mutinenſes fecere, ſed quidem fervente unâ e reliquis incurſionibus ab ea gente factis*. Et quid tum? Nonne ſatis mihi eſt, ſi is vixit, dum Hungri in Italiam palantes excurſabant? Sed cur vivere is non etiam antea potuit? Conjecturis heic uterque agimus. Neget ille, ſi potis eſt, potuiſſe florere Scriptorem illum vel ipſo Anno DCCCC. Si accidiſſe id potuit, ſatis illud mihi eſt, nec eſt, cur meæ conjecturam ſuam Maffejus anteferat. Ac præcipue, quum Clariſſimus Bollandus ad ea verba, *quam in Noſtris Tribulationibus Crudeliſſimam Experti ſumus* (ita enim ille Bodecenſi Codice uſus eum aliter locum recitat) hanc Notam appoſuerit: *Hæc eſſe videtur Hungarorum incurſio, quam memorat*

rat Liutprandus Hiſtor. Lib. 2. Cap. 4. 5. 6. ſub initium Sæculi Decimi. Eoque magis id mihi licuit ſcribere, quandoquidem non ad Annum DCCCC. conjeci ſcriptam Sancti Geminiani Vitam, ſed quidem *ad Annum DCCCCX.* quem præterea ne certò quidem deſignavi, nam addidi *CIRCITER*, Lectori eâ ratione innuens, ſeriùs etiam ſtatui poſſe Scriptoris ætatem. Sed ego, ſi plura adderem, neque temporis, neque alienæ patientiæ me curam habere proderem. Ergo ſatius eſt, interruptum iter repetere.

Ut autem luculentius pateat, imperitiam veteris ſcripturæ Campagnolæ ſupra memorato A minime objiciendam fuiſſe, atque in veteres Auctores Latinæ Linguæ parum gnaros, & in Librarios fœdiſſime cæſpitantes, rejiciendos eſſe errores, quibus antiqua Opuſcula ſcatent; juvat heic adjicere alterum Rhythmum ejuſdem Metri, numquam antea editum, atque excerptum ex vetuſtiſſimo Codice Veronenſi per Campagnolam eumdem. Nullum ego inde vitium, quamquam in oculos multa incurrant, ſuſtuli. Primæ Stropharum literæ Acroſtichon exhibent, nempe *GAIDHADLUS*, qui Parrochus Veronenſi in Urbe fuiſſe videtur, atque ipſius Rhythmi Auctor:

„ Gracia excelſa Regi referamus pariter,
„ Qui nos in unum congregavit, te laudamus Domine,
„ Ut poſſimus invenire requiem in ſeculum.
„ Ad alta ſede poſtulemus ſummo Dei filio,
„ Ut ſuo mittere dignetur Angelum perſpicuum
„ Ad expugnandum expellendum hoſtis antiquiſſimus.
„ Invidus ille temptator fallax atque perditus
„ Semper cupit diſcordare concordantes fratribus.
„ Ut poſſit gratiam mereri ante nequam Principem.
„ Dominus atque Salvator, quod ſuum redemit ſanguinem,
„ In ſua ſemper poteſtate reſervare animas,
„ Ut nec unus præter eum poteſtatem habeat.
„ Honor illi & poteſtas in æternum permanet,
„ Qui nos Paſtorem ſuper gregem vocare dignatus eſt,
„ Ut ſalvas oves conſignemus ante ejus oculos,
„ Almus ille ſpeculator Sacerdos in Populo
„ Semper adſtat, ſuperadſtat ſupra gregem, pugnat contra impios;
„ Ut nec una poſſit oves rapere de gregibus.
„ Divina Templa coëuntes ſuſpiremus pariter,
„ Populorum gregi obſecrantes pro noſtra facinora;
„ Ut ipſe pius Miſerator donet indulgentiam.
„ Libare Deo ſtudeamus hoſtiam pro fratribus,
„ Ut ante eum mereatur portare manipulos,
„ Atque de talentum lucrum conſignemus geminum.
„ Vigilemus & oremus unuſquiſque pro alio,
„ Ut poſſimus invenire requiem in ſeculum,
„ Atque vitam poſſidere, quam miſit Dominus.
„ Summo Regi poſtulemus pro cunctorum ſcelere,
„ Et de noſtra mereamur invenire veniam
„ Per eum, qui ſemper vivit & regnat in ſecula.

„ *Te depoſco, dulce frater, qui canis unc Verſiculum,*
„ *Ut requiras principales Litteras per ordinem.*
„ *Sic invenit ejus Nomen, qui hunc expoſuerat.*

Tot errores heic offendis. Num culpandus ego, qui hæc evulgo? Num Campagnola, qui hæc fideliter deſcripſit? Ab æquis certe Lectoribus non hanc mihi mercedem polliceor. Atque hactenus Trochaicum Verſum in Rhythmis ſervatum, neglectâ tamen Proſodiæ ratione, animadvertimus. Dicendum nunc reſtat, Rhythmorum Auctores temporibus barbaricis ad aliorum quoque Verſuum imitationem ſe contuliſſe. Sanctus Bonifacius Epiſcopus Moguntinus & Martyr circiter Annum DCCXL. hæc in Epiſtola 65. ſcribebat: *Tertium Carmen, non pedum menſurâ elucubratum, ſed octonis Syllabis in uno quolibet Verſu compoſitis, unâ eâdemque literâ, comparibus linearum tramitibus aptatâ, curſu calamo perarante caraxatum* (ideſt, exaratum) *tibi, ſagaciſſi-* B *me ſator, tranſmittens dicavi*. Rhythmum a ſe compoſitum hiſce verbis deſignat, cujus etiam exemplum præbet in Epiſtola præcedenti, ubi leguntur hi Verſus:

Pro me quæro oramina
Precum: pandet præcipua &c.

Sed & ipſum Hexametrum imitati ſunt Rhythmopœji, tantâ tamen aſperitatis facie interdum, ut niſi qui prævia rei cognitione Rhythmos ibi quærit, miſerum indoctæ gentis conatum in æmulando nobili Metro, animadvertat. C Rhythmi hujus exempla ſi petis, vide Inſcriptionem VII. Chriſtianam, pag 1061. Theſauri Gruteriani veteris editionis, uti & in Tomo IV. Italiæ Sac. in Epiſcopis Vercellenſibus Epita-

taphium Flaviani Epiſcopi, qui circiter Annum Chriſti DXL. ſediſſe in Vercellenſi Cathedra cenſetur. Verùm antiquius, & omnium lucidiſſimum exemplum informis hujus Poëſeos aſpicias velim in Poëmate Commodiani, rudis Poëtæ Chriſtiani, quod a Rigaltio olim editum, in Bibliothecam Patrum Tom. 27. ſubinde illatum fuit. Floruiſſe is creditur ineunte Sæculo Chriſtianæ Æræ Quarto: immo ſunt, qui ad Sæculum Tertium ejus ætatem referendam arbitrati ſunt. Non aliis ille Verſibus, *Inſtructiones* ſuas Acroſtichas exſequitur, quàm Hexametris, ſed nullis Metri legibus ſervatis: quod paucorum exemplo palam fiet. Ita ille Inſtructione XV.

Hercules, quod monſtrum Aventini montis eliſit,
Evandri, qui ſolitus erat armenta furari,
A *Ruſtica mens hominum indocilis quoque pro laude*
Quum gratias agere vellent, abſenti Tonanti &c.

Pergit ille hac methodo, quippe vulgaris homo, & ad vulgi captum Verſibus hiſce utiliſſima documenta claudit. Certum eſt, ejuſmodi licentiâ deinde uſos, & quidem diutiſſime, fuiſſe Poëtas cum vulgo facientes. Atque heic exempla duo ſe mihi offerunt, ſpectantia ad Langobardici Regni tempora. Alterum eſt Epitaphium poſitum circiter Annum DCCXXII. in celebratiſſimi Monaſterii Bobienſis Templo, Liutprando Rege regnante, Sancto Cumiano Epiſcopo Scotorum, qui illic finem vivendi fecit. Ughellius Tomo quarto Ital. Sacr. in
B Epiſcop. Bobienſib. illud evulgavit. Ego quum ex marmore ipſo diligentius olim deſcripſerim, rurſus Lectoribus exhibeo.

Epitaphium Sancti Cumiani Epiſcopi in tabula marmorea Bobii inſcriptum.

✠ HIC SACRA BEATI MEMBRA CV
MIANI SOLVVNTVR,
CVJVS CÆLVM PENETRANS ANIMA CVM
ANGELIS GAVDET.
ISTE FVIT MAGNVS DIGNITA
TE, GENERE, FORMA.
HVNC MISIT SCOTHIA FINES AD
ITALICOS SENEM.
LOCATVR EBOVIO DNI CONS
TRICTVS AMORE,
VBI VENERANDI DOGMA COLVM
BANI SERVANDO,
VIGILANS, JEJVNANS, INDEFES
SVS SIDVLE ORANS,
OLIMPIADIS QVATTVOR
VNIVSQVE CIRCVLO ANNI
SIC VIXIT FELICITER, VT FELIX
MODO CREDATVR.
MITIS, PRVDENS, PIVS, FRATRIBVS
PACEFICVS CVNCTIS.
HVIC ÆTATIS ANNI FVERVNT
NOVIES DENI,
LVSTRVM QVOQVE VNVM MENSES
QVE QVATTVOR SIMVL.
AT PATER EGREGIE POTENS
INTERCESSOR EXISTE.
PRO GLORIOSISSIMO LIVTPRANDO
REGE, QVI TVVM
PRÆTIOSO LAPIDE TYMBVM
DECORAVIT DEVOTVS
SIT VT MANIFESTVM ALMVM VBI
TEGITVR CORPVS.
DP. (a) EST HIC DMS CVMIANVS
EPS XIIII. KL. SPTBS. FECIT
IOHANNES MAGISTER.

Refert

(a) Hoc eſt: *Depoſitus eſt hic Domnus Cumianus Epiſcopus XIV. Kalendas Septembris* &c.

Refert etiam P. Romualdus a Sancta Maria, Ordinis Eremitar. Exſcalceator. Sancti Auguſtini in ſua Papia Flavia, Part. prima, pag. 131. Epitaphium Theodotæ, illius nempe, cui originem ſuam debet vetuſtiſſimum æque ac nobile Monaſterium Ticinenſe Sacrarum Virgi-

A

num, nunc appellatum *della Poſterla*, cujus eſt mentio apud Paullum Diaconum. Dignum erat fruſtulum illud Langobardicæ eruditionis, ſcriptum ſub initium Sæculi Octavi, quod accuratius ex lapide expreſſum ad nos deferretur. Primos tantùm verſus ego indicabo.

CÆLICOLA (a) SIC DEMVM EJVS PROSAPIAM TEXAM.
MATER VIXIT VIRGINVM PER ANNOS NIMIVM PLVRES,
IN GREGE DOMINICO PASCENS OVICVLAS CHRISTI,
QVAS FOVENS DOCVIT, ARGVIT, CORREXIT, AMAVIT &c.

Vide etiam Epitaphium hexametris & pentametris hujus generis verſibus efformatum, ſed a Librario mire deformatum, in Vita Sancti Felicis Archiepiſcopi Ravennatis apud Agnellum, Tomo II. Rer. Italicar. pag. 164. Illud autem circiter Annum DCCXVI. compoſitum

A

fuit. Neque his Charitibus caruit Urbs ipſa æterna. Turrigius Part. II. pag. 539. de Crypt. Vatican. Epitaphium refert Eliſabetæ puellæ *depoſitæ VI. Kal. Sept. Indict. V.* quæ formula ad remota Sæcula ſpectat.

OCCE PVELLE JACET TVMVLO CORPVS ELISABETE,
QVOD MANET IN SANCTA AVLA BETISSTE JOHANNIS:
ILDEBRANDVS EJVS (b) GENITA, THEODORAQVE MAMMA:
BIS ANNOS ABVIT SENIS, ET MENSIBVS DECEM
DVCTA JOHANNES VESTRA, PAVLEQVE JVRE SVB ALMA &c.

Sed præ ceteris id genus Rhythmis, dignum eſt quod legatur Epitaphium Thomæ, qui Honorio I. Papæ circiter Annum DCXXXVI. ſuam operam contulit, ad tollendum Schiſma Aquilejenſis Eccleſiæ. Exhibetur illud ab immortalis nominis Cardinali Baronio in Appendice ad Tom. 12. Annal. inter addenda Annalibus Eccleſiaſticis ad Annum DCXXXVIII.

B

quæ cauſſa, ut puto, fuit, cur numquam ſatis commendandus alter Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis Henricus Noriſius monumentum hoc minime animadverterit, quum in Diſſertatione de Synodo V §. 6. egit de tempore ſublati ejuſdem Schiſmatis. Ita ſe habent primi verſus, ad Hexametrorum formam confecti.

QVIS MIHI TRIBVAT, VT FLETVS CESSENT IMMENSI;
ET LVCTVS ANIMÆ DET LOCVM VERA DICENTI:
LICET IN LACRYMIS SINGVLTVS VERBA ERVMPANT,
DE TE CERTISSIME TVVS DISCIPVLVS LOQVOR.
TE GENEROSITAS, MINISTER CHRISTI, PARENTVM,
TE MVNDA ACTIO, THOMAS, MONSTRABAT HONESTVM.
TECVM VIRGINITAS AB INCVNABVLIS VIXIT &c.

Neque his verſibus incompoſitis caruerunt ipſa Ethnicorum tempora, eorumque vulgus. Cujus rei exemplum, nondum, ut opinor, editum proferre nunc juvat. E ſchedis MStis Eminentiſſimi S. R. E. Cardinalis Dominici

C

Paſſionei, ſubſequens Carmen deſcripſi. Jacet in Villa Salſulæ Comitatus Urbini, in vetuſto lapide exaratum, barbariem ſane & Linguæ & characterum præferens.

(a) fortaſſis CÆLICAM.
(b) fortaſſe pro GENITOR.

D. M
B ❦ M.
C. ARRIVS ❦ VICTORINVS ❦
MARITVS
VTTIDIE TITIANENI ❦
TV DVM ESSES AD SVPEROS NEMO MIHI FVIT FORMOSIOR VLLA
QVÆ PROSTRATA JACES INDICNA CIRCVMDATA TERRÆ
QVÆ CARVISTI VIAM LVCI SECVTA ES.
SIC MERITO TALES VERSVS DESCRIPSERIM IN TE
NON STVDIO SED MENTE DATA ET COGENTE DOLORE.
HÆC MIHI TITIANE PRIMVM IN CONNVBIO JVNCTA EST
HÆC PRIMA DOLORIS DVLCIOR IN ME FVIT.
VT MEI TE REPELLAT ET SVBITOM ESTVM RAPTA RELIQVIT IN ÆVVM
QVEM FRVI NON LICVIT ANNIS PERVLTIMO FATO.
ACERVA A MATRE (an MORTE?) RAPTA ES VT PARVVLVS ACNVS
SICVT ILLE MISER RAPTVS VOVITVR ARIS
ET ME TAM PVERVM CITO FECISTI DOLENTEM.
PARENTES MISERI MECVM PATIVNTVR IN ÆVO
DOLOREM VT ROSA VERE NOVO CRATA EST IN TEMPORE PARVO
SIC FVIT INFELIX HÆC MIHI CRATISSIMA CONJVNX ❦
VIXIT ❦ ANIS XVII. MESIBVS VIII. DIEB.......
..... FELIX LAPID......

His adjunge Epitaphium Chriſtianum Catervii, quem uti Sanctum Tolentinates venerantur, a Mabillonio in Itinerar. Italic. evulgatum, ac A deinde a Fabretto emendatius Cap. X. num. 505. Inſcription. Antiquar. editum in hæc verba:

QVOS PARIBVS MERITIS JVNXIT MATRIMONIO DVLCI
OMNIPOTENS DOMINVS, TVMVLVS CVSTODIT IN ÆVVM.
CATERVI, SEVERINA TIBI CONJVNCTA LÆTATVR,
SVRGATIS PARITER CHRISTO PRÆSTANTE BEATI.

Infra:

QVOS DEI SACERDVS PROBIANVS LAVIT ET VNXIT.

Et diu quidem ejuſmodi plebejorum Verſuum uſus perduravit; idque indicabit Inſcriptio circiter Annum Chriſti MXIV. Romæ poſita, B atque edita a Cl. V. Marco Antonio Boldetto in egregio Opere de Cœmeter. Martyr. Lib. 2. Cap. 5.

PETROCIO REQVIESCVNT HIC SEPVLTAQVE MEMBRA.
RECTE BONVS SAPIENSQVE FVIT; NAM GENERE MAGNO
ERAT, FORMOSVSQVE, PRÆCLARVS, LARGVS AMICIS:
GRATIA SEMPER TVNC FVERAT ILLI, COLLOQVIA DIGNA,
OMNIBVS AMABILISQVE, BENIGNVS, PRONTVS, ET AVDAX,
REGNA DILIGENS CELESTIA, SEMPER AMATOR
ILLEQVE MITIS NVTRITOR, PAVPERVMQVE DEFENSOR.
OMNES VOS QVI LEGITIS QVESO DICITE CVNCTI:
CLEMENTISSIME DEVS, MISERERE FAMVLO TVO,
VIRGO DEI GENITRIX, CVM OMNIBVS SANTIS MISERERE PETROCCIO.
OBIIT IN PACE TEMP. D. BEN. OCTAVI PP. IN MEN. JAN.
DIES XVIII.

Sed & Fabrettus Cap. 3. pag. 146. Inſcription. Antiquar. hanc refert:

NOME. FVIT. NOMEN. HÆSIT NASCENTI COSVCCIA
VTRAQVE. HOC. TITVLO. NOMINA SIGNIFICO.
VIXI. PAROM. DVLCISQ. FVI. DVM. VIXI PARENTI
HOC. TITVLO. TEGEOR. DEBITA. PERSOLVI.
QVIQ. LEGIS. TITVLVM. SENTIS. QVAM. VIXERIM. PARVM
HOC. PETO. NVNC. DICAS. SIT. TIBI. TERRA. LEVIS.

Vide

Vide & alias ſimiles , immo plus adverſantibus Muſis conceptas apud eumdem Fabrettum Cap. 4. pag. 329. 418. 419. , & 421. Vide etiam Epitaphium Boni Conſulis & Ducis Neapolis , qui Sæculo Chriſti Nono floruit , Tomo II. Rer. Italicar. pag. 342. Atque hactenus de Rhythmis Hexametris & Pentametris .

Hiſce nunc ſubjungendi Endecaſyllabi , Dodecaſyllabi , Heptaſyllabi &c. qui in uſu fuere apud veteres. Quod & lubentius facio , quum inde potiſſimum exempla ſuorum carminum derivarit Italicæ vulgaris Linguæ Poëſis . Quod antequam oſtendam , juvat alterum Rhythmicæ , immo & Metricæ Poëſeos ritum vetuſtiſſimum in medium afferre . Sunt qui credant , vel ipſis olim Romanis & Græcis gratam fuiſſe conſonantium Syllabarum modulationem (nunc *Rima* appellamus , converſâ voce *Rhythmus* in *Rima*) in fine præcipue verſuum quæſitam , ita ut poſtrema verſus aut membri Syllaba poſtremæ ſubſequentis reſponderet . Poëtis ipſis hujuſmodi verborum collocatio , ſive Figura placuiſſe fertur . Certe placuit Oratoribus , dum tamen parce adhiberetur . Ὁμοιοτέλευτον Græci Figuram hanc appellarunt . *Similiter cadens* idem Latinis fuit . Pervulgati ſunt duo Tullii Verſus a Quinctiliano memorati Libro Undecimo Cap. primo , quos tamen multi eo quoque vivente irriſere :

Cedant Arma Togæ . Concedant Laurea Linguæ.
O fortunatam natam me Conſule Romam !

Varro quoque in ταφῇ Μενίππου .

Neque orthophallica attulit pſalteria ,
Quibus ſonant in Græcia dicteria ,
Qui Fabularum collocant exordia .

Heic *Exodia* ſcribendum reor . Immo & vetuſtiſſimus Ennius hiſce delectatus videtur . Hos enim illius Verſus refert Cicero in Tuſcul. I.

Hæc omnia vidi inflammari ,
Priamo vi vitam evitari, (an potius *evirari?*)
Jovis aram ſanguine turpari.

Hoſce etiam (alienos-ne , an ſuos , ignoro) idem Cicero in eâdem Tuſculana commemorat:

Cælum niteſcere , arbores frondeſcere ,
Vites lætificæ pampinis pubeſcere ,
Rami baccarum ubertate incurveſcere .

Similes autem antiquorum Verſus in eam ſententiam Stilianum induxerunt , de Arte Verſificandi ſcribentem, ut ſibi perſuaderet, Rhythmos (nunc *le Rime*) meliori ipſo Latinorum Sæculo uſurpatos fuiſſe . Nam , ut is ſcribit , Vergilius Lib. 6. verſ. 165 Æneidos habet :

Ære ciere viros, Martemque accendere cantu .

& Ovidius :

Quot cælum ſtellas, tot habet tua Roma puellas .

& Propertius :

Non non humani ſunt partus talia dona .
Iſta Diâm menſes non peperere bona .

Ita Horatius de Arte Poëtica :

A *Non ſatis eſt pulchra eſſe Poëmata : dulcia ſunto ,*
Et quæcumque volent , animum Auditoris agunto .

Ita & Auſonius in Idyl. 2.

Vel tria potanti, vel ter tria multiplicanti.

Sed Verſificatoribus antiquis vix fieri potuit , quin ejuſmodi Verſus interdum exciderint , etiam nil tale cogitantibus : ac proinde minime me iis opponam , qui hæc potius caſu , quàm arte nata , ſive conſulto facta , cenſeant . Attamen quum Oratoribus non diſplicuiſſe dixerim ὁμοιοτέλευτον , non eſt præfracte negandum , quin & Poëtæ eâdem Figurâ delectari
B quandoque potuerint . Ac præcipue ruſtici & vulgares , quorum auribus gratior accidere potuit vocum conſonantia . Niſi tot Rhythmi & Carmina plebejorum Poëtarum ævi illius periiſſent , fortaſſe plures Verſus ex Latio ipſo petitos , ſimiliter cadentes haberemus . Paria quoque apud Græcos occurrunt , ut in Anthologia , & alibi viſitur . Sunt etiam qui Hebræos putant in Poëſi ſua quæſiviſſe paria aurium oblectamenta , ſive in mediis Verſibus , ſive in eorum clauſulis : quod potiſſimum a Clariſſimo Huetio affirmatum video . Et ſane id perſentias in Rhythmo Hebraico , quem in Davidis laudem cecinere mulieres , & ego ſupra attuli . Sed & Clariſſimus Vir P. Marti-
C naceus Monachus Benedictinus Congregationis Sancti Mauri in Prolegomenis ad divinam Bibliothecam Sancti Hieronymi , prolatis exemplis oſtendit , in Cantico Deuteronomii, atque in Threnis Jeremiæ Rhythmos occurrere, hoc eſt in fine commatum parem vocis deſinentiam . Verùm controverſiam de Hebræorum Poëſi aliis dimitto ; fortaſſis & in aliqua ejuſdem loca ſimilitudo vocum caſu , non arte irrepſit . Præſertim verò barbaricis Sæculis mos fuit , lenocinium hoc ſuis tum Rhythmis, tum Metris adjungere . Quod , uti conjicio, præſtitere indocti , ut his ſaltem phaleris penſarent quantitatem pedum a ſe neglectam: docti autem , ut ſimiliter cadentes Verſus facilius a
D Populo memoriâ retinerentur . Et primo quidem levem hanc modulationis umbram ſtatuerunt in una Verſus Syllaba poſtrema, cui conſona foret poſtrema ſubſequentis , aut ſubſequentium Verſuum. Quandoque etiam alterni Verſus ſibi reſpondebant . Quod ſi in Dactylum deſinebat Verſus , nonnulli conſuevere poſtremis duabus Syllabis pares in ſuccedentibus Verſibus collocare . Denique eo res deducta eſt , ut in fine Verſus geminæ integræ Syllabæ , ſi longæ forent , literis ac ſonitu reſponderent Verſibus ſubſequentibus : tres verò Syllabæ pari modo reſponderent , ſi penultima Verſus brevis eſſet, ut eſt in Dactylo . Quem morem accepere , & adhuc retinent vulgaris
E Linguæ noſtræ Poëtæ .

Verſus autem , in quibus hoc poſtremum ὁμοιοτέλευτον , ſive *ſimiliter cadens* occurrebat, præcedenti ſane gratius , in aures hominum incurrens, *Leonini* olim appellabantur . Cur ſic fuerint appellati , ignoravit Scaliger Poëtic. Lib. 2. Cap. 29. Stephanus Guazzius a cauda Leonis ita nuncupatos inepte cenſuit . Renatus Moreau Medicus Pariſienſis in Commentar. ad Scholam Salernitan. & Du-Cangius in Gloſſar. Latino , eos arbitrantur *ſic porrò nuncupatos, quod inventi fuerint a quodam Leone Poëta , qui circa tempora Ludovici VII. vel Philippi Auguſti , Regum Franciæ vixit .* Ad-
dit

dit idem Du-Cangius, hanc etiam fuiſſe ſententiam Stephani Paſchaſii Lib. 7. Cap. 2. Diſquiſition. Francicar. qui perelegantes quoſdam hujus Leonis Poëtæ Verſus produxit. In eamdem quoque opinionem conceſſit Doctiſſimus Papebrochius in Act. Sanctor. ad diem I. Junii, in Vita Sanctorum Gratiani & Felini, arbitratus dumtaxat, *ad ſummam perfectionem* adductos fuiſſe eos Verſus a Leone Gallico Poëta Sæculo Duodecimo. Et profectò Ægidius Pariſienſis apud Du-Cheſnium Tomo Quinto Scriptor. Franc. pag. 323. inter alios Poëtas ſui temporis, hoc eſt ab Anno MCXCI. ad MCXCVIII. commemorat:

Nec minus in ſacris melico ſermone Leonem
Ludentem hiſtoriis.

Idem autem ille eſt, qui Du-Cangio, ac Papebrochio laudatur, ut proinde non recte veluti diverſos Poëtas hoſce putarit Polycarpus Leyſerus in Hiſtor. Poëtar. medii ævi num. 79. & 95. Doctiſſimus quondam amicus meus D. Gaſpar Berettus Benedictinus, ſæpius mihi hoc in Opere laudatus, de Leoninis Verſibus verba fecit in Prolegomen. ad Tabulam Chorographicam, quam edidi Tomo X. Rerum Italicar. Ibi num. 62. pag. 117. cenſet, *Leoninos Verſus* in Italia *vix poſt Normannorum adventum componi cœpiſſe*, hoc eſt Sæculo Chriſti Undecimo. Atque adeo tum ille, tum Papebrochius, Eccardus, & alii, Inſcriptiones quaſdam, antiquorum Sæculorum creditas, nonniſi poſt Annum Chriſtianæ Æræ Milleſimum confectas ſtatuerunt, quod Leoninis Verſibus conſtarent. Quæ mea in hanc rem ſententia ſit, denique Lector accipiat. Primo certum ſtatuo, Verſuum, quos *Leoninos* antiqui nuncuparunt, nos *Verſi Rimati* appellamus, originem, ſeu inventionem nequaquam tribuendam eſſe Leoni illi, ſeu Leonio Poëtæ Pariſienſi, & Monacho Benedictino Monaſterii Sancti Victoris, qui circiter Annum Chriſti MCXC. floruit, uti cenſuerunt Du-Cangius, Jacobus Perizonius, & alii. Præceſſerant enim, qui hujuſmodi Verſibus luſerant, ſive Rhythmos, ſive Metra componentes. Deinde an iſtam ſaltem verſificandi rationem ille perfecerit, incertum adhuc eſſe contendo. Sed, ſi quidem gloriam aliquam in illum conferre velimus, opinari fas erit, aut ab eo elucubratum fuiſſe Poëma tam concinnum & elegans, verborumque ſibi invicem reſpondentium concentu ſonorum, ut unus in admiratione Populi eſſet; aut ita eos Verſus contexuiſſe, ut quamquam longum opus confecerit, in clauſulis tamen Verſuum perpetuum ordinem, ac *Similiter cadens* duarum Syllabarum ſervaverit: quod fortaſſe nemo ante eum plene fuerat auſus. Nam, ut præfatus ſum, plerique veterum in una Syllaba, conſonante cum altera, concentum ſuorum Rhythmorum, aut Metrorum collocarunt. Plerique etiam non in fine geminorum Verſuum, ſed in ipſo Verſu (cujus primum membrum ſubſequenti reſpondebat) hanc aurium oblectationem conquiſiere. Quæ omnia exemplis confirmatum eo.

Sub finem Sæculi a Chriſto nato Sexti floruit Sanctus Columbanus, celeberrimus ille Bobienſis Cœnobii inſtitutor. Inter ejus Opera legitur Rhythmus *de Vanitate vitæ*, ubi pleroſque Verſus ὁμοιοπτώτους cernimus. Exempli cauſâ:

A *Differentibus vitam mors incerta ſurripit:*
Omnes ſuperbos, vagos mœror mortis corripit &c.
Plerique perpeſſi ſunt pœnarum incendia,
Voluntatis lubricæ nolentes diſpendia &c.

Reliquos omitto. Qui ſane ſi Columbanum auctorem habent, antiquiſſimam præbent Verſuum ſimiliter cadentium formam. Sic inter Opera Bedæ leguntur Verſus *de Computus regulis*, in queis Leoninum concentum audis. Priores accipito:

Adventum Domini non eſt celebrare Decembri
Poſt ternas Nonas, neque quintas ante Kalendas &c.

B Sed & Sanctus Bonifacius Moguntinus Epiſcopus & Martyr, ſupra mihi laudatus, in Epiſtola prima, circiter Annum DCCXXX. conſcripta Rhythmum effudit, conſonis vocibus diſtinctum:

Vale frater florentibus
Juventutis cum viribus,
Ut florens cum Domino
In ſempiterno ſolio &c.

Tum in Epiſtola 69. Carmina quatuor ejuſdem referuntur, geminis verſibus ſimili ſono reſpondentibus, ſed ita ut, quamquam fere ſemper Dactylus Verſum claudat, duæ tantùm poſtre-
C mæ Syllabæ ſimiles ſint. Specimen profero:

Summum ſatorem ſolia
Sedet qui per æthralia,
Alti olympi arcibus
Obvallatus minacibus &c.

Ita verò me Deus amet, cuiquam dubitatio ſuccurret, num tanta vetuſtas ejuſmodi Carminibus ſit tribuenda. Verùm dubitandi finis erit, ſi *Antiphonarium Benchorenſe*, a me, ut ſupra dixi, evulgatum conſulet, quod certe Sæculo Septimo, aut ſummùm Octavo, in uſu fuit celebris illius Monaſterii in Hibernia ſiti, ac deinde in Bobienſem Bibliothecam, denique
D in Ambroſianam translatum eſt. Occurrit ibi *Hymnus Sancti Comgilli* in Strophas ſectus, quarum ſingulæ a litera Alphabeti initium ſumunt, earumque ſinguli Verſus in eamdem ſyllabam deſinunt:

Recordemur juſtitiæ
Noſtri Patroni fulgidæ,
Comgilli Sancti nomine,
Refulgentis in opere &c.

Secundæ Strophæ Verſus quilibet in A. deſinit:

Audite pantes ta erga
Allati ad Angelica
E *Athletæ Dei abdita*
A juventute florida &c.

Eodem ordine reliqui procedunt. Sed & ibi leguntur *Verſiculi familiæ Benchuir*, ex quibus multi perfectam præferunt eorum formam, qui ſerius *Leonini* appellati ſunt. Experimentum capiat Lector:

Verè regalis aula,
Variis gemmis ornata,
Gregiſque Chriſti caula,
Patre ſummo ſervata.

Virgo valde fœcunda,
Hæc & Mater intacta,
Læta ac tremebunda,
Verbo Dei ſubacta.

Hæc adeo aperta ſunt, ut quiſque jam intelligere poſſit, antiquos Rhythmopœjos atque Poëtas non expectaſſe tempora Leonis Pariſienſis Poëtæ, ut ab eo edocerentur efformare Verſus ſimili concentu cadentes; neque nimiâ facilitate cenſenda eſſe Carmina compoſita tan- A tummodo poſt Annum Chriſti Milleſimum, ſi qua occurrunt modulo hocce conſtructa. Refert Cardinalis Baronius in Annalibus ad Annum Chriſti DXXXVIII. Verſus incolumes adhuc Romæ adſervatos in Templo Cruciferorum, quod Beliſarius Juſtiniano I. imperante condidiſſe dicitur. Illos autem doctiſſimus Cardinalis eâdem ipsâ tempeſtate confectos, ac marmore inſcriptos arbitratur. Lectori & ego inſpiciendos exhibeo.

HANC VIR PATRICIVS VILISARIVS VRBIS AMICVS
OB CVLPÆ VENIAM CONDIDIT ECCLESIAM.
HANC IDCIRCO PEDEM SACRAM QVI PONIS IN ÆDEM,
VT MISERETVR EVM, SÆPE PRECARE DEVM.

Hæc ſi quiſquam rejiciat poſt Sæculum X. adverſari ego nolim. Attamen ſunt, quæ ſuadeant, ipſo Sæculo Chriſtianæ Æræ Sexto Inſcriptionem fuiſſe poſitam. Vix enim poſt multa Sæcula rogandus fuerat Populus, ut precibus repetitis Beliſario miſericordiam a Deo impetraret. Sed alterum, qualecumque ſit, etiam antiquius ſimiliter cadentium vocum exemplum habemus. Sanctus Auguſtinus circiter Annum CCCXCIII. elucubravit *Pſalmum contra partem Donati*, qui nihil aliud eſt, quàm Rhythmus. Singuli Verſus e duobus verſiculis octo ſyllabis conſtant. Sunt ibi, qui plures ſyllabas præferunt, ſed fortaſſis emendandi ſunt. Intuere hunc Pſalmum inter Opera Auguſtini in primis paginis Tom. IX. editionis noviſſimæ. De eo ipſe hæc ſcribit Lib. primo Retractat. Cap. 20. *Pſalmum, qui ab imperitis & idiotis cantaretur, per Latinas literas feci. Tales autem Abecedarios appellant.* Ejus generis eſt Rhythmus *de Mediolano*, quem ſupra innui, uti & alter Adelmanni Scholaſtici antea memoratus. *Alphabeticum* illum Mabillonius appellavit, *Abecedarium* verò Auguſtinus. Similem quoque infra dabo, ex Veronenſi Codice expreſſum de captura *Ludovici II. Auguſti*. Præterea mihi eſt Rhythmus *in Sanctum Zenonem*, a ſupra laudato Campagnola ad me miſſus, atque ex eodem antiquiſſimo Codice excerptus, in quo laudes Mediolani jam ſupra editæ legebantur. Et iſtud Abecedarium eſt. En ejus initium:

Audiant Principes, audiant Populi &c.

Illic habetur:

Kaſta permanſerat Imperii filia &c.
Rogat te Imperium, ad ſe te convocat &c.

B Ibi *Imperium* pro *Imperatore*. At rurſum audi Auguſtinum eumdem de illo Pſalmo loquentem: *Ideo autem non aliquo Carminis genere id fieri volui, ne me neceſſitas Metrica ad aliqua verba, quæ vulgo minus ſunt uſitata, compelleret*. Quare tum ex his, tum ex ſupra allatis verbis intelligimus, Rhythmos olim confectos, ut *ab imperitis atque idiotis canerentur*. In eum quoque finem compoſiti fuere, qui mihi nuper memorati ſunt *de laudibus Mediolani*, *de Ludovico II.* &c. Erant enim iis quoque temporibus, quales noſtris, qui Carmina rudia, ac præcipue Rhythmos aut ſolatii cauſsâ domi, aut in plateis Populo congregato lucri obtentu canebant. Ejuſmodi Cantilenas ſaltem ſemi-C doctí intelligebant: nondum enim quiſquam auſus fuerat vulgari ſermone uti ad Carmina aut ad Rhythmos; aut ſi utebantur, ex iis ne fragmentum quidem ad nos pervenit. Redeo ad Pſalmum Auguſtinianum. Ibi ſingulorum Verſuum clauſulæ in E deſinunt: quod & in aliis Rhythmis obſervatum vidi. Occurrunt & plurimæ voces conſonæ in *ARE* & *ORE* &c. quas tamen caſu potius quàm certo quærendæ ejuſmodi euphoniæ conſilio coiiſſe puto. Saltem conſtat, vel Sæculo Chriſtianæ Æræ Quarto Africanæ Plebi in Rhythmis placuiſſe aliquam verborum, ut ita dicam, conſonantiam, quam ſubſequuta Sæcula amplificarunt & diligentius exornarunt. Præceſſerat D etiam Commodianus mihi ſupra memoratus in poſtremo Carmine ſuo, ubi ſingulos verſus in O deſinere ſentias.

Benchorenſibus Rhythmis, aliiſque Sæculo Octavo compoſitis cum vocibus conſonantibus, quos nuper retuli, addo Epitaphium Lantfridi Abbatis Burenſis in Bajoaria, quod Mabillonius in Analectis publici juris fecit. Is floruit ſub Pipino & Carolo Magno Francorum Regibus, & circiter Annum Chriſti DCCXC. exceſſiſſe e vivis videtur.

EN LANTFRID DOMNVS, PRIMIS NATALIBVS ORTVS,
DEBITA SOLVIT HVMO, QVÆ SIBI DEBET HOMO.
ÆTATIS FLORE SPONSI CVRRENS IN ODORE,
PLVRIBVS EXEMPLVM PRÆBVIT IPSE BONVM &c.

Eodem

Eodem concentu pergunt reliqui Verſus : qui ſi revera tunc fuere conditi , uti veri videtur ſimile , confirmant quæ dixi de ingeniis hujuſmodi muſicâ delectatis ipſo Sæculo Chriſti Octavo . Alterum exemplum præbent portæ æreæ Baſilicæ Pariſienſis Sandionyſianæ , circi- A ter ea tempora fabricatæ . Auctor ibi ſuum nomen inſcriptum voluit , hoc eſt, *Airadus Monachus* , geminis verſiculis inciſis , quos ad Annum DCCLXXX. attulit idem Mabillonius in Annalibus Benedictinis :

HOC OPVS AIRADVS CÆLESTI MVNERE FRETVS
OFFERT ECCE TIBI , DIONYSI , PECTORE MITI .

Porro quantùm ſubſequenti Sæculo Nono in deliciis foret apud quoſdam Poëtas conquiſita iſta conſonantium vocum harmonia in texendis Verſibus , longe pluribus exemplis oſtendere poſſum . Vetuſtiſſimum Muſivum in Æde ſacra Sanctæ Mariæ Novæ adhuc viſitur Romæ , teſte Ciampinio Part. II. Cap. 28. Veter. Monumentor. Ibi hi duo Verſus :

ARBOR SACRA CRVCIS FIT MVNDO SEMITA LVCIS .
QVAM QVI PORTAVIT, NOS CHRISTVS AD ASTRA LEVAVIT.

Uti Anaſtaſius tradit , ejus Templi , ſimulque & operis teſſellati auctor fuit Leo IV. Papa Anno Chriſti DCCCXLVIII. aut Nicolaus I. Papa circiter Annum DCCCLX. Quæ ſi certa ſunt , jam tenemus , in ipſa Urbe ferme ante novem Sæcula in uſu fuiſſe conſonam vocum harmoniam in Verſibus . Si eodem Sæculo , quo Ludovicus Pius Auguſtus e vivis exceſſit B (hoc autem contigit Anno Chriſti DCCCXL.) compoſitum fuiſſet Epitaphium , ejus tumulo Metenſi in Urbe appoſitum , quod Tomo II. pag. 320. Scriptor. Francicor. Du-Cheſnii , & in Annalibus Cardinalis Baronii legitur , luculentum alterum haberemus homotoniæ in Verſibus tunc adamatæ teſtimonium. Quatuor tantùm verſiculos inde excerptos offero .

IMPERII FVLMEN , FRANCORVM NOBILE CVLMEN ,
EXCITVS E SECVLO CONDITVR HOC TVMVLO ,
REX LVDOVICVS , PIETATIS TANTVS AMICVS ,
QVOD PIVS A POPVLO DICITVR ET TITVLO &c.

Drogoni quoque Archiepiſcopo Metenſi , ejuſdem Ludovici Pii fratri , alterum Epitaphium C poſitum fuit, ab eodem Du-Cheſnio editum , cujus en primos Verſus :

CONDITVR HOC BVSTO PRÆSVL DROGO MARMORE SCVLPTO :
SPIRITVS IN REQVIE LÆTVS OVAT ABRAHÆ &c.

Præterea in Laureshamenſi Monaſterio Sepulcrum adhuc viſitur Taſſilonis Bajoariæ Ducis , quem Carolus Magnus e ſolio dejecit , cum hiſce Verſibus :

CONDITVR HAC FOVEA , QVEM PIE CHRISTE BEA ,
TASSILO DVX PRIMVM, POST REX, MONACHVS SED AD IMVM.
IDIBVS IN TERNIS DECESSERAT ILLE DECEMBRIS .

Sed quia dubitare licet, ne longe ſerius additi fuerint tumulis ejuſmodi Verſus , certiora apponamus . Gaſpar Barthius vir ſpectatiſſimæ eruditionis Lib. 32. Cap. 12. Adverſarior. Erinfredi Monachi Carmen Rhythmicum ex MSto Codice profert. Hic autem *vixit Anno DC C-VI., ut Vita ejus teſtatur* . En duas tantùm illius Carminis ſtrophas :

Felicitatis regula
Hac ſine ſemper conſtitit.
Ad puncta cum venit ſua ,
In ſe voluta corruit .
Quæcumque vita protulit
Ambigua , læta , triſtia .
Quocumque ſe ſpes extulit
Inſida , dura , credula &c.

Sed præcipue Sæculo illo , ac duobus ſubſequentibus , multis curæ fuit in ſingulis Verſibus concentum vocum ſimilium inſerere , divi- D ſis quodammodo in duo membra Verſibus, poſtremæ quorum ſyllabæ invicem ſibi reſpondebant . Evulgavit ſæpe laudatus Mabillonius in Annalibus Benedictinis ad Annum DCCCXXVII. Verſus in vetuſtiſſimo Codice Altivillarenſi circiter ea tempora ſcriptos , e quibus quæ nunc ajebam , leviori negotio intelliges:

Ebo , Remenſe decus , Præſul, Paſtorque coruſcus,
Doctor Evangelicus , præcelſi Regis amicus ,
Hunc in amore Dei , Petrique in honore beati ,
Librum juſſit agi , plenus ſpiraminis alti &c.

Heic præter commata Verſus cujuſcumque conſona , etiam finis unius Verſus conſonat cum E fine alterius, unicâ tamen ſyllabâ . Ita in Muſivo adhuc ſuperſtite Baſilicæ Ambroſianæ Mediolanenſis , quod circiter Annum DCCCXXXV. compoſitum fuiſſe , neque immerito , Puricellius cenſet, Tetraſtichon iſtud legitur:

MARTINVS MORITVR, SED VITÆ DONA MERETVR:
TRISTATVR MVNDVS, ADJVBILATQVE POLVS.
MORS SVA DIGNA BONO FERTVR CELEBRATA PATRONO,
SPIRITVS AMBROSII DVM FAMVLATVR IBI.

A Milonis quoque Elnonenſis Monachi Verſus pari concentu elaboratos Anno Chriſti DCCCLV. refert idem Mabillonius in Annalibus Benedictinis ad Annum DCCCLXXII. Vide etiam Formulas XIV. & XV. Tomi II. Capitular. Baluzii pag. 565. Non eæ quidem ſunt Formulæ, ſed Rhythmi duo, ſummam barbariem ſpirantes, atque, ut opinor, ab indoctis Librariis mirum in modum deformati. Supra verò commemoravi Notkerum Balbulum Cœnobitam Sancti Galli, qui ſub finem Sæculi Noni, atque initium Decimi, *Sequentiarum* Librum edidit, ab antiquis laudatum, & a Clariſs. Viro P. Pezio Part. primâ Tomi primi Theſaur. Anecdotor. Noviſſim. editum. Ejuſmodi *Sequentiæ* (quas Hymnos potius appellare placeat) Rhythmicâ licentiâ compoſitæ ſunt ſub variis metris. Unam ex iis ſeligo:

Sancti merita
Benedicti inclyta
Verendæ ſanctitatis,
Ac Monachorum Præſulis,
Pro poſſe
Atque noſſe
Organa noſtra concrepent.
Nurſia felix
Tulit natum genitrix:
Domina Mundi Roma fovit alitrix.
Hic ergo præventus optimo
Sancti Spiritus dono &c.

B Anno DCCCCXII. finem vivendi fecit idem Notkerus, cujus Epitaphium metricum Mabillonio debemus in Annalibus Benedictinis editum his verbis:

ECCE DECVS PATRIÆ, NOTKERVS, DOGMA SOPHIÆ,
VT MORTALIS HOMO, CONDITVR HOC TVMVLO.
IDIBVS OCTONIS HIC CARNE SOLVTVS APRILIS,
COELIS INVEHITVR, CARMINE SVSCIPITVR.

Plura ejuſmodi nullus dubito quin haberemus, ſcripta longe etiam ante Notkerum, niſi tempus, cui tot pretioſa ſuccubuere, levia hæc quoque nobis invidiſſet. Unum illud San-Gallenſe Cœnobium celeberrimum, in quo Notkerus vixit, alia ſuppeditare heic poteſt ab Henrico Caniſio edita, ac deinde in Bibliothecam Patrum inlata. Illic Hymnum legas ab Hartmanno Monacho compoſitum (floruit ille circiter Annum DCCCLXX.) cujus hi ſunt primi Verſus:

Cum natus eſſet Dominus,
Turbatur Rex incredulus.
Magi tulerunt munera,
Quos ſtella duxit prævia.

Eodem ordine conſonantium vocum procedunt reliqui. Sunt ibi & alii Hymni, aliaque Poëmata, eamdem verborum texturam præferentia, aut eodem Sæculo IX. aut X. compoſita; ita ut jam abundet, unde eorum opinio male conſuta nobis videatur, qui ubi aliquid Leonini concentus audiunt, illud continuo ad Sæculum XI. & ſubſequentia pertinere ſibi perC ſuadeant. Edidit quoque Caniſius Carmen Salomonis Epiſcopi Conſtantienſis, qui currente Anno DCCCXCV. florebat.

Eximie Antiſtes, has accipe, Dado, ſalutes,
Conſcriptas triſti a Salomone tibi &c.

In reliquis idem eſt artificium. Hiſce junge Inſcriptionem poſitam Emmæ Francorum Reginæ Anno DCCCCLIV. quam profert Mabillonius nuper laudatus. Ejus primos tantùm Verſus exhibeo:

SANGVINE CÆSAREO JACET HIC EXCELSA PROPAGO,
FRANCORVM POPVLO PRODITA DE KAROLO &c.

Quod ſi plura id genus Epitaphia cupis, adi ejuſdem Mabillonii Analecta. Conſule etiam Annales Trevirenſes Broweri, qui multa adfert Sæculis Octavo, Nono, & Decimo compoſita. Eodem autem Sæculo Decimo floruit Frodoardus Remenſis, qui in Carmine de Vita Sancti Columbani multos interſerit Verſus, eodem artificio elaboratos: quod & præſtitit Roſvitha, incomparabilis ejuſdem Sæculi Sanctimo- D nialis in Carmine de Geſtis Oddonis. En duos tantùm illius Verſus:

Poſtquam Rex Regum, qui ſolus regnat in ævum,
Per ſe cunctorum tranſmutans tempora Regũ &c.

Finem vivendi fecit Anno Chriſti DCCCCXCVI. Sanctus Gebehardus Conſtantienſis Epiſcopus, eique tunc poſitum fuit Epitaphium, a Caniſio & Surio relatum.

DEBITA PARS TERRÆ FALLENTIA TEMPORA SPERNE,
ET MEMORARE VIÆ, QVAM TESTATVR CINIS ISTE.
GENTIS HONOR NOSTRÆ JACET HIC, GENTIS DOLOR ATQVE;
PRÆFVIT HVIC VRBI, CVNCTO SED PROFVIT ORBI &c.

Adel-

Adelmanni Scholaſtici *Rhythmum alphabeticum*, a prælaudato Mabillonio inter Analecta editum, ſupra memoravi. Is ad Sæculum XI. ſpectat: compoſituſque fuit circiter Annum MXXXV. Tres Verſus ſtropham conficiunt, ac ſingulorum finis ſimili ſyllaba conſtat, uti e prima ſtropha conſtabit:

Armonicæ facultatis adſpirante gratia,
Refero Viros illuſtres, Literarum lumina,
Quos recenti recordatur mens dolore ſaucia &c.

Conſonas quoque voces in fine Rhythmorum invenias, quos Sanctus Fulbertus ante Adelmannum elucubravit. Similem Rhythmum circiter Annum Chriſti MLXXV. Landulphus Senior Hiſtoricus Mediolanenſis procudit in fine Libri Primi Hiſtoriæ a me editæ Tomo IV. Rer. Italicar. Accipe priorem ſtropham:

Jeſu Chriſte, ſplendor Patris, via, veritas, & vita
Omnium Redemptor pie, cunctorum æquitas,
Univerſos, qui te quærunt, tua replet Caritas.

In primo verſu legendum eſt *vita & veritas*. Eodem metro ceteri procedunt. Sed & idem Landulphus Lib. 2. Cap. 16. refert *Cantilenam*, hoc eſt, Rhythmum, *ſuper ſtatum Regis Alberti*, in quo deſcribendo non ſemel peccavit antiquus Librarius. Vix dubito, quin ejuſmodi Rhythmus confectus fuerit, quo tempore ex Regno Italiæ excidit Adelbertus Berengarii II. filius Italiæ Rex, ideſt circiter Annum DCCCCLXII. Hos ibi animadverte Verſus, in ejus contemtum more veterum Romanorum Mediolani cantitatos:

Te, Alberte, decet nemus,
Et Ottonem manet decus.
Pro infamia Walperti
Te decet alga Regni.
Pro Regina nunc Latina
Utere jam nunc marina.
Pro Regali ſceptro noſtro
Fruere jam navis roſtro &c.

Landulpho ſynchronus fuit Benzo Pſeudo-Epiſcopus Albenſis, qui præcipue hiſce Rhythmis delectatus eſt in lutulento Panegyrico Henrici IV. Germaniæ Regis, Tomo primo Scriptorum Rer. Germanicar. Menkenii. Et ſane eodem Sæculo XI. ita homines capiebantur harmoniâ ejuſmodi Verſuum conſonantium, ut pauci numerarentur Muſis addicti, qui Carmina ſua hocce, ut putabant, ornamento deſtituta vellent. Cujus conſuetudinis teſtem luculentum dabo Othlonum Monachum Sant-Emmeramenſem, cujus Opera evulgavit ſupra laudatus P. Pezius Part. II. Tomi III. Theſaur. Anecdotor. Noviſſim. Florebat Monachus iſte Anno Chriſti ML. & poſt ſe Carmina complura reliquit, in quibus plurimos Verſus conſonantes invenias. Is autem in Carmine *de Doctrina Spirituali* in hæc verba loquitur:

Porro quod interdum ſubjungo CONSONA *VERBA*,
Quæ NVNC MVLTORVM *nimius deſiderat VSVS*,
Hoc quoque verborum plus ordine convenienti,
Inſuper ANTIQVA *de* CONSVETVDINE *feci*.

Ut vides, *Conſona Verba* apud veteres appellabantur, quæ nunc nobis *Rime* dicuntur: at-
A que ejuſmodi Poëſeos currente Sæculo XI. *antiqua* erat *Conſuetudo*. Quare nil mirum, ſi ſubſequenti Sæculo XII. familiare in Italia quoque idem ſtudium fuerit Muſarum cultoribus. Vide Donizonem, qui Anno MCXV. Poëma contexuit *de Vita Comitiſſæ Mathildis*. Animadverte, quibus Verſibus Guilielmus Apulus Librum Quinctum *de Normannis* concludat. Vide etiam Anonymum, qui circiter Annum MCXXVII. Poëma ſtruxit *de Excidio Urbis Comenſis*: uti & Radulphum Cadomenſem, cui *Geſta Tancredi Principis* debemus, circiter eadem tempora metro ac proſâ conſcripta. Denique Godefridi Viterbienſis *Pantheon*, & Gaufredi Malaterræ *Hiſtoriam Siculam*; quæ om-
B nia complectitur Collectio mea Rerum Italicarum, præcipue Tomo V. Legas quoque velim Rhythmos quoſdam, a venerabili Petro Cluniacenſi Abbate circiter Annum Chriſti MCXXX. compoſitos, in quibus eumdem vocum concentum invenias. Præterea innumera alia cum Metra, tum Rhythmos, eodem artificio elaborata, mihique e monumentis Sæculi IX. X. & ſubſequentium collecta, ne nimius ſim.

Nihil tamen diſſimulandum. Pleraque ex his Carminibus, Rhythmicis aut Metricis, eo tantùm artificio conſtant, ut unica ſyllaba in medio Verſu adhibita ſonum reddat ſimilem ſyllabæ claudenti, aut par tantùm ſyllaba duorum Verſuum finem occupet. Quum verò, ut
C ſupra innui, ſingulari fortaſſis appellatione *Leonini* Verſus ii dicerentur, in quibus geminæ ſyllabæ longæ, aut tres, ſi penultima brevis foret, ſono æquali ſibi reſponderent in medio & fine Verſus, aut in fine duorum Verſuum: dubitatio adhuc ſupereſſe poteſt, ſit-ne hujus artificii inventio aut perfectio tribuenda Leoni Pariſienſi Poëtæ, qui circiter Annum MCXC. floruit. Verùm quonam juſto titulo in Leonem hunc transferenda ſit ejuſmodi gloria, non video, quando tot alii mihi occurrunt, qui ante eum Metra aut Rhythmos pari condidere artificio. Nam quod eſt ad ſingulares Verſus conſonis vocibus contextos, in iis pangendis Leonem plurimi præceſſere. Et primo
D quidem Italia ipſa nobis continuo exhibet Magiſtrum Moyſen Bergomenſem, Auctorem Carminis *de Laudibus Bergomi*, a me editi Tomo V. Rer. Italicarum. Scribebat ille circiter Annum Chriſti MCXX. atque is ſane in fine Verſuum conſectatus eſt duarum ſyllabarum perennem concentum. Ita ſuum exorditur Poëma:

Alme Deus Rector, qui Mundi frena gubernas,
Nec ſinis abſque modo ſedes fluitare ſupernas &c.

Eodem pede procedunt reliqui Verſus. Sed & antiquiores ſunt, quos in honorem Sancti Lulli Epiſcopi Moguntini Wilielmus Malmes-
E burienſis Lib. primo de Geſt. Reg. Angl circiter Annum MCXXVII. ſcribebat ſe a pueritia audiſſe; videlicet:


Antiſtes Lullus, quo non eſt ſanctior ullus:
Pollens divinâ, tribuente Deo, medicinâ,
Occurrit morbis, ut totus prædicat Orbis.

Vetuſtiſſimus quoque Verſus eſt, quo uſi ſunt non pauci e Germanicis Imperatoribus in ſuis Sigillis. Exemplum dabo petitum ex autographo Diplomate, quod in ſuo Tabulario adſervat Capitulum Canonicorum Lucenſium.

Di-

Diploma Conradi I. Auguſti, quo privilegia confirmat Canonicis Lucenſibus, Anno 1038.

In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Chuonradus *divina favente clementia* Romanorum Imperator Auguſtus. *Quia decet Imperialis magnificentia loca ſancta ditare atque venerari, & omnibus Chriſtianis de animabus ſuis curam atque ſollicitudinem gerere: ideo dignum duximus modò in preſenti Sanctiſſimi Martini Epiſcopi locum Lucæ ſitum in aliquo locupletare, ut & ipſis, pro quibus donatum eſt, ad refrigerium, & nobis ad remedium proficiat ſempiternum. Quapropter conſi-* A *derantes nos hoc, & in animo volventes, prece & admonitione dilectæ* Conjugis noſtræ, *ſimulque Conſortis noſtri Regni* Gislæ, *confirmamus predicto ſancto* Loco, *ſicuti olim* Ugo, Lotharius, *atque* Primus Otto, & Secundus, *ac* Tertius, *nec non* Heinricus, *Preceſſores noſtri Reges & Imperatores pro remedio animarum* Adelberti Marchionis & Bertæ Comitiſſæ, *nec non & ſuarum, dederunt Beato Martino Pontifici, Eccleſiæque ſuæ ſitæ Lucæ, ſuiſque fidelibus &c.*

Signum Domni Chuonradi Sereniſſimi  *Imperatoris Auguſti*.

Kadelohus Cancellarius vice Herimanni Archiepiſcopi & Archicancellarii recognovit.

Datum VII. Kalendas Martii, Anno Dominicæ Incarnationis MXXXVIII. Indictione VI. Anno Domni Chuonradi Regni XIV. Imperii XIII.

Actum ad Viam Venariam in Comitatu Lucenſi, feliciter. Amen.

Non in medio, ſed in extremo latere membranæ pendet Bulla plumbea, in cujus antica parte viſuntur imagines duorum virorum, altera quarum manu tenet pomum, altera ſceptrum, & inter illas leguntur hæ literæ H E N R I C V S REX

In circuitu verò CONRADVS DI GRA IMPR AVGVSTVS. In poſtica effigies Romæ ſculpta viſitur cum hoc Verſu:

ROMA CAPVT MVNDI
REGIT ORBIS FRENA ROTVNDI.

Sed & Robertus Abbas Sancti Remigii, qui Hiſtoriam Hieroſolymitanam circiter Annum MCX. literis conſignavit, editam Tomo pri- B mo Geſtor. Dei per Franc. ſimilibus Verſibus proſam ſuam interſperſit, quorum pars in margine, pars in ipſo textu legitur. Nonnullos profero:

Nec leviter tactus Raynaldus, apoſtata factus,
Abjurando Deum, ſe probat eſſe reum.
Quid faceret Turcus, Populuſq; per omnia ſpurcus?
Ni ſua terga daret, quo venerat & remearet.

Ita & Gaufredus Malaterra, qui circiter Annum MXCIX. Hiſtoriam Siculam ſcripſit, editam Tomo V. Rer. Italicar. pares Verſus nobis exhibet Lib. 3. Cap 23. Hos paucos audi:

C *Nec nimis hoc culpo, quamvis hic talia ſculpo.*
Nec prohibens vito; cum fiat juncta marito,
Diligat & juſte fœdus ſervando venuſte.
Nam quos Lex jungit, ſententia nulla repungit &c

Sed & tumulo Beatricis Duciſſæ Tuſciæ Anno MLXXVI. vitâ functæ Piſis poſitum fuit hoc Epitaphium:

QVAMVIS PECCATRIX SVM DONNA VOCATA BEATRIX
IN TVMVLO MISSA JACEO QVÆ COMITISSA.

Ita Carmen in Ivonem Dionyſianum Abbatem, Anno MXCIV. interfectum edidit Clariſſimus Mabillonius, in quo prior Verſuum pars ſubſequenti reſpondet. Paucos tantùm ſeligo:

D *Qui nondum norat, ſub quale caribde laborat;*
Occultans illa fiat damnata favilla:
Et ceu ſcintillæ ſtipularum corruat ille &c.

Pariter in ejus Epitaphio legitur:

IVO GRAVIS SORTE, CRVDELITER OBRVTE MORTE,
QVEM TEGIT HÆC PETRA, FELIX HABEARIS IN ÆTHRA &c.

Ad

A Ad hæc in Diſſertatione XXXVII. *de Hoſpital.* evulgavi fundationem Brephotrophii factam Mediolani a Datheo Archipresbytero Anno Chriſti DCCLXXXVII. Duo Verſus in illius Ædis pavimento inſcripti leguntur :

SANCTE MEMENTO DEVS, QVIA CONDIDIT ISTE DATHEVS
HANC AVLAM MISERIS AVXILIO PVERIS.

Præſtare non poſſum, Anno eodem DCCLXXXVII. hoſce Verſiculos fuiſſe illic ſcriptos: attamen verba illa *iſte Datheus* viventem illum indicare videntur. Quod ubi ſtatuas, jam tenes, quantam antiquitatem præferant Verſus, quos nunc *Leoninos* appellamus. Ita antiquiſſimi erunt, ſed temporis notâ carentes, Verſus in Muſivo ſcripti, quos Panvinius legebat in Clauſtro Monaſterii Lateranenſis exeſos jam atque cadentes :

CANONICAM FORMAM SVMENTES, DICITE NORMAM,
QVAM PROMISISTIS, HOC CLAVSTRVM QVANDO PETISTIS.

Reliqua eodem concentu continuantur.

Pluribus congerendis tempero. Ad alteram verſificandi rationem quod attinet, videlicet ſtatuendi conſona verba in fine geminorum Verſuum, neque heic deſiderantur exempla longe ante Leonis Pariſienſis ætatem. Profectò circiter Annum MLV. hoc eſt, centum annis & ultra, priuſquam Leo ille nomen ſuum Parnaſſo daret, Verſus in Italia conficiebat celebratiſſimus vir Sanctus Petrus Damiani, poſtea Oſtienſis Epiſcopus. Atque ex eo habemus multa Carmina, Hymnos, & Rhythmos varii metri, eaque fere cuncta conſonis vocibus contexta. Sed potiſſimùm conſiderandus nobis eſt ejus *Rhythmus ſuper Salutatione Angelica*, num. 63. in quo perfecti Leonini Verſus occurrunt.

B *Ave David filia, Sancta Mundo nata,*
Virgo prudens, ſobria, Joſeph deſponſata,
Ad ſalutem omnium in exemplum data,
Supernorum civium conſors jam probata.
Maria, miſeria per te terminatur,
Et miſericordia per te revocatur &c.

Audi & ejus Carmen 64. ad eamdem Sanctiſſimam Virginem :

O miſeratrix = o dominatrix = præcipe dictu,
Ne devaſtemur = ne lapidemur = grãdinis ictu &c.

C Hæc videant, qui contendunt, Majores noſtros a Provincialibus didiciſſe uſum conſonantium vocum. Mabillonius quoque in Annalib. Benedictinis, Epitaphium prodidit, adhuc marmore inſculptum Alberti Abbatis Miciacenſis, qui Anno MXXXVI. naturæ debitum ſolvit, non abſimili vocum collocatione diſtinctum :

HIC JACET ALBERTVS, QVONDAM REGALIA SPERNENS,
PRVDENS ATQVE PIVS, TANTVM COELESTIA CERNENS,
MVNDI DIVITIAS CVM REGALI DITIONE
GEMETICA PRIMAS SPREVIT PRO RELLIGIONE &c.

Florebat Anno MXCV. Baldricus Andecavenſis Abbas, cujus Carmina edidit Du Cheſnius Tom. 4. Scriptor. Franc. In his quædam concentum vocum in fine Verſuum exhibent. Primi Epigrammatis bini Verſus ſunt hi :

In rotulo multi cum ſollicitudine quadam
Dicendi ſeriem ſemper metantur ab Adam &c.

Ita in Carminibus de morte Mathildis Abbatiſſæ Condomenſis Anno MXII. compoſitis, & a ſupra laudato Mabillonio Tomo quinto Annal. Benedictinor. evulgatis, idem concentus occurrit :

Si lacrymæ cuiquam cœleſtia regna pararent,
Defunctũ quemquã ſi carmina noſtra juvarent &c.

D Floruit eodem Sæculo Chriſti Undecimo Gualdo Corbejenſis Monachus, qui Vitam Sancti Anſcharii Epiſcopi Hammaburgenſis metro contexuit, editam a Lambecio. Is in Præfatione luſit Verſibus eâdem finali conſonantiâ diſtinctis. En exordium :

Dulce tuis, Alberte, decus, jubar ignivaporum,
Eccleſiæ turris, Regni diadema decorum,
Gloria Pontificum, Regum venerabile numen,
Quod tibi mater init Corbeïa, ſume volumen &c.

E Vide etiam Epitaphium Beati Lanfranci Archiepiſcopi Cantuarienſis celeberrimi, a Sancto Anſelmo itidem Archiepiſcopo circiter Annum MLXXXIX. compoſitum. En primos Verſus :

ARCHIEPISCOPI NON DIVITIAS NEC HONORES
LANFRANCVS SVBIIT, SED CVRAS ATQVE LABORES.
NATVS IN ITALIA, PAPIENSI DE REGIONE,
CIVIBVS EGREGIIS, ET HONESTA CONDITIONE &c.

Rhythmos quoque Petri Abbatis Cluniacenſis nuper memoratos vide. Inter ceteros unum commemoro *de Reſurrectione Domini*, in quo hi Verſus :

Lumen clarum = tenebrarũ = ſedibus reſplenduit,
Dum ſalvare = recreare = quod creavit voluit:
Hinc Creator, = ne peccator = moreretur, moritur.
Cujus morte = nova ſorte = vita nobis oritur &c.

Eſt

Eſt ibi & alius Rhythmus ſimilis *in honorem Matris Domini*, ſub nomine *Proſæ* editus. Hæc autem circiter Annum Chriſti MCXXX. ſcripta fuere. Ita Johannes Severanus in Libro *Memorie Sacre di Roma* pag. 314. Inſcriptionem refert Anno MCXXVIII. poſitam Johanni de Crema Cardinali in Sanctì Chryſogoni, cujus ecce verba:

O BONE SALVATOR
NOSTRÆ SALVTIS AMATOR,
FILI CHRISTE DEI
PARCE REDEMPTOR EI.

Et apud Caniſium Antiquar. Lection. Tom. 3. Part. 2. noviſs. editionis, Carmina leguntur Metelli Tegerſeenſis Monachi, qui Anno ſaltem MCLX. floruit, hoc eſt, ante Leonem, ſive Leonium Gallum. Ibi Rhythmici Verſus complures. Paucos audi:

Laudabunt alii clarum genus: at mihi lene
Chriſti jugum dat verba Camœnæ.
Sydereæ patriæ cives abolere ſtudebat,
Per quos pacem rebus habebat.
Vivebat ſcintilla tamen, frigente favilla,
Tamdem mota procul micat illa &c.

Sed longe ante hæc tempora compoſiti videntur non abſimiles duo Verſus, qui Capuæ adhuc leguntur:

HOC PIVS ANTISTES, CLERI LVX, OTTO PARAVIT,
ECCLESIÆQVE PATER, RES, MORES AMPLIFICAVIT.

Si referenda Inſcriptio eſt ad Ottonem Capuanum Epiſcopum, quem ſub finem Sæculi Noni floruiſſe Ughellius opinatur, iterum confirmatam vides hujuſmodi Verſuum antiquitatem. Ita Mabillonio teſte in Annalib. Benedictin. ad Annum DCCVII. in theca argento contecta ubi collocatæ videntur Anno Chriſti DCCCCXLVI. Reliquiæ Sancti Hidulfi Epiſcopi, hi Verſus legebantur:

QVORVM MVNERE SVM TALI VESTITVS HONORE,
DIGNI REDDANTVR DIVINO SEMPER AMORE.

Ita in fine Chronici Centulenſis apud Dacherium in Spicilegio Hariulfus ejus Hiſtoriæ Auctor Anno MLXXXVIII. Carmen ſubjunxit, cujus en primos tantummodo Verſus:

Toto corde meo te, Centula mater, amavi,
Traditus a puero, mea ſub te colla ligavi &c.

Reliqui eodem vocum contextu procedunt. Conſule etiam, ſi lubet, Wilielmum Malmeſburienſem, qui Carmen profert in Æthelſtani Regis honorem conditum, longe antea quàm Leo Pariſienſis naſceretur. Illius ſpecimen habeto:

Regia progenies produxit nobile ſtemma,
Cum tenebris noſtris illuxit ſplendida gemma &c.

Vide etiam Radevicum Lib. 2. Cap. 11. de Geſt. Friderici I. uti & Henrici Huntindonienſis Hiſtor. Librum quintum, & Scholam Salernitanam, & Godefridum Viterbienſem, & Carmen a me evulgatum in Chronico Caſaurienſi Part. II. Tomi II. Rer. Italicar. pag. 785. uti & Præfationem Cl. Viri P. Pezii in Theſaur Anecdotorum. Sed in primis recole, quæ antea protuli e vetuſtiſſimo Antiphonario Benchorenſi: nihil enim ibi deſideratur ad Leoninæ cantilenæ metrum abſolutum. Antiquitatem inſuper artificii hujus longe majorem, quàm vulgo credatur, confirmabit Hymnus Hartmanni Monachi San-Gallenſis, Tomo 27. Bibliothec. Patrum, pag. 517. Jam prædixi floruiſſe illum Anno DCCCLXX.

Tribus ſignis,
Deo dignis,
Dies iſta colitur.
Tria ſigna,
Laude digna,
Cœtus hic perſequitur.
Stella Magos
Duxit vagos
Ad præſepe Domini &c.

Eumdem concentum vocum ceteræ Strophæ reddunt. Alia monumenta veterum ejuſdem generis prætereo, dicturus tamdem, me vix aſſequi poſſe, cur Leo Pariſienſis Poëta, qui circiter Annum Chriſti MCXC. floruiſſe dicitur, *Leoninos* Verſus excogitaſſe credatur, quando tot longe antiquiores habemus, qui Rhythmos & Metra condidere eodem ipſo conſonarum vocum artificio ac tinnitu. Certe a ſententia Papebrochii diſcedendum, qui ad diem XIX. Maji in Vita Sanctæ Pudentianæ & Praxedis Verſus Rhythmicos in Eccleſia Sanctæ Pudentianæ rejicit ad tempora Innocentii II. Papæ circiter Annum MCXXX. hanc rationem ſubjiciens: *Nam Leoninorum Verſuum initium nemo Eruditus fecerit Sæculo XII. antiquius.* Alia erit in poſterum, ut opinor, Eruditorum opinio.

Atque hæc de Rhythmica veterum Poëſi. Nunc ad originem Poëſeos Italicæ vulgaris me converto. Nullus dubitandi locus eſt, quin Poëſis a vulgarium Linguarum Poëtis adhibita, nativitatem ſuam debeat antiquorum Rhythmicæ. Neque enim vulgares Linguæ, Italica videlicet, Gallica, Hiſpanica &c. in contexendis verſibus ſpectant ullam ſyllabarum quantitatem, ſive proſodiam: quod ab antiquis Græcis & Latinis factum eſt. Et quamvis Italica Lingua duo verborum genera præferat, brevia nempe & longa: attamen hæc vocum quantitas in penultimis tantùm ſyllabis ſiſtit, ſi verba ſint triſyllaba aut tetraſyllaba &c. ac præterea nulla harum brevium aut longarum ratio habetur, niſi quantùm exigat vocum collocatio ad uberiorem aurium voluptatem in Verſu audiendo. Recentiorum ergo Carmina nihil aliud ſunt quàm *Rhythmi*: & quemadmodum plurimi ex antiquis Rhythmis numerum tantummodo pedum ſeu ſyllabarum, non verò temporis obſervationem quærebant; ſatque artifici in iis conficiendis erat, demulcere auditorum aures quodam concentu, erumpente ex una diſpoſitione ac paritate pedum in ſingulis Verſibus: idem quoque a vulgarium Linguarum Poëtis factum fuit. Quare quum primum

mum Itali, Galli &c. condere Verſus cœperunt, propriâ vulgari Linguâ utentes, hoſce appellarunt *Rhythmos*, quæ vox apud Italos, Gallos, Anglos, alioſque Populos, levi mutatione factâ, appellata fuit, & adhuc appellatur *Rima*. Non me fugit, per vocem hanc *Rima* non a recentioribus tantùm, ſed & a quibuſdam antiquis Italicæ Linguæ Scriptoribus ſignificari ὁμοιοτέλευτον, ſeu *Similiter cadens*, quo potiſſimum ſuos Verſus vulgares quoque Poëtæ ornare conſueverunt. Verùm ex inſtitutione ſua *Rhythmus*, ſeu *Rima*, cœptus eſt nominari integer Verſus vulgaris, ſeu Carmen, atque Poëma, ad imitationem Rhythmorum Latinorum lucubratum, de quibus hactenus egimus. Hac de cauſſa Petrarcha cecinit:

Voi, ch' aſcoltate in Rime ſparſe il ſuono.

Nam, ut ſupra ex Othlono vidimus, *Similiter cadens* olim appellabatur *conſonum verbum*, ſeu *conſonantia vocum*, ut Antonius de Tempo teſtatur. Scriptoris hujus Librum adhuc luce carentem, & in Bibliotheca Eſtenſi, ac Ambroſiana adſervatum, ego jamdudum memoravi Lib. primo, Cap. 3. de Perfect. Poëſi Italic. cujus hic titulus: *Summa Artis Rhythmici vulgaris dictaminis, compoſita ab Antonio de Tempo, Judice, Cive Paduano, ad Illuſtrem Principem Albertum de la Scala Anno Domini MCCCXXXII.* Ac proinde is Carmina Petrarchæ ſuâ lucubratione præceſſit. Is ergo *Rhythmorum vulgarium ſeptem genera enùmerat, Sonetum, Ballatam, Cantionem extenſam* &c. Ex quo vides Carminibus ipſis nomen *Rhythmi* inditum fuiſſe. Rurſus ille ſcribit in Rubr. I. *Rhythmus vulgaris eſt genus quoddam dictaminis* &c. *Literalis Rhythmus* (ideſt Latinus) *ſecundùm Grammaticos eſt conſonans paritas ſyllabarum, certo numero comprehenſarum. Et eadem diſpoſitio cadit in quolibet vulgari Rhythmo, præcipue in Motu confecto* &c. Infra ſubdit: *Quilibet Rhythmus habeat ſaltem unam Conſonantiam cum dictione, quæ habeat diverſum ſignificatum* &c. Sunt ibi tamen & alia loca, in quibus *Rhythmi* vox idem ſignificare videtur, ac nobis *Rima*. Sed quandonam, & apud quos nata Italica Poëſis? Omnium Eruditorum calculo jam firmatum eſt, primos in Italia Siculos vulgarem Linguam, Italicam nimirum, uſurpaſſe ad condendos Verſus. Quæ omnium vetuſtiſſima Poëmata Italicæ Linguæ ſuperſunt, Siculis Poëtis tribuuntur. Inſuper Petrarcha in Triumph. Amor. Cap. 4. Italicos Poëtas recenſens, commemorat *i Siciliani*,

Che fur già primi, e quivi eran da ſezzo.

Unde verò Siculi hauſerint Verſuum ac Poëmatum vulgarium formam, uſumque conſonantium vocum, antea diſputatum eſt inter Italicos eruditos. Johannes Marius Creſcimbenius, cui ſupra ceteros lucem ſuam debet Hiſtoria Italicæ Poëſeos, in Comment. Tom. prim. Cap. 2. veluti rem *evidentiſſimam* ſtatuit, Siculos a Provincialibus Poëtis, quorum Vitas Noſtradamus ſcriptas reliquit, utpote qui antea floruere, univerſam Poëſeos œconomiam fuiſſe mutuatos. Et revera Provincialium Carmina fere omnia complectitur pretioſus Eſtenſis Bibliothecæ Codex manu exaratus Anno MCCLIV. eoſque novimus ſcripſiſſe Verſus ab Anno MCX. uſque ad eumdem Annum, quum contra Italicorum Poëtarum veſtigium vix poſt Annum Chriſti MCC. nunc inveniamus, atque eorum præterea pauculi Verſus, incomti omnino ac rudes, naſcentis Poëſeos infantiam prodant. Clariſſimus autem Fontaninius in Lib. primo de Eloquent. Italic. Cap. 7. & ſequent. oſtendit Brunetti Latini auctoritate fretus, vulgarem Provincialium ſeu Francorum Linguam Anno MCCLX. fuiſſe *la più dilettevole e la più comune, che tutti gli altri Linguaggi*: ac propterea illius ſententia eſt, non ſolùm ex ea Lingua Italos derivaſſe artem Rhythmorum vulgarium, ſed etiam *che la Lingua Provenzale in realtà fu Madre in gran parte dell'Italiana dopo il Secolo Undecimo*. Equidem ſuſpicor, Fontaninium neminem tam enormi ſententiæ conſentientem habiturum, quamquam & Varchius cenſuerit, Provincialium Linguam *matrem magna ex parte fuiſſe* Italicæ poſt Annum MCC. Neque enim tam ſerò emerſit, ſtatumque accepit Italica Lingua: immo hæc a Provincialibus nonniſi pauca vocabula accepit, uti jam palam factum eſt ſupra in Diſſertatione XXXII. *de Origine Linguæ Italicæ*. Et quamquam multas voces ex Francorum aut Provincialium Linguâ in Italicam migraſſe daremus: non propterea jura Matris illi tribuenda forent. Huetius ipſe, vir ſpectatiſſimæ eruditionis, licèt Gallus, in Lib. de Origin. Fabular. Romanenſ. noſtros ridet, quod nimiâ liberalitate multas Linguæ noſtræ voces Provincialibus veluti acceptas referant, quas tamen cum illi tum nos Latio debemus. Exempla & ego attuli in Notis ad Carmina Italica Petrarchæ. Denique eos etiam improbavit Dantes Aligerius in Convivio, qui Provincialium Linguam Italicæ præferebant. Ceterum quod eſt ad Italicorum Poëſim, non abs re Marius Equicola, Petrus Bembus, Speronius, Sanſovinus, atque, ut alios omittam, prælaudati Creſcimbenius & Fontaninius arbitrati ſunt, originem illius a Provincialium imitatione eſſe omnino arceſſendam. Liceat tamen & mihi addere: id quidem veri ſimile, minime verò certum eſſe. Jam produxi Lib. primo, Cap. 3. *della Perfetta Poeſia*, verba Petrarchæ, quæ rurſus heic conſideranda veniunt. In Præfatione ad Epiſtolas ſuas Familiares de Libris a ſe compoſitis ille agens, Rhythmos etiam vulgari Lingua a ſe lucubratos hiſce verbis deſcribit: *Pars mulcendis vulgi auribus intenta, ſuis & ipſa legibus utebatur. Quod genus apud Siculos (ut fama eſt) non multis ante Sæculis renatum, brevì per omnem Italiam ac longius manavit: apud Græcorum olim ac Latinorum vetuſtiſſimos celebratum; ſiquidem & Romanos vulgares Rhythmico tantum Carmine uti ſolitos accepimus*. Hæc Petrarcha circiter Annum Chriſti MCCCLX. ſcribebat: quæ Ludovico Caſtelvetro Mutinenſi in Additament. ad Lib. primum Prof. Bembi jamdiu animadverſa, perſuaſerunt, immeritò obtrudi Provinciales Poëtas, tamquam parentes aut Magiſtros Italicæ Poëſeos. Et ea quidem ſibi oppoſuit Creſcimbenius; ſed quamvis multa commentatus fuerit, nemini hactenus videatur debilitata, nedum confoſſa Caſtelvetri ſententia. Nam quod nulla Siculorum Carmina vulgaria habeamus, ante Annum MCC. ſcripta, nequaquam inferendum eſt, nulla reapſe compoſita ante Annum illum fuiſſe. Quot enim & quanta nobis eripuerit tempus, is tantùm ignorat, qui hoſpes in eruditione prorſus eſt: ut omittam, plura

plura condi potuiſſe, quæ literis minime fuerint conſignata.

Perſpectiſſimum verò Petrarcha habuit, utpote per annos complures in Provincia verſatus, quot Poëtas ea regio tulerat, quoque tempore ii floruere. Nihilo tamen ſecius, non ab iis Siculos didiciſſe artem Rhythmorum ſcribit, ſed potius a Latinis & Græcis, apud quorum vulgus in uſu olim fuiſſe Rhythmos, ipſe Petrarcha acceperat. Cur nos affirmemus, quod is longe propior Provincialium Poëtis, & inter patres Italicæ Poëſeos numeratus, ignoravit? Ac præcipue quum Leonardus Arretinus in Vita Dantis ſcripſerit ex ipſius Dantis verbo: *Rhythmorum Vulgarium Italicorum artem circiter Annos centum quinquaginta ante eumdem Aligerium originem habuiſſe*. Epocha iſta in eos ipſos Annos convenit, quibus & Provincialium Poëtarum primi floruere. Quid? quod & idem Creſcimbenius Part. 2. Libri 2. Commentar. auctor eſt, Tuſciæ non defuiſſe vulgares Poëtas Anno etiam MCC. Quum verò Etruſcis, Petrarchâ teſte, præverint Siculi, reliquum eſt, ut quo tempore Provincialium Poëſis vigebat, Siculorum quoque Poëſis uſitata apud vulgares fuerit: ac proinde veritate niti, quod Petrarcha ait, videlicet Rhythmorum artem *apud Siculos non multis ante Sæculis* (duobus ſaltem) *renatam fuiſſe*. Neque injuriâ ſubdit ille, Siculos e Græcis atque Latinis id genus Poëſeos didiciſſe, quum antea conſpexerimus, familiares fuiſſe cum Græcis tum Latinis Rhythmos, ac præterea vocum conſonarum uſum, quas nunc *Rime* nuncupamus, ſerâ antiquitate commendari. Apud ipſos Siculos, Sæculo Duodecimo decurrente, ejuſmodi Verſus a Latinis Poëtis excultos, paucis oſtendam. Rogerio I. inclyto Siciliæ & Calabriæ Comiti, qui Anno MCI. naturæ debitum ſolvit, tumulus hac epigraphe ornatus Mileti poſitus fuit, Roccho Pirro teſte in Chronolog. Reg. Siciliæ:

LINQVENS TERRENAS, MIGRAVIT DVX AD AMOENAS
ROGERIVS SEDES, NAM COELI DETINET ÆDES.

Par eſt Epitaphium Raynaldi Comitis Anno MCXXVI. rebus humanis exemti, apud eumdem Pirrum in Notitia Catanenſ. Eccleſiæ. Ita Guilielmi I. Regis ſepulcro, Anno MCLXX. Inſcriptio hæc inciſa eſt:

HIC TVA ROGERI DVX QVONDAM TEMPORE PATRIS
OSSA TENET TVMVLVS, TVMVLO CONTERMINA MATRIS,
VNDECIES CENTVM DECIES SEX, BIS MAGIS ANNO,
MIGRANS POST CHRISTVM NATVM SVB HERODE TYRANNO &c.

Reliqui Verſus eodem Rhythmo procedunt. Similis eſt Inſcriptio Anno MCLXXXIII. poſita Margaritæ Reginæ:

HIC REGINA JACES REGALIBVS EDITA CVNIS,
MARGARITA, TIBI NOMEN QVOD MORIBVS VNIS &c.

Nihil ergo opus fuit Siculis Provincialium diſciplinæ ſeſe tradere, ut artem contexendi Verſus ὁμοιοτελεύτως edocerentur.

Atque heic addendum eſt, non Latinos tantùm, & Græcos Rhythmici Carminis exempla Siculis præbuiſſe, ut Petrarcha erudite animadvertit; ſed alios quoque Populos in hac arte eiſdem & reliquis Italis facem miniſtrare potuiſſe. Nam ultra duo Sæcula ſub Saracenorum Arabum jugo Sicilia gemuit ad Annum uſque MLX. quo Meſſana eis erepta eſt. Anno autem MXCI. integra Inſula in Principum Normannorum ditionem venit. Atqui certum eſt, Arabes quoque delectatos Rhythmicis Verſibus, quos in morem noſtrorum conſonantibus verbis terminabant. Sunt apud eos antiquiſſima Carmina, quæ adhuc fidem rei faciunt. Idque vel ipſius Maumetis temporibus familiare fuit: nam teſtante Marraccio in Prodromo, ubi de Alcorano agit Cap. 2. impii illius Libri Signa, ſive Verſiculi, *in Rhythmum deſinunt, qui ut plurimum conſonans eſt, vocali affectâ, cum unâ ex tribus quieſcentibus præcedente, ut Una, Ina, Ano* &c. Uſque adeo id certum eſt, ut eruditiſſimi Huetii in Libr. de Origin. Fabular. Romanenſ. ſententia fuerit, *nos ab Arabum Populo accepiſſe Artem Rhythmandi*, hoc eſt, conſonantium verborum uſum in Verſibus, ex quo videlicet nefanda gens meliorem Hiſpaniæ partem jugo ſuo premere cœpit: quod ineunte Sæculo Octavo contigit. Eadem quoque Sæculo Nono ſedem fixit in Sicilia atque Calabria. Innumera dixi adhuc exſiſtere Arabicæ gentis Carmina: idque etiam Derbelotius nos docuit. Immo Spanhemius auctor eſt, Poëtis illis non inventione tantùm, ſed & numero Poëmatum ac Verſuum copiâ ab eis ſcriptorum, quemlibet alium Populum longe concedere. Et profectò mihi perquam veri ſimile videtur, nos poſſe non temere Arabum Populo acceptam referre Artem Rhythmicam, ſive uſum conſonantium vocum in fine Verſuum, quando Eruditi teſtantur, antiquiſſimum eſſe apud eam gentem Rhythmandi morem, quem adhuc retinent, & celebre fuit olim eorum nomen e Literarum ſtudiis, multumque commercii eis erat cum Europæis, ac præcipue Italis. Fortaſſis & ab eis accepimus varias Verſuum formas, quas deſcribit Agapitus a Valle Flemmarum Ordin. Minor. in Libello de Arte Metrica Arabum. Præter alios ejus gentis Libros in hanc rem celebris eſt Tractatus *Bader Aladini Damamiani Principis Poëtarum* apud Arabes, qui accurate de uſu *Rhythmorum* ſcripſit. Antiquis verò Sæculis poſt abactum ex Italia Græcorum Imperium, Arabum doctrina tanto Italis in honore fuit, ut ii præcipue Literarum magiſtri cenſerentur: quod & commemorandum mihi erit infra in Diſſertatione XLIV. *de Literarum fortuna*. Addo, non levem nobis ſuſpicandi cauſſam præberi, Arabes a vetuſtiſſimo Populo Judaico Rhythmorum artem & uſum edoctos fuiſſe. Supra vidimus dicterium Mulierum Hebræarum in Saul cauſſâ victoriæ a David relatæ. Ibi conſonantia vocum. Hac de re diſputatio proxime præteritis annis viguit inter doctiſſimum virum Blaſium Garofolum, ac alios Eruditos. Quod

novi

novi, Auguſtinus Eugubinus, Meibomius, Ludovicus Capellus, Clericus, Huetius, & alii ſenſere, Judæos ab antiquiſſimis Sæculis concentum hunc verborum uſurpaſſe in ſuis Carminibus, Hymnis, & Canticis. Quid? quod Fourmontius V. Cl. Pariſiis Anno MDCCXIV. Diſſertationem edidit, in eadem Urbe typis impreſſam Tom. 6. *Memoires de Literature de l'Academ. des Inſcriptions*. Ibi pag. 160. multâ eruditione oſtendit, in Poëticis Libris veteris Teſtamenti ejuſmodi concentum in fine Verſuum occurrere. Exemplis parco.

Quæ ubi ſtatuamus, jam patet, conſonantium vocum uſum in Verſibus, ſupra quàm vulgo credatur, longe antiquiſſimum eſſe, utpote qui a Judæis in Syros, & Arabes fluxiſſe videtur. Deinde ex Arabum gente veri videtur ſimile ipſos Occidentis Populos artem hanc didiciſſe, niſi eamdem a Populis Septentrionalibus antea didicerint. Nam & ad illos in hiſce inveſtigandis oculos convertamus oportet. Certe poſt Arabes imperium Siciliæ arripuere Comites, Duces, ac Reges Normanni: gens nempe e gelido Septentrione olim in Galliam, ac demum in magnam Britanniam, Apuliam, atque Siciliam effuſa, dominatione iis in locis fortiſſime conſtabilitâ. Ad Annum uſque MCXCIV. Normannorum Regum potentia ac ſedes apud Siculos perduravit. Ab hoc autem Populo ediſcere etiam licuit Siculis, quando conſentire nolimus, ab Arabica gente eos accepiſſe vulgarium Carminum artem. Rhythmorum profectò vulgari Linguâ conditorum apud gentes Septentrionales antiquior eſt uſus, quàm Provincialium & Italorum. Oſtendunt Germani Evangelia *Rhythmis Theotiſcis* e Latino reddita per Otfridum Monachum circiter Annum DCCCLXXX. quæ cantica brevibus Verſiculis in voces conſonantes deſinentibus conſtant. Alia quoque ejuſdem generis Poëmata ille procudit, quæ adhuc MSta ſervantur in antiquiſſimis Codicibus Cæſareæ Vindobonenſis Bibliothecæ ac Vaticanæ, immo typis etiam æneis a Johanne Schiltero tradita proſtant. Sunt & alia apud Danos, Suecos, ceteroſque Germanos ejus generis vetuſtiſſima Carmina. Georgius itidem Hickeſius, inter Britannos ſummæ vir eruditionis, in Theſaur. Linguar. Veter. Septentrional. quamquam ſcribat, in antiquiſſimis Anglo-Saxonum Verſibus Pſeudo-Rhythmos, hoc eſt, *le Rime*, minime reperiri: attamen Cap. 24. Grammaticæ Anglo-Saxon. ſpecimina adfert Carminum, quæ ipſe *Semi-Saxonica* appellat, ubi *Similiter cadens* occurrit, quale a nobis in fine Verſuum uſurpatur. Uſſerius quoque Cap. 17. pag. 450. Antiquitat. Britann. Eccleſ. ex Vita Beati Albei hæc adfert: *Inde Sanctus Patricius, Archipontifex & patronus totius Hiberniæ, Verſum ſequentem Scoticâ Linguâ, quaſi quoddam oraculum, Legis vigorem habens, cantavit. Quem Verſum familia Sancti Albei, & familia Sancti Declani noluerunt pro ſe vel Rhythmice, ſeu Metrice in Latinum verteremus; ſed majoris auctoritatis ei conciliandæ gratiâ, illum proprio & genuino, quo pronuntiatum & compoſitum eſt a Sancto Patricio, idiomate, pro dignitate proferemus in medium. Ita Scotice canitur ille Verſus:*

Ailbe umal, Patric Muman, mó gach rath
Theclan Patric Nandeiſi, ag theclan go brath.

Ad hæc Mabillonius Tom. 3. Annal. Benedictinor. pag. 684. producit Rhythmum Teutonicâ Linguâ Anno DCCCLXXXIII confectum, in quo eumdem vocum concentum invenies. Hæc profectò, ultraquam multi ſint opinati, Rhythmorum Vulgarium antiquitatem oppidò ſeram evincunt. Franci ipſi, antequam Provincialium Poëtarum celebrata cohors emergeret, ejuſmodi Verſus elucubraſſe videntur. Bulæus in Hiſtor. Univerſ. Pariſ. refert Epitaphium Gallicis Rhythmis Frodoardo Remenſi Hiſtorico poſitum, qui Anno DCCCCLXV. finem vivendi fecit. Duos tantùm Verſus delibatos inde accipe:

VEQVIT CASTE CLERC, BON MOINE, MEILLEV ABBÉ,
ET D'AGAPIT LY ROMAIN FVT AVBÉ &c.

Idem Mabillonius in Act. Sanctor. Benedictin. Sæculo V. hos Verſus *non longe ab illis temporibus ſcriptos*, & ipſe arbitratur. Apud eos ſit fides. En ergo unde alteram normam vulgarium Rhythmorum haurire potuerint Siculi: ex Normannis videlicet Siciliæ ipſi imperantibus, aut ex aliis Germaniæ Populis, antequam Poëtæ in Provincia famam ſuis Carminibus ſibi quærerent. Francorum autem, ac Germanorum, adde & Britannorum mores & Linguam Normanni probe edocti, hunc etiam Poëſeos uſum in Siciliam invexiſſe non immeritò credantur. Quantopere verò ejuſmodi Rhythmis oblectatus fuerit circiter Annum Chriſti MC. Gaufredus Malaterra, patriâ Normannus, ſed *noviter factus Siculus*, ſupra innui.

Ad Vulgarium Italicorum Carminum formam quod attinet, ne hanc quidem neceſſe fuit, ut Siculi, ceterique Italici a Provincialibus Poëtis mutuarentur. Creſcimbenius Lib. primo Hiſtor. Vulgar. Poëſeos ſcripſerat: *Egli è chiara coſa, che l'Endecaſillabo Volgare venne in Italia dalla Provenza*. Verùm ipſe re diligentius inſpectâ, ab ejuſmodi opinione diſceſſit in Commentar. Lib. primo, Cap. quincto, ubi diſerte fatetur, ſe quoque agnoſcere, Italicorum Verſus ex imitatione Latinorum proceſſiſſe. Id verò ante illum erudite adnotarat noſter Caſtelvetrus, & Jacobus Mazzonius Lib. 2. Cap. 33. in Apolog. Comœd. Dantis. Addo ego, non e Metris tantùm, perfectiſque Latinorum Verſibus, derivari potuiſſe Italicorum formam, ſed etiam ex incomtis, rudibuſque eorum Rhythmis. Jam ſupra oſtendi, & nullo negotio luculentius oſtendere rurſus poſſem, Rhythmos Latinos fuiſſe compoſitos tetraſyllabos, pentaſyllabos &c. eoſque longe ante tempora Poëtarum Provincialium. Sed jam ſatis ſuperque Diſſertatio iſta excrevit. Quare unum perſequar, Verſum videlicet Hendecaſyllabum, quo potiſſimum Italica Poëſis delectatur, præterquamquod apud Græcos & Latinos occurrit, a Rhythmopœjis etiam ac Metricis Poëtis excultum fuiſſe, dum barbarica tempora fluerent. Inter Opera Walafridi Strabonis, cujus eſt fama celebris inter Scriptores Sæculi Noni, legitur ejuſdem pia Oratio, e qua nonnullos Verſus decerpo:

O rerum Sator omnium tremende,
Dum pœnas Crucis innocens luiſti;
In quo nil niſi repperis ruinam &c.

In his non tantùm pedes, ſed & numerum habes Hendecaſyllabi Italici: quod & contingit in Horatiano illo:

Jam ſatis terris nivis, atque diræ &c.

Et quoniam Poëſis noſtra pro Spondæo Dactylum adhibere poteſt in fine hujuſmodi Verſuum, qui tunc propterea evadunt Dodecaſyllabi, ejuſdem tamen temporis atque Hendecaſyllabi, *Sdruccioli* Italice a nobis appellati (quorum inventum neſcio, cur Varchius in Herculano tribuerit Sannazario) eorumdem Verſuum ſpecimen ex ipſius Walafridi Carminibus exero:

Legiſtis, meminit veſtra ſagacitas.
At multis egomet ſordibus obſitus
Donari veniam credo ſagaciter &c.

Sane in hiſce antiquorum Hendecaſyllabis raro deprehendas collocationem accentuum (*Poſature* nos dicimus) in Verſibus Italicis facilem atque patentem. Attamen quum primi Poëtæ Vulgares Verſibus paucarum ſyllabarum præcipue operam darent, ac poſtea Verſum conquirerent, cui aliquid majeſtatis ex plurium ſyllabarum curſu accederet, nullum aptiorem invenere quàm Hendecaſyllabum, ſive is ex duobus brevioribus Verſibus conſletur, ſive alio ordine coaleſcat: illius autem exemplum apud Rhythmorum Scriptores obvium habuere. Atque heic publici juris factum volo Rhythmum hactenus luce carentem, cujus mentionem feci in Diſſertatione I. *de Exteris Gentibus*. Eum deſcripſi ego e vetuſtiſſimo Codice MSto Capituli Canonicorum Mutinenſium. Tum quæ præcedunt, tum antiquitas Codicis, ſatis indicant, ipſum fuiſſe compoſitum ſub initium Sæculi Decimi a Chriſto nato: quo tempore, ut ibi præfatus ſum, Hungari tot impreſſiones in Italiam. & præſertim in Mutinenſes fecere. Dodecaſyllabi ſunt Verſus, ſed temporis ratione computatâ pares Hendecaſyllabis. Inter ipſos autem quoſdam ſentias ita contextos, ut familiarem in iis texturam ac ſonum noſtrorum Verſuum deprehendas. Ad hæc ſinguli Verſus aliquid Leonini præferunt, quum in unam eamdemque vocalem, ac pari concentu, deſinant. Tu experimentum facito.

Rhythmus canendus Militibus, Mutinenſis Urbis cuſtodibus circiter Annum 924.

„ O Tu, qui ſervas armis iſta mœnia,
„ Noli dormire, moneo, ſed vigila.
„ Dum Hector vigil extitit in Troïa,
„ Non eam cepit fraudulenta Græcia.
„ Primâ quiete dormiente Troïa,
„ Laxavit Sinon fallax clauſtra perfida.
„ Per funem lapſa occultata agmina
„ Invadunt Urbem, & incendunt Pergama.
„ Vigili voce avis Anſer candida
„ Fugavit Gallos ex Arce Romulea;
„ Pro qua virtute facta eſt argentea,
„ Et a Romanis adorata ut Dea.
„ Nos adoremus celſa Chriſti numina,
„ Illi canora demus noſtra jubila.
„ Illius magnâ fiſi ſub cuſtodiâ,
„ Hæc vigilantes jubilemus carmina.
„ Divinâ, Mundi Rex Chriſte, cuſtodiâ
„ Sub tuâ ſerva hæc caſtra vigiliâ.
„ Tu murus tuis ſis inexpugnabilis,
„ Sis inimicis hoſtis tu terribilis.
„ Te vigilante, nulla nocet fortia,
„ Qui cuncta fugas procul arma bellica.
„ Tu cinge hæc noſtra, Chriſte, munimina,
„ Defendens ea tuâ forti lanceâ
„ Sancta Maria Mater Chriſti ſplendida,
„ Hæc cum Johanne, Theotocos, impetra:
„ Quorum hìc ſancta veneramur pignora,
„ Et quibus iſta ſunt ſacrata numina (a).
„ Quo duce victrix eſt in bello dextera,
„ Et ſine ipſo nihil valent jacula.
„ Fortis juventus, virtus audax bellica,
„ Veſtra per muros audiantur carmina:
„ Et ſit in armis alterna vigilia,
„ Ne fraus hoſtilis hæc invadat mœnia.
„ Reſultet Echo comes: eja vigila.
„ Per muros eja dicat Echo, vigila.

Diſſertationi huic poſtremam manum imponam, colophone addito non vulgaris pretii: Rhythmo nempe Hiſtorico evulgato, quem ex eodem ipſo Codice vetuſtiſſimo Capituli Canonicorum Veronenſium, unde alter *de Laudibus Mediolani* depromtus eſt, deſcriptum ad me miſit ſupra laudatus Bartholomæus Campagnola, multis titulis de me benemeritus. Anno Chriſti DCCCLXXI. Italiam totam, immo & reliquum Francorum Imperium, concuſſit deteſtandum facinus Adelgiſi Principis Beneventani, qui Ludovicum II. Auguſtum, quamquam tot beneficiis in ipſos Beneventanos collatis illuſtrem, utpote qui Saracenicæ gentis cornua fregerat, ejuſque acinaces ex eorum jugulo averterat, auſus eſt ſeditione commotâ comprehendere, & in cuſtodiam tradere. Sunt, qui hominem excuſant, culpamque in ipſum Auguſtum, ejuſque Conjugem rejiciunt, ut ex Erchemperto, ex Annalibus Bertinianis, & ex Anonymo Salernitano, a me edito Part. II. Tomi II. Rer. Italicarum, ſublucere poteſt. Et revera quum Adelgiſo nihil intentare contra Ludovici vitam animus fuerit, ſed timorem tantummodo ac vim ei inferre, ut ex Urbe & regione Beneventana excederet: excogitare liceat, non defuiſſe aliquam juſtæ iræ cauſſam, aut anſam Principi Beneventano. Attamen vix nemo fuit, qui non horruerit, audiens tot opprobriis oneratum, ac doloſe captum, ut idem Erchempertus ſcribit, *Auguſtum ſanctiſſimum virum, ſalvatorem ſcilicet Beneventanæ provinciæ, Beneventi infra mœnia degentem, ac ſecure quieſcentem*. Hanc tamen ſanctitatem infra in eodem Ludovico minime agnoſcit laudatus Erchempertus. Hoc ergo facinus Auctor Rhythmi Alphabetici, ſeu Abecedarii, nunc evulgandi, deſcribit, ſynchronus profectò, ut res & narratio ipſa ſuadet, ſed ſimul ſermonis Latini imperitiſſimus. Ego Rhythmum ipſum, qualis in MSto Codice Veronenſi habetur, accuratiſſime deſcriptum, ne unâ quidem literâ immutatâ, Lectori ſiſtere decrevi, diſtinctis dumtaxat Verſibus, in MSto indiſcretis, ut hoc onere Clariſſimum Marchionem Maffejum levem. Sed & ille heic etiam inſpiciat velim, quot erroribus abundet fruſtulum iſtud antiquitatis, partim Auctori, partim vetuſto Librario tribuendis.

Rhyth-

(a) an *mœnia*?

Rhythmus de Ludovico II. Imperatore per Adelchim, ſeu Adelgiſum Beneventi Principem capto, compoſitus Anno 871. aut 872.

„ AUdite omnes fines terræ (1) errore cum triſtitia,
„ Quale ſcelus fuid factum Benevento Civitas.
„ Lhuduicum comprenderunt ſancto, pio Auguſto. (2)
„ Beneventani ſe adunarunt ad unum conſilium.
„ Adalferio (3) loquebatur, & dicebant Principi:
„ *Si nos eum vivum dimitemus, certe nos peribimus.*
„ *Celus* (4) *magnum præparavit in iſtam Provintiam*:
„ *Regnum* (5) *noſtrum nobis tollit: nos habet pro nihilum.*
„ *Plures* (6) *mala nobis fecit. Rectum eſt, ut moriad.* (7)
„ Depoſuerunt ſancto (8) pio de ſuo Palatio;
„ Adelferio illum ducebat uſque ad Pretorium:
„ Ille verò gaude (9) viſum tamquam ad martirium.
„ Exierunt (10) Sado & Saducto (11) inoviabant imperio.
„ Et ipſe ſanctè pius incipiebat dicere:
„ *Tamquam ad latronem veniſtis cum gladiis & fuſtibus.*
„ *Fuit jam namque tempus, vos allevavit* (12) *in omnibus*:
„ *Modo verò ſurrexiſtis adversùs me conſilium.*
„ *Neſcio pro* (13) *quid cauſam vultis me occidere.*
„ *Generacio crudelis* (14) *veni interficere*,
„ *Ecclesie que Sanctis Dei venio diligere*,
„ *Sanguine veni vindicare, quod ſuper terram fuſus eſt.*
„ Kalidus ille, temtator (15) ratum adque nomine
„ Coronam Imperii ſibi in caput ponet, (16) & dicebat Populo:
„ *Ecce ſumus Imperator: poſſum* (17) *vobis regere.*
„ Leto animo habebat (18) de illo quo fecerat.
„ A Demonio (19) vexatur, ad terram ceciderat.
„ Exierunt multæ turmæ videre mirabilia.
„ Magnus Dominus (20) Jeſus Chriſtus judicavit judicium.
„ Multa gens Paganorum exit in (21) Calabria,
„ Super (22) Salerno pervenerunt poſſidere Civitas.
„ Juratum (23) eſt ad Sancte Dei Reliquie
„ Ipſe Regnum defendendum, & alium requirere.

(1) Legendum puto *horrore*.
(2) Si Legibus Maffeji amici parendum eſt, *Auguſtio* ſcribendum erit. Sed iis legibus veteres rigide ſe obſtrinxiſſe minime videntur.
(3) *Adalferius*, unus e Primatibus Beneventanis.
(4) pro *Scelus*, ut puto.
(5) Vide Annales Bertinianos, & Anonymum Salernitanum.
(6) *Plures*: ſcribe *plura*.
(7) Ideſt *moriat*, cum bonâ Priſciani veniâ.
(8) Pro *ſanctum pium*, ideſt Ludovicum Auguſtum, quem & Erchempertus *ſanctiſſimum* appellat.
(9) Fortè, *gaudens ibat*.
(10) *Sado*, ſeu *Sadoan*, *Sugdan*, Princeps Saracenorum tunc Beneventi captivus. Narrat etiam Anonymus Salernitanus, ejus conſilio ad hoc facinus uſum eſſe Adelgiſum.
(11) *Saducto inoviabunt*, Quid heic ſcribendum ſit, majori otio fruentibus divinandum relinquo. Num *qui obviabant Imperio*.
(12) Pro *allevavi*. Beneficia innuit in Beneventanos collata.
(13) Elegantiæ Tullianæ. Scribe *pro qua cauſa*.
(14) Veni illum interficere, qui huc venit, ut Eccleſias ſanctas Dei e Saracenorum jugo eriperet. Hoſtium tuorum ſanguinem, qui ſuper terram fuſus eſt, veni vindicare.
(15) Quis *tentator* iſte? Num Adelgiſus, an Seodan, aut alius quiſquam? Noctem faciunt verba illa *ratum adque* (pro *atque*) *nomine*.
(16) Pro *ponit*.
(17) Latine volens efferre Italicum *vi poſſo regere*, ignoravit, an illud *vi* Accuſativo reſponderet potius quàm Dativo.
(18) Pro *abibat*, ut puto, lætus de illo, quod fecerat.
(19) Et heic incertum, fueritne Adelchis Princeps, an Seodan, vexatus a Dæmonio.
(20) Scriberem *Domnus*, ut menſura prioris Verſiculi rectius procederet. Sed leges Syllabarum video alibi neglectas. Scribendum quoque foret *judicat judicium*.
(21) Pro *e* Calabria.
(22) Exeunte ſupra memorato Anno DCCCLXXI. Salernum obſidione preſſum eſt a Saracenis, quam ſolvere demum coacti ſunt, regreſſo adversùs illos Ludovico Auguſto. Pro *poſſidere* ſcriberem *obſidere*.
(23) Stropha hæc ſpectans ad literam I. ſupra deſideratur. Neſcio an ſuo loco ſit reſtituenda. Videtur autem heic innui ſacramentum, quo ſe ſe obſtrinxit Ludovicus, *ſe vindictam aliquam ex calumnia, quam tunc patiebatur, numquam exacturum*, ut ſcribit Regino. Ceterum manca eſt hæc Stropha, & aliæ integræ fortaſſe deſiderantur: neque enim Rhythmus per reliquas Alphabeti literas progreditur.

DE NOMINIBUS
ET
AGNOMINIBUS
ANTIQUORUM.

DISSERTATIO
QUADRAGESIMAPRIMA.

DISSERTATIO QUADRAGESIMAPRIMA.

A VIdendum nunc, qui mores fuerint Majoribus noſtris in uſu *Nominum*, deinde vero & *Cognominum*. Et primo, antequam Gothi & Langobardi ſeſe effunderent in Italiam, uſitata fuere apud nos nomina Romanæ aut Græcæ originis; eaque crebrius a Chriſtianis renovabantur, quæ a ſanctis Martyribus, aliiſque Chriſticolis virtute illuſtribus olim fuerant uſurpata. Neque unum interdum Nomen, ſeu Cognomen ſat erat eorum temporum Magnatibus. Ita *Pontius Meropius Paulinus*, Nolanus Epiſcopus, vir ſanctitate celebris, nobis eſt notus. Poſtremum Nomen, ſive Cognomen, ita Sancto viro adhæſit, ut non alio quàm iſto a reliquis Romanis diſtinctum inveniamus. Eodem Sæculo floruit *Turcius Rufius Apronianus Aſterius*, & ipſe Conſul, cujus chirographum ex vetuſtiſſimo Vergiliano Codice Mediceo depromſit Clariſſimus Cardinalis Noriſius in Cenotaphiis Piſanis, pag. 431. Ita Sæculo ſubſequenti occurrunt nobis *Magnus Aurelius Caſſiodorus* (ſive *Caſſiodorius*, ut contendit Scipio Maffejus Marchio V. Cl.) & *Flavius Anicius Manlius Torquatus Severinus Boetius*, tot nominum comitivâ ſtipatus. Alios omitto: neque enim ea Sæcula mihi illuſtranda propoſui. Sed ubi in Italiam erupere, veluti tot muſcarum examina, barbaræ Septentrionis nationes, deſiit ambitioſa caterva tot nominum, & vel ipſæ Romanæ aures ſimplicitati aſſueſcere cœperunt. Rudibus ejuſmodi Populis uno uti Nomine mos fuit. Illud etiam rude atque aſperum plerumque erat, utpote ex eorum Linguâ, hoc eſt, Germanicâ antiquâ, derivatum. *Liutprand*, *Auduald*, *Rothar*, *Poteljrit*, *Rixolf*, *Rodpert*, *Agiluph*, aliaque hujuſmodi Nomina eorum fuere, quæ Latine inflexa in Libris & Chartis invenimus. Neque ſuaviora ex Francorum Linguâ emerſere, quum & ipſa foret Teudiſca, ſive Germanica. Iiſdem autem Sæculis, quibus intermixtæ cum Italico Populo fuerunt exteræ gentes, nomina Romanorum, veterumque Sanctorum, apud aliquos ſervata fuere, ſive Religionis cauſsâ, ſive quod ab antiquo Populo Italico prognati, barbarica nomina averſarentur, & ſuæ gentis vocabula amarent. Id præſertim apud Ravennates diu, & ſemper apud Romanos, obſervatum eſt, quorum Civitas feliciter Langobardorum ungues evaſit. Sed in Langobardico Regno longe plura nomina in uſu fuere, ex eorum Linguâ petita, quàm e B Græcâ atque Latinâ. Idque vel in ipſis Monachis animadvertere poſſumus. Vino indigebat Aupaldus, inſignis Ambroſiani Monaſterii Mediolanenſis Abbas, ideoque ad *famulos* Curtis ſuæ Lemontæ confugit, eos deprecans, ut Monaſterii neceſſitatibus liberali oblatione opem ferrent. Non recuſarunt ii; ſed ſimul petiere, ut Abbas profiteretur, non illud ex debito ſe exegiſſe, ſed quidem ab iis per preces impetraſſe. Non ii fuiſſe videntur Servi rigide ſumti, ſed *Manentes* in prædiis Monaſterii, hoc eſt, ut opinor, Aldii coloni, quibuſdam pactis ad excolendas eas terras adſciti, quibus tamen Abbas *Senior* dicebatur. Expetiere præterea, ut Abbas eâ occaſione ſcriptis C commendaret, quæcumque onera fuerant eis ante impoſita, videlicet quot *Solidos*, quot *Formaticos* (ideſt caſeos, unde Italica vox *Formaggio*), quot modios tritici, ova, pullos &c. ſingulis annis Monaſterio deberent. En Chartam non pauci faciendam, quam ex Archivo ejuſdem Cœnobii deſcripſi.

Charta concordiæ initæ inter Aupaldum Abbatem Monaſterii Ambroſiani Mediolanenſis, & Famulos Curtis Lemontæ, de cenſibus ac oneribus, quibus ipſi famuli obnoxii ſunt, Anno Chriſti 957.

DUm vir *Reverentiſſimus* Domnus Aupaldus *venerabilis* Abbas, *intus in caminata ſupra ſolario juxta Eccleſiam beatiſſimi Ambroſii reſideret pariter cum ſuis Monachis, ibidem cum eo reſidentibus, causâ uti litatis ſui Monaſterii, & cum eiſdem ſimul ſermocinaret: accidit, ut inter reliquas verbas ita eis alloqueretur, dicens:* Scimus omnes, qualis inter nos imminet tempus, maxime & fructus vindemie ob noſtris imminentibus peccatis, quod nobis pejus aſſidua contritione ſatis fallit; ideoque ſolitus fui ſecundùm temporis qualitatem aliquantis vicibus noſtre Curtis Lemonta Famulos ibidem commanentes precare, ut ſecundùm de illorum poſſibilitatem de Vino, quod feciſſent, non pro conditionem, ſed propter noſtram precationem, juxta quod potuiſſent, nobis deferrent: quod ita ſe omnes feciſſe hucuſque cognovimus. Unde ipſi Famuli timore compulſi, ne hanc precationem ſibi, ſuiſque parentibus pro conditione eis in D uſum aliquis requireret, vel in poſterum ex hoc pro lege ipſi requiſituri aliquatenus fuiſſent. *Unde factum eſt, ut dum prædictus Domnus Abbas in ipſa allocutione cum ſuis alloqueretur Monachis, accidit, ut ibidem in medio illorum, parte de predicti Famuli de eadem Curte Lemonta advenirent, provoluti ad pedes prelibati Domni Aupaldi Abbatis, ita precati ſunt, dicentes:* Domine preclariſſime Senior, veſtram ſuppliciter flagitamus mercedem, quatenus de Vino, quod quali tempore aliquod partem optulimus, talis exinde veſtra magnificentiſſima nobilitas ſcriptio facere dignetur, ut non hoc nobis quiſquam pro conditione..... ſed propter precationem nos omnes cognoſcere E poſſimus. *Quapropter Domnus Reverentiſſimus Abbas una cum omni conſilio confratrum ſuorum Monachorum, eis aſſenſum prebuit: & hanc ſcriptionem Johannem ſuum fideliſſimum Levitam ſcribere rogavit, quatenus de eodem Vino ſuperius nominato omnes ſciant & intelligant*

gant non pro conditionem, ſed propter precationem deinde . . . . . ſi ceterique omnes cognoſcant eſſe manſuram. Placuit etiam eidem Domno Aupaldi Abbati, hanc ſcriptionem ipſe firmare, ſimulque & per manus Monachorum ſibi commiſſos roborare, ut conditio illorum nullatenus infringatur, excepto ſin neceſſitatis cauſa ſupervenerit per noſtram precationem bono animo & pari voluntate cuncti obediant. Precamur denique & nos Famulos noſtre Curtis Lemonta, ut in hac ſcriptione, quam facere precepiſtis, noſtra conditio ſcripta permaneat, & quod legibus facere debemus vel perſolvere per unamquamque noſtram Villulam juxta antiquitatem temporis ad veſtrum Monaſterium perſolvendum apertiſſime cognoſcatis. In primis de Madrunino Denarios Solidos XIV. Formaticos *ad ſtatera illorum Libras X. Formentum ſtaria II. Pullos VI. Ova LX. De Salvaniade Denarios Solidos XIV. & reliqua ſimiliter. De Cautenigo omnia ſimiliter. De Vero Denarios Solidos IV. Aliud nichil, niſi tantum amiſcere de piſcibus bonis quatuor vices in anno. Et ſi precati fuerint, ſimiliter faciant, ſicut & ceteri faciunt. De Civenna Denarios Solidos XVIII. Pullos XII. Ova CXX. De his Villulis ſupraſcriptis, quarum hec ſunt nomina, Madrunino, Salvaniade, Cautenigo, & Civenna, ſeu & Villa Lemonta, omnes ſimul pariter debemus olivas colligere, & premere ad expenſa domnica, & evegere oleum de ipſas olivas in noſtra expenſa ad Monaſterium Beati Ambroſii. Debemus etiam & noſtrum Seniorem, ſuoſque fideles per aquam navigare in ambulando & revertendo. Debemus etiam in Feſtivitate Sancti Ambroſii, in Ramos olive, in Letanias majores, & in Sancti Nazarii, per has ſingulas Feſtivitates, quod ſunt quatuor vices in anno, ſecundùm veſtrum honorem, ut melius potuerimus, de Piſcibus valde bonis in veſtrum ſervitium adducere. Hæc omnia non recuſamus. De quo Breve duo uno tenore ſcripti ſunt. Unum eis datum eſt, & alterum in Monaſterio reſervàtum. Illi vero, qui de Villa Lemonta videntur eſſe, non debent olivas premere, nec ligna ad ipſas olivas dare, nec evegere ipſum oleum, ſed tantùm debent omnes colligere, & vaſa eorum ad utilitatem predicte olive, quantùm opus eſt, debent dare, ſeu & ſimul omnes debent ceteri adjuvare ad incaricandum, prout neceſſe fuerit.*

✠ Aupaldus *humilis* Abbas *a me factum ſubſcripſi.*

Kariſſimus Presbiter & Monachus, ſeu & Decanus conſenſi & ſubſcripſi.

Amelius Presbiter & Monachus ſubſcripſi.

Herimbertus Presbiter & Monachus ſubſcripſi.

Anzelbertus Presbiter & Prepoſitus conſenſi & ſubſcripſi.

Maternus Diaconus conſenſi & ſubſcripſi.

Ambroſius Monachus conſenſi & ſubſcripſi.

Ulpertus Monachus & Subdiaconus conſenſi & ſubſcripſi.

Luvedeus Presbiter conſenſi & ſubſcripſi

Giſelbertus Presbiter & Miniſterialis de Latiniano ſubſcripſi.

Gerovvinus Subdiaconus ſubſcripſi.

Johannes Monachus & Levita ſubſcripſi.

Garibaldus Diaconus ſubſcripſi.

Stephanus Monachus & Subdiaconus ſubſcripſi.

Lazarus Monachus & Subdiaconus ſubſcripſi.

Johannes Monachus ſubſcripſi.

Factum eſt autem hec & firmata Anno Domni & preclariſſimi & egregii pii Patris Aupaldi Reverentiſſimi Abbati, regiminis ſui Tertiodecimo, Menſe Septembrio, Indictione XV.

Puricellius in Monument. Baſilic. Ambroſian. Abbatem hunc appellatum fuiſſe *Huppaldum* contendit, atque ita eumdem ſubſcripſiſſe alteri Chartæ, auctor eſt. Ego de fide illius Chartæ dubitarem. Nam & in Regio Privilegio apud ipſum Puricellium, & in Charta Monaſterii Tollenſis, memorata a Clariſs. Mabillonio in Annalib. Benedictin. ad Annum DCCCCLXIII., atque heic, diſertis verbis nuncupatum videmus *Aupaldum*. Hoc autem nomen, uti & *Herimberti*, *Angelberti*, *Ulperti* ſive Walperti, *Gerovvini*, & *Garibaldi*, quæ in Charta iſta occurrunt, ſunt Langobardica, aut Francica: cetera verò Romanam nationem ſapiunt. Neque prætereundum eſt, Sæculo XIII. & XIV. nomina quædam, horrida ſane, invaluiſſe vel inter ipſos Italiæ Regulos, quæ nunc aut riſum aut admirationem audita excitant, ſed tunc placidis fortaſſe auribus accipiebantur. Ejuſmodi fuere in Familia Bonacoſſia, Mantuæ dominatrice, nomina *Bardelloni*, *Taini*, *Bottexellæ*, *Butironi*, *Scaglini*, *Paſſerini*: in Ordelaffa *Scarpettæ*: in Scaligera Veronæ dominâ, *Canis* & *Maſtini*: ineptum enim eſt, quod excogitavit Jovius, nempe a Tartaricâ Linguâ, quæ *Canem* appellat Regem ſeu Principem, Scaligeros deſumſiſſe hoc nomen. Nihil tale ipſos ſomniaſſe; *Maſtini* nomen ſatis indicat. Joſephus quoque Scaliger in Epiſtola ad Duſam, ubi umbratilem ſuam originem a Scaligeris Principibus deducere conatur, de Cane Grandi ſcribit: *Nomen illi fuerat Franciſco a ſacro lavacro, Cani a gentilitate, Magno a merito rerum geſtarum.* Sed hæc ignoravit Ferretus Vicentinus Poëta, eidem Cani ſynchronus, in Carmine de illius Laudibus, Tomo IX. Rer. Italicar. a me edito. Illum *Canem* tantummodo appellatum ait, quod ejus mater

- - - - - - - - - - - - in imagine ſomni
Viſa ſibi eſt peperiſſe Canem . - - - -

Neque is didicerat, Scaligeros a Windorum Principibus oriundos, apud quos *Caban idem eſt ac Rex aut Princeps*, ut iidem Jovius & Scaliger ſomniarunt. Ita in Familia Turriana Mediolani olim dominatâ invaluere nomina *Muſcæ*, *Pagani*, *Carnevarii*, *Caſſoni*; quod poſtremum tamen e *Caſtono* nomine Gallico depravatum ſine dubitatione fuit. Alia ejuſdem indolis prætereo. Utrum verò ex his nonnulla in baptiſmo iis impoſita fuerint, reliqua autem Agnomina fuerint per ſcomma eis affixa, quæ in eorum Nomen tranſierint, non facile decernas. Certe *Paſſerino Bonacoſſio Raynaldus* quoque, nomen fortaſſe primitivum, fuit. Porro conſtat, eos ſine ulla trepidatione, ſine faſtidio, palam ejuſmodi Nominibus fuiſſe uſos, nullumque dedecus inde ſibi metuiſſe. Sæculo etiam XII. *Malaſpina*, *Pelavicinus*, *Mal-Nevothe*, atque alia id genus nomina, Italiæ Primatibus fuiſſe tributa, jam animadverti in Antiquitatibus Eſtenſibus. Addere nunc juvat Chartam e Codice MSto Cencii Camerarii. Ibi nobis occurrent *Tignioſius Comes*, *Caltiaconte Comes*, & *Cajaguerra Comes*, fortaſſe *Cacciaguerra*. *Paltonerius Comes* ibi præcipue memoratus, filius *Fortisguerræ Comitis*, nomen geſſit, quod Tuſcorum Dialecto ſignificat *un Birbante*, *un Birbone*, idest *Mendicum*. Hic autem titulus Chartæ præponebatur.

Char-

Chartula, quomodo *Paltonerius* recognovit Caſtrum Montiſcelli per Dominum Papam, & conſtituit annis ſingulis certum cenſum Biſantium unum auri, Anno 1156.

IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Dei æterni. Anno ab Incarnatione ejus Milleſimo Centeſimo Quinquageſimo Sexto, menſe Aprili, Indictione III. Manifeſtus ſum ego Paltonerius Comes, *filius quondam* Fortisguerræ Comitis, *quia per hanc Chartulam proprietario nomine, præſentiâ Donni Guidonis Presbyteri Cardinalis, titulo Sanctæ Potentianæ, & Legati Eccleſiæ Romanæ, reſidente apud Sanctum Quiricum, in conventu cum Epiſcopis, videlicet Senenſi, Aretino, atque Cluſino, Suanenſi, Caſtrenſi, Maſſetano, atque Vulterrano, donare, itemque tradere videor ad honorem Dei omnipotentis, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, & in perſonam* Domini Adriani ſummi Pontificis: *ideſt Caſtellum de Monte Clello, cum Curte & omni pertinentia ſua; eo ſcilicet tenore, ut ſi ego prædictus* Paltonerius *Comes ſine filiis maſculini vel feminini ſexus, de me deſcendentibus deceſſero, ſupradictum Caſtellum cum Curte & omni pertinentia ſua ad jus beati Petri, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ cum integritate deveniat. Et propter hæc ego prædictus* Paltonerius *Comes exinde ſtatuo & convenio, annualiter in Aſcenſione Domini noſtri Jeſu Chriſti, prædictæ ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cenſum ſolvere, dum vixero, Bizanteum unum aureum. Et ſimiliter ego prædictus* Paltonerius *Comes ſtatuo & convenio, ut ſi poſt obitum meum filii mei prædictum Cenſum a ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſummo Pontifice in Feudum non aquiſierint, annuatim prædictæ ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſtatuto termino prædictum Cenſum perſolvant. Unde ego prædictus* Paltonerius *Comes obligo me, meoſque heredes, quod ſi ſupra dictam conventionem atque conceſſionem prædictæ ſanctæ Romanæ Eccleſiæ attendere & conſervare noluerimus, omni tempore promittimus componere & dare pœnam prædictæ ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, ſuiſque ſummis Pontificibus bonorum denariorum Lucenſium Libras centum: & poſt pœnam ſolutam prædicta conceſſio atque conventio firma & illibata permaneat. Et in tali ordine Presbytellum Judicem Domini Imperatoris hanc Chartulam proprietatis ſcribere rogavimus.*

Actum in Epiſcopatu Aretino, in Burgo Sancti Quirici.

✠ ✠ *Signum manus teſtium: Ranutius, & Ugutio Comites, Germani filii quondam* Tignioſi Comitis.

Caltiagonte Comes *filius quondam* Cajaquerræ Comitis.

Reinutius Comes filius quondam Bernardini Comitis.

Iſimbardo de Monte Gerlone, & Rontione de Bibiano, & Scantivolus de Maciareto, rogati ſunt teſtes.

Sed quod potiſſimùm in antiquitatis inquiſitione adnotandum eſt, barbaricis temporibus Italici incolæ Nominibus tantùm contenti, nulla ex iis agnovere, quæ *Cognomina* nunc appellare conſuevimus. Mabillonius vir celeberrimus, in inſigni Opere de Re Diplomaticâ, Lib. 2. Cap. 7. recte ſtatuit *ſub finem Sæculi Decimi, ſed maxime Sæculo undecimo ineunte, Cognominum uſum frequentare cœpiſſe.* Eamdem ſententiam antea Du-Cangius probaverat in

A Hiſtoria Monmorenciaca: eamdemque ſubinde confirmavit Clariſs. Papebrochius e Societate Jeſu, in Actis Sanctor. Bolland. Tom. 4. Maji, pag. 12. Honoratum Boucheum, alioſque teſtes in eam rem collaudans. Sed & ipſe rurſus eamdem ſtabilivit in Reſponſion. ad Exhibition. errorum, quos ei bonus Carmelita objecerat. Quicumque in veterum monumentis aliquantulum verſatus eſt, confeſtim fateatur oportet, circiter ea tempora, immo etiam ſeriùs, invectum fuiſſe inter Italicam gentem Cognominum uſum. Itaque ſupine falluntur, qui in remotiſſimis Sæculis eadem ſe adinveniſſe putant, ut illuſtribus noſtrorum temporum
B rum Familiis thura & odores incendant. Aut ſomnia aut impoſturæ ſunt, ſi quæ hujuſmodi in Genealogicis Libris nobis propinantur: & prope pro argumento falſitatis ſtatim habendum eſt, ſi qua Charta ante Milleſimum exarata eruitur, quam ornent, aut onerent ævi noſtri Cognomina. Propterea nihil invidendum eſt tot nobilibus Familiis, quæ in monumentis Sæculi Octavi, Noni, & Decimi, Epiſcopos, Cardinales, inclytos belli Duces inveniunt, atque inter ſuos Majores mirabili pace accenſent. Hercle eruditi viri Mediolanenſes non indigent, ut a me edoceantur, in una nubium regione (Libro nempe, ubi otioſus
C quiſque legere poteſt, quod cupit) inventa fuiſſe Cognomina veterum Archiepiſcoporum Mediolanenſium. Nimirum neſcio quis nugivendulus primùm excogitavit inter illuſtres inclytæ illius Urbis Familias partiri ſe poſſe decus infulæ Mediolanenſis. Ad Annum Chriſtianæ Salutis XC. *Oldanæ* Familiæ Sanctus Caſtritianus adſcribitur: *Burræ* Sanctus Monas ad Annum CLXXXVIII. Tum ad Annum CCCL. Sanctum Protaſium *Algiſia* ſibi tribuit: Sanctum Dionyſium ejus ſucceſſorem *Marliana*. Sanctum Venerium *Oldrada*: San-
D ctum Glycerium *Landriana*: Sanctum Lazarum *Cotta*. Eodem gradu reliquorum Mediolanenſium Antiſtitum diſtributio procedit, quam religioſe Ughellius in Italia Sacra retinuit. Sed ut ut vulgus atque inerudíti hiſce fabulis facile acquieſcant, certe miror Puricellium, virum alioquin inter Mediolanenſes Scriptores emunctæ naris, & omnium commendatione dignum, qui contexens Vitam Sancti Laurentii Archiepiſcopi Mediolanenſis, circiter Annum Chriſti Quingenteſimum ad eam Cathedram electi, eum in nobilis Familiæ *Littæ* catalogum confidentiſſime inſert, ſine tabulis rem adeo remotam affirmans. Sic apud
E Cæleſtinum Bergomatis Hiſtoriæ Scriptorem, Ughellium, & alios, *Caſtillionea* Familia Tachipaldum Epiſcopum Bergomatem ad Annum Chriſti DCCCXI. oſtentat: *Calepia* Garibaldum Anno DCCCLXVII. *Caromala* Adelbertum Anno DCCCLXXXV. Reliquos prætereo veteris ævi Epiſcopos, quos non meliori titulo in cenſum illuſtrium Familiarum ævi noſtri quidam inferunt, quàm noſtri olim Mutinenſes in *Raſcharinam* gentem pertraxerint Sanctum Geminianum, Urbis noſtræ Patronum, & circiter Annum CCCXCVII. e vivis ſublatum: quam magnificam laudem eidem Fa-

Familiæ nequaquam turbare ſunt auſi Sillingardus , Ughellius , & alii .

Age verò jam perconteris: ſi Cognominibus caruere Itali Sæculis rudioribus , atque uno tantùm Nomine ii utebantur, quei alter ab altero ejuſdem Nominis tunc diſtinguebatur? & quei fieri potuit , ut unus pro altero interdum non acciperetur ? Ut ait Sanctus Auguſtinus Cap. 13. Lib. poſt Collat. ad Donatiſtas : *plena eſt conſuetudo generis humani , ut non ſolùm duo , ſed etiam plures homines uno nomine vocitentur*. Verùm Auguſtino vivente erant Prænomina & Cognomina, quibus alter ab altero diſtinguebatur. Non idem Sæculis barbaricis factum . Quum Mutinæ plures olim eſſent , & adhuc ſint , *Johannis Ferrarii* nomen & cognomen præferentes , in Epiſtolis ad eos miſſis , atque in aliis bene multis caſibus , errores interveniebant . Ego quoque (liceat addere) duo nomina adhibere ab adoleſcentia cœpi , non ambitionis cauſsâ , ſed neceſſitatis , quod æqualis meus alter eſſet , eodem donatus nomine atque cognomine . Quid ergo olim contigiſſe putes, quum ne Cognomentum quidem alterum hominem ab altero , ſive , ut rectius loquar , unius Familiam ab alterius diſtingueret , & plurimi , ut par eſt credere , eodem nomine in eadem Civitate appellarentur ? Nemo certe non videat , ejuſmodi antiquorum morem plurimas poſteris reliquiſſe tenebras : quod potiſſimùm ſentiunt privatæ Familiæ , ſi quando ad conquirendos in vetuſtis Sæculis Majores ſuos ſe ſe convertunt. Meâ enim ſententiâ ob hunc ipſum defectum fieri nullo pacto poteſt , ut ejuſmodi ſoboles , quamquam ex antiquitate illuſtres , in Sæcula remota aſſurgant , ibique progenitores ſuos detegant , niſi eos conſtans aliqua Præfectura , aut alicujus loci dominium a ceteris ſecernat , & conjunctionem cum poſteris ſignet . Sed quid dixi tenebras poſteris illatas ex iſta nuditate Nominum ? Vel ipſis viventibus , eorumve filiis neceſſe eſt , ut olim non leve incommodum pepererit atque confuſionem neglectus iſte Cognominum uſus. Ut experimento facto rem ipſam Lector digito ſuo tangat , exerere mihi placet monumenta duo , quæ nullius momenti videri poſſint , ſed quæ Majorum noſtrorum hac in re conſuetudinem luculentiſſime prodent . Eadem ego deſcripſi ex vetuſtiſſimo Sacramentario Sancti Gregorii, quod adſervatur in Archivo Capituli Canonicorum Mutinenſium , exarato , ut opinor, ineunte Sæculo Æræ Chriſtianæ Decimo , forſitan & Sæculo Nono . Nam præter antiquitatem Codicis , & formam characterum , hæc ipſa , quæ nunc editurus ſum , in margine addita erant , prætereaque additamenta alia facta Anno Chriſti DCCCCLXXIII., quæ evincere poſſunt , longe antea ſcriptum fuiſſe Codicis ipſius textum :

Catalogus eorum, qui ad luminaria Majori Templo Mutinenſium miniſtranda ſe ſe Fraternitate initâ obſtrinxere, circiter Annum 980.

IN *nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti . Incipit nomina Virorum hac Mulierum , qui pro Dei timore & Chriſti amore dederunt ſinguli Denarios pro redemptione animarum ſuarum in* Luminaria , ad illuminandum Eccleſiam Dei , *ut eorum animas inluminet Deus in ſanctum Paradiſum : & ipſi omni anno Deo auxiliante hoc facere ſimiliter promittunt. Petro. Johanne. Lanfranco. Mirabilia. Adhelberto. Ruſtico. Bonumtempore. Rolando. Azo. Ardingo. Johanne. Andrea. Everardo. Alivaldo. Tanfreda. Johanne.* Walterio. *Johanne. Benedicto. Liuzo. Johanne. Andrea. Enrado.* Walberto. *Martino. Johanne. Alberico. Amezo. Sigefredo. Petro. Enrico. Ezolo. Creſcencio. Petro. Reſtano. Domminico. Rainero. Rodulfo. Johanne. Petro. Ugo. Geminiano.* Winewiſo. *Giſo. Johanne. Martino. Petro. Martino. Lanfranco. Geminiano. Domminico. Fredulfo. Lamperto. Johanne.* Warimbaldo. *Girardo. Alberto. Stephano. Alberto. Petro. Conſtancio. Ingelberto. Bonezo. Johanne. Anrado. Andrea. Grimezo. Johanne. Liuzo. Ageprando. Rainero. Martino. Segnoretto. Liuto. Urſo. Ermentruda. Officia. Alboara. Officia. Benza. Immilia. Ermengarda. Maria. Burga. Criſtina. Teuza. Maria. Regeza. Richilda. Alberga. Ingelberga. Giſla. Maria. Vineza. Riutruda. Ita. Ingelberga. Boneza. Richilda. Tethelberga. Maria.* Warimberga. *Roga. Maria. Martha. Regenza. Criſtina. Columba. Suſanna. Raina. Imma. Berta. Auria. Angela. Oliva. Benza. Teberga. Liuta. Maria. Ideoque omnes , quos ſupra memoravimus , vel qui in antea Deo auxiliante in hanc Fraternitate ſe conjunxerint, faciat eos Dominus una nobiſcum inſimul in hoc ſeculo talibus operibus operare, ut remiſſionem omnium peccatorum noſtrorum apud Deum invenire valeamus, & ſuâ miſericordiâ in libro vitæ cum omnibus fidelibus Chriſtianis ſcripti eſſe mereamur : & ut tenebroſa & horrenda tormenta poſſimus evadere , ubi cernimus magnum eſſe periculum; & ad requiem tendere , ubi gaudium eſſe ſcimus ſempiternum . Et tribuat nobis Chriſtus Filius Dei vivi per interventum ejuſdem Genetricis Virginis Mariæ , hac beatiſſimi Patroni noſtri Sancti Geminiani , & omnium Sanctorum merita , noſtrorum veniam delictorum, ut cum Dei adjutorio aſcendere mereamur ad ſuperna cœlorum; & partem aliquam & ſocietatem habere in congregatione Sanctorum ad epulas beatorum inter convivia Angelorum , ubi requieſcent animæ juſtorum in lucis candore , & mellifluo vernantis floris odore. Ibi vident claritatem Dei , & lux permanet indeficiens & vita .*

Heic animadvertere juvat , ſummam Majoribus noſtris curam fuiſſe *Luminarium Eccleſiæ*, quam in rem immanis interdum , ac ſemper magna vis ceræ , ac olei impendebatur . Nempe ad cultum divinum, atque ad alendam Populi pietatem id pertinebat . Adhuc *Luminariæ* nomen in multis Italiæ Eccleſiis perdurat. Sunt autem plures Conciliorum Canones, quibus præcipitur Luminarium impenſa, atque in eam certa pars bonorum Eccleſiæ deſtinatur. Immo ad hunc etiam uſum Decimas dare Populus jubebatur , ſolicitique erant ipſi Principes, ne quid Templorum decori hac ex parte deeſſet . In Additamentis ad Leges Langobardicas Part. II. Tomi I. Rer. Italicar. evulgavi Capitulare Ludovici II. Auguſti , in quo

Lex Nona eſt *de Decimis*. Ipſam Decimam perſolvendam Auguſtus decernit in qualibet Eccleſia: *& ipſe Sacerdos, qui ibi ordinatus fuerit, ipſam Decimam diſpenſet pro Luminaria, ſive pro eleemoſynis*. Sic in Concilio Meldenſi Canone 75. Presbyteri Decimas accipere dicuntur, *ut ſarta tecta Eccleſiæ, & Luminaria exinde competenter provideant*. Prædia quoque a piis fidelibus ſæpiſſime in eum finem Eccleſiis donabantur. In hanc rem digna omnino eſt, quæ legatur, Conſtitutio Aldrici Epiſcopi Cenomanenſis, promulgata circiter Annum DCCCXL. atque edita a Baluzio Tomo 3. pag. 111. Miſcellaneorum. Decernit ille, *ut ardeant per quotidianas noctes in ſeniori Eccleſia Luminaria de oleo, a veſpere per totam noctem uſque mane tria: & de Cerâ, quando tempus dictaverit, una: & ad Nocturnas, ſive Matutinas* (noctu enim Canonici quoque ad divinas Laudes canendas olim conveniebant) *ardeant Luminaria per quotidianas noctes de Oleo decem, & de Cerâ quinque: tria ante ſenius Altare, & quartum ante Altare Sanctæ Trinitatis &c. In feſtivitatibus Sanctorum, viginti, & in Dominicis omnibus noctibus, conſtitutum eſt, ut amplius incendantur, & ardeant Luminaria triginta de Oleo, & quinque de Cerâ &c.* In majoribus autem feſtivitatibus *conſtitutum eſt, ut ardeant Luminaria multiplicata, ideſt de Oleo nonaginta, & Cerâ decem &c.* En quantum argenti expoſceret ſacrorum Luminarium cura. Verùm pro more humanarum rerum, aut aviditas impiorum Sæcularium ſæpe ſacra loca ſuis fundis ſpoliabat, aut ipſi ſacri Miniſtri in uſum proprium convertebant reditus in Luminaria expendendos. Id quoque ſublucet ex Capitulari Ludovici Pii Anno DCCCXXIII. emiſſo, apud Baluzium, in quo ad Epiſcopos inter cetera Auguſtus ille ſcribit: *Et ſicut prohibetis, ne de Manſis ad Eccleſiæ Luminaria datis Sacerdotes aliquid accipiant, ſic & vos, & veſtri Archidiaconi de eiſdem Manſis nihil accipiendo aliis exemplum præbeatis*. Sed ſurdis interdum canebatur. Subtractis autem ejuſmodi reditibus aut Decimis, ne ſacra domus debito cultu fraudaretur, neceſſe rurſus erat piæ gentis liberalitatem implorare, & ad nova dona accendere. En quid actum Mutinæ olim fuerit. Complurium virorum ac feminarum, in quibus pietas eminebat, *Fraternitas* inſtituta eſt, unoque in ſe recipiente, *omni anno* certam pecuniæ ſummam conferre ad Luminaria Eccleſiæ. In MSto Codice ſingula eorum nomina interjecto punctulo diſtinguuntur, ut nulla dubitatio ſuperſit, nuda hæc eſſe Nomina, atque hinc abeſſe quodlibet Cognominis veſtigium. At bone Deus! aut miretur, aut rideat quiſque, dum heic *Petros* ſex, *Johannes* decem, *Andreas* tres, *Martinos* quatuor, *Marias* ſex, *Chriſtinas* duas, duaſque *Ingelbergas* &c. offendit, ſigno nullo inter ſe diſtinctos. Monſtrum id plane videatur nobis diverſo more viventibus, ac præcipue quum plures alios fuiſſe in eadem Civitate, eiſdem nominibus utentes jure opinari poſſimus; atque heic memorati, ut credere par eſt, ex infima Plebe fuerint. Accipe nunc alterum conſuetudinis hujus teſtem, Necrologium videlicet e margine ejuſdem Sacramentarii Mutinenſis excerptum, in quo oſcitantiam quoque Majorum noſtrorum appelles, deſignantium tantummodo per Indictionem annos emortuales hominum heic deſcriptorum.

Necrologium Mutinenſis Eccleſiæ ſcriptum Sæculo Decimo ac Undecimo.

X. *Id. Octobris obiit Urſo de hoc ſeculo ad vitam per Indiction. V. Winiſa. Martinus. Agipertus. Vivencio. Ermenbertus. Leo. Agibertus. Liutardus. Petrus. Martinus Diaconus. Bonipertus. Martinus Clericus, Cuſtos, qui & Azo vocatur. Albentruda. Teoſperga. Audelinda.*

XVII. Kal. Aprilis obiit Arteſuſus. Martinus Diaconus.

XVIII. Kal. Aprilis obiit Grimoaldus.

II. Id. Octobris obiit Dominicus de hoc ſeculo ad vitam per Indiction. I. Johannes Subdiaconus.

V. Non. Maji obiit Arnaldus de hoc ſeculo ad vitam per Indiction. X.

XVII. Kal. Maji obiit Petro de hoc ſeculo ad vitam per Indiction. XV.

XV. Kal. Auguſti obiit Rinperga.

..... Kal. Septembris obiit Adelbertus de hoc ſeculo.

XI. Kal. Martii, quod fuit in ſecunda feria, obiit Enradus de hoc ſeculo ad vitam per Indiction. IX.

..... Id. Septembris obiit Adelbertus de hoc ſeculo ad vitam per Indiction. XIV., quod fuit feria tertia.

VIII. Kal. Decembris obiit Adeldruda de hoc ſeculo ad vitam per Indicton. III. feriâ primâ.

X. Kal. Auguſti obiit Amadeus filius ejus de hoc ſeculo ad vitam per Indiction. V feriâ primâ.

VII. Id. Decembris obiit Giſelbertus Presbyter de hoc ſeculo ad vitam per Indict. V., quod fuit ipſo die Sancti Ambroſii, & fuit feria quinta.

X. Kal. Februarias obiit Rodulfo de hoc ſeculo ad vitam per Indiction. V. feria ſeptima.

Pridie Kal. Octobris hobiit Beneſacius de hoc ſeculo ad vitam per Indiction. V. feriâ quartâ.

Idus Januarii obiit Johannes de hoc ſeculo ad vitam.

IV. Id. Martii obiit Liuzo ex hoc ſeculo.

XII. Kal. Aprilis obiit Atto.

Pridie Kal. Aprilis obiit Dominicus de hoc ſeculo ad vitam per Indiction. II.

VIII. Kal. Octobris obiit Johannes Presbyter Magiſtro de hoc ſeculo ad vitam per Indiction. IV.

IV. Kal. Decembris obiit Robertus Comes *de hoc ſeculo ad vitam per Indiction. IV.*

XII. Kal. Martii hobiit Petrus Presbyter de hoc ſeculo ad vitam per Indiction. XV.

IV. Non. Aprilis obiit Ildeburga de hoc ſeculo ad vitam per Indict. XIV.

XII. Kal. Septembris obiit Sigefredus de Braida per Indict. IX.

X. Kal. Octobris obiit Andrea Banzario de hoc ſeculo ad vitam per Indict. XI.

IV. Non. Julii obiit Gundevertus Presbyter de hoc ſeculo ad vitam per Indicton. V. feriâ ſextâ. Petrus Presbyter.

IV. Id. Septembris obiit Regiza de hoc ſeculo ad

ad vitam per Indiction. III. feriâ quartâ.

VII. . . . . Octobris obiit Ermenperga de hoc ſeculo ad vitam per Indiction. XI. feriâ ſecundâ.

IV. Kal. Februarii obiit Ardingus Epiſcopus *in Papia, & fuit ſepultus in Motina, III. Non. ejuſdem Februarii per Indict. I. Extractus eſt de eo loco, ubi ſepultus fuit in arca ſaxea, cum aliis ab ipſo* Domino Ildeprando Epiſcopo *manibus ſuis cum magno honore, Pridie Idus Magii, imperantibus Domno Otto, itemque Otto filio ejus, per Indict. I.*

III. Non. Decembris obiit Johannes Presbyter de Mediolano de hoc ſeculo ad vitam per Indiction. XIII.

. . . . . . Kal. Octobris obiit Johannes Magiſtro de hoc ſeculo ad vitam per Indict. IV.

XIII. Kal. Aprilis obiit Lupo da Via de hoc ſeculo ad vitam per Indict. III.

Pridie Id. Martii obiit Sigefredus Archidiaconus de hoc ſeculo ad vitam per Indict. IX.

XIV. Kal. Novembris obiit Valkerius filius Atoni.

III. Kal. Martii obiit Maria per Indict. X.

Nonis Januarii obiit Andrea Subdiaconus de hoc ſeculo ad vitam per Indiction. XIII.

XI. Kal. Februarii obiit Rainardus de oc ſeculo.

IV. Nonas Februarii obiit Sigezo de oc ſeculo.

Nonis Februarii obiit Kerrado de oc ſeculo.

XIV. Kal. Julii obiit Giſelberga de hoc ſeculo ad vitam, Indiction. II.

III. Kal. Julii, quod fuit feſtivitas Apoſtolorum Petri & Pauli, obiit Gotefredus de Beloniense, *&* Ermerada uxor ejus. *Obiit ipſa Kalendis Julii de hoc ſeculo, quod fuit* Genitor & Genitrice Domni Warini Epiſcopi Motinenſis Eccleſie, *per Indiction. I.*

VI. Id. Septembris obiit Venerando de hoc ſeculo per Indict. IV.

X. Kal. Novembris obiit Ildegarius Notarius de hoc ſeculo ad vitam per Indiction. VI.

VIII. Kal. Novembris obiit Erimberga de hoc ſeculo ad vitam per Indiction. V.

III. Id. Februarii hobiit Roprega per Indict. XII.

III. Non. Februarii obiit Ildegarda de hoc ſeculo per Indict. XII.

XVI. Kal. Februarii obiit Ermengarda per Indict. XII.

Pridie Nonas Aprelis obiit Anna de hoc ſeculo per Indict. XII.

X. Kalendas Aprelis obiit Wibertus *de hoc ſeculo ad vitam per Indict. IV.*

XI. Kalendas Maji obiit Sigiza de hoc ſeculo ad vitam per Indiction. XII.

IX. Kalend. Januarii obiit Wilelmus *filius Raginardi de hoc ſeculo ad vitam per Indiction. XII.*

Nulla heic occurrunt illuſtria nomina, ſi excipias *Robertum Comitem*, quem liceat opinari Mutinenſium Comitem fuiſſe, & *Ardingum Epiſcopum*, & parentes *Warini Epiſcopi*. Quis ille Ardingus Epiſcopus fuerit, fruſtra hucuſque inveſtigavi. Crederes Epiſcopum Mutinenſem: ſed nulla ejus mentio in catalogo Antiſtitum Mutinenſium apud Sillingardum, & Ughellium. Dicitur, diem poſtremum clauſiſſe *in Papia IV. Kal. Februarii*, tumulatus poſtea Mutinæ *III. Nonas ejuſdem Februarii*. Additur extractum illum fuiſſe *de eo loco, ubi ſepultus fuit*, ab *Hildeprando Epiſcopo*, imperantibus Ottone Magno, ejuſque filio Ottone, *Indictione Prima*, hoc eſt, Anno Chriſti DCCCCLXXIII. Atqui Hildeprandum iſtum præfuiſſe Mutinenſi Eccleſiæ Anno DCCCCLXX. Diploma editum ejuſdem Ottonis I. Auguſti teſtatur. Attamen ſuſpicionem mihi prorſus evellere nequivi, hunc etiam *Ardingum* Mutinenſi infulâ fuiſſe donatum, utpote qui rexiſſe hanc Eccleſiam inter Widonem & Hildeprandum Epiſcopos, & ante Annum DCCCCLXX. finem vivendi feciſſe potuerit. Cur enim Ticini mortuo tumulus Mutinæ datus fuerit? Civis ſaltem Mutinenſis fuiſſe videatur. *Warinus Epiſcopus Motinenſis Eccleſiæ* heic memoratus, circiter Annum MIII. ad iſtam Cathedram aſcendit. Animadvertas autem in ſupra edito Necrologio nomina quædam, ſigno peculiari a reliquorum hominum nominibus diſtincta, cujuſmodi ſunt, *Martinus Clericus, Cuſtos, qui & Azo vocatur*; *Johannes Preſbyter Magiſter*; *Sigefredus de Braida*; *Andreas Banzario*; *Johannes Presbyter de Mediolano*; *Lupo da Via*; *Wilelmus filius Rainardi &c.* Quæ res perſuadere nobis poteſt, ne eorum quidem temporum hominibus ſigna, quum vellent, defuiſſe ad alterum ab altero diſcernendum. Neque inſalutatum præterire volo primum illud nomen: hoc eſt, *Martinus Clericus, qui & Azo vocatur*. Hinc intelligis, ruere conjecturam Clariſſimi Leibnitii putantis, nomen *Azo* per contractionem idem fuiſſe atque *Albertus*, ſeu *Adelbertus*: quod & in multis aliis locis animadverti. Et profectò Chartas oſtendere poſſumus, e quibus pateat, aliquando aut ex titulo alicujus miniſterii & officii, aut ex loco, aut ex parentis nomenclaturâ diſtinctos fuiſſe homines, ut erroris periculum averteretur. Exempli cauſsâ, erat aliquis Marchio, Comes, Vicecomes, Advocatus, Notarius, Judex, Scabinus, Vaſſus alicujus, Presbyter &c. Satis plerumque fuit Nomini adjungere Titulum hunc, ut is inter alios Cives dignoſceretur. Nos quoque in quotidiano ſermone permultos deſignare ſolemus, adhibito tantùm titulo officii cum nomine, aut cognomine illorum. Ubi verò deſiderabatur titulus, addebatur Nomini ejus Patria: qua ratione nunc etiam ſacrorum Cœnobiorum Monachi, abjecto Cognomine, ſeſe diſtinguunt. Denique addito nomine ſive Patris, ſive Matris, complurium perſona certo deſignabatur: quem poſtremum ritum audivi adhuc perdurare in quibuſdam ditionis Eccleſiaſticæ pagis montanis, quorum incolæ, etiamnum antiquis moribus viventes, neglecto Cognominum uſu, Patris tantùm appellationem ad ſe diſtinguendos uſurpare pergunt. Id etiam in montibus Garfagnanæ Provinciæ, Mutinenſi Duci ultra Apenninum ſubjectæ, animadverti adhuc poteſt: cujus rei teſtis eſt mihi locuples non unus. Præterea idem ritus apud Arabes unice erat olim in uſu. Verùm uti Elmacinus Lib. 12. Hiſtor. Saracen. Cap. 8. ſcribit, Fadlus circiter Annum Chriſti DCCCXVII. *primus adhibuit in Epiſtolarum inſcriptionibus Cognomina & Agnomina. Ante enim ſcribere tantùm ſolebant homines in inſcriptionibus: Ab N. filio N. ad N. filium N.* Sed minime apud Muſulmanos, ſive Arabes, antiquum morem fuiſſe obliteratum, ſatis ſequentium temporum Hiſtoria prodit. Neque aliâ ratione uſos Majores noſtros ante Annum a Chriſto nato Milleſimum, ut ſeſe certo deſignarent, multis oſtendi poſſet exemplis veterum

rum Chartarum, quas in Antiquitatib. Eſtenſib. produxi. Peti & alia poſſunt exempla ex Chartis, quas in Chronico Vulturnenſi evulgavi Part. II. Tomi I. Rer. Italicar. pag. 387. 396. 397 411. &c. ut alia omittam. Ego nunc id mihi dumtaxat oſtendendum ſumo, ſcilicet vel poſt Annum Milleſimum perduraſſe conſuetudinem hujuſmodi. Prodeat ergo Placitum, cujus authenticum vidi in Archivo Monaſterii Benedictinorum Sanctarum Floræ & Lucillæ Aretii.

Placitum coram Bernardo & Mazzolino Comitibus & Miſſis Henrici Regis habitum, in quo Rodulphus Abbas Monaſterii Sanctarum Floræ & Lucillæ obtinet quoſdam agros contra Griffonem filium Berardi, qui citatus ſiſtere ſe noluit ad Placitum, Anno 1014.

DUm Bernardus, *&* Mazzolinus Comites *&* Miſſi Regis Einrici, *juſſu ipſius aberent Placitum prope Civitatem Aretinam, aderat* Rodulfus Abbas Eccleſie Monaſterii Sancte Flore: *innotuit eis, qualiter Griffo filius Berardi tenebat non proprietario jure, ſeu occaſione Cartule convenientie, que Libellus dicitur, quaſi quot pater ipſius ab* Azone Abate *adquireret, ad Cenſum redendum aliquantam terram cultivam, & aliquis ex ea, cum Silva, que eſt in Comitatu Aretino, prope Montem Ferentinum in loco, ubi dicitur Lappina; de ſecunda eſt terra Griffonis, & filiorum Wilielmi; de tertia parte eſt terra de Caſale de Eſce; de quarta parte eſt terra Sancte Flore. Unde querebat predictus Abbas, ut ipſe Griffo ad Placitum veniens ſuum Libellum deferret, & ſibi juſtitiam faceret, aut ipſam terram ſibi legaliter defenderet, aut ipſe diceret, cujus ereditas erat ea re. De re igitur cum per dies plurimos clamaſſet, alia diceret, & predicti Comites eum cotidie, ut ad Placitum veniret per Preconem compellerent: qui Griffo dum latitans & effujens numquam appareret in Placito, ut finis ujus litis imponeret, tandem circa finem Placiti predicti Comites & Miſſi Regales commoti & flexi, & miſericordiam tandem adimplentes juſtitiam, per lignum, quot manu jerebant, miſerunt bannum ſuper denominatum Abbatem Rodulfum & preſcriptam terram in Mancuſos aureos duo milia, ut nullus mortalium, magna vel parva perſona, preſcriptam Eccleſiam Sancte Flore, vel Fratres Monachos ibi Deo famulantes de predicta terra deveſtire, inquietare, vel moleſtare audeat ſine legali judicio. Qui verò fecerit, predictos duo milia Mancuſos aureos compoſiturum ſe eſſe cognoſcat, medietatem Camare Regis, & medietatem dicto Monaſterio & Fratribus & Cenobitis, ibi Deo famulantibus. Ubi autem ec geſta ſunt, Lambertus, Gausfredus, Liutardus, Ugo, Bonizo Judices,* Walfredus Comes, *Ugo filius Gerardi, & Ugo Notarius, Gerardus & Teudericus fratres, Everardus filius* Walcheri, *Petrus & Ugo filii Ugonis, Griffo, & Griffo da Montagnano, & Urſus filius ejus, Bonefatius filius Bezzonis, Rainerius filius Berardi, Raginerius filius Ildiprandi, Griffo filius* Wilielmi, *Faralmus, & Gotizo, & Teuzo, Teudaldus, &* Wido *fratres filii Supponis, & infinita multitudo aliorum omnium, quorum nomina pre multitudine ſcribere nequeo.*

Ego quidem Johannes Notarius juſſu preſcriptorum Comitum & Judicum amonicione, & omnia denotavi in Anno ab Incarnatione Dominica Milleſimo Quarto Decimo, Anno verò invictiſſimi Inrici Reges Secundi regnantis Duodecimo, Menſe Februario, per Indictione Duodecima.

✠ *Signum Mazzolini Comitis & Regales Nuntii, qui interfuit.*

✠ *Signum Bernardi Comitis & Miſſi Regalis, qui aderat.*

Lambertus Judex interfuit & ſubſcripſit.

Gausfredus Judex Domni Regis interfuit.

Indica mihi, ſi potis es, unum inter tot viros Placito adſtantes aut aſſidentes, cui præter Nomen Cognomen quoque fuerit. Nullum oſtendes. Acta hæc vides Anno MXIV. Quid Anno MXLVI. exſculpere poſſis ex altero Placito, brevì intelliges. Illud ego deſcripſi e Tabulario Canonicorum Regularium Piſtorii.

Pla-

Placitum Piſtorii habitum coram Guiberto Comite Miſſo Regis Henrici , in quo Præpoſitus Monaſterii Sancti Bartholomæi Piſtorienſis obtinet contra quoſdam , Anno 1046.

D*Um in Dei nomine , infra Civitate Piſtoria , in Caſa ſolarata donicata de Domui Sancti Zenonis ibi reſidebat* Wibertus Comex Miſſus Donni Enrichi Regis , *a cauſas audiendas hac deliberandas , reſidentibus cum eo* Martinus Epiſcopus *ſancte ipſius* Eccleſie Piſtorienſis beati Zenonis , *gratia Dei umilis Epiſcopus , & Johannes , & Eriprando, & Guinitho , & Teutho Judicibus , & Roctichiſi Notarius , & ibi aderat Rollando filio Lamberti , & Brentane filio Anſelmi , & Saracino filio Omichi , & Donato filio Petri , Paulo filio Gualberti , Guido filio Johannis , Leo filio Rollandi , Siifredi filio Ildibrandi , Guido & Fantino germani filii Gerardi , Ildibrando & Rodolfo germani filiis item Rodolfo , qui Fuſco vocatur , filio Teuthi , Ildibrando filio Walberti , Baruncho filio Gerardi , Cicho filio Petri , Raineri filio , & reliquos plures : ibique in eorum preſentiis veniens Tethaldo Prepoſitus de Monaſterio Sancti Bartholomei , qui eſt prope Civitatem Poſtoria , cum Petrus filio Erithi Avocato ſuo , ſic ceperunt dicere , & proclamare , & vociferare :* Per tres dies a vos predicto Wibertus Comex Miſſus Domni Enrichi Regis de Ildibrando filio bone memorie Guidi de loco Maune, & de Siifridi, qui Groſſilello vocatur, filio ſupraſcripti Siifridi , quod ipſe Siifridi , qui Groſſilello vocatur , qui contendit mihi a pars predicti Monaſterii Sancti Bartholomei terram & rebus , que vocatur Broilo , & ſupraſcripto Ildibrando detinet terram & rebus & Eccleſia in loco , ubi dicitur Abatiſco , cum integre duo rex ſortis , que ſunt poſita , una in loco Viugnale , alia rex ſorte eſt poſita in loco Arciano , cum una petia de terra & vinea , que eſt poſita in loco Cerbiano , una cum omnibus terris & rebus illis , que ſunt poſitis in loco Neure , qui ad ipſam Eccleſiam Sancte Marie de Abatiſco eſt pertinentes , una cum omnia pertinentia & jacentia ſua , que ad ipſam Eccleſiam & ſortis & terris & rebus ſuis pertinentiis; unde a vos predicto Wibertus Comes Miſſus Donni Enrichi Regis reclamavimus per tres dies ; & a veſtrum Placitum vociferare feciſti , ut a veſtrum Placitum veniſſet , & inibi juſtitiam feciſſet : & minime eis ad veſtrum Placitum habere potuiſti . *Cum ipſe Tetthaldus Prepoſitus cum predicto Avocato ſuo taliter dixiſſet ; tun predictus Wibertus & Miſſus Donni Regis , una cum predictis Judicibus, qui ibidem aderat, ita recordari dixerat , & omnia vera eſſe , & ſic predictus Prepoſitus una cum predicto Avocato ſuo dixerunt . Tun predictus Prepoſitus una cum predicto Avocato ſuo petivit miſericordiam , ut ipſe propter Deum , & anima Donni Regis , hanc ſuamque mercedes , & unam partem predicti Monaſterii Sancti Bartholomei , de omnibus predictis rebus , que ſuperius legitur , & de omnibus rebus illis , que ad predictis terris & rebus ſortis Eccleſie ſunt pertinentes , ad ſalvam querelam inveſtivit , quouſque predicto Ildibrando & Siifridi , qui Groſſilello vocatur , ad Placitum veniſſet , & ei juſtitiam feciſſet . Hoc dictum , tuc per conſilium veſtrorum Judicum predicto Miſſo Donni Regis predicto Prepoſitus , & jam dicto Avocato ſuo de omnibus predictis rebus ad ſalvam querelam parte predicti Monaſterii Sancti Bartholomei inveſtivit , quouſque predicto Ildibrando & Groſſilello ad Placitum veniat , & juſtitiam faciat a pars predicti Monaſterii Sancti Bartholomei . Et inſuper miſit bannum Donni Regis ſuper predicto Prepoſitus & Petrus Avocato ſuo , & ſupraſcriptis rebus in Mancuſos aureos duo millia , ita ut nullus quislibet omo , magna parvaque perſona , diſveſtire audead , aut aliquam contradictionem vel moleſtationem faciat . Qui vero oc fecerit , predicta duo millia Mancuſos aureos compoſituros ſe agnoſcat , medietatem parte Camare Donni Regis , & medietatem eidem predicti Monaſterii Sancti Bartholomei , & ad illius Prepoſitus , qui ibidem pro tempore fuerit . Et ac notitia pro ſecuritate ejus Monaſterii fieri admonuerunt .*

Quidem & ego Roctichiſi Notarius per juſſionem Miſſi Donni Regis , & Judicum amonitionem ſcripſit , Hanni Domini noſtri Jeſu Chriſti Milleſimo Quadrageſimo Seſto Menſe November , Indictione XV. feliciter .

✠ *Signum manus ſupraſcripti Wibertus , Miſſo Donni Enrichi Regis , qui ac notitia ſuam propria manus firmavit .*

✠ *Ego* Martinus Epiſcopus *manu mea ſcripſi .*

Teutho Judex interfuit .

✠ *Johannes Judex interfuit .*

✠ *Guinitho Judex interfuit .*

✠ *Heriprando Judex Donni Imperatoris interfuit .*

Ne heic quidem Cognomina deprehendas ; ſed ſingulos homines deſignatos aſpicis , aut ex eorum Titulis , aut ex additamento Patris . Longius adhuc progrediamur , ad Annum videlicet MXCIX. & Mathildis Comitiſſæ Placitum prodeat , quod olim mihi ſuppeditavit ex adverſariis ſuis , vivens Florentiæ ornamentum, Philippus Bonarota Senator Florentinus , ex editis Libris vir Clariſſimus .

Placitum Florentiæ coram Comitiſſa Mathilde habitum, in quo Guido Comes terras a Guidone filio Bonifacii renuntiatas concedit Canonicis Eccleſiæ Sanctæ Reparatæ, Anno 1100.

DUm in Dei nomine, in Civitate Florentia, in Palatio domus Sancti Johannis, in judicio reſideret Domna Matilda *Dei gratiâ* Dux & Marchioniſſa, *reſidentibus cum ea* Widone Comite *filio bone memorie* Widonis, *& Arderico, & Ubaldo, & Teuzone, & Benjamino Judicibus, & Bellincione, & Ildebrando, & Donato Cauſidicis, & Sichelmo, & Lamberto Notariis, & ſtantibus cum eis Sichelmo filio Adaleite, & Gerardo filio Soavizi, & Johanne filio bone memorie Ugonis filii Johannis, & Johanne filio bone memorie Donati, &* Gerardo Caponſacco, *& Bonfantino, & Johanne filio bone memorie Rolandi, & Rolando filio Gualberti, & Guitone, & Idelbrando nepotibus Jochi, & Gherardo Gaſtaldio Domne Matildis, & Johanne & Petro germanis filiis bone memorie Briccoli, & aliorum plurium preſentia: Guido filius bone memorie Bonifatii, per lignum, quod ſua tenebat manu, refutavit in manu predicti Guidonis Comitis omnes terras & res, quas per Feudum detinebat ab eodem* Wi*done Comite in Curte de Campiano. Et tunc ipſe* Wido *Comes inveſtivit Aczonem Presbyterum, & Ugonem, & Rodulfum Diaconum, & Canonicos Eccleſie Sancte Reparate, ſite in Civitate Florentia, in qua Domnus Rolandus reſidet Prepoſitus. Et ſtatim ipſi Clerici ceperunt querere mercedem ab ipſam Donnam Matildam Dei gratiâ Ducem & Marchioniſſam, ut bannum ſuum ſuper preſcriptis terris & rebus mitteret. Et tunc ipſa Donna Matilda, Dei gratiâ Dux & Marchioniſſa, miſit bannum ſuum ſuper preſcripto Aczone Presbytero, & ſuper preſcriptis terris & rebus, ut nulla perſona jam dictam Eccleſiam Sancte Reparate, ſuoſque Rectores exinde deveſtire aut moleſtare preſumat ſine legali juditio. Et qui hoc fecerit, quinquaginta Libras bonorum Denariorum Lucenſium compoſiturum ſe agnoſcat, medietatem Parti publice, & reliquam medietatem preſcripte Eccleſie Sancte Reparate, ſuiſque Rectoribus.*

Et ego Petrus Notarius ex juſſione Donne Matilde Dei gratiâ Ducis & Marchioniſſe, & Judicum ammonicione ſcripſi Anno Dominice Incarnationis Milleſimo Nonageſimo Nono, Sexto Nonas Martii, Indictione Octava.

MA TIL
DA DI
GRA SI
QD EST

Ego Ardericus Judex interfui & ſubſcripſi.

Ego Teuzo Judex, quia me preſente factum eſt, ſubſcripſi.

Ego Ubaldus Advocatus interfui & ſubſcripſi

Annum MXCIX. Chartæ hujus apographum exhibet cum *Indictione Octava* conjunctum. Petat aliquis; num recte conſignati fuerint Chronologici iſti characteres. Anno quippe MXCIX. decurrebat *Indictio VII.* Sexto Nonas Martias. Sed animadvertendum eſt, Florentinorum morem fuiſſe, & adhuc perſeverare, numerandi annos ab Incarnatione, hoc eſt, a die XXV. Martii, ita ut ii Annum ipſum noſtrum ſeriùs exordiantur; atque adeo Nonis Martii, decurrente *Indictione VIII.* iis numerandus fuit Annus MXCIX. qui tamen nobis eſt Annus MC. Heic autem rurſus habemus viros non paucos, nullo Cognomine inter ſe diſtinctos, quibus Cognominis loco eſt aut Patris aut Matris appellatio. Matris, inquam: nam ut heic *Sichelmus filius Adaleitæ* occurrit, ita & alibi reperimus alios a nomine tantùm Matris ſuam peculiarem denominationem deſumſiſſe, eâ ratione, ut puto, quod diutius ante eorum Pater ad plures abiiſſet, & notior eſſet Mater ſuperſtes. Attamen *Gerardus Caponſacco* hinc erumpit, Cognomine videlicet ornatus. Sed hoc fuerit *Supernomen*, non verò quod nunc appellamus *Cognomen*. Vide infra commemoratam Chartam Mutinenſem Anni DCCCCXVIII. ubi occurrit *Lampertus, qui ſupernominatur Cavinſacco*. Illud quidem extra controverſiam poſitum eſt, etiam ſubſequenti Sæculo Duodecimo, immo & ipſo Tertiodecimo, complures occurrere in publicis Actis memoratos, eoſque non ignobiles viros, a quibus nondum ullum Cognomentum aſſumtum fuerat. Nobiles autem viri & ipſi aut per nomen Patris, aut appellatione ditionis & Feudi, quo fruebantur, perſonam ſuam indicare conſueverunt. Compoſita fuit in agro Mutinenſi ad Sanctum Cæſarium controverſia quædam inter *Mathildem* celeberrimam *Comitiſſam* nuper memoratam, & *Landulphum Epiſcopum Ferrarienſem*. Interfuere ſtipulationi concordiæ iſtius non pauci Nobiles viri, utriuſque partis Vaſſalli. Nullus inter eos Cognomine proprie accepto ſpectandum ſe præbet. Quali autem notâ diſtinguerentur, ipſa Charta prodet, quam deſcripſi e Collectaneis MSStis Peregrini Priſciani Ferrarienſis in Eſtenſi Bibliotheca adſervatis.

Refutatio ſive reſtitutio multorum agrorum facta a Mathilde Comitiſſa & Duciſſa Landulfo Epiſcopo Ferrarienſi, Anno 1109.

IN nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. A Anno Dominice Nativitatis Milleſimo Centeſimo Nono, Paſcale in Apoſtolatu Anno Decimo, Regnante Henrico Quarto quondam Henrici Imperatoris filio Anno Tertio, die IX. Menſis Junii, Indictione Secunda, in loco, qui vocatur Sancti Ceſarii. Quamquam omnis promiſſio ſolis verbis firma & immobilis teneri debeat, tamen ne ea, que promittuntur, oblivioni tradantur, dignum fore duximus, quatenus ſecundùm oris dicta Carta monſtrentur inſcripta. Quapropter ad memoriam future poſteritatis deſcripſimus refutationem & finem, atquè perpetualem transhactionem, quam fecit Domna Matilda inclita Comitiſſa Domno Landulfo Dei gratiâ Ferrarienſi Epiſcopo. Refu- B tavit namque predicta Domna Comitiſſa Matilda per virgam, quam in manu ſua ſuſcepit, in manu predicti Landulfi Epiſcopi Ferrarienſis, & per eum in Eccleſiam Sancti Georgii Epiſcopi Ferrarienſis, totum & integrum ſcilicet fundum unum, qui vocatur Bathrignano, cum Caſalibus & appendiciis ſuis, ſeu ſilvis, & omnibus piſcariis & paludibus ſuis, & cum omnibus ad totum prefatum fundum, qui vocatur Bathrignano, pertinentibus. Cujus latera ſunt hec: a primo latere Albareto, cujus medietas ad prefatum fundum Bathrignanum pertinet, & altera medietas de jure Monaſterii Sancti Silveſtri Nonantulenſis eſſe videtur; a ſecundo latere media Foſſa, que vocatur Candus, C percurrens uſque in foſſatum; a tertio latere Maſſa, que vocatur Duo Baſilice; atque a quarto latere fluvio Pado percurrente. Et refutavit ſimiliter predicta Comitiſſa predicto Epiſcopo, ſicut ſupradictum eſt, totas & integras omnes res illas immobiles, quas quondam Cono de Calaone in tempore ſue mortis per ſuum teſtamentum in prefata Eccleſia Sancti Georgii pro ſua anima reliquit, & poſt ejus mortem a ſuis fideicommiſſariis per donationis Cartam tradita ſunt. Que predicte res poſite ſunt in inferius ſcriptis fundis & locis: ſcilicet in Villa Comite, & in Manezo, & in Villanova, & in Bagnolo, & in Ponzano, & in Flexo, & in Filzatico, & in Runzi, & in Sadriano, cum D omnibus juris & pertinentiis in prefatis locis ſibi pertinentibus. Hec quidem omnia, ſicut ſupra dictum eſt, refutavit prefata Comitiſſa in prefato Epiſcopo, cum terris, vineis &c. Unde pro Dei timore & anime ſue remedio, dedit inveſtituram prefato Epiſcopo: & in ſuis manibus miſit Joannem de Maſſa Nuntium ſuum, qui prefatum Epiſcopum, vel ſuum Nuntium in vice prefate Eccleſie Sancti Georgii de omnibus prefatis rebus corporaliter inveſtiat ad habendum, poſſidendum, ordinandum, diſponendum, & quicquid prefato Epiſcopo, ſuiſque ſucceſſoribus dehinc exinde placuerit in perpetuum faciendum. Quam ſcilicet refutationem & tranſactionem firmam & irrevocabilem in E perpetuum tenere & conſervare cum ſuis heredibus vel ſucceſſoribus coram inferius legendis teſtibus promiſit. Quod ſi non fecerit, vel ſi omnia prefata non conſervabit, aut ſi prefatas res amplius intromiſerit vel abſtulerit, vel ſi conſenſerit alicui abſtrahere vel diminuere, quod promiſit & ſpopondit ſe daturam cum ſuis heredibus vel ſucceſſoribus, pene nomine, duplum iſtius rei in conſimili loco prefato Landulfo Epiſcopo, ſuiſque ſucceſſoribus Epiſcopis, & prefate Eccleſie Sancti Georgii. Et ſolutâ penâ firma & ſtabilis in perpetuum remaneat iſta finiſe & perpetualis tranſactio: Que facta eſt dictant, Aldigerio Judice coram inferius legendis teſtibus, quorum nomina inferius leguntur.



Ego Bernardus ſancte Parmenſis Eccleſie humilis ſervus, & Domni Paſqualis in Longobardie partibus Vicarius, licèt indignus interfui & ſubſcripſi.

Ego Adiherius Regie Aule Judex ſubſcripſi.

Nomina quidem teſtium ſunt hec: Ugo Mantuanenſis Epiſcopus, Ardoinus de Palude, Azo de Sala, Saſſo de Bibianello, Albericus de Nonantula, Azo filius Ubaldi, Ardoinus filius Ugonis filii Ottonis, Raimundus de Rothilla, Iginulfus de Gandaceto, Raimundus de Nonantula, Wielmus filius Bulgari, Petrus de Remenda, Sivelmus, Siginulfus filius ejus, Petrus de Carimundo, Signorellus filius Creſcentii, Wezo, Ubertus de Presbitero Fantino, Romanus, Verardus de Vitale, Wido de Azone, Petrus Tanis, Albertus Conſtablus.

Et ego Bonusvicinus Notarius preſens, videns, & audiens, manu propria ſcripſi, & complevi, & dedi.

Principes viri, ſive Duces, ſive Marchiones, & Comites, illuſtrium ejuſmodi titulorum ope conſpicuos ſeſe olim præbebant. Et profectò quum rari illi tunc eſſent, & eorum nobilitas ac potentia famam comitem haberet, ſat fortaſſe fuit, ut inter reliquos dignoſcerentur, eorum Nomini tantummodo Dignitatis titulum adjungere. Nihilo tamen ſecius temperare mihi non poſſum, quin de oſcitantia Majorum noſtrorum expoſtulem, quibus tam parum cordi fuit eruditio ſubſequentium Sæculorum. Quum enim ſæpe ac ſæpius Comitem, Marchionem, aut Ducem memorarent, nullâ adjectâ mentione Urbis, Marchiæ, aut Ducatus eorum, in maximas difficultates conjecere poſterorum ſtudium, ad recte deducendas & extricandas antiquorum Principum Genealogias: quod potiſſimùm expertum me fateor in Eſtenſium Principum origine & progreſſione inveſtiganda. Apud eos ſæpe occurrit Berengarius Marchio, Guido Comes, Adalbertus Marchio, & hujuſmodi alii. Cur, quæſo, quum de Epiſcopis ſermo erat, eorum Civitatem fere ſemper prodidere? quum verò Principum mentio facienda erat, ſæpe ab eorum ditionibus memorandis abſtinuere? Si tempeſtate illâ ſat notus fuit eorum quiſque, audito dumtaxat eorum

eorum Nomine ac Dignitate: noſtrâ certe par intelligentia excogitanda non erat. Nuper vidimus *Bernardum* & *Mazzolinum Comites*, Miſſos Henrici II. Regis, Aretii Anno MXIV. Ii *Comites* appellantur, ſed cui Civitati præeſſent, calamus nequaquam exaravit. Ita in Antiquitat. Eſtenſibus non paucos *Marchiones* exerui: quam tamen *Marchiam* ipſi regerent, fruſtra Lector inquirat. Quod etiam plus mirere, vel in ipſis donationibus, in quibus iidem etiam Principes patrem ſuum laudare

A conſueverunt, interdum pater deſideratur. Porro hinc factum eſt, ut non tantùm Marchia, ſed & Familia *Almerici*, ſive *Amelrici Marchionis* Sæculo Decimo ſubducta ſit oculis meis, & adhuc lateat. De illo egi in Antiquitatibus Eſtenſibus. Nunc autem evulgare juvat poſtremas ejus tabulas, quales reperi in Collectaneis MStis Peregrini Priſciani Ferrarienſis. Duo alia ejuſdem Teſtamenta dedi ſupra in Diſſertatione XXI. *de Italiæ ſtatu*.

Teſtamentum Almerici Marchionis, & Francæ ejus Conjugis, quo hereditatem ſuam relinquunt Eccleſiæ Adrienſi, circiter Annum 938.

Domno *noſtro Sereniſſimo* Auguſto Ugone & Lothario filio ejus, *magnis* Regibus Longobardorum, *Imperium verò Romanorum Anno Duodecimo & Anno Octavo, per Indictionem XI. Dominus omnipotens, ac Redemptor noſter, animas, quas condidit, ad remedium ſalutis ſemper indulgeat. Ideoque ego* Almericus *glorioſiſſimus* Marchio, *propter remedium anime mee, &* Franca *jugalis mea, in die tremendi Judicii ſimilis invenitur conſortio electorum conſociari. In Domo beati Petri Apoſtoli Domini noſtri Jeſu Chriſti, cui tradidit claves Regni celorum, Sancte Adrienſis Eccleſie, volo & jubeo, ſeu relinquo omnes res illas, quas mihi pertinet in ſupraſcripto territorio Adrienſi per loca & vocabula: id ſunt, Curtes & Silvas, que eſt Inſula, que dicitur Laco, ſeu Inſula Volana, que & Pompoſia vocatur, atque Inſula Laureto, ſeu Inſula Lanariolo, atque Maſſam Cornito, & Maſſa Donorum, & que mihi pertinet in Plebe ſupraſcripte ſancte Eccleſie Adrienſi, que vocatur Sancta Maria in Tamara, una cum fundoris, ideſt fundo Curlo, & fundo Salecto Gudoni; ſicque & in Plebe noſtra ſimiliter, que vocatur Sancti Martini in Maſſa Rovina, cum ipſa Maſſa, & cum fundoris ſuis integris, ſeu Plebe Sancti Petri in Bagnolo, ſita ſuper ripa Fluvii Padi, una cum fundoris ſuis in circuitu: ideſt fundo de Albaro, & fundo Babilonia, & in fundo Populare, ſeu fundo Calderolo, & fundo Pradatico, atque Valle Maurina, ſeu Roncho Galli; ſicque Miciana, ſeu Pradale; ſicque in fundo Duſio, & Criſpiana, ſeu Valle Fuſca, & Valle Celariani, ſeu Corizo Butani, & fundo Surlano. Sicque omnes res meas de Plebe noſtra Sancti Stephani, ſita in fundo Bulniticus juxta Porto veſtro, qui vocatur in Corrigia, ſeu in Plebe veſtra Sancti Joannis, ſita in fundo Senetica; & fundoras ſeptem, que vocantur Septimo, fundus Salciaticus, & fundo Caſalia, ſeu in Plebe veſtra Sancte Marie, ſita in fundo Trentule, que pertinet de Maſſa noſtra Sereniana, una cum omnibus fundoris ſibi pertinentibus in integrum. Similique modo omnes res noſtras, que nobis pertinent in alia Plebe veſtra Sancte Marie in Baſilice, cum duodecim fundoris noſtris, atque in Plebe veſtra Sancti Donati in Pedrulio, cum fundoris noſtris; & Vicos in circuitu, Erbatico, & Cirpiliatica, Marliatica, Purpuriana, Madrie, Quirenti, Fulciaticus, Coriario, Funtanelle, Majatecus, VicoBonoſo, Quaragnatica, & Surlaticus; ſeu fundo qui vocatur Corrio, & Spiſia, ſeu Spignoni, & Rondanato. Similique modo in Plebe veſtra Sancti Martini de fundo Fabriacus,*

B *cum fundo Puntredia, & Valle Quiana, & fundo Cornuda, ſeu Marciana, & fundo Macedonica, & fundo Vedreſano, & fundo Lavige; ſeu Curte, que vocatur Conſtantini, & fundo Danobrigo, & fundo Bagnolo, ſeu Gliriatecus, & Congratiolaria, ſeu Levenana, atque Villa Manna, & fundo Zanetus, & fundo Francolini, & fundo, qui vocatur Doſſo; Area, ſeu Corrigio Stidio, & Corrigio Taſſarolo. Simili quoque modo Maſſam Arcuada, & fundo Gragnano, & Cedremano, ſeu Longolane, atque Bruſceda, & Gardiliana, ſeu Maſſa noſtra Criſpini, & Maſſa noſtra Gavelli, atque Maſſa noſtra Liano, & Maſſa noſtra Campilio, & Curte noſtra Roda. Et omnes illas res, que nobis pertinet in ſupraſcriptis Plebibus, & ſupraſcriptis fundoris & vallibus ſeu Cortis atque Maſſis, & Vicoras, ſeu Villas, & in toto territorio Adrienſi nobis ſupraſcriptis jugalibus* Almericus *&* Franca, *inclito & glorioſo* Marchio, *per noſtramque hereditatem, aut per conquiſito, vel donum Regis, vel quolibet titulo, ſeu quolibet modo, generaliter & ſpecialiter pertinentibus vel adjacentibus adſint, in jure & dominio ſupraſcripte ſancte venerabili Adrienſi Eccleſie, una cum omnibus rebus ad ipſas ſupraſcriptas res pertinentes, cum domibus & ſtallareis, ſeu cum familiis noſtris inibi habitantibus, cum illorum peculiis generaliter vel ſpecialiter pertinentibus vel adjacentibus in rebus & uſibus meis integriter in integrum.*

Almericus Marchio *judicavit & confirmavit.*
Franca *etiam confirmavit.*
Damianus teſtis rogatus.
Dominicus teſtis rogatus.
Honoratus teſtis rogatus.
Stephanus teſtis rogatus.

Et ego Dominicus Chriſti miſericordiâ ſanctæ Adrienſis Eccleſiæ Notarius, videns hoc Judicii Inſtrumentum, nihil addens vel minuens, exemplavi Anno Domini Milleſimo Centeſimo Quinquageſimo, die III. intrante Septembri, Indictione XIII. in Eccleſia Sancti Petri Adriæ; tempore Eugenii Papæ, & Conradi Regis.

E Utique Chronologicæ Notæ aliquid præſeferunt inſuetum, quod ſuſpicionem ingerat adulterinæ mercis. Neque enim umquam Hugo Italiæ Rex Romanorum Imperium adeptus eſt. Attamen impoſturæ non eſt ſtatim damnanda papyrus. Neque enim novimus univerſos Tabellionum & vulgi errores, & præſertim indoctiſſimo Sæculo Decimo. Vide in Diſſertatione XXXVI. *de Emphyteuſibus*, nomenclaturâ ſimili donatum Hugonem Regem. Quod ſi germana Charta ſtatuatur, jam habes, *Marchio-*

chionem quidem nuncupari *Almericum*; ſed quibus ille regionibus imperaverit, in obſcuro omnino relinquitur, niſi quod in aliis Tabulis a me productis in Diſſert. XXI. *de Italiæ ſtatu*

A is appellatur *Marchio de Civitate Mantuæ*. Accipe & alterum exemplum, quod ex ditiſſimo Archivo Benedictinorum Sancti Sixti Placentini depromtum eſt.

Donatio Curtis Coirani facta a Lantberto Imperatore Ageltrudi Auguſtæ Matri ſuæ, Anno 896.

IN nomine Sanctæ & individue Trinitatis. Lantbertus *divinâ favente clementiâ* Imperator Auguſtus. *Notum ſit omnibus fidelibus preſentibus, noſtris videlicet & futuris, qualiter preclariſſima atque dulciſſima* Genitrix noſtra *adiit manſuetudinis noſtræ excellentiam per* Adelbertum *fidelem* Comitem *EX COMITATU ABRUTII, dilectum noſtrum Conſiliarium, ut quandam Cortem, quæ vocatur Coiranum in Comitatu Dertonenſe, ipſi Dominæ Genitrici noſtræ concederemus, & auctoritate noſtra Imperiali confirmaremus. Nos verò ejus precibus obtemperantes, decrevimus ita fieri. Concedimus igitur & confirmamus preclariſſimæ Dominæ Genitrici noſtræ, heredibus quoque ac proheredibus ejus Cortem ſupraſcriptam cum omnibus adjacentiis & pertinentiis ſuis juſte ac legaliter pertinentibus ſeu aſpicientibus in ſingulis fundoris & locis, ſervis & ancillis utriuſque ſexus, familiis, Aldionis, & Aldionabus, terris, vineis, campis, pratis, ſilvis, aquis, aquarumque decurſibus, coltis & incoltis, mobilibus & immobilibus, vel quicquid ad preſcriptam Cortem juſte ac legaliter pertinere dinoſcitur cum ſuo diſtricto ibidem ſuis degentibus*

B *vel aſpicientibus; ita ut neque Dux, Comes, Gaiſtaldius, Loco-poſitus, neque magni, parvaque perſona abſque ſui licentia diſtringere vel pignorare audeat, nec ullam moleſtiam facere. Inde juſſimus eidem Dominæ Genitrici noſtræ hoc auctoritatis Preceptum conſcribi, per quod decernimus atque jubemus, ut deinceps de ſupranominatis rebus ipſa Domina Genitrix noſtra, ſuique heredes ac proheredes habeant poteſtatem jure hereditario habendi, tenendi, fruendi, vendendi, commutandi ex noſtra Imperiali largitate & auctoritate pleniſſima, ſicut Lex eſt, & juſtitia unicuique homini de ſuis propriis facere rebus. Quicumque autem hujus noſtræ munificentiæ violator aut invaſor extiterit,*

C *vel aliquam violentiam agere præſumpſerit, quadringentas Libras auri optimi culpabilis habeatur, in perſolvendum medietatem Palatio noſtro, & medietatem præfatæ Dominæ Genitrici noſtræ, ſuiſque heredibus, vel cuicumque eaſdem res ei placuerit diſtribuere. Et ut hæc noſtra largitio preſens in ſua permaneat poteſtate, & ut verius credatur, ab omnibuſque obſervetur, manu propria ſubter firmavimus, & anuli noſtri impreſſione ſigillari juſſimus.*

Signum Domni ac Sereniſſimi Lantberti  *Imperatoris Auguſti.*

Locus ✠ Sigilli.

Am . . . . . Notarius ad vicem Helbungi ſummi Cancellarii recognovi & ſcribſi.

Data Menſe Maji, die IV. Indictione XIV. Anno Domini DCCCXCVI. Anno verò Domni Lantberti Imperii ejus V.

Actum Papiæ in Dei nomine feliciter. Amen.

In hoc Diplomate memoratur *Adelbertus fidelis Comes*: & continuo pone ſequebantur hæc alia verba, *ex Comitatu Abrutii*. Verùm ex membrana hæ voces eraſæ fuerant, & vix ſublucent, ita ut dubitationi ſit locus, an authentica ſit Charta. Facile in autographo deſideratum fuerit illud *ex Comitatu Abrutii*: quod aliquis deinde, ut Chartæ lucem adderet, jure-ne an injuriâ, adjecit. Itaque incuriam Majorum noſtrorum culpare ſubit, qui quum poſſent illuſtres viros diligentius poſteritati pingere, ſat habuerunt, nudis prope Nominibus eos commemorare, intelligentes quidem ipſi quæ ſcribebant, ſed nihil cogitantes de

D nobis, eorum ſcripta aliquando inviſuris. Jejune etiam nimis loquuti mihi fuiſſe videntur, vel quum Principum mentionem faciebant, etiamſi notitiam patris apponerent. Nam quis, rogo, tibi ſit *Otto Dux filius bonæ memoriæ Cononi*, cujus mentio eſt in Charta magni facienda, quam authenticam ego legi in Aſceterio ſacrarum Virginum Sancti Felicis Ticini? Et digna quidem eſt, quæ non ſinatur diutius in tenebris verſari, quum ad illuſtrandam Topographiam Mediolanenſis potiſſimum agri, ob multa loca ibi nominata plurimum præſidii adferre poſſit.

Nonnullorum Caſtrorum, aliorumque agrorum vendicio facta a Liutefredo Epiſcopo Derthonenſi Ottoni Duci filio quondam Cononis, Anno 998.

IN nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Tercius Otto gratiâ Dei Imperator Auguſtus, *Anno Imperii ejus Deo propicio Secundo, XV. die Menſis Genuarii, Indictione XI. Conſtad me* Liutefredus Epiſcopus *ſancte* Terdonenſis Eccleſiæ, *qui profeſſo ſum ex nacione mea Lege vivere Langobardorum, accepiſſe, ſicuti & in preſencia teſtium accepi ad te* Domnus Otto Dux filius bone memorie Cononi, *argentum Denarios bonos Libras treccenti, finitum pretium, pro medietatem de duas porciones de Corte una domui coltile, que nominattur Coronate, & de Caſtro uno inibi abente, & de Eccleſia infra ipſo Caſtro conſtructa in nomine Sancti Georgii: ſeu & medietatem de duas portiones de caſis & omnibus rebus illis, ſeu Capellis, ſervis & ancillis, aldiones & aldianas ad ipſam Cortem, & ad eadem Eccleſia pertinentibus: ſeu & medietatem de duas portiones de Caſtrum, quod nominatur Rauca. Item Coronate, qui eſt juſta fluvio Adua, & de caſis & rebus, ſeu Capellis, ſervis & ancillis, aldiones & aldianas ibidem abitantibus vel exinde pertinentibus tam in ipſis locis & fundis Coronate, & in Coronate, ſeu in Valle Summovico, Mezanuga, Villa Bulgari, Colonaro, Sebeate, Paſezaro, Verdezo, Beluſſelo, Saliinputeo, Trecio, Conciſa, Ambreciaco, Ambeciaco, Bugenaco, Boſonaco . . . . . medietatem de duas porciones de caſis & rebus territoriis illis, quibus eſſe videntur in locis & fundis Curunaſco, ubi dicitur . . . . . Trentixi, Bulgaro, Quintano . . . . . . & medietatem de duas porciones de caſis & rebus territoriis illis, cum ſervis & ancillis, aldiones & aldianas, ſeu Capellis inibi abitantibus vel exinde pertinentibus, quibus eſſe videntur in locis & fundis Caſale, Vigari, Vigueza, Pinioli, Moreniſe, Fanigaſi, Sale, Roderadi, Bibiano, Sparoaria, Baſeniana, Graſſa Berteraſſi. Verum etiam medietatem de duas porciones de caſis & rebus illis, & de ſervis & ancillis, aldiones & aldianas, ſeu Capellis inibi abitantibus, vel exinde pertinentibus, quibus eſſe videntur item in loco & fundo ubi dicitur Caſtro. Inſola, que nominatur Majore, infra Laci Majore, & de caſis & rebus territoriis illis, ſervis & ancillis, aldiones & aldianas, inibi abitantibus, & exinde pertinentibus, quibus eſſe videntur in vicis & fundis Strixia, Bavena, Cariciano; & de Caſtrum inibi conſtructum, quod clamatur Lexa Leocarni, cum domui coltilem, ſeu de caſis, & maſariciis, & omnibus rebus, ſive Capellis, ſervis & ancillis, aldiones & aldianas per ſingolis locis ad ipſa Corte & Caſtro pertinentibus, omnia ipſa medietas de ipſas duas porciones in integrum. Seu & medietatem de duas porciones de caſas illas cum areas ſuarum: & de Eccleſias tres cum areas ſuarum, una in onore Domini Salvatoris, alia in onore Sancte Dei Genetricis Virginis Marie, tercia in onore Sancti Romani; & de Curtes, & ortoras, ſeu puteis inibi abentibus, quibus eſſe videntur intra anc Ticinenſem Civitatem, tam ad locus, ubi Moneſterio Bernardi dicitur, quamque reliquas locis intra anc Urbem. Et medietatem de duas porciones de Corte una & fundo Stazona; & de*

A *alia Corte in loco & fundo Ciſtelli; ſeu de Caſtris, & Capellis, ſive de caſis & rebus, ſervis & ancillis, aldiones & aldianas, in eodem loco, & fundo Paniano.*

Item de predictis rebus per ſingolis locis, ſive caſis, ſediminibus, ſeu ſervis & ancillis inibi abitantibus, & exinde pertinentibus, & de Caſtellis, & Eccleſiis, ſeu Capellis, ſediminibus, ortis pummiferis, clauſuris, pratis, paſcuis, gerbis, ſilvis, caſtaneis, ſtallareis, montibus, vallibus, alpibus, & planicicbus, ripis, rupinis, piſtregis, molandinis, & piſcacionibus in . . . . . locis, que fuerunt jure & proprietatem quondam Betani, que fuit Genetrix mea. Nominative ipſa medietate ex ipſas duas porciones de ſupraſcriptas Cortes & Eccleſias, ſeu Capellas. Item de caſis, & maſariciis, univerſiſque rebus, ſeu ſervis & ancillis, aldiones & aldianas inibi abitantibus, & exinde pertinentibus, unde inter me, quem ſupra Liutefredus Epiſcopus, & Richardus ſeu Walderada jugalibus intencio fuit, & ipſa intencio diſinita fuit per Pugna inter meus Avocatus & predictus Richardus, preſenciá predicto Domni Ottoni Imperatori in Palacio ujus Ticinenſis, omnia ipſa medietas in integrum. Que autem ſupraſcripta medietate jam dictas duas porciones eaſdem Cortes, Eccleſias, ſeu Capellas, item caſis, maſariciis, univerſiſque rebus ſupra nominatis, una cum acceſſionibus & ingreſſoras earum, ſeu cum ſuperioribus & inferioribus earum rerum, qualiter ſupra comprehenſi una cum ipſa medietatem, & ipſas duas porciones de ipſis familiis in integrum ab ac die, tibi, qui ſupra, Domni Ottoni Duci pro ſupraſcripto argento vendo, trado, & mancipo, nulli alii venditis, donatis, alienatis . . . . . . vel traditis, nixi tibi. Et facias exinde a preſempti die tu & eredibus tuis, aut cui vos dederitis jure proprietario nomine quidquid volueritis ſine omni mea & heredum meorum contradictione. Quidem & ſpondeo vel promitto me ego, qui ſupra, Liutefredus Epiſcopus, una cum meos eredes tibi, qui ſupra, Ottoni Duci, tuiſque eredibus, aut cui vos dederitis, ſupraſcriptam medietatem de jam dictas Cortes, & Caſtris, ſeu Eccleſias & Capellas, vel caſis, & maſariciis, & omnibus rebus, ſeu ſervis & ancillis, aldiones & aldianas in ipſis abitantibus, & exinde pertinentibus, qualiter ſupra comprenſa decernitur in integrum, ab omni omine ſint defenſatis. Quot ſi defendere non potuerimus, aut ſi vobis exinde aliquit per covis genium ſubtraere quexierimus, tunc in dublum ſupraſcripta vendita vobis reſtituamus, ſicut pro tempore fuerint melioratis, aut valuerint ſub eſtimacione, ipſam medietatem de ipſis rebus in conſimilibus locis, cum predictis familiis. Et pro onore Epiſcopati mei nec mihi liccad ullo tempore nolle, quod volui, ſet quod a me ſemel factum vel conſcriptum eſt, inviolabiliter conſervare promitto cum ſtipulacione ſubnixa, & nichil mihi ex ipſum precium aliquid redeberi . . . . . . rectumque diximus.

Liutefredus *Dei gratia* Epiſcopus *in ac Cartula vendicionis a me facta ſubſcripſi, & ſupraſcripto pretio accepi.*

B C D E

Gero-

Gerolimus Judex Sacri Palacii rogatus ſubſcripſi.

Walto Judex Domni Imperatoris rogatus ſubſcripſi.

Andreas Judex Saeri Palacii interfui, & rogatus ſubſcripſi.

Ebbo Judex Domni Imperatoris rogatus ſubſcripſi.

Lanfrancus Judex ſacri Palacii rogatus ſubſcripſi.

Ego Taddo Notarius & Judex Domni Imperatoris ...... Cartulam vendicionis poſt tradita complevi & dedi.

☧ Liutefredus *Dei gratia* Epiſcopus *a me facta ſubſcripſi.*

Gerolimus Judex ſacri Palacii autentico ujus exempla vidi, legi, & ſic inibi continebatur, ſicut ic legitur exempla, literâ plus minuſve, ac me in ipſo autentico ſubſcripſi.

Lanfrancus Judex ſacri Palacii autentico ujus exempla vidi, legi, & ſicuti inibi continebatur, ſicut ic legitur exempla, literâ plus minuſve, & me in ipſo autentico ſubſcripſi.

Ebbo Judex Domni Imperatoris autentico hujus exempla vidi, legi, & ſic inibi continebatur, ſicut ic legitur exempla, literâ plus minuſve, & me in ipſo autentico ſubſcripſi.

Ego qui ſupra Taddo Notarius, & Judex ſacri Palacii, autentico hujus exempla manibus meis ſcripſi, & ſic inibi continebatur, ſicut ic legitur exempla, extra litera plus minuſve, & anc exempla manibus meis exemplavi.

Hic idem *Otto Dux* Placito Ticinenſi interfuiſſe invenitur Anno Chriſti MI. quum Otto III. Imperator in ea Urbe verſaretur, uti oſtendi in Antiquit. Eſtenſib. Par. I. Cap. 14. pag. 125. Quis autem ille foret, tunc nemo ſane ignorabat. Verùm ſi cui Provinciæ is titulo *Ducis* præeſſet, Tabellio additum Chartæ voluiſſet, gratias ei haberem, quod me onere levaſſet diu expiſcandi ac hariolandi. Nempe iis ipſis temporibus non unus *Otto Dux* floruit; & apud Leibnitii Scriptor. Brunſvicenſ. Tom. 3. in Necrologio Fuldenſi ad Annum MIV. *Otto Dux* e vivis exceſſiſſe traditur. Sed laudandus mihi Ditmarus, qui in Chronici Lib. quincto heic mihi lucem præbuit; quippe eidem ad Annum MIII. memoratur *Otto Carentorum Dux, & Veronenſium Comes*. Idem verò poſt pauca ſubdit: *Quis autem ille Dux Otto fuerit, breviter intimabo. Hic igitur a Conrado Duce, & Liutgardâ filia Ottonis I. Cæſaris maximi procreatus, morum gravitate, actuumque probitate parentelam ſuam decorabat.* Addit, hunc ab Henrico, poſtea Imperatore Sancto, electum fuiſſe *in Regem*; at illum humiliter onus excuſſiſſe, atque illud detuliſſe eidem Henrico. Ejus quoque mentio eſt in Vita Sancti Henrici ab Adelboldo Epiſcopo Trajectenſi conſcripta. Is *Veronenſium Comes* utrobique dicitur, atque in Annalibus Hildeshemenſibus *Marcham Veronenſem* rexiſſe traditur. De hoc igitur nobiliſſimo viro ſermo eſt in Charta Ticinenſi, ubi illum nuncupatum vides *filium bonæ memoriæ Cononi*. *Conradus*, *Cono*, ſeu *Chuno*, olim unum idemque Nomen fuere. Addo duas alias ejuſdem Ottonis Principis inſignes prærogativas. Fuit enim *Dux Franconiæ*, ſive Franciæ Orientalis, ſive Auſtraſiæ; & præterea *pater Brunonis*, qui ad Romanum Pontificatum evectus, ſub Gregorii V. nomine clarus exſtitit, & patri præmortuus eſt. Atque ipſo quidem Papâ ſedente *Otto Dux* ejus pater ingentem bonorum copiam a *Liutefredo Dertonenſi Epiſcopo* emit. Wipponem audi in Vitâ Conradi Salici. *Erant* (inquit ille) *duo Chunones* (ideſt Conradi) *quorum unus, quod majoris ætatis eſſet, Major Chuno vocabatur; alter autem Junior Chuno dicebatur: ambo in Francia Theutonica nobiliſſimi ex duobus fratribus nati. Quorum alter Hetzel* (ideſt Heinricus) *& alter Chuno dictus eſt. Ipſos verò ab Ottone Duce Francorum* (hoc eſt, Franconiæ, de quo nunc ſermo mihi eſt) *natos accepimus cum duobus aliis Brunone & Willelmo; ex quibus Bruno Apoſtolicæ Sedis Romanæ Papa effectus, mutato nomine Gregorius appellatus eſt: Willelmus factus Argentinenſis Epiſcopus* &c. Vide etiam Vitam Adalberonis Metenſis Epiſcopi apud Labbeum Tomo primo Biblioth. uti & Partem I. Cap. VIII. pag. 58. Antiquitat. Eſtenſium. Horum Principum genus ſubjecta Tabula luculentius exprimet.

Conradus Dux Lotharingiæ ex progenie Conradi I. Germaniæ Regis, Liutgardæ Ottonis Magni Auguſti filiæ maritus.

|

Otto Dux Franciæ Orientalis & Carinthiæ, Marchio Veronenſis, Anno 994.

|

Hetzel, ſive Henricus	Chuno, ſive Conradus Dux. Uxor Mathilda Conradi Burgundiæ Regis filia.	Bruno Papa creatus ſub Gregorii V. nomine Anno 996.	Willelmus Epiſcopus Argentinenſis.
Conradus Salicus Romanorum Imperator.	Conradus.		

Atta-

Attamen nobiliſſimus hic Princeps *Otto Dux* tantùm appellatur in Placito Ticinenſi Anno MI. heic verò etiam dicitur *filius Cononi*, imperite ſane, quum in more eſſet, ſi Comitis, Marchionis, aut Ducis pater eodem munere functus fuerat, hoc etiam adnotare. Fateor: erat tunc notiſſimus idem Princeps. Sed Notario præ oculis habendi quoque nos eramus illorum temporum ignari. Alterum adtexo ejuſmodi Notarialis oſcitantiæ exemplum. Uti Florentinius, Bacchinius, ac alii animadverterunt, & ego quoque innui in Antiquit. Eſtenſ. Part. prim. Cap. 8. Beatrix, Bonifacii Ducis & Marchionis Tuſciæ conjux, & magnæ Comitiſſæ Mathildis mater, patrem habuit Fride-

A ricum II. Ducem Lotharingiæ ſuperioris. In Chartis etiam inſcribitur *Beatrix filia bonæ memoriæ Federighi, qui fuit Dux*. Attamen hæc ipſa apud eumdem Bacchinium in Hiſtoria Monaſter. Padolironenſ. in Charta Anni MLIII. tantummodo appellatur *Domna Beatrix gratiâ Dei Comitiſſa*. Quod plus eſt, membrana nondum edita, quam ex Archivo Monachorum Benedictinorum olim Sancti Proſperi, nunc Sancti Petri Regienſis, ſuppeditavit mihi P. D. Camillus Affaroſius, ſtudioſiſſimus Antiquitatum ſui Monaſterii, Beatricis ejuſdem pater indicatur, ſed nullo addito *Ducis* titulo. En Chartam ipſam, luce minime indignam.

Ceſſio prædiorum ſex, facta a Beatrice Comitiſſa, uxore Bonifacii Marchionis, & Ducis Tuſciæ, Monaſterio Sancti Proſperi Regienſis, Anno 1041.

Anni ab Incarnacione Domini noſtri Jeſu Chriſti Milleſimo Quadrageſimo Primo, die Terciodecimo Menſe Marcii, Indictione Decima: Moneſterio Sancti Proſperi Criſti Confeſſoris, ubi ejus umatum quieſcit Corpus, ſita ſuburbium Regio, ubi nunc Domnus Johannes Abbas *ordinatum eſſe videtur. Ego* Beatrice Cometiſa, filia quondam Frederici, & Conjus Bonefacii Marchio, *que profeſſa ſum Legem vivere Langobardorum: ipſo namque jugale & mundoaldo meo mihi conſenciente, & ſubtus confirmante, preſens preſentibus dixi: Promitto & ſpondeo ego, que ſupra, Beatrice Cometiſa, una cum meos heredes a parte predicto Moneſterio, quod nullam unquam in tempore non abeamus licenciam, nec poteſtatem per nullumvis ingenium, nullamque occanſionem, quod fieri poteſt, agere, nec cauſare, nominative Maſſaricias ſex, rebus territoriis juris prefato Monaſterio, quibus eſſe videtur dues ex ipſis in loca, que dicitur Campaniola: una que recta ſit per Dominico, & alia eſt recta per Johannes & Petro germanis; tercia namque Maſſaricia in loco, ubi dicitur Campigene, que recta fiunt per Dominico; quarta Maſſaricia in loco, qui dicitur Sorbolo, eſt recta per Bonino Maſſario; quinta Maſſaricia in loco, qui nominatur Paterno, qui recta fiunt per Madelberto Maſſario; ſexta Maſſaricia in loco, ubi dicitur Corticelle prope Viliano, que recta & laborata fiunt per Johannes Maſſario. Nominative quod ipſe Bonefacio Marchio vir meus . . . . . . Maſſaricias per Cartulam offerſionis in eodem Moneſterio emiſit omnia & ex omnibus, ut dictum eſt, in integrum. Quit ſi amodo aliquando tempore ego, que ſupra Beatriee Cometiſa, vel meos heredes a parte jam dicto Moneſterio predictas Maſſaricias agere, aut cauſare, vel removere preſumſerimus per nos, aut noſtra ſumitentes perſonas, vel ſi apparuerit ullum datum, aut factum, vel colibet ſcriptum, quod nos de predictis Maſſariciis ſex inde in aliam partem feciſſemus, & claruerit, & exinde omni tempore taciti & quieti non permanſerimus, tunc promitto componere ego que ſupra Beatrice, vel meos heredes, a parte predicto Moneſterio pena dubles ipſas Maſſaricias, ſicut pro tempore fuerit melioratas, aut valuerit ſub extimatione in conſimilibus locis. Et inſuper pena argentum Denariis bonis Papienſibus Libras centum. Quidem & ad anc confirmandam promiſſionis Cartulam accepi ego, que ſupra,*

B *Beatrice Cometiſa, ad te jam dictus Domnus Johannes Abas da parte predicto Monaſterio exinde Launechild Capello uno, manente anc Cartulam promiſſionis omnique tempore in ſua firmitate.*

Actum in loco, qui dicitur Bundino, feliciter.

✠ *Signum manum ſupraſcriptam Beatrice Cometiſa, que anc Cartulam promiſionis per conſenſum ipſius Bonefacii Marchio jugale ſuo fieri ſeu firmare rogavi, & ſupraſcripto Launechild accepit: & ei relecta eſt.*

Signum manibus ✠ ✠ ✠ *Martini, & Ingelberti, ſeu Johannis, Lege viventis Langobardorum, rogati teſtes.*

C *Scripſi ego Adelbertus Notarius, poſt tradita complevi & dedi.*

Quod ſi vel ſummorum Virorum, ac Mulierum genus Sæculis iis, quod eſt ad nos, nimiis circumfunditur tenebris: quanto majoribus putandum eſt, obnoxias fore privatæ gentis Genealogias? Nuper vidimus, *Cononem*, *Chunonem*, & *Conradum* idem fuiſſe nomen. Hoc etiam adnotatione dignum in antiquorum monumentis, & perpetuo memoriâ recolendum, ne pro diverſis nominibus, quod unum interdum erat, accipiamus. Scilicet ſecundùm variarum Linguarum genium, & Populi mores, nomen unius hominis nonnunquam diverſis modis efformatum, terminatum, aut conſciſſum audiebatur. Neque nos ſecus agimus

D temporibus noſtris, quum *Checco* pro *Franciſco*, *Goro* pro *Gregorio*, *Pippo* pro *Philippo*, *Meo* pro *Bartholomæo*, *Ghitta* pro *Margaritâ*, *Lena* pro *Magdalenâ* dicimus. Ab *Antonio* pariter diminutivum deducimus *Toniolo*, *Tognino*: a *Giovanni Giannino*, *&c.* Idem verò antiquis quoque in more fuit. Nam pro *Henricus Hetzil* dixere; pro *Matthæus Maphæus*; pro *Godefridus Gothelo*; pro *Cunegundis Chuniza*. In Præfatione ad Liutprandi Ticinenſis Hiſtoriam monui, *Liutprandum* appellatum ſimul fuiſſe & *Liuzonem*. Ita Sanctæ Imperatricis *Adelaidis* nomen non uno modo efferebatur, *Atela*, *Adela*, *Adelgia*,

E *Adelgida*, *Adalaſia*, *Athelaſia*, *Alda*, &c. Idem accidit & aliis Nominibus. Verùm non ita huic Nominum corruptioni, ſeu variationi inſiſtendum, & ubique eamdem vigere arbitremur. Animadvertendum quippe eſt, Sæculis etiam rudibus homines interdum duplici Nomine fuiſſe compellatos. Ambo quidem iis

addita

addita in Baptiſmo, opinari poſſumus: veri tamen mihi ſimilius videtur, unum iis in ſacro Fonte datum, alterum verò aut poſt Baptiſmum, aut ante impoſitum a vulgo fuiſſe, ad inſtar Agnominum, de quibus infra ſermo erit. De *Alberto*, qui & *Azo*, ſupra mentionem feci. Addo nunc, accipiendam caute ſententiam Clariſſimi Papebrochii, ad diem primam Junii in Commentario prævio ad Acta Sancti Gratiniani pag. 23. ſcribentis, poſſe credi *Alam* & *Anizo* idem nomen per aphæreſim primæ literæ *Ad*, *Italis uſque adeo familiarem; ſicut & terminatio diminutiva izo. Sic ex Adalberto, vel Adalberone factum videtur Albizo: ex Odoberto Obizo, ubi etiam intervenit ultimæ ſyllabæ truncatio, per quam ex Bonifacio, Bonizo: ex Gebeardo Gebizo* A *Langobardice formantur, aliaque ſimilia*. Profectò præter aliquot Marchiones Familiæ Eſtenſis a me commemoratos in Antiquitatib Eſtenſib. quibus fuit nomen *Opertus qui & Opizzo*, alibi deprehendi, alios extra ipſam Familiam eiſdem ipſis Nominibus inſignitos, quamquam dubius adhuc ſim, an *Obizzo* efformaretur ex *Obertus*. Suſpicari præterea licet, alterum quandoque Nomen ſuperpoſitum fuiſſe, ut alter ab altero homine diſtingueretur, quoties duo ejuſdem loci aut familiæ uno eodemque Nomine uti deprehendebantur. Perſpicuum id fiet ex Charta ſubſequenti, cujus perantiquum apographum olim deſcripſi e Tabulario Monachorum Ciſtercienſium Sancti Ambroſii Majoris Mediolani.

In Placito Lemontæ habito coram Ariprando Vicedomino Mediolanenſis Eccleſiæ, & Petro Abbate Monaſterii Ambroſiani, Advocatus ejuſdem Cœnobii cauſam obtinet contra complures Servos Curtis Lemontæ, Monaſterio ſupradicto ſubiectæ, Anno 882.

D*Um reſiderent in judicio* Ariprandus Diaconus, & Vicedominus *ſanctæ* Mediolanenſis Eccleſiæ, *atque* Petrus *vir Venerabilis* Abbas Sancti Ambroſii, *qui ſitum eſt ſuburbium ejuſdem Civitatis, Villa Lemonte jure proprietatis ipſius Monaſterii Sancti Ambroſii, quod eſt juxta Lacum Comenſe, ſedentibus cum eis Petrus vir Venerabilis Presbiter ipſius Mediolanenſis Eccleſiæ*, Leo Judex *ſacri Palatii*, Aginaldus Judex *ipſius Mediolanenſis Civitatis*, Hilderadus Notarius, Garmarius de Mediolanio, Warimberto de Camteriano, Andreas Clericus de Blaſſonno, Bonus, *&* Adelgiſus Vaſſalli *idem Petri Abbati, & reliqui. Ibique eorum veniens præſentia* Ambroſius Notarius *ejuſdem Civitatis Mediolanenſis, & Advocatus ipſius Monaſterii Sancti Ambroſii, nec non Mauretio, Urſeberto, Laurentio, Leo, Johannes, Dognetio*, Johannes qui vocatur Clario, *Ambroſius Gir*. . . . . . Leo qui vocatur Pipino, Johannes qui vocatur Peluſo, *& Urſo filio ejus*, Leo qui Plato vocatur, Johannes Ruſſo, Urſulo qui Mazuco vocatur, Lupus qui Marino vocatur, *& filio ejus Bevannio, & Nepus ejus qui vocatur Stephanus*, Leo Vilico: *iſti omnes de loco, qui dicitur Cevenna. Atque de Cauteligo, id ſunt Steſfanace, Theodoro, Mijorano, & frater ejus Leonace*, Lupus, qui dicitur Bonellus, *& Bonoaldo. Seu & de loco, qui dicitur Selvaniaco, Luvolo, Teudero, Riginberto, Audemario*, Petrus Malafide, *Urſeberto*, Luvolo da Flume, *& Gemulo*, Dominicus qui Baregama vocatur. *De loco, ubi dicitur Madronino, id ſunt Dognolino, Leo*, Bonellus Vetulo, Luvolo qui dicitur Plato, *Audeverto, Urſacio, Johannes, Bonellus, Lovolo filius quondam Dominiconi, Dagiberto, &* Bonellus qui dicitur Magniano. *Iſti ſupranominatis da Cevenna, da Cautenigo, de Selveniago, de Madronino Servi da ipſa Curte Lemunta, altercationes inter ſe habentes. Dicebat ipſe Petrus Abbas, una cum eumdem Ambroſius Advocatus*: Iſti prænominati Servi homines, vel ceteri ſuorum parentes & vicini ac conſortes ſuorum omnes habitantes in prænominatas locas Cevenna, Cautenigo, Selvaniaco, & Madronino, ſunt Servi de iſta Curte Lemunta: qui iſta Curte Lemunta cum ſua B pertinentia & familiis, atque predictas locas cum omni integritate, atque familiis in prædicto Monaſterio Sancti Ambroſii datum & conceſſum eſt a bonæ recordante memoriæ Lotharium Imperatorem per ſuum Præceptum, quæ hic præ manibus habemus, & relegere fecerunt, & poſtea ab Karolo Imperatore, qui nunc eſſe videtur, eo modo, ſicut in iſto continetur Præceptum, per ſuum Præceptum in ipſum Cenobium omnia, ut ſupra confirmaverat, habendum proprietario jure. Sed dum iſti prænominati omnes, atque ceteri eorum conſortes de prænominatas locas inter cetera, quæ parte ipſius Monaſterii pro ſuorum perſonis & rebus pro ſuorum ſervitia annue reddere & perſolvere debeant: quærunt ſe ſubtrahe- C re ad colligendum olivas ex olivetis illas, qui ſunt dominicatas de iſta Curte Lemunta, & eas præmere, vel oleum, que exinde exit, evegere nolunt, ſicut ſuorum fecerunt parentes & conſortes de ipſis locas Cevenna, Cautenigo, Selvaniaco, & Madronino a longo tempore.

Cum ipſi Petrus Abbas, & Ambroſius Advocatus ita agerentur, tunc prædictis omnes vicinis & conſortes, qui ibi aderant, elegerunt ex hac cauſa da eorum parte in rationem ſtandum, & finem inde percipiendum. Id ſunt Leo Vilico & Magiſtrum, quas ſupra ipſi conſtitutum erat ad regendum: ſeu Johannes, & Mauretio D *de Cevenna: Gemulo de Selvaniaco: Donnolino de Madronino. Qui cum ipſe Petrus Abbas, & Ambroſius Advocatus iterum eorum quærerent, quod ipſi & eorum parentes & conſortes de prænominatas locas inter cetera, quas pro ſuorum perſonis & rebus omnibus, quas habebant, & reddere debebant, colligebant olivetas, & præmere, hac oleum, quod exinde exiret, evegere deberent Curte Domni Imperatoris, quondam Curte Deusdedit, ipſi manifeſtantes, & concredentes ſe dixerunt*. Verè hoc negare non querimus, quia cum Lege non poſſumus, quod Servi Imperialis non fuiſſemus. Et verum eſt, quod ad ipſi Auguſti in ipſum ſanctum Locum dati fuimus, & Cenſum reddidimus, & reddere debemus annue de perſonis & rebus in E ipſo ſancto Monaſterio, ſicut nos antea fecimus, & noſtri fecerunt parentes. Nam hoc verum

verum non eſt, quod nos, aut noſtros parentes vel conſortes, olivas de prænominatas olivetas colligere, aut præmere, vel evegere debuiſſent, aut debeamus. *Cum taliter inter ſe altercarent, interrogati ſunt prædicti conſortes a ſupradicto Ariprando Diacono & Vicedomino, ſeu ab ipſis Judices, ſi ipſi haberent aliquam firmitatem, pro quo eorum conceſſum fuiſſet: quod ipſi olivas colligere, aut præmere, vel evegere non deberent, aut ſi legaliter ſe exinde ſubtrahere poterent. Qui dixerunt*: Verè nullam firmitatem exinde non abemus, niſi ut diximus, iterum dicimus, quod nos, nec noſtros parentes, nec conſortes, eas non collegerunt, nec præmere, neque evegere debuerunt, nec debemus. *Cum autem ibi eſſent Nobiles & credentes homines liberi, Arimanni, habitantes Belaſio loco, id ſunt Cunibertus, Bonus, Lupus, Celſo, & Ado, interrogati ipſi in fide, & ſacramentum, quas Domni Imperatoris juratum habebant, ut quid exinde ſcirent, certam dicerent veritatem. Qui in primis Cunibertus dixit*: Scio, iſti prænominati homines cum ſuorum vicini, parentes, & conſortes, habitantes in ipſas locas Cevenna, Cautenico, Selvaniaco, & Madronino, eo tempore, quando ipſe bonæ memoriæ Hlotharius Imperator per ſuum Præceptum iſtam prænominatam Curtem, & jam dictas locas, cum ipſas Familias, ipſum confirmavit Monaſterium . . . . . . olivas & olivetas colligere, & premere, & evegere in Curte Domni Imperatoris, qui dicitur Deuſdedit, cum annonam domnica da iſta Curte Lemunta. *Bonus, Lupus, Celſo, & Ado omnia ſimiliter dixerunt, ſicut memoratus Cunibertus. Cum taliter dixiſſent, & parati eſſent ad ſancta Dei Evangelia, ſicut dixerunt, jurandum, tunc prænominati omnes parentes & conſortes, qui ibi aderant, de prædictas locas Cevenna, Cautenico, Selvaniaco, & Madronino profeſſi dixerunt, quod ita verum eſſet, quod ipſi homines teſtificaverunt, & olivas ex ipſas olivetas annue cum ſuorum conſortes de ipſas locas colligere, premere & evegere deberent, & nolerent, ut ipſi teſtificantes per hoc ſacramentum jurarent, eo quod ſic eſſet veritas, ſicut ipſi teſtificaverunt. Cum hæc omnia taliter actum & adimpletum fuiſſet, rectum eorum judicium & Auditoribus paruit eſſe, & judicaverunt, ut ipſi prænominati omnes vicini & conſortes inter cetera, quas parti ejuſdem Monaſterii reddere de perſonis & rebus Cenſum vel redditum, ſicut parentes eorum antiquis temporibus fecerunt, ita facere deberent amodo & in antea olivas ex ipſas olivetas colligere, premere, & evegere deberent ad ipſum Monaſterium. Et finita eſt cauſa. Et hanc notitia pro ſecuritate ipſius Monaſterii ego Autpaldus Notarius ſcripſi, & interfui*, A Anno Domni Karoli Imperatoris Secundo bonæ memoriæ Domni Hludowici Regis filius, Pridie Kalendas Decembris, Indictione Prima.

Ariprandus Diaconus & Vicedominus *ſanctæ* Mediolanenſis Eccleſiæ, *ut ſupra interfui*.

Leo Judex *Domni Imperatoris interfui*.

Achinaldus Judex *interfui*.

Adelgiſus de Roveniaſco *interfui*.


Hilderadus Notarius *interfui*.

Bonus interfui.

Scripta hæc Charta dicitur *Anno Secundo Domni Karoli, filii bonæ memoriæ Hludowici Regis*, ut Lector intelligat, illic memorari Carolum Craſſum, Ludovici Germaniæ Regis B filium, non verò Carolum Calvum Ludovici Pii Imperatoris filium, qui paucis ante annis Romanum Imperium tenuerat. Additur *Pridie Kalendas Decembris, Indictione Prima*. Decurrebat hæc Anno DCCCLXXXIII. Sed quum pro more Sæculi illius Septembri Menſe præcedentis Anni eadem Indictio in curſu eſſe cœperit, & Natali die Chriſti Domini novus Annus inchoaretur aliquibus in locis, propterea ad Annum DCCCLXXXII. Chartam eamdem retuli. Hinc autem emergit mihi nodus Hiſtoricus, quem liceat modo in Eruditorum gratiam C prodere, ſimulque periculum facere, an patiatur ſe ſolvi. Tradiderat magnus Annalium Eccleſiaſticorum parens, Carolum Craſſum Anno DCCCLXXXI. die ſacro Nativitatis Domini coronâ Cæſareâ Romæ fuiſſe donatum. Contra celeberrimus Pagius in Critic. Baron. (quo cum etiam facit Clariſs. Mabillonius in Annalib. Benedictin.) contendit, illius coronationem ad XXV. diem Decembris Anni præcedentis DCCCLXXX. eſſe referendam. Ita doctiſſimi Viri. At Charta nunc evulgata *Annum Secundum* Imperii Caroli Craſſi conjungit D cum poſtremo die Novembris Anni DCCCLXXXII. Ergo Baronii ſententia vacillat. Nam ſecundùm ejus calculos Chartæ huic adſcribendus erat *Annus Primus* Imperii. Et ſane quum Baroniana ſententia ob rationes ab eodem Pagio allatas ſuſtineri non poſſit: quid quæſo heic ſentiendum? Num in Ambroſiana Charta corruptæ Chronologicæ notæ? Equidem ajo, nihil eſſe dubitandum, quin Cardinalis Baronius male rationes inierit in conſignando tempore Coronationis Caroli Craſſi. Verùm addo, multa occurrere, quæ ne ipſi quidem Pagio facile ſubſcribendum nos E monent. Et primo, recedendum eſſe a Baronii ſententiâ mihi perſuadet ejuſdem Caroli Craſſi Diploma, quod authenticum adſervatur in Archivo Capituli Canonicorum Regienſium, mihique præ oculis fuit. Illud utique luce dignum, & eorum, quæ quærimus, teſtem locupletem, heic exhibeo.

Privilegium Caroli Craſſi Imperatoris conceſſum Canonicis Eccleſiæ Regienſis, Anno 883.

IN *nomine Sanċte & individue Trinitatis* . Karolus *divinâ favente clementiâ* Imperator Auguſtus , *omnibus fidelibus ſanċte Dei Ecelcſie , noſtriſque preſentibus ſcilicet ac futuris, notum ſit : qualiter* Aaron *venerabilis ſanċtæ* Regienſis Eccleſiæ Epiſcopus *optulit nobis Preceptum divæ memoriæ* Hludowici Imperatoris conſobrini noſtri , *in quo continebatur , qualiter ſua roboratione Canonicam ejuſdem Eccleſiæ ſanċtæ , quam* Sigefredus *venerabilis ejuſdem loci* Antiſtes *ad uſum Canonicorum ibidem Deo militantium divina inſpiratione confirmavit, reformaſſet ; poſtulans, ut & Nos pro divinæ remunerationis premio plenius id confirmaremus . Cujus petitioni libenter aſſentientes , per hoc noſtræ renovationis Preceptum fieri juſſimus : per quod decernimus atque ſancimus , ut omnes res, quas prefatus Sigefredus de ſuis uſibus ad utiliorem ſervorum Dei uſum tranſtulit , & parti Canonicæ , quam ipſe a fundamentis conſtruxit cum Eccleſiis Sanċti Michaëlis Archangeli, Sanċtique Peregrini, necnon & Sanċti Fauſtini, atque . . . . . cata Vitalis , ſeu & Confeſſoris Chriſti Ambroſii , cum omnibus pertinentiis & adjacentiis earum ; Curticellam quoque , atque Rivumfrigidum cum omnibus pertinentiis & adjacentiis earum ; & in Gavaſſa maſſaricia duo , & unum de parte* Eremberti Comitis ; *& in Faennio maſſaricium unum , quod regitur per Traſevertum cum nepotibus ſuis , una cum ipſis famulis ; & omnes illas de Dominico Presbitero; caſas quoque Alberici & Ajoaldi de Pineſo cum pertinentibus ſibi ; Maſſaricia etiam Ermenfredi Presbiteri , atque res Geminiani Sacerdotis, quas in Regio , vel in Sableta habere viſus fuit; Alias quoque res , quas Rumoaldus Presbiter tenuit & tenet Leovardo in Prato Pauli ; ſive maſſaricium unum in Maxentiatico ; ſeu famulis in prediċta Canonica & Deo ſervientibus . Et ea omnia cum pleniſſima integritate, & cunċta quæcumque in futurum a devotis largitoribus inibi , Deo favente , oblatum fuerit , per hanc noſtram Imperialem inſtitutionem , & inviolabilem corroborationem in eadem Canonica ad honorem Dei ſanċtæ Dei Genetricis , ſemperque Virginis Mariæ , abſque alicujus retraċtione ſtabilita permaneant : nulluſque Succeſſorum jam fatæ Sedis ullo umquam in tempore prænominata Pontificis ordinatione , atque Auguſtalis auċtoritatis inſtitutione promovere aut irrumpere conetur , pleneque commutatione aut Libellaria aut Precaria , abſque voluntate ipſorum Canonicorum , qui inibi Deo deſerviunt , quoquo modo vel jure preſumat , ſed juſte & legaliter . . . . Preceptum & renovationis ediċtum , atque prefati venerabilis Pontificis Sigefredi ordinationem , ab ipſis Canonicis poteſtative ſint poſſeſſa , perpetuiſque temporibus maneant inconvulſa ; nulluſque præfatæ Sedis Epiſcopus , vel alius quislibet Pontifex , nulluſque Dux, aut Comes , aut Vicecomes , vel Vicarius , vel Sculdaſſio , vel Miſſus diſcurrens , aut quislibet Miniſter Reipublicæ , in Clericis ejuſdem Canonicæ , aut in ipſa Canonica , vel rebus ipſius Canonicæ , ſeu in proprietatibus , vel domibus , aut familiis utriuſque ſexus, ſeu in Commenditiis vel Sedaneis ipſorum Canonicorum , aliqua violentia aut contrarietate , aut rerum diminutione , vel rerum invaſione , aut familiarum ſubtraċtione inferre preſumat. Nulluſque eos, eorumque homines, Liberos aut Servos , per publica Placita ventilet : nulluſque ab eis , aut eorum hominibus liberis aut ſervis teloneum , aut donaria , aut publicas redibitiones exquirat , necnon Manſionatica in omnibus eorum terminis accipiat , ſintque ab omni publica exaċtione inmunes tam ipſi quam omnes eorum homines , Liberi & Servi , Libellarii atque Felearii . Si quis autem contra hoc noſtræ confirmationis Preceptum , & defenſionis ediċtum quandoque inſurgere temptaverit , noverit ſe compoſiturum centum Libras auri obrizi , medietatem Palatio noſtro , & medietatem parti ejuſdem Canonicæ . Et ut hæc noſtra auċtoritas ab omnibus verius credatur , & diligentius obſervetur , manu propria ſubter eam confirmavimus , & eam Anulo noſtro ſubter inſigniri juſſimus .*

Signum Domni  *Karoli piiſſimi Imperatoris Auguſti .*

Deſideratur heic Sigillum .

Amelbertnotus ad vicem Liutwardi Epiſcopi & Archicancellarii recognovi & ſubſcripſi .

Data II. Kalendas Julii , Anno Incarnationis Domini DCCCLXXXIII. *Indiċtione Primâ* , Anno verò Imperii piiſſimi Imperatoris Karoli III.

Aċtum in Monaſterio Nonantulas in Dei nomine feliciter . Amen .

Diploma hoc datum dicitur in Monaſterio Nonantulano agri Mutinenſis , *Anno* Chriſti *DCCCLXXXIII. Imperii Caroli Tertio* , *Secundo Kalendas Julii* . Si die poſtremo Menſis Junii Anno DCCCLXXXIII. decurrebat *Annus Tertius* Caroli Craſſi imperantis , conſequens eſt , ipſum nequaquam Annos Imperii numerare cœpiſſe a die XXV. Decembris Anni DCCCLXXXI. Alioquin in hoc Diplomate *Annus Secundus* fuiſſet inſcriptus . Ita in Archivo ditiſſimo Lucenſis Archiepiſcopii, ut ego inſpexi , legitur Charta permutationis faċtæ a *Gherardo Lucenſi Epiſcopo* , intervenientibus ad bonorum æſtimationem *Miſſis Adalberti Ducis.* Ea autem ſcripta eſt *Regnante Domino noſtro Karolus* , *divina favente clementia Imperator Auguſtus* , *Anno Imperii ejus Sexto* , *V. Idus Martii* , *Indiċtione Quartâ* . Hoc eſt , Anno DCCC-

DCCCLXXXVI. Adeſt & altera permutatio eodem Anno, nempe *Anno VI. Caroli*, *Sexto Kalendas Junii* ſcripta. Tum alia ipſo eodemque Anno peracta *Sextodecimo Kalendas Junias*. His autem poſitis, liquido apparet, longe antequam celeberrimus Cardinalis cenſuerit, hoc eſt, longe ante Decembrem Anni DCCCLXXXI. Carolum Craſſum Imperatoriâ Coronâ ornatum, Annos Imperii exorſum fuiſſe. Alia Diplomata præterea, in hoc ipſo Opere legenda, quæ idem evincunt. Sed neque *in*

A *die Nativitatis Domini* Anno DCCCLXXX. ut Pagius arbitratur, collatum Romæ fuiſſe Carolo Craſſo Cæſareum diadema videtur. In Archivo celeberrimi Monaſterii Brixiani ſacrarum Virginum Sanctæ Juliæ exſtat authenticum Diploma, ſuo adhuc Sigillo cereo ornatum, quod mihi ſummâ humanitate, uti & alias Chartas, deſcribendum dederunt nobiles illæ Sanctimoniales, quo nihil melius hunc nodum expedire poteſt.

Caroli Craſſi Italiæ Regis Diploma, quo Monialibus Brixianis Sanctæ Juliæ immunitates confirmat, & quaſdam Curticellas donat, Anno 880.

IN nomine *Sancte & individue Trinitatis*. Karolus *divina favente gratia* Rex. *Si petitionibus Sacerdotum, ſeu amicorum Dei aures prebemus precabiles, non ſolum profuturum ad ſtabilitatem preſentis* Regni *credimus, verum etiam eterna premia nobis inde provenire liquido conferimus. Quapropter noverit induſtria omnium fidelium ſancte Dei Eccleſie, noſtrorumque preſentium & futurorum, qualiter* Ermingarda Abbatiſſa in Monaſterio Domini Salvatoris in Urbe Brixia, *quod dicitur Novum, per manus venerabilis* Epiſcopi Liutuvardi Archicancellarii noſtri *detulit obtutibus noſtris Præcepta emunitatis ejuſdem præfati Monaſterii non ſolum* Karoli Biſavi noſtri, Magnique Auguſti, *ſed & omnium ante Deceſſorum noſtrorum venerabilium Imperatorum uſque ad nos: poſtulans, ut ipſa Precepta piiſſimorum Auguſtorum per noſtram* Regalem *confirmaremus auctoritatem. Nos verò ob amorem Dei & Salvatoris noſtri juſſimus hoc Preceptum noſtre emunitatis fieri; per quod decernimus atque omnino jubemus, ut nullus Judex publicus, vel quislibet de Judiciaria poteſtate tam Curtes, quam res ſupradicti Monaſterii, que nunc tempore legitimo ordine poſſidere videtur, vel ea, que divina pietas adhuc augeri voluerit, ad cauſas audiendas, vel freda exigenda, ſeu manſiones aut paratas faciendas vel fidejuſſores tol-*

B *lendos, neque ullas redibitiones publicas requirendas, nullo umquam tempore ingredere vel exigere ullatenus preſumat, ſed ſub emunitatis nomine cum omnibus fredis conceſſis liceat Rectoribus ejuſdem Monaſterii quiete vivere & tenere, & pro remedium animarum noſtrorum, parentum, ac pro nobis, Conjuge, & prole, miſericordiam Dei jugiter exorare. Inſuper conceſſimus ad id Monaſterium per hoc noſtrum Preceptum pro noſtra æterna mercede Curticellas, quas ipſa petiit predicta Abbatiſſa, ideſt Canellas, Bogognago, Arcpontio, & Piſcaria de Sermione; & Curticellas, quas Advocatus debet habere, ideſt Campum Gomolfi, Perſago, Prato Caprioli. Hæc enim omnia cum omnibus*
C *integritatibus earundem rerum, & cum omnibus pertinentiis & adjacentiis ſuis mobilibus & inmobilibus, aqueſitis & inqueſitis, ad id Monaſterium tradimus atque transfundimus, quatenus ſine ulla moleſtatione vel minoratione alicujus ſub noſtræ emunitatis nomine illud perpetualiter ad ſuſtentacionem Ancillarum ibidem Deo militantium pertineant, & in augmentum proficiant. Et ut hæc auctoritatis noſtre emunitatis confirmationis largitas per futura tempora firmior habeatur, manu propria ſubtus eam firmavimus, & Anulo noſtro ſigillari juſſimus.*

Signum R K S L Karoli *ſereniſſimi* Regis.



Waldo Notarius ad vicem Liutuardi Archicancellarii recognovi & ſubſcripſi.

Data IIII. Kalendas Januarii, Indictione XIIII. Anno verò Regni Karoli Regis in Francia V. In Italia II.

Actum in Placentia in Dei nomine feliciter. Amen.

Si Anno DCCCLXXX. (quo exordium cepit *Indictio XIV.* Menſe Septembri) & *die XXIX. Decembris* Carolus Craſſus erat adhuc tantummodo *Rex*, & *Placentiæ* agebat: ergo die XXV. Decembris ejuſdem Anni, ut Pagius cenſuit, fuiſſe Romæ, ibique Imperialem Coronam accepiſſe non potuit. Vide etiam Diſſert. VIII. *de Comitibus*, ubi eadem confirmantur a Judicato Adelardi Veronenſis Epiſcopi. Idem quoque haurire licet ex Hiſtoria Eccleſ. Placentin. Campii, Tom. primo Appendic. pag. 467. Illic enim legitur Diploma

D ejuſdem *Karoli ſereniſſimi Regis, datum V. Kalendas Januarii, Anno Incarnationis Dominicæ DCCCLXXXI. Indictione XIV. Anno Regni Domni Karoli Regis in Francia V. In Italia Secundo. Actum Placentiæ.* Quamquam heic audias Annum ab Incarnatione DCCCLXXXI attamen ſecundùm Vulgarem Epocham noſtram agitur de Anno DCCCLXXX. nam pro more temporum illorum Annus novus DCCCLXXXI. in Nativitate Domini Anni DCCCLXXX. vulgaris exordium cepit. Et profectò indicatum id videas ab Indictione

Decimâ quartâ, quæ Menſe Septembri Anni A DCCCLXXX. inchoata fluebat Decembri Menſe ejuſdem Anni. Hiſce perſpectis, concordes omnino deprehendas iſtarum Chartarum Chronologicos characteres cum Diplomate, quod nuper evulgavi. Quum ergo Carolus Craſſus poſtremis Anni DCCCLXXX. diebus, nondum ſacratus Imperator Placentiæ reſideret, atque, ut vidimus, longe ante Natalem Domini Anni ſubſequentis DCCCLXXXI. Imperatoria dignitate auctus fuerit, inquirendum reſtat, quo tempore is revera Coronam Cæſaream Romæ a Johanne VIII. Summo Pontifice fuerit conſequutus. Protuli ego in Diſſertatione XXXI. *de Placitis & Mallis* Placitum habitum in Senenſi Urbe ab ipſo Carolo Craſſo, *Anno Imperii idem Domni Karoli Primo, Menſe Marcio, Indictione XIV.* Hic eſt Annus DCCCLXXXI. Ergo ante Menſem Martium ejuſdem Anni, aut eo decurrente, is Imperiali diademate inſignitus Romæ fuerat. Uti veri ſimile eſt, hæc eadem Charta ipſum nobis exhibet tunc e Romana coronatione redeuntem ad Inſubres. Cum hiſce conjunge Chartam Pauli Epiſcopi Regienſis, quam Ughellius evulgavit in Tomo Quincto Ital. Sacr. primæ edition. in Appendice, & quam pariter in ſuam Hiſtoriam Regienſem adhuc MStam antea intulerat Fulvius Azzarius. Ea ſcripta fuit *Regnante Domno Karolo Rex hic in Italia II. die IV. Menſis Martii, Indictione XIV.* ideſt, Anno DCCCLXXXI. Ergo primis diebus Martii Anno eodem DCCCLXXXI. Carolus Craſſus Italiæ tantùm Rex in Regienſi Civitate appellari pergebat, & nondum collatæ ei cum Imperiali titulo Coronæ Romanæ nuntius ad eam Civitatem pervenerat. Præterea in Archivo inſigni Cathedralis Mutinenſis Charta authentica ſe mihi obtulit, exarata *Imperante Domno noſtro Karolo, Dei providentiâ, hic in Italia Anno Imperii ejus Quinto, die VI. Menſe Marcio, per Indictione Quarta*; cujus prima verba accipe: *Placuit atque convenit inter Domnum Leudoinum gratia Dei Motinenſem Epiſcopum, necnon ſed etiam Sigelmundus & Leo, filii Rodemundi da Sicla, liveris hominibus* &c. Charta pertinet ad Annum Chriſti DCCCLXXXVI. Si eo Anno *die VI. Martii* in curſu erat *Annus V. Imperii* Caroli, ergo neceſſe eſt, ipſum poſt diem Sextam *Martii Anno DCCCLXXXI.* dignitate Imperiali auctum fuiſſe Romæ. In eodem Tabulario altera membrana legitur ſcripta *Regnante Domno noſtro Carolo gratiâ Dei Imperator hic in Italia Anno Septimo, die Quinto de Menſe Madio, Indictione Quinta.* Is eſt Annus DCCCLXXXVII. atque adeo *ante diem V. Maji* Anni DCCCLXXXI. ſacram unctionem, & Coronam Imperialem Romæ Carolus ſuſceperat. Immo & *ante diem XI. Martii* ejuſdem Anni DCCCLXXXI. coronatum oſtendit Charta Lucenſis ſupra mihi memorata. Quare veri videtur ſimile, Coronationem Romanam Caroli Craſſi peractam fuiſſe *Menſe Martio, Anni* DCCCLXXXI. ſi monumentis hactenus adductis omnino eſt acquieſcendum. In eam quoque ſententiam confluere videntur Annales Reginonis, Chronographi Saxonis, Annaliſtæ Metenſis, aliorumque Hiſtoricorum, *ad Annum DCCCLXXXI.* Carolo eidem collatum diadema Romanum ſcribentibus. Nam etſi Scriptores iſti non a Kalendis Januariis, ſed a die XXV. Decembris præcedentis Annum novum inchoënt, ac propterea Pagii ſententiæ minime adverſentur: eorum tamen verba inſinuare rectius poſſunt, ipſum Carolum ineunte Martio Menſe vulgaris Anni DCCCLXXXI. Imperialem titulum cum Regali conjunxiſſe.

Atque hæc quidem congerebam ego. Verùm, fateor, fortaſſe ne iſta quidem ſatis mihi & aliis futura ſunt ad certo ſtatuendum exordium Imperialis Epochæ Caroli Craſſi primis diebus Martii Anni DCCCLXXXI quum ſemper ante oculos noſtros recurrant Aimoini, & Annalium Bertinianorum diſerta verba, quæ Carolo huic collatum diadema Romanum Natalicio die Domini Anni DCCCLXXX. prodUnt. Ad hæc Diploma Regienſe editum ab Ughellio in Appendice ad Tom. V. Ital. Sacr. B primæ editionis, dicitur *Datum Idibus Februarii Anno Incarnationis Dominicæ DCCCLXXXII. Indictione XV. Anno II. Imperii piiſſimi Imperatoris Caroli. Actum Civitate Ravenna*: quæ indicant, *ante Idus Februarii Anni DCCCLXXXI.* redimitum fuiſſe Carolum Craſſum Coronâ Romanâ. Itidem in Tabulario Capituli eorumdem Canonicorum Regienſium viſa mihi fuit Charta exarata *Anno Imperii Secundo* Caroli ejuſdem, *IV. Kalendas Marcii, Indictione XV.* ideſt Anno DCCCLXXXII. Unde diſcimus, *ante diem XXVII. Februarii Anni DCCCLXXXI.* evectum fuiſſe Carolum ad Imperatoriam dignitatem. Præterea in hoc ipſo Opere, & apud alios veterum monumentorum Collectores Diplomata & C Chartæ occurrunt, quæ dubiam hanc Epocham faciunt. Vide etiam, quæ in hoc idem argumentum congeſſit doctiſſimus vir P Johannes Andreas Aſtezatus Monachus Benedictinus in Appendice ad Opuſculum Manelmi Brixiani. Porro cenſuit Eccardus Tom. II. Rer. Francic. Carolum iſtum ad Imperatorium culmen deductum Anno DCCCLXXXI. recurrente ſacro die Epiphaniæ, hoc eſt die VI. Januarii; at illius ſententiam enervant, quæ Clariſs. Saxius adnotavit ad Sigonii Libros de Regno Ital. Tot ergo tenebras is tantùm excutere poſſit, qui ſub oculis eaſdem pergamenas habens, diligenter expendat, quæ authenticæ revera ſint ac D germanæ, quæ verò confictæ, aut interpolatæ; & rurſus quæ autographa, quæ verò apographa. Librariorum quippe ac Typographorum incuria aut ignorantia plures, quàm putamus, errores in majorum monumenta invexit. Denique ſunt nonnulla, quæ, quamvis inter ſe pugnare videantur, accurato tamen criterio utens, ad concordiam rite redigere poſſit. Quam in rem Lectori exemplum minime contemnendum exhibere juvat. Adſervatur in Archivo Capituli Canonicorum Mutinenſium antiquiſſimus Codex Epiſtolarum veterum Pontificum Romanorum, ab Iſidoro Mercatore confictarum. Ibi hæc adnotata in margine leguntur: *VII. Kalendas Auguſti per Indictionem Quartam Decimam, Feria IIII. Luna* E *XXII. poſuimus fundamenta in Capella, quam in tumulo Vallis munito fecimus in Habrica, in honore Sancti Salvatoris, & Sanctæ Mariæ, & Sancti Johannis ſacranda, tempore Domni Karoli Tertii Imperatoris, Anno Imperii ejus Secundo.* Notæ iſtæ exhibent Annum DCCCLXXXI. tanta perſpicuitate, ut nihil melius ſit exſpectandum. Si autem Julio Menſe ejuſdem Anni DCCCLXXXI. decurrebat *Annus Secundus Imperii*: ergo corruunt, quæcumque hactenus allata ſunt. Utique ad hæc ſtupui. Codicem rurſus diligentiſſime inſpexi. Alio charactere, quàm exaratus ſit Codex, ea

ſcripta

ſcripta agnovi : attamen & ipſius Notæ characteres quadrati erant ac vetuſtiſſimi , ita ut nihil dubitem, quin ipſo Anno DCCCLXXXI. eadem nota ad marginem acceſſerit . Quod ſi hanc erroris expertem dicas , jam habes , Annos Imperii Caroli Craſſi numerari cœptos fuiſſe ante diem XXVI. Julii Anno DCCCLXXX. Hoc autem æque pugnat cum ſententia Baronii & Pagii . Verùm nodus ita mihi ſolvendus creditur . Hoc eſt , adhibita fuit a Scriptore notæ illius Epocha *Regni* , non verò *Imperii*, ſecundùm quam die XXVI Julii Anni DCCCLXXXI. decurrebat *Annus Secundus Caroli Regis* , non verò Secundus Imperii ejus.

Poſt Chronologicam iſtam excurſionem repetamus iterum membranam Mediolanenſem Anni DCCCLXXXII. Non levis ibi eorum numerus , qui duplici Nomine utuntur . Neque aliâ ratione factum , niſi ut ab aliis ejuſdem nominis ac loci ſecernerentur. *Leo Judex* dignoſcendum ſe præbet a munere ſuo , uti & *Aginaldus Judex*, *Ambroſius Notarius*, *Hilderadus Notarius* , *Petrus Presbyter*. Alios locus diſcernit ; nempe *Garmarius de Mediolano* , *Warimbertus de Camteriano*, *Andreas Clericus de Blaſſonno* , *Adelgiſus de Roveniaſco* . Alios diſtinguit Vaſſallagii titulus ; puta *Bonus* & *Adelgiſus Vaſſalli* . Alios denique duplex nomen . Ibi inter ceteros recenſetur *Leo* , nudo nomine appellatus : tum ſuccedunt *Leo* , *qui vocitur Pipino* , *Leo* , *qui Plato vocatur* , *Leo Villicus* . Occurrit & unus *Johannes* , nullo alio nomine ornatus : ac ſubinde veniunt *Johannes* , *qui appellatur Clario* , *Johannes* , *qui vocatur Peluſo* , *Johannes Ruſſo* . Ita poſt *Luvolum* unico nomine deſignatum , numerantur *Luvolo da Flume* , *Luvolo* , *qui dicitur Plato*, *Luvolo filius quondam Dominiconi*. Ita denique *Bonellus* nudè nominatus , poſt quem ſequuntur *Bonellus Vetulo* , *Bonellus* , *qui dicitur Magniano* . Viden , ut iis Sæculis , vel fine utili & laudabili Cognominum uſu , aliquam rationem invenere homines ſeſe invicem diſtinguendi ? Conſule etiam , ſi lubet , Chartam Vulturnenſis Cœnobii Part. II. Tomi I. Rer. Italicar. pag. 435. Atque heic locum habet , quod apud Ughellium Tom V. Ital. Sacr. in Appendice ad Epiſcopos Tiburtinos legitur in Charta ſcripta *Anno II. Domni Silveſtri Papæ*, *& Ottonis Tertii Imperatoris Anno IV. Indictione XIV. die XXIX. Menſis Novembris*, hoc eſt , Anno Milleſimo a Chriſto nato , quamquam in Epocham Ottonis mendum irrepſerit. Ibi *nobiliſſimi Viri* , qui recenſentur & nominantur , aliqui *cum Cognominibus* , alii *cum Patris nomine* , *habitatores* dicuntur *Civitatis Tiburtinæ* . Quod heic *Cognomen* appellatur , nihil aliud mihi creditur , niſi *Super-nomen* , quod nunc dicimus *Soprannome* , quo illi a ceteris diſtinguebantur . Non ita tamen hæc dicta velim , ut opinemur , ubique & ſemper hujuſmodi circumſpectione caviſſe ſibi ab erroribus Majores noſtros . Sunt enim in eorum monumentis infinita nomina ſine ulla diſtinctione , quæ an iis tenebras parerent , ignoro: certe ea nunc nobis legentibus pariunt . Jamdiu monuerat clariſſimum Literariæ Reipublicæ lumen Mabillonius Lib. 2. Cap. 6. Rei Diplomaticæ , *Sæculo IX. maxime & VIII. acceſſiſſe viris inſignioribus & literatis aliud Nomen adſcititium . Unde Carolo Magno , Davidis* ; *Alcuino* , *Flacci-Albini* ; *Rabano* , *Mauri*; *Radberto* , *Paſchaſii* ; *Adelhardo* , *Antonii & Auguſtini*; *Walæ*, *Arſenii & Hieremiæ* ; *Riculfo* , *Damœtæ* . Explicatione hæc indigent . Certum quippe eſt , nullum aliud nomen Sæculis iis acceſſiſſe propriis Regum & Principum Nominibus . Eos appellare cum additamento Regiæ dignitatis , Ducalis , & ut ita loquar , Comitatenſis , ſat fuit ad ipſos dignoſcendos . Si ejuſdem nominis plures uno tempore vivebant , Patris appellatio ambiguitatem tollebat . Conficta ergo a literatis Viris , & veluti Poëticâ licentiâ in Libros & Dialogos invecta fuere nomina *Davidis* pro *Carolo Magno* : *Antonii* & *Auguſtini* pro *Adelhardo* : *Arſenii & Hieremiæ* pro *Wala* Corbejenſi Abbate &c. Nos nunc appellamus *Nomi di Cifra.* Quod præcipue conſtat ex ejuſdem Walæ Vitâ, conſcriptâ a Paſchaſio Radberto. Nullus autem hujuſmodi Nominum uſus fuit in quotidiano hominum commercio . Præterea non literatis tantùm Viris , ſed etiam indoctis & vulgaribus , duo interdum nomina acceſſere, quorum alterum proprium *Nomen*, alterum adſcititium, & veluti *Agnomen* , fuiſſe puto : ſive id caſu contingeret , & ex aliorum bono perverſove ſtudio (quemadmodum in Agnominibus imponendis uſuvenire vel noſtrâ ætate cernimus) ſive id ex neceſſitate fieret , ne ejuſdem Nominis homines inter ſeſe confunderentur . Hoc etiam innui in Præfatione ad Carmen Ermoldi Nigelli Part. II. Tomi II. Rer. Italicarum . Abbati illi *Hermoldus* , ſive *Hermenoldus* fuit proprium nomen . Acceſſiſſe poſtea alterum ſive *Nomen* , ſive *Agnomen* , videtur , ut inter alios *Ermoldos* peculiari aliqua appellatione diſtinctus appareret . Nuncupatus ergo fuit *Nigellus* , quod nos diceremus *il Negretto* ; uti Alcuinus *Albinus* , ideſt *il Biancbino* ; Walafridus *Strabo* , ſcilicet *il Loſco*, aut *il Guercio*; Rabanus *Maurus* , nempe *il Moro*; Amalarius *Fortunatus* , *l'Avventuroſo* , aut *il Fortunato* ; Lupus *Servatus* , *il Salvato* , & alii . Sunt autem , qui putant , apud Francos unis Literatis additum fuiſſe alterum Nomen Romanum , conjunctum nempe venuſtatis cauſsâ cum barbarico ſuæ gentis : quod an certum ſit , aliis inveſtigandum relinquo .

Sed aliquid jam tamdem de hiſce *Agnominibus* proferamus : quorum ſane origo non a moribus medii ævi , ſed ab ipſis antiquiſſimis Sæculis eſt petenda . Nos Italice *Sopranomi* appellamus : & *Supernomina* etiam vocitarunt veteres . In Additamentis ad Chronicon Caſaurienſe a me factis Par. II. Tomi II. Rer. Ital. ad Annum Chriſti MXLIX. occurrit *Odalberto*, *qui Supranomen Fratello vocatur* . Idem quoque repetitum vidi in authentica pergamena , exſiſtente in inſigni Tabulario Capituli Canonicorum Mutinenſium, ubi hæc leguntur : *Regnante Domno Berengarius* , *gratia Dei Imperator hic in Italia* , *Anno Tercio* , *de Menſe Auguſto per Indicione Sexta* (ideſt Anno DCCCCXVIII.) *Placuit atque convenit inter Domno Gottefredus gratiâ Dei Epiſcopus Sanctæ Motinenſis Eccleſie* , *necnon inter Leo filio quondam Petri Garucioni habitator in Calegaria* , *liberum homine* &c. Excolendam ei tradit Epiſcopus terram , *que obvinet per Cartulam offerſionis de Lamperto filius quondam Leonardi*, *qui ſupernominatur Cavinſacco* &c Vetuſtior quoque membrana in eodem Archivo hæc habet : *Lutharius divinâ providentia Imperator Auguſto* , *Anni Imperio ejus in Chriſti nomine Vigiſſimo Quarto* , *die Nonodecimo de Menſe Abrile* , *Indictione Sexta* . *Conſtat* , *me Giripertus filius quondam Aripaldi* , *qui ſupernominatur*

nitur Incendi-meſſe, *avitatur de Formigine* &c. Scripta eſt Charta hæc Anno DCCCXLIII. Iſta etiam *Supranomina* appellata vidi *Prænomina*. Chartæ ſcriptæ Anno MCCXIV. & exſiſtenti in Archivo Communis Mutinæ, ſubſcribit *Tedaricus*, *Prænomine Ragacius*, *ſacri Palatii Notarius*. Immo ſub ipſis etiam Romanis rerum dominis, ejuſdem quoque conſuetudinis certiſſima documenta habemus. Egregium illud in primis eſt, quod Suetonius ſcriptum reliquit in Vitellio Cap. 18. *Cui*, inquit, *Toloſæ nato Cognomen in pueritia Becco fuerat : id valet gallinacei roſtrum*. Ita ergo eſt appellatus Antonius ille, Veſpaſianei exercitus Dux, quod, ut opinor, nimis prominentem aut aduncum naſum ei natura dediſſet. Atque heic animadverte vocem *Becco*, non Latinam, ſed aut ex antiquo Italico, aut e Celtico ſermone ſumtam, adhibitam fuiſſe ad illius Agnomen ſtatuendum. Rurſus idem Suetonius in Caligula Cap. 9. *Caligula Cognomen caſtrenſi joco traxit*, *quia manipulario habitu inter milites educebatur*, hoc eſt, *a Caligis*, quæ non tibiarum, ſed pedum tegumenta fuere, a manipulariis & gregariis militibus uſurpata. Quod verò Cajus puer parvis *Caligis* uteretur, *Caligula* appellatus eſt. Porro novimus, *Cognominis* voce veteres ſignificaſſe, quod nos *Sopranome* appellamus. Neque aliter explicandus Gregorius Turonenſis, qui multis in locis hæc *Supernomina*, ævo ſuo familiaria fuiſſe prodit, eaque *Cognomenta* vocat. Memorat Lib. 4. Cap. 26. *Auſtrigildem Cognomento Bobilam*. Ita Lib. 7. Cap. 3. *Vedaſtem Cognomento Avonem*, ut reliqua omittam. Ita in marmorea tabula Romæ poſitâ, quam Cardinalis Baronius ad Annum Chriſti DXXXI. Noriſius, Holſtenius, Pagius, & alii attulere, legitur Inſcriptio poſita Anno *iterum poſt Conſulatum Lampadi & Oreſtis*, ideſt Anno Chriſti DXXXII.

SALBO (hoc eſt *Salvo*) PAPA N. IOHANNE COGNOMENTO MERCVRIO.

Scilicet Johannes II. Papa præter proprium Nomen, adſcititium alterum gerebat. Idem quoque Langobardis regnantibus factum. In Tabulario inſignis Brixiani Parthenonis Sanctæ Juliæ antiquiſſimum apographum vidi Chartæ, ubi occurrit *Maurenzius*, *qui Bovorculus nuncupatur*. Lectorem non pigebit eamdem accipere tenebris ereptam.

Maurentii, qui & Bovorculus, Charta, concedentis Anſelpergæ Abbatiſſæ Monaſterii Brixiani Domini Salvatoris & Sanctæ Juliæ, terram ad deducendam aquam in idem Cœnobium, Anno 761.

REgnante Dono Deſiderio & Adelgis *viros excellentiſſimos* Reges, *Regni eorum Quinto*, *&* . . . . . . *ſub die XV. Kalendas Magias*, *Indicione Quartadecima*. *In Chriſti nomine : promitto atque ſpondeo ego* Maurenzius, qui Bovorculus nuncupatur, *filius quondam Ariſteus*, *habitator intra muros Civitatis Brixianæ prope Portam Mediolanenſem*, *loco qui dicitur Parevaret*, *unde etiam cum promiſſo Maſſariæ Socrus meæ*, *tibi* Anſelpergæ *dicatæ Deo* Abbatiſſæ Monaſterii Domini Salvatoris *intra predictam Urbem Brixianam fundatum*, *de Curriculo illo*, *per quem graditur aqua ad ſuprascriptum Monaſterium veſtrum*, *& eſtat ex parte conſtituto intra Caſellam habitationis meæ*, *videlicet terrolam*, *quæ foris ipſa caſa eſt*, *juri meo pertinentem uſque ad pedes treginta ſex inſimul per longum*, *ita ut amodo & in perpetuum ſine mea*, *heredumque meorum interdictione permaneat ibi ſemper : & ſi qua tempore inter ſe qualebit contorbatio vel ruptura terram*, *que erga ipſum curriculum acceſſerit*, *liberam licentiam habeat pars Monaſterii veſtri omni tempore fodere & aperire terram*, *que erga ipſum eſt ut*, *ad recooperandum*, *in quo leſum aut contorbatum fuerit*. *Et ſi ego ſuprascriptus Maurentius*, *vel mei heredes in aliquo diſturbationem ex ipſo Curriculo fecerimus*, *aut quocunque tempore oportuerit ad recooperandum eum interdixerimus*, *in quo ſuperius decernutum eſt*, *& contra hanc Cartulam promiſſionis ire quandoque tentaverimus per nos*, *aut ſuppoſitam aliam*, *vel qualemcumque perſonam*, *Principi aut Judici ſuplicandum*, *per quam vero modo & manifeſtum fuerit*, *componat parti ſupradicti Monaſterii tibi Anſelpergæ Abbatiſſæ*, *vel ſucceſſoribus tuis penam nomine aur* . . . . *uaginta*, *& pene ſoluci* . . . . . . *ſens promiſſio ſuum optineat roborem* ; *ſic ita ut ſi aqua ex ipſo curriculo for* . . . . *per terram eruperit*, *non ſit neglegentia jam dicti Monaſterii ad recooperandum eum*, *ne vobis grave*, *& ipſ* . . . . . *inferat dampnum*, *quod impoſſibile videatur eſſe aut intollerabile prolongaverat dilationem*. *Unde accepi ego Maurentius per hanc promiſſionis pagina ex Sacculo Monaſterii*, *auri Solidos tres & tremiſſe*, *ut ſtabilis permaneat omni in tempore*. *Quam vero paginam promiſſionis Tanoaldi ſcribendum rogavi*.

Actum Brixia feliciter.

Signum manus ✠ *Maurentium recognoſcentem ad omnia ſupraſcripta*.

Signum ✠ *manus Maſarie Socre ejus conſentientem*.

✠ *Paſcalis rogatus a Maurentio qui & Bovorcolo*, *conſentiente Maſaria Socru ejus*, *in hac pagina promiſſionis teſtis ſubſcripſi*, *& ſupraſcriptos Solidos dare vidi*.

✠ *Luponius rogatus a Maurentio qui & Bovorcolo*, *conſentiente &c.* ut ſupra.

Leo rogatus a Maurentio qui & Bovorcolo, *conſentiente &c.* ut ſupra.

✠ *Ego ſupraſcriptus Tanoaldus huic pagine promiſſionis ſcripſi*, *& ſubſcripſi*, *quam poſt traditam complevi*.

Similem Chartam ad idem argumentum ſpectantem, in eodem Archivo Brixiano Sanctæ Juliæ mihi viſam, addere heic lubet.

Vale-

Valeriani & Liodoaldi Charta, concedentium Anſelpergæ Abbatiſſæ Monaſterii Brixiani Sancti Salvatoris & Sanctæ Juliæ jus canalis ad deducendam aquam in idem Cœnobium, Anno 761.

A REgnante Domno Deſiderio & Adelgis, *viros Excellentiſſimos* Reges, *Anno Regni eorum Quinto & Secundo, ſub die VIII. Kalendas Aprilis, Indicione XIV. In Chriſti nomine, promittimus atque ſpondimus nos Valerianus & Liodoaldus germani, filii quondam Leonis, habitatores intra muros Civitatis Brixianæ, tibi* Anſelpergæ *dicatæ Deo* Abbatiſſæ Monaſterii Domini Salvatoris *intra Civitatem Brixianam fundatum, de Curriculo illo, per quem graditur aqua ad Monaſterium veſtrum, & eſtat ex parte conſtitutum intra Caſam vel Curtem habitationis noſtræ, uſque ad pedes quinquaginta ſex juxta, ut deinceps & in perpetuum ſine noſtra, heredumque noſtrorum interdictione* B *permaneat ſemper omni tempore, inter ſe qualebit conturbationem, vel rupturam, aut leſionem alia acceſſerit, liberam licentiam habeat pars Monaſterii veſtri omni tempore fodere & aperire terram, que erga ipſum eſtat, ad recooperandum, in quo conturbatum fuerit. Et ſi quis ex nobis, qui ſupra Valerianus & Liodoaldus heredes in aliquo diſturbationem fecerimus ex ipſo Curriculo, aut quali in tempore oportuerit ad recooperandum eum interdixerimus, in quo ſuperius legitur, & contra hanc Cartulam promiſſionis ire quandoque temptaverimus per nos aut qualencumque perſonam, Principi aut Judici ſuplicandum, pro quo manifeſtum fuerit, componamus ad partem ſupraſcripto Monaſterio tibi Anſelpergæ* C *Abbatiſſæ, & ſucceſſoribus tuis, auri Solidos quinquaginta, & poſt pene ſolutionem preſens pagina obtineat roborem: ſic ita ut ſi aqua ex ipſo Curriculo foras ruperit, non ſit negligentia jam dicti Monaſterii veſtri ad recooperandum, ne vobis grave & impium inferat damnum, quod poſſibile videatur eſſe aut intollerabile, prolongaverat dilationem. Unde accepimus nos Valerianus & Liodoaldus promiſſionis Launichild, ſecundùm Legem noſtram, a te Anſelperga Abbatiſſa ex ſacculo, ut ſupra, Monaſterii veſtri, auri Solidos numero ſex, & duo tremiſſe, ut ſtabilis permaneat. Quam vero paginam promiſſionis Tonoaldi ſcribendum rogavimus, qui & ego ex dictato Laurentio* D *Notario ſcripſi.*

Actum Brixia feliciter.

Signum ✠ manus Liodoaldi recognoſcentis ad omnia ſupraſcripta.

✠ *Valerianus hanc paginam promiſſionis cautionis a nobis factam ſubſcripſimus, relectæ ſcribere obtuli, roboravi & ſubſcripſi, auri Solidos ſex & duo tremiſſe accepi.*

✠ *Leo rogatus a Valeriano & Liodoaldo germanis in hac pagina promiſſionis & obligationis teſtis ſubſcripſi, & ſupraſcriptas res Launichild dare vidi.*

A *Pollecius rogatus a Valeriano & Liodoald germanis &c.* ut ſupra.


✠ *Ego ſupraſcripto Tanoaldus huic pagine promiſſionis ſcripſi & ſubſcripſi, quam poſt traditam complevi.*

Erant autem illa Nomina, quæ ſuperius tum ex Gregorio Turonenſi, tum etiam ex priori Charta Brixiana attulimus, veluti duo *Nomina*, quorum alterum in Baptiſmo, alterum ante vel poſt Baptiſmum (idque frequentius) a parentibus, aut a Populo imponebatur. Diu enim mos apud Chriſtianos obtinuit, ut ad aliquot annos, eoſque interdum multos, Baptiſmus differretur, iſque ſolenni ritu in per- B vigilio tantùm Paſchatis & Pentecoſtes celebraretur, niſi periculum vitæ imminens miniſtrandum ante ſuaderet. Tunc ergo ante Baptiſmum infantibus Nomen dabatur. Vide Beroldum in Diſſertatione LVII. *de Ritibus Ambroſianis*. Porro adeo inſita eſt in Populis libido & conſuetudo hujuſmodi vetuſtiſſima *Agnominum* imponendorum, ut adhuc conſtantiſſima perduret inter plurimos Italiæ Populos. A Mutinenſi quidem Urbe pæne prorſus exceſſit, ut rem domeſtico teſtimonio confirmem. Verùm in Caſtellis, & ruri potiſſimùm, multus eſt uſus *Agnominum*, vixque ullus interdum eſt e ruſticis in aliquo Vico, qui ex Agnomine, quàm ex Nomine, non ſit C notior vicinis ſuis. Idem a Gallis in militiâ factum animadverti. Hæc autem *Agnomina*, quamquam neceſſitas aliquando invexiſſe videatur, attamen progredientibus Sæculis, & noſtro præſertim, improbitas hominum, & quidam male feriatus ardor, eadem inſtituere conſuevit. Nempe in ſacro lavacro ſuum cuique Nomen imponebatur: ſed ſæpius prævalebat alterum Nomen, quod aut ante Baptiſmum, aut poſtea domeſtici, vicinive, ex arbitrio ſuo invitis plerumque hominibus apponebant. Honeſta, fateor, & grata ex iis perquam multa fuere; ſed non pauca vituperationis & ſcommatis ſpeciem referebant. An antiqui Langobardi, donec eorum Regnum ac fortuna in D Italia ſtetit, hiſce ludibriis delectarentur, nondum deprehendi. Ultra enim quàm creditur, quidquid Nobilitatis colorem lædere poterat, illi averſabantur; neque fortaſſe quiſquam toleraſſet ejuſmodi Nomina, ſi dicterii notam importaſſent. Verùm ſub Carolinis Cæſaribus, ac deinde frequentius ſub Regibus ſubſequutis, eadem Agnomina in uſu fuiſſe deprehendi. Duo tantùm exempla inſtar omnium mihi erunt. Primum deſcripſi ex Archivo antiquiſſimi Monaſterii Sancti Zenonis Veronenſis, ubi vetuſtum apographum adſervatur.

Berengarius I. Rex Curticellam Johanni, cui Bracca-curta agnomen, infidelitatis damnato ademtam donat Monaſterio Sancti Zenonis Veronenſis, Anno 905.

IN *nomine omnipotentis Dei eterni* . Berengarius *divini ordinante clementia* Rex . *Quia ſacris & venerabilibus locis temporalia Regie dignitati conferre ſubſidia convenit* , *idcirco omnium fidelium ſancte Dei Eccleſie* , *noſtrorumque preſencium ſcilicet ac futurorum noverit ſollercia*, Johannem *quemdam*, *cui* alio nomine Bracca-curta *vocitabatur* , *noſtre olim fidelitati offenſum*, *in qua etiam perdurans comprehenſus eſt & multatus* , *cujus res* , *omniſque ſubſtantia legali judicio noſtre fuit ditioni ſubjecta* : qui ſuo Regi eſt infidelis , convictus , *juxta ſancitam Legem* , res ejus infiſcentur, & anime ſue incurrat periculum. *Nos verò divino amore accenſi* , *precibuſque* Conjugis noſtre Bertile *inclinati* , *quandam Corticellam* , *que jam dicto infideli noſtro fuit* , *& poſtea noſtre poteſtati legaliter advenit* , *ſitam in Villa Picta* , *que Donatoria vocatur* , *& Silva* , *que vocatur Carpene* , *da cujus fines ſunt ex uno capite Nocitulum* , *& ex alio capite Foſſa* , *que nuncupatur Pomanon* , *ex uno latere Agricia* , *ex alio Corvolata* : *pro remedio anime noſtre* , *ac preceſſorum noſtrorum* , *Monaſterio beatiſſimi Pontificis* , *Chriſtique Zenonis Confeſſoris* , *ubi ejus Corpus humatum quieſcit*, *per hujus noſtri*

A *Precepti paginam*, *ad uſum & neceſſitatem Monachorum inibi Deo militantium jure proprietario concedimus*, *& ex integro perdonamus*, *cum caſis videlicet*, *manſis*, *terris*, *vineis* , *campis* , *pratis* , *paſcuis* , *ſilvis*, *ſalectis* , *aquis* , *aquarumque decurſibus* , *piſcationibus* , *molendinis* , *redditibus* , *Servis utriuſque ſexus* , *Aldionibus ac Aldianis* , *montibus* , *planiciebus* , *diviſo & non diviſo* , *ſortito & non ſortito* , *arboribus pomiferis & inpomiferis* , *ſeu cum omnibus ad eandem Curtem pertinentibus* , *que dici aut nominari poſſunt* , *in jam dicto Monaſterio beati Zenonis largimur & de noſtro jure* , *& donamus in ejus jus & dominium* , *modis omnibus transfundimus* , *& perpetuali jure perdonamus*
B *& cedimus*: *eo videlicet ordine*, *ut nullus Dux*, *Comes*, *Vicecomes* , *aut aliquis propinquus*, *aut affinis jam prenominati infidelis noſtri Johannis*, *Monachos aut Moniſterium beati Zenonis Confeſſoris Chriſti moleſtare aut inquietare aliquando preſumat* , *ſed liceat omni tempore tenere* , *poſſidere* , *ſeu quicquid voluerit* , *ex omnibus agere noſtra pleniſſima largitate abſque alicujus hominis contradictione vel minoratione* . *Si quis igitur &c.*

Signum Domni  *Berengarii ſereniſſimi Regis* .

Ambroſius Cancellarius ad vicem Ardingi Epiſcopi & Cancellarii recognovi & ſubſcripſi .

Data III. Nonas Auguſti, *Anno Dominice Incarnationis DCCCCV. Domni verò Berengarii piiſſimi Regis XVIIII. Indictione VIII.*

Actum Piſcarie in Dei nomine feliciter . *Amen* .

Habemus heic *Johannem* , *qui alio nomine Bracca-curta* vocabatur . *Nomen* quidem hoc in loco ſumendum pro Agnomine ; etenim germanum ejus nomen , ut liquet , *Johannes* fuit. Ita in Charta Chronici Vulturnenſis pag. 441. Part. II. Tomi I. Rer. Italicar. ſcripta Anno DCCCCLXVIII. memoratur *Johannes* , *cujus ſupranomen vocatur Guilacere*. In altera Charta Anni DCCCCLXXXI. pag. 465. Placito cuidam intereſt *Johannes* , *qui ſupranomen*
C *Walatcheri* vocatur , ut cetera omittam . Ita quoque in Charta Audiberti Abbatis Veronenſis Anni DCCCCXLV. in Diſſertatione XXXI. *de Placitis* , occurrit *Lupo* , *Suplainpunio nominatus* , ideſt *Soppia* , ſive *Soffia-in-pugno* , aut *Suppa-in-pugno* . Sic Sergio IV. Papæ ante Pontificatum agnomen *Os-Porci*, *Bocca di Porco*, nomen verò *Petrus* fuiſſe traditur . Accipe & alteram Chartam, quam ex Archivo Monachorum Lucenſium Montis Oliveti depromſi .

Inquiſitio de juribus quibuſdam Monaſterii Lucenſis Sancti Pontiani, juſſu Bonifacii Ducis & Marchionis Tuſciæ habita, circiter Annum 1046.

BReve recordationis facio ego Martinus Abbas, de Piſcaria de Aqua de Oſare.

Bonifatius *gratiâ Dei* Dux & Marchio *rendidit ille duo ſepes de Aqua Auſeris, medietatem de lamprede, & omnes piſſces, qui ibi capti ſunt, quos antea Farulfus filio Lei Judex Domni Imperatoris ſibi retinebat. Tunc præcepit* Dux & Marchio Bonifatius Tedaldi filius *ad Miniſteriulem ſuum Uberto nomine & ut probaret propter fideles laici, nec non & ſenes illius Villule, ſi eſſet hec ſepes de Monaſterio Sancti Pontiani, ſicut audiebat. Nam una dierum Menſe Martio ſecunda ſeptimana infra quattuor perrexit iſte Uberto cum aliis boni viri ad Villulam illam Flexo nomine, ubi ſunt Piſcariæ, ut interrogarent, ſi de Monaſterio illo fieri deberent medietatem de iſte duo ſepes. Et præcepit & rogavit, qui ibi aderant, ut veritatem panderent . . . . . . ſi vera eſſet de iſte duo Piſcarie. Et reſponderunt omnes una voce dixerunt:* Vera, vera ſunt, Domine, que audiſtis: & teſtificamus & juramus, quia medietatem de piſcationibus fieri deberent Abbatibus. *Qui conſtituerunt omnes, ut per ſacramenta probarentur. Statimque venerunt tres viri fratres conſanguinei, & Dominum timentes, in preſentia Domni illi Uberti Miniſteriale de Luca, & Berizi Judex Domni Imperatoris, & Advocato piiſſimi Marchionis. Belli-*

A *homo qualem juravit primus. Deinde Bonato juravit ſecundus. Tertius Andrea finivit ſacramenta; quod iſte duo ſepes ſupter omnes alias ſepes fieri derent* (ſic) *omnes piſces propri de Fratres Monaſterio, & lanprede, que ibi ad . . . . . erant medietatem Marchioni, & medietatem Monaſterii. Iſte ſacramenta fuit in preſencia Uberti Caſtaldi, & coram Belihomo Advocato. Ibi fuit Farulfo filio Lei Judex, & teſtimonia multa habemus. Et hoc Breve recordationis fieri juſſerunt.*



Ego Pacio Notario Domni Imperatoris interfui.

Alderi filio Illiti ibi fuit.

B *Jerardi filio Wrdi interfui.*

Gunzo Clerico ibi fuit.

Drudo filio Teuzi interfuit.

Johannes filio Ermingoni ibi fuit.

Ildibrando filio Fraimi interfui.

Petrus de Vallecla ibi fuit.


Alboni Pane-vetero *interfuit.*

Teuzo de Flexo ibi fuit.

Ego Petrus filio Bonati de Flexo ibi fuit.

Poſt hec omnia acta inveſtiverunt nos illi Piſcatores, quanto tempore nos placet de decem & octo lamprede Duo debent habere.

Subeſt huic Chartæ ſubſequens Monogramma Martini Abbatis.



nter eos, qui ſubſcribunt, jam animadvertere potuiſti numeratum *Albonem*, ſeu *Alboni Panevetero*, ideſt *Albone Pan-vecchio*. Sed Agnomina hæc flores appelles in eorum comparatione, quæ præſertim poſt Annum Milleſimum increbuerunt. Tunc auditus eſt *Pela-vicinus Marchio*, tunc *Mala-ſpina Marchio*, *Mal-nevothe*, *Bucca-badata*, *Caga-piſtus*, *Tignoſus*, *Rana-Cocta*, *Manigoldus*, *Embriacus*, *Ruba-Conte*, *Ruba-Caſtellus*, *Landulphus Caronia* (ideſt *Carogna*), *Guazo Taſta-guadum*, *Mangia-troja*, *Mala-branca*, *Mala-gonella*, *Conradus Muſca-in-cervello*, *Landus Datus-Diabolo*, *Robertus Pan-de-Milius*, *Scanna-Sorice*, *Scanna-beccum*, *Pan-di-Segala*, *Caput-Aſini*, quod nomen occurrit mihi in Charta Mutinenſi Anni MCLX. Nomen idem ſeu Agnomen cuidam Militi impoſitum ſcribit Ordericus Vitalis Lib. 8. Hiſtor. *præ magnitudine capitis, & congerie capillorum*. Quippe repetendum eſt, nihil Gallos, Britannos, alioſque Populos genti Italicæ conceſſiſſe in ejuſmodi Agnominibus adinveniendis ac infligendis. De Roberto Normanniæ Duce, in ſacra expeditione celebri, hæc habet idem Ordericus Lib. 4. pag. 545. *Erat facie obeſa, corpore pinguis, brevique ſtaturâ, unde vulgo Gambaron cognominatus eſt*, & *Brevis-ocrea*. Sunt apud illum & alia complura exempla. Hæc autem *Agnomina*, quod mire-

C re, tantâ pertinaciâ perſonis adhærebant, ut ab ipſis denique adoptarentur, immo, uti olim apud Romanos, *Pætis*, *Strabonibus*, *Ciceronibus*, *Lentulis*, *Naſonibus*, *Naſicis*, *Varronibus* &c. accidit, in Familiarum Cognomina tranſierint: de qua re mihi ſermo erit in Diſſertatione ſubſequenti. Præſentem claudam, quum prius duo monuero. Primum eſt, vetuſtis Sæculis morem illum viguiſſe, quem noſtris quoque, in Principum præcipue ac illuſtrium virorum Familiis, immo & quandoque in Plebejis, diligentiſſime obſervatum conſpicimus. Nempe majorum ex latere paterno, & potiſſimùm Avi, ac non raro ipſius Patris Nomen ac memoria renovabatur in filiis. Si plu-

D res erant liberi, e materno etiam ſtipite Nomina deſumebantur: cui conſuetudini tribuendum in primis eſt, quod in una Familia non ſemper eadem Nomina propria audirentur, ſed ſenſim alia intermiſcerentur. Immo præferebantur interdum Nomina materni ſtipitis, ſi illuſtrior eorum fama erat, quàm paterni generis. Qui foret hac in re olim Plebis uſus, non ſatis conſtat. Neque enim ulla majorum celebritas interveniebat, ut eorum Nominibus perpetuitas aliqua procuraretur in filiis. Attamen credibile eſt, ipſis quoque curæ fuiſſe hanc Nominum renovationem. Nam & adhuc in ipſa Plebe mos idem perdurat. Certe in Re-

gum & Magnatum Familiis eumdem morem ſæpiſſime deprehendas. Exemplis parco. Hæc autem animadverſio non modico uſui eſſe poteſt, in contexendis veterum Genealogiis; non ita tamen, ut uni huic regulæ preſſe nimis inſiſtendum ſit, quum aliæ etiam cauſſæ acceſſerint immutandorum Nominum in Familiis; neque una hæc notatio ſatis plerumque ſit ad certo diſtinguenda gentis alicujus capita. Sed cum aliis indiciis conjuncta, lucem præbet non exiguam ad internoſcendas affinitates & ſanguinis derivationem in Illuſtribus Viris, quam nobis ſpiſſæ tenebræ antiquitatis eripuiſſe videntur. Ego certe in Antiquitatibus Eſtenſibus olim inveſtigandis hujuſce moris conſide- A rationem perquam utilem ſenſi. Alterum, quod ſupereſt adnotandum, quoties patris viventis nomen filio imponebatur, immo patre etiam e vivis ſublato, ut alter ab altero diſtingueretur, veteres conſuevere aut in diminutivum inflectere filii nomen, aut huic addere epithetum *Junioris*, ſive *Novelli*. Proinde in Eſtenſi Familia, cui *Azzonis* nomen familiare admodum fuit, *Azzolinus*, *Azzo novellus*, vivente præſertim patre occurrit. Eâ de cauſsâ in Familiâ de Honaria, ſive de Romano, uſurpatum fuit *Etzil* & *Etzelinus* ideſt *Eccelino*: in Familia Malateſtarum *Malateſta* & *Malateſtinus*; atque ita in aliis.

DE COGNOMINUM ORIGINE.

DISSERTATIO QUADRAGESIMASECUNDA.

DISSERTATIO


QUADRAGESIMASECUNDA.

NUnc res poſcit, ut quando egimus de *Nominibus & Agnominibus* veterum, de *Cognominibus* pauca etiam commentemur. Jam dixi, nulla fuiſſe *Cognomina* Sæculis dominationis Langobardicæ, & Francicæ in Italico Regno. Romani, ac Neapolitani, qui tamen a Langobardico jugo colla ſemper illæſa ſervarunt, & Græcis Auguſtis diu paruere, ne ipſi quidem tunc habuiſſe in uſu Cognomina videntur. Anaſtaſius Bibliothecarius, & Johannes Diaconus nuda nobis nomina hominum plura recenſent, aut ex patre, aut ex officio ſingulos tantùm diſtinguentes. Atqui ſenſim innotuit, in quantam utilitatem humani commercii vergere poſſet *Cognomina* nominibus adjicere, ut non tantùm caverentur errores in perſonis dignoſcendis, ſed etiam Familiæ rectius inter ſe una ab altera diſcriminarentur. Nulla enim meliori ratione Familiarum præcipue privatarum Majores internoſcere fas erat, quàm ſi eodem Cognomine donarentur. Age verò dicamus, quo Sæculo horum uſus in Italia invaluerit. Hoc ergo ſtatuo, Sæculo Chriſti X., & latius XI. latiſſime tamdem XII. *Cognomina* ab Italicis uſurpari cœpta fuiſſe. Non uno, inquam, Sæculo didicerunt homines, ſuam hoc pacto deſignare Familiam, ſed multis: nam ut nunc vile vulgus Sigillis minime utitur, ita neque

A olim Cognomina adhibere conſuevit. Proinde vel ipſo Sæculo XV. (uti in Regeſtis Feudorum, ac Emphyteuſeon Sereniſſimæ Eſtenſis Familiæ animadverti) plures adhuc ignobiles Cognomento carebant, & aut Patriam, aut Artem ſuam ad ſe diſtinguendos a ceteris præferebant. Primi, qui inter Italos Cognominibus viam aperuiſſe videntur, ſi fides Andreæ Dandulo in Chronico, quod evulgavi Tomo XII. Rer. Italicarum, Veneti fuere. Is enim ad Annum Chriſti DCCCIX. nobis exhibet *Angelum Particiacum* Venetiarum Ducem; tum ad Annum DCCCXXVII. *Juſtinianum Particiacum*: ad Annum DCCCXXIX. *Johannem Particiacum*: ad Annum DCCCXXXVI.
B *Petrum Tardonicum*: ad Annum DCCCLXIV. *Urſonem Particiacum*: ad Annum DCCCLXXXI. *Johannem Particiacum*: ad Annum DCCCLXXXVII. *Petrum Candianum*, ac deinde alios Duces *Particiacos*, & *Candianos*. & *Badoarios*, & *Urſeolos*, & *Memos*, ut alios prætercam; & ſingulos ante Annum a Chriſto nato Milleſimum. Eſt etiam mihi ad manus Ottonis Magni Auguſti Diploma *Vitali Candiano* Veneto conceſſum, quod ex Archivo ampliſſimi viri Antonii Rambaldi Comitis de Collalto, intimi Cæſarei Conſiliarii ſuppeditavit mihi doctiſſimus vir Henricus de Collalto Abbas Commendatarius Sancti Salvatoris.

Donatio Curtis Muſeſtre facta Vitali Candiano Veneto ab Ottone I. Imperatore, Anno 963.

IN *nomine Sancte & individue Trinitatis*. Otto *divina favente clementia* Imperator Auguſtus. *Noverit omnium fidelium ſancte Dei Eccleſie, noſtrorumque, preſentium ſcilicet & futurorum induſtria,* Vitalis Candianus *Veneticus, noſter fidelis, ſuppliciter noſtre pietatis exoraſſe clementiam, quatenus quandam Curtem juris Regni noſtri, que dicitur Muſeſtre, adjacentem videlicet in Comitatu Tarviſienſi, & cum Silva de Vivalda, ſeu etiam cum*
C *Villa nuncupata Barbarana, & cum univerſis ad eam Curtem pertinentibus vel aſpicientibus, necnon & Pratum pertinentem de ipſo Comitatu Tarviſienſe, quod dicitur Regale, & piſcationem in fluvio, qui dicitur Syle, qualiter per hujus noſtri Precepti paginam jure proprietario* Vitali Candiano *fideli noſtro concedere dignaremur. Cujus petitionibus &c.* ut in Diplomate Berengarii Imperatoris Anno DCCCCXXI., quod in hoc Opere evulgavi.

Signum Domni Ottonis Magni  *& invictiſſimi Imperatoris Auguſti.*

Luugerius Cancellarius ad vicem Widonis *Epiſcopi & Archicancellarii recognovi & ſubſcripſi.*

Datum VII. Kalendas ...... Anno Dominice Incarnationis DCCCCLXIII. Indictione VI. Anno Imperii Magni Ottonis Imperatoris Auguſti Secundo.

Actum in Monte Feretri ad Petram Sancti Leonis.

Hic idem *Vitalis Candianus* fuiſſe videtur, qui paucis poſt annis Venetiarum Dux fuit renuntiatus. Ergo habemus decurrente Seculo Decimo apud Venetos Cognomina nobilium hominum. Attamen ut quod ſentio libere edicam, non illico acquieſcerem Andreæ Dandulo ſupra laudato, quum ſub Carolo Magno, & ipſo ineunte Seculo IX. immo & antea, ſcribit, eaſdem Venetiis floruiſſe nobiles Familias, ſuiſque Cognominibus diſtinctas, qua-
D rum non paucæ adhuc in inclyta Urbe illa ob generis nobilitatem effulgent. Ita verò a Dandulo enumerantur: *Particiaci, qui nunc Baduarii appellati ſunt; Verſilvi, ſive Beligni, qui idem ſunt; Candiani, qui hodie ſecundùm plurimos Sanuti vocati ſunt &c. Centranici, Bonadi, Barbadici, Mauroceni, Brandanici, ſive Bragadini; Nigri, qui dicti ſunt Mauri &c.* Tantæ antiquitatis minime eſt Dandulus (ſcribebat autem circiter Annum MCCCXXX) ut

ut ſine tabulis certiſſimus hujus rei teſtis eſſe potuerit. Quod quum ſcribo, in ea tamen ſententia ſum, nullam in Europa Civitatem comparari poſſe cum Venetis, quod eſt ad oſtendendas per plurima Secula ſervatas illuſtres privatæ conditionis Familias. Quippe nulli Civitati contigit tamdiu intactam cuſtodire non ſuam tantùm libertatem, ſed pacem quoque inteſtinam. Non enim Civium ſapientia paſſa eſt apud ſe radices agere domeſticas factiones, quæ ceteris Italiæ Urbibus, ſimulque nobilibus Familiis tantam intulere cladem: neque ulli, vel potentiſſimo hoſti datum eſt umquam feliciſſimam Urbem a circumfluo mari munitam eripere Civibus liberis, ſuoque addere imperio. Ita factum eſt, ut Nobilium virorum propago ibi melius quàm alibi avitum ſplendorem per longa Secula ſervarit & ſervet. Venetis præterea quanta foret cum Græcis ſocietas & commercium (ut aliis quæſtionibus parcam) Langobardis & Francis in Italia regnantibus, Paulus Diaconus, Annales Francorum, Dandulus, aliaque monumenta ſatis evincunt. Atqui nomina Gentilitia apud Græcos numquam fuiſſe omnino antiquata, neque in deſuetudinem abiiſſe, ſi quis oſtendendum ſibi ſumeret, Auctoribus & exemplis profectò abundaret. Immo neque Agnominibus caruiſſe videntur. Cedrenus ſub Conſtantino Monomacho memorat Ασὰν τὸν λεγόμενον Κωφὸν, *Aſanem appellatum Surdum*, quod idem eſt atque cognomento *Surdum*. Idem pariter ſub Leone Baſilii filio nominat Νικήταν πατρίκιον τὸν τὴν ἐπωνυμίαν Σκληρὸν, *Nicetam Patricium cognomento*, ſive ut rectius loquar, additicio nomine, ſive Supernomine, appellatum *Sclerum*, ideſt *Durum*. Plura aggerere non juvat. A Græcis ergo Veneti Cognominum uſum didicerint, aut ab antiquis Latinis acceptum retinuerint. Sed num Seculo Octavo & Nono hæc ipſis fuerint, quæ noſtris nunc auribus ſonant, an verò poſteri potius gentem ſuam in antiquiſſimis ſuæ Urbis Magnatibus ſe inveniſſe putarint, aliorum judicium eſto. Ego ſine teſtibus ac tabulis affirmare aliquid, aut decernere non auſim. Illud quidem certum, ſaltem Seculo Decimo non paucos a Nobilibus Venetis Nomini ſuo Cognomen quoque addidiſſe. Jam ſupra vidimus diſertis verbis *Vitalem Candianum* ab Ottone Magno memoratum. Ita in altero Diplomate Ottonis III. poſtea Auguſti apud Dandulum, obviam ſe facit nobis *Johannes Urſiolus, vel Urſeolus*, Nuntius *Petri Ducis Veneticorum* Anno DCCCCXCII. Erat hic idem Venetorum Dux Petrus ex eâdem Familiâ: ejus enim filium Ducem poſtea & ipſum Venetorum Petrus Damiani in Vita Sancti Romualdi appellat *Petrum Cognomine Urſeolum, qui Dalmatici Ducatus gubernabat habenas*. Charta quoque Anni DCCCCLXXVI. apud eumdem Dandulum exhibet nobis concordiam initam a Sicardo Comite Juſtinopolitano *cum Domino Petro Urſeolo Venetiarum Duce &c. propter deceſſum Anteceſſoris Petri Candiani Ducis*. Adde Franciſcum Sanſovinum, qui Lib. 13. de Venet. Urbe, Placitum innuit habitum Anno DCCCCLVIII. *in Curte Palatii Domni Petro Duce Candiano*. Quod tamen rem conficere uberius poteſt, Charta ab Ughellio producitur Tomo V. Ital. Sacr in Catalogo Patriarchar. Venet. quæ ſi germana ſtatuatur, & ab omni interpolationis ſuſpicione abſoluta, invictiſſime oſtendit, Anno

A DCCCCLXXXII. admodum familiaria Venetis eo tempore fuiſſe Familiarum Cognomina. Illi enim Chartæ ſubſcribit ingens Venetorum multitudo, exempli gratiâ *Baduarius Bragadino, Vitalis Græco, Johannes Bembo, Dominicus Mauroceno, Dominicus Contareno, &c.*

Præter Venetos, ut hactenus vidimus, uſos longe ante ceteros Italiæ Populos Cognominibus, Johannes Villanius Lib. 4. Cap. 9. & ſeq. Hiſtoriar. auctor eſt, Florentinos quoque antiquis Sæculis eadem Cognomina adhibuiſſe. Recenſet etiam quamplurimas vetuſtas Familias, quarum non paucæ illius ævo defierant. Sua Villanius, ut omnes norunt, literis con- B ſignabat circiter Annum MCCCXL. uſque ad MCCCXLVIII. Quare ne ipſum quidem ſat locupletem teſtem hac in re futurum nobis cenſeo. Proſtant ejus Urbis & reliquæ Tuſciæ Acta complura, aut adhuc in membranis ſcripta, aut jam evulgata, e quibus elucet, nequaquam ad majorem vetuſtatem aſſurgere Florentinæ gentis Cognomina, quàm reliquarum Urbium Italici Regni. Olim quoque, hoc eſt circiter Annum MCCCCXC. Peregrinus Priſcianus, vir doctiſſimus inter Ferrarienſes, quum Annales Ferrarienſes ſcriberet, quorum partem, reliquis deperditis, Eſtenſis Bibliotheca adſervat, inquirebat, quales fuiſſent omnium antiquiſſimæ Familiæ Ferrarienſis Ur- C bis. Innuit autem Chartam conſcriptam Anno DCCCCLXXIII. in qua memorantur *Guarinus Comes Ferrarienſis, Athelardus filius Guilielmi, Petrus de Patritia, Urſo Judex, Johannes Dativus* (ideſt Judex) *Petrus & Stephanus Dativi, Arderatus & Rambertus Comites, Leo de Andrea Conſul, Rofredo filius ejus, Leo Conſul, Gregorius de Daniele, Gregorius Conſul, Petrus Conſul filius Leonis Conſulis, Anſelmus Conſul filius Raimbaldo, Paulus Conſul, qui vocatur de Naſtaſia, Johannes, qui vocatur Criſtini, Petrus, qui vocatur Bordellus, Johannes, qui vocatur Vaſſallo, Leo Romani, Johannes, qui vocatur de Boſio, Petrus, qui vocatur Stancario, Ignezo, qui* D *vocatur Imboſemato, &c.* Sunt heic, quæ Cognomina videntur; ſed quæ tamen pro Cognominibus accipienda non eſſe reor. Jam vides a patris, aut matris nomine pleroſque diſtingui. Alios Agnomen dignoſcendos præbet, qualia profectò ſunt *Bordellus, Imboſematus, Stancarius, &c.* Ceteros patria ibi memorata, ut cum Scholaſticis loquar, identificat. Quare aliorum Italiæ Populorum morem Ferrarienſis quoque in aſſumendis nominibus Gentilitiis mihi videtur fuiſſe imitatus.

Jam verò palam fiat, unde *Cognomina* originem duxerint, & ad ſignandos unius Familiæ homines deducta fuerint: quod in maximum humani commercii, ac Hiſtoriæ commodum E conceſſit. Et primo Nobilibus viris adhærere Cognomentum antiquitus cœpit a loco dominationis, quum parentes in filios & nepotes eamdem ditionem tranſmitterent, & inde Populus certam appellationem ſumeret internoſcendæ nobilis, ac potentis illius Familiæ. Ita Chriſtianiſſimis *Francorum Regibus* aut nullum Cognomen eſt, aut Cognominis loco eſt ipſius feliciſſimi Regni, cui a tot Sæculis dominantur, magnifica appellatio. Nempe *La Caſa di Francia* quum dicimus, continuo intelligimus illam omnium vetuſtiſſimam, ac celebratiſſimam, cui Francicum, ſive Gallicum Regnum ſubeſt. Ita quum nominamus Auguſtiſſimam,

ac

ac nobiliſſimam *Auſtriacam Familiam*, quæ tot Cæſares hactenus Romano Imperio dedit, atque utinam plures dare pergat, nihil aliud ſignificamus, quam Familiam illorum ſublimium Principum, quæ Ducatum, ſive Archiducatum Auſtriæ a multis Sæculis regit. Eſt autem plerumque vetuſtatis & nobilitatis indicium, præcipue in Potentibus Cognomen, ſive Gentilitium Nomen, a Provincia, Urbe, aut loco aliquo arceſſere; ſæpe enim ac ſæpius inde perducimur ad agnoſcendum, olim quoque eaſdem Provincias, Civitates, aut Loca earum Familiarum ditioni ſubfuiſſe. Neque alia nomenclatura *Regiam Sabaudicam*, aut *Ducalem Eſtenſem* a ceteris Familiis nunc ſecernit, niſi quod antiquis Sæculis *Comites Sabaudiæ* illa dedit, hæc *Marchiones Eſtenſes*. Et Principes quidem Ateſtini, ut oſtendi in Antiquitatib. Eſtenſib., vel ante Annum a Chriſto nato Milleſimum *Marchiones* nuncupabantur, appellatione profecto parum nobis commodâ; quum non ſatis conſtet, cui Marchiæ tunc dominarentur. Ubi verò tamdem acceſſit præclariſſimo huic titulo ſingularis nota ditionis *Eſtenſis*, tunc ſublata eſt omnis errandi occa-

A ſio. In Germania & Gallia Principum ac nobilium Familiarum quamplurimæ ex hoc fonte præclariſſimum ſuum Cognomen accepere, illudque retinent, ſi tamen inter Cognomina recenſendam ejuſmodi honorificam appellationem ſtatuere fas eſt. Neque ſecus factum videas in Regno Neapolitano, ubi Magnatum Familiæ ab antiqnis tantùm Comitatibus aut Feudis Gentilicia Cognomina deducunt. Illud etiam in Mutinenſibus ac Regienſibus Familiis Nobilitate præſtantibus olim cernere erat, ut de mihi notioribus loquar. Sed fateor, me heic in multas tenebras incurrere: nam ut ut aliquibus revera Cognomentum a Feudis atque a ditionis alicujus loco obvenerit, pluri-
B mi tamen ſe mihi paſſim offerunt, quos locus & patria tantùm a ceteris ſecrevit, ſed quibus nulla ditio in eadem loca fuit. Porro quis ſibi tribuat in tanta temporum vetuſtate ac mutatione rerum commode hæc poſſe diſtinguere? Exemplo erit Charta ad celebrem Comitiſſam Mathildem pertinens, quam authenticam vidi atque deſcripſi ex Archivo Monachorum Vallis Umbroſæ degentium in Cœnobio Piſtorienſi Sancti Michaëlis in Furcule.

Mathildis Comitiſſæ donatiò facta Monaſterio Sancti Salvatoris in Alpe Frontonis, Anno 1104.

IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. Anno ab Incarnatione ejus Milleſimo Centeſimo Quarto, XIX. Calendas Februarii, Indicione XII. Domina Comitiſſa Matildis *pro amore Dei, & anime ſue remedio conceſſit atque donavit ſex cultre de terra, que ſita eſt in Curte Pl . . . . . Monaſterio Sancti Salvatoris, ſito Alpe Frontonis. Et ſi ullo in tempore ipſa, vel ſui ſucceſſore . . . . vel cauſare de predicta terra contra ſupraſcriptum Monaſterium temptaverit, aut aliquo ingenio moleſtare inceperit, vel alicui dederit, aut contra datum aliquod fecerit, quominus predicto Monaſterio habere liceat, rem illam in duplum componere predicto Monaſterio ſupraſcripta Domina promiſit. Hoc actum eſt in preſencia* Epiſcopi Motinenſis, qui vocatur Dottus, *& Archipresbyteri Bonuti, & Aldeprandi Primicerii de Civitate Piſtoria. Et ad hoc rogati ſunt teſtes* Comes Albertus de Sabloneta, Ragimundus de Bagiſe, Ugo de Nonantula, Bernardus filius Imelde de Feroniano, Corvolus de Feroniano, Siſſo de Bibianello, Wigelmus de Ferraria, Wido de Piſa, Bonitus Advocatus de Piſtoria, Bernardus Beneventanus. *Poſt penam autem ſolutam hoc ſcriptum in ſua maneat firmitate.*

Hoc actum eſt in Villa, que vocatur Carpenetum, que ſita eſt juxſta Civitatem Piſtoriam.

MA | TIL
DA | DEI
GRA | SI
QID | EST

Subſcripſi.

Ego Ardericus Judex interfui & ſubſcripſi.
Ego Sigefredus Judex & Tabellio manu mea ſcripſi & poſt tradita complevi & dedi.

C Epiſcopo Mutinenſi, qui in Charta hac *vocatur Dottus*, nomen fuit *Dodo*. Heic autem habes *Albertum Comitem de Sabloneta*, quem titulus certus ditionis diſtinguit. Incertum eſt, an *Ragimundus de Bagiſe* (nunc *Baiſo*); *Ugo de Nonantula*, *Siſſo de Bibianello*, & *Corvolus de Neroniano* (nunc *Fregnano*) iis locis Feudali titulo dominarentur, quum tamen multa ſint, quæ eos Comitiſſæ Vaſſallos fuiſſe indicant, & Corvuli eſſent *Capitanei de Fregnano*, ut ex aliis Actis patet. Certum denique eſt, a ſola patria diſcretos fuiſſe *Bernardum filium Imeldæ de Feroniano* (ut diximus *il Fregnano*, provinciâ in Mutinenſi Ducatu comprehenſa) *Wigelmum de Ferraria*, *Widonem de Piſa* &c.
D Contra mihi nulla dubitatio eſt, quin dominationem in ea loca exercerent, unde Cognomentum traxere egregiæ Mutinenſium Familiæ *de Saxolo*, *de Rodilia*, *de Gomola*, *de Gandacito*, *de Savignano*, *de Gorzano*, *de Varana*, *de Balugola*, *de Macreta*, ut alias omittam. Clariſſimum ipſum *Montecuculorum Marchionum* genus, quemadmodum noſtris, ita & antiquiſſimis temporibus, hoc eſt Sæculo Chriſti Duodecimo decurrente, Caſtro *Montiſcuculi* dominabatur, atque inter *Capitaneos Feroniani* celebre fuit. Ita in Regienſi Urbe nobiles Familiæ *da Canoſa*, *de Siſſo*, *de Foliano*, *de Dallo*, *de Carpineto*, *de Palude*, atque aliæ, a Caſtris ſibi ſubjectis Cognomen ſumſere.
E Unde verò vetuſtiſſima ac celeberrima *Rangonum* Mutinenſium progenies appellationem ſuam ceperit, nondum reſcivi; neque enim heic ulla ratio habenda eſt fabularum, quas Franciſcus Sanſovinus in Libro de Originib. Familiar. Illuſtr. Italiæ, pag. 85. adfert de præclariſſimæ hujus Familiæ origine. Ego illam ex Germania in Italiam ſub Friderico I. Auguſto commigraſſe opinor. Alibi in hoc ipſo Opere Chartam produxi, in qua Anno MCLXVII. nobis occurrit *Dominus Girardus Rangonus Imperatoriæ Majeſtatis per Mutinæ Epiſcopatum & Comitatum Legatus*. Ita Anno

no

no MCLXVI. eidem *Gerardo* data eſt a *Guelphone Duce Spoleti*, *Marchione Tuſciæ* &c. inveſtitura *Curtis Gavaſſæ*, teſte pergamena, quam Par. I. Cap. 30. pag. 290. Antiquitat. Eſtenſ. produxi. Conſtat autem ex Vita Sancti Meinwerci Epiſcopi Paterbrunnenſis Tom. primo pag. 539. Scriptor. Brunſvicenſ. Leinbnitzii, exſtitiſſe olim Caſtellum *de Rangun*: in Weſtphalia-ne, an in Saxonia, videant alii. Quidni Gerardus inde ſuum Cognomen in Italiam advexerit? Ita aliorum Nobilium Cognomenta ex eorum patriâ, aut ditionis loco profecta invenies. Apud Gallos id præcipue factum, atque hic uſus adhuc apud Nobiles conſtantiſſime conſervatur: Raphaël Volaterranus Lib. 22. Anthropologiæ, *Columnenſium* originem inquirens, de ea, inquit, *nihil ſane exploratum. Auctorem tamen habeo, qui dicat eos ex Oppido Columna deſcendiſſe*. Recte Volaterranus; neque enim e Columna, quam in vexillis atque in ſtemmate nobiliſſima illa gens detulit, ſed quidem ab Oppido Columna, cui olim imperavit, gentiliciam appellationem ſortita fuit. Audi Pandulphum Piſanum in Vita Paſchalis II. Tomo III. pag. 355. Rerum Italicarum, qui circiter Annum MCIV. hæc tradit: *His diebus Petrus de Columpna, Cavas ſcilicet Oppidum de jure Beati Petri, invaſerat: ſed dum aliena contumaciter retinere nititur, turpiter amiſit & Propria. Egreſſus Urbe Domnus Papa Cavas recepit. Columpna & Zagarolum, Oppida Juris Ipſius, ſapienter expugnata, prudenter ſunt capta*. Majori in lumine res collocabitur, ſi duas Chartas proferam e MSto Codice Cencii Camerarii, quum inde non ſolùm eadem veritas eluceat, & Columnenſibus reſtitutum poſtea fuiſſe Oppidum illud ediſcamus, ſed etiam præſtantiſſimæ gentis potentia Sæculo XII. luculentius intelligi poſſit.

Eugenius Papa medietatem Civitatis Tuſculanæ, & Caſtra quædam emit ab Oddone de Columna, Anno 1151.

IN nomine Domini. Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Centeſimo Quinquageſimo Primo, Indictione XV. Menſe Decembrio die X. Septimo Anno Pontificatus Domini Eugenii III. Papæ. *Ego* Oddo de Columna, *conſentiente* fratre meo Carſidonio, *propria & ſpontanea mea bona voluntate trado, & jure proprietario concedo tibi* Domino Bernardo Cardinali Sancti Clementis, *recipienti nomine & mandato Domini Papæ Eugenii Tertii, ad partem Eccleſiæ Romanæ, ex contractu permutationis medietatem totius Tuſculanæ Civitatis, & Arcis ipſius Civitatis, cum omnibus pertinentiis, & finibus & appendiciis ſuis, & acceſſionibus & ingreſſionibus & exitibus ſuis: cum terris cultis & incultis, paſcuis, pratis, ſilvis, fontibus, rivis, paludibus, & domibus urbanis & ſuburbanis, vinetis, olivetis, caſtagnetis, & cum omni dominio & guidonatico. Et omne jus & omnem actionem, quam in prædicta Civitate & ejus pertinentiis ex ſucceſſione Parentum meorum habere videor, do & trado tibi cum omni ſuo diſtricto, ad habendum, tenendum, poſſidendum, fruendum, & quicquid Dominus noſter Papa Eugenius, ſuique Catholici ſucceſſores facere inde voluerint, faciendum. Item concedo tibi prædicto Domino Bernardo Cardinali Sancti Clementis ad partem Domini Papæ Eugenii III. & prædictæ Romanæ Eccleſiæ, ob prædictam permutationem, Montem Porculi, cum omnibus ſuis pertinentiis, exceptis Terris de Columna, & Terris de Zagarolo. Inſuper pro ſupraſcripta permutatione do & concedo tibi ſupraſcripto Domino Bernardo Cardinali ad partem ſupraſcripti Domini Papæ & prædictæ Romanæ Eccleſiæ, omnem actionem & exceptionem, & omne jus, quod ego prædictus Oddo de Columna cum fratribus meis habeo in Caſtro Montisfortini, quod meum eſt ex permutatione, quam pater meus cum patre Tholomei fecit, & pater ſuus violenter, & dolo malo poſſeſſione prædicti Montisfortini patri meo abſtulit. Omnem igitur, ut prædixi, actionem & omne jus, quod ad recuperandum prædictum Caſtrum Montisfortini, & ejus diſtrictum habeo, tibi prædicto Bernardo Cardinali ad partem prædicti Domini Papæ & prædictæ Romanæ Eccleſiæ, ex cauſa prædictæ permutationis cedo & trado & tribuo. Pro qua permutatione & ceſſione & traditione ego Oddo de Columna accepi a te Domino Bernardo Cardinali, ut dixi, Sancti Clementis, & mandato prædicti Domini Papæ totum Caſtrum Trebani proprietario jure, & centum decem Libras Denariorum Papienſium, & centum quadraginta Libras Denariorum Lucenſium. Quam meam permutationem, & omnium prædictarum rerum traditionem & ceſſionem, ſicut ſupra legitur, ratam habere, minimeque corrumpere, & ab omni perſona omni tempore defendere, me, meoſque ſucceſſores promitto. Quod ſi omnia, ſicut prædictum eſt, non fecerimus & non obſervaverimus, obligo me, meoſque ſucceſſores, & per ſtipulationem ſpondeo nomine pœnæ duplum ſupraſcriptæ rei, quam tibi trado, præſtare tibi, qui ſupra Cardinali Sancti Clementis ad partem prædicti Domini Papæ Eugenii, & prædictæ Romanæ Eccleſiæ: & pœnâ ſolutâ omnia, quæ ſuperius leguntur, firma & illibata permaneant.*

Actum prope Caſtrum Fluminariæ in Eccleſia Sanctæ Mariæ, præſentibus bonis hominibus, quorum nomina ſubtus leguntur. Quia in tali ordine ſcribere rogavi Dominum Johannem Notarium ad futuram rei memoriam.

Docibilis, teſtis rogatus.
Gottifridus Montiſcelle, teſtis rogatus.
Johannes Runtio de Rajano, teſtis rogatus.
Donnellus, teſtis rogatus.
Malavolta, teſtis rogatus.

✠ *Ego Johannes Signinus Notarius ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſcripſi, & tale ſignum feci.*

Prædictæ etiam permutationi aſſenſum præbuit Gregorius Paſcibove, Anno Dominicæ Incarnationis, & Indictione ſupraſcripta, die XVII. Menſis Decembris, præſente me Johanne ſupraſcripto Notario, & præſentiâ Docibilis Dapiferi Domini Papæ, & Johannis Runtionis, & Donnelli, rogatorum teſtium.

Actum eſt autem hoc in Domo Sanctæ Luciæ juxta eamdem Eccleſiam, & rogatu prædicti Gregorii Paſcibove hæc ſcripſi ego Johannes Notarius Signinus Domini Papæ Scriniarius, & tale ſignum feci.

Oddo-

Oddonis Frangipanis Charta, per quam juri pignoris, quod ſibi erat in Civitatem Tuſculanam, renuntiat, Anno 1152.

IN *nomine Domini. Anno Dominicæ Incarnationis Milleſimo Centeſimo Quinquageſimo Secundo, Indictione Prima, Menſe Decembris XXIX. Septimo Anno Pontificatus Domini Eugenii III. Papæ.* Ego Oddo Frajapanis *profiteor me recepiſſe triginta Libras Denariorum Papienſium a* Domino Bernardo Cardinali Sancti Clementis, *mandato* Domini Eugenii Papæ III. *ſolvente, pro omni jure pignoris Tuſculanæ Civitatis, quam ab* Oddone de Columna *intus & foris habebam & poſſidebam. Promitto etiam tibi prænominato Domino Bernardo Cardinali Sancti Clementis, vel alii nomine ſanctæ Romanæ Eccleſiæ accipienti, reddere inſtrumenta pignoris, quæ a prænominato* Oddone de Columna *accepi, ſi aliquo tempore invenire potuero: quod ſi non fecero, ipſa inſtrumenta pignoris nullius momenti ſint, & hoc omni tempore in ſua firmitate permaneat. Hæc omnia, quæ ſupra notantur, rata habere, minimeque corrumpere me, meoſque ſucceſſores promitto. Quod ſi non fecero, & omnia, quæ ſupra dicta ſunt, non obſervabo, obligo me, meoſque ſucceſſores tibi Domino Bernardo Cardinali Sancti Clementis, tuiſque ſucceſſoribus, recipienti pro Eccleſia Romana, pœnæ nomine quadraginta Libras Denariorum Papienſium. Solutâ pœnâ Chartula in ſuâ permaneat firmitate. Unde hi ſunt teſtes:*

Docibilis Dapifer, teſtis rogatus.

Johannes Runtio de Rajano, teſtis rogatus.

Donnellus, teſtis rogatus.

✠ *Ego Johannes Signinus, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Notarius, rogatus ſcripſi, & tale ſignum feci.*

Animadverte, qui tunc foret ritus Romanæ Curiæ. *Ab Incarnatione* numerabatur Annus, & nihilominus a Kalendis Januarii illius exordium ducebatur. Indictio autem adhuc a Septembri Menſe ſuum curſum capiebat. Atque ea quidem, quæ hactenus diſſerui, uſum habitura ſunt in exploranda origine Nobilium Familiarum præſtantium Mediolani, exempli gratia *de Caſtilliono, de Carcano, de Marliano, de Landriano, de Arciago, de Rhaude, de Birago, de Buis, ſeu de Buiſo, de Turre,* quæ ex Gallia Mediolanum ſe contuliſſe fertur, &c. Illud tamen non omittendum, multas eſſe ubique Familias, præſertim in vulgo, quibus Cognomen a loco aliquo acceſſit, non quòd olim ibidem dominarentur, ſed quod inde egreſſi illorum Majores pro Cognomine patriam ſumſerint. Nam & antiquitus non paucos a ceteris diſtinguebat locus nativitatis aut incolatus.


Secundò fuere Cognomina, quibus originem dedit proprium alicujus Nomen. Quod contigit, quoties filii, ut ſuam ab aliis ſtirpibus progeniem diſtinguerent, nomen Patris, aut Matris, uti jam vidimus, proprio ſuo adjungebant. Quod ſi celebris erat fama, aut potentia parentum illorum, pergebant etiam Nepotes & poſteri nomen primi illius parentis Cognominis loco adhibere. In Charta Lucenſis Archiepiſcopii, ſcripta Anno Chriſti DCCCCXC. *Farolfus & Teudegrimus, filii quondam Farolfi* ab Adalongo Epiſcopo Lucenſi quoſ-

A dam agros libellario titulo accipiunt. In tergo pergamenæ antiquis characteribus ſcriptum legitur: *Datum Farulſo & Teudegrimo germanis quondam Farolfi, de quibus deſcendunt Lambardi quidam de Sancto Miniate, ſcilicet Cavalca Lambardus & filii, ſcilicet Arigettus Vicecomes Epiſcopatus in Tempiano, & Tojano, & Cornuli, & ejus finibus. Et vocantur modo filii Farulfi: & eſt Feudum eorum.* Animadverte vocem *Lambardi* pro *Lombardi*, qua Nobiles olim deſignabantur, uti jamdiu monuerat vir ſingularis judicii Camillus Peregrinius. Ita in tergo alterius Chartæ ſcriptæ *Anno Primo Domni noſtri Karoli Regis, Septimo Kalendas Octobris, Indictione XIV.* ideſt Anno B DCCCLXXX. legitur: *Habent in Feudum Lambardi de Ghezano Vallisberæ.* Sed nunc audi Ricordanum Malaſpinam, qui in Hiſtor. Florentin. Cap. 34. Tomo VIII. pag. 903. Rer. Italicarum, hæc habet: *Ancora erano venuti ad abitare a Firenze la ſchiatta de' Figiovanni: e queſti furono antichiſſimi e gentiliſſimi uomini ricchi in Firenze.* Hoc eſt, *Filii-Johannis* appellabantur iſti ab aliquo illuſtri Viro, cui *Johannes* nomen fuit, deſcendentes. Subdit Malaſpina: *Di queſta Famiglia n'uſcirono e diſceſono più Famiglie per innanzi, ſiccome furono Fighineldi, Firidolfi* &c. Nimirum quum in plures lineas horum deinde proſapia accreverit, e ſtipitibus ſuæ lineæ Cognomen ſuum C unaquæque accepit, ita ut hi *Filii-Ghineldi*, illi *Filii-Ridolfi* nuncuparentur. Eadem e Malaſpinâ mutuatus Johannes Villanius, in ſuam Hiſtoriam intulit. Ita & alibi memorantur *i Fifanti*, hoc eſt *Filii-Fanti*, & *i Figliuoli Petri* &c. Eumdem ritum Angli quoque & Sueci alicubi retinent. Par autem exemplum noſtra hæc regio olim dedit, nempe *Filios Manfredi*, unde egregiæ celebreſque Familiæ procreatæ ſunt, nempe *Piorum*, olim Carpi Dominorum, & adhuc Principis titulo utentium, *Picorum*, quondam Mirandulæ dominantium, uti & *Papazzonum, Fantium, Padellarum*, præſertim verò *Manfredorum* in Civitate Regienſi illuſtrium Marchionum, atque aliæ, quæ aut de- D fecere, aut opibus attritæ infimum nunc locum tenent, quamquam adhuc privilegiis & appellatione *Filiorum Manfredi* ſub Mutinæ Sereniſſimis Ducibus fruantur. In antiquis Regeſtis Reipublicæ Mutinenſis legitur *Cittadinantia* Mutinæ, quam Anno MCLXXIX. jurarunt *filii Manfredi, videlicet Pius, Paſſapuntus, Manfredinus, Infans, Albertus de Borzano, Manfredinus de Pizo*, ſeu de Pico, *& Guidetus.* Et quidem Pii perpetuo uti Cives Mutinenſes ſeſe habuere, atque ab aliis quoque ſunt habiti. In Collectaneis Priſciani Anno MCCLXIII. *Landulfus Dei gratiâ Monaſterii Sancti Silveſtri de Nonantula* Abbas inveſtivit jure honorifici Feudi *Dominum Ber-* E *nardinum Padellam, Dominum Guidonem Domini Falſagrati, Dominum Albertinum & Dominum Conſtantinum de Pedochis, Dominum Philippum & Dominum Albertinum filios Domini Azolini, Dominum Anzolinum & Dominum Johannem de Bonifatiis, Dominum Manfredum & Dominum Ariverium Bellablonda,*

Dominum Matthæum & Dominum Paganellum de Papazonibus, Dominum Manfredum, Dominum Gerardum, Dominum Leonardum & Dominum Bernardinum de Piis, Dominum Nicolaum de Prendepartis, Dominum Rainerium, Dominum Manfredum, Dominum Udoricum, & Dominum Gerardum de Fante, de FILIIS MANFREDI, de omni & toto eo, quod ipſi & ſui Majores tenuerunt in Feudum a Monaſterio Nonantulano. Videlicet de tota Curia, diſtrictu, & Curte Curtilis: de tota Curia, diſtrictu, & Curte Gavelli: de Sancto Martino in Spino: & de eo, quod habuerunt ſui Majores, & habent ipſi in Curia Sorbariæ, & in Curia Ronchalium, & in Curia Sancti Felicis &c. Ecce in quot ramos diffuſa jam fuerat arbor *Filiorum Manfredi*; & nihilominus heic nulla mentio eſt Manfredorum & Picorum, qui tamen in aliis Chartis conſpiciendos ſe præbent, ac potiſſimum in Charta Anni MCCCXLVIII. apud prælaudatum Priſcianum. Ibi diviſio legitur facta inter *domos & caſales de Filiis Manfredi*, ſcilicet *de Piis*, *de Pizis de la Mirandola*, *de Papazonis*, *de Manfredis*, *de Pedochis*, *de Azolinis*, *de Padellis*, *de Fante*. Sed quandonam, petat aliquis, Manfredus iſte tot filiorum ſator in vivis fuit? Mirandulæ ſe mihi obtulit Diploma Caroli Magni, quod ſubinde in Archivum Eſtenſe illatum, nunc in publicum diem eſt efferendum.

Præceptum Caroli Magni Auguſti, quo Manfredum Langobardum Civem Regienſem reſtituit in poſſeſſionem omnium fortunarum ſuarum, Anno 808.

IN nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Karolus *ſereniſſimus* Auguſtus *a Deo coronatus, pacificus Imperator, Romanum gubernans Imperium, qui & per miſericordiam Dei* Rex Francorum & Langobardorum. *Notum ſit omnium fidelium noſtrorum magnitudini, præſentium ſcilicet & futurorum, qualiter nos Deo favente, & ſanctorum Principum Apoſtolorum merita inter . . . . . Regnum Langobardorum adqueſivimus, & pro credendis aliquos Langobardos foras Patriam in Francia ductos habuimus, quos inpoſtmodum ad deprecationem dilecti* Filii noſtri Pippini *glorioſi* Regis *ad Patriam remiſimus, & eorum legitimam hereditatem, quam habuimus, in ſcripto revocatam reddere aliquibus juſſimus. Ex quibus unus ex illis nomine* Manfredus de Civitate Regia *ad noſtram accedens clementiam, ſerenitati noſtræ petiit, ut per Præceptum auctoritatis noſtræ omnes res quaſcumque tunc temporis juſte & rationabiliter in hereditate legitima poſſidere videbatur, quando in Francia ductus eſt, & Nos ei inpoſtmodum reddere juſſimus, denuo pleniſſima deliberatione redere & confirmare deberemus. Cujus petitionem denegare noluimus, ſed pro mercedis noſtræ augmentum, & ælimoſina antedicti Filii noſtri ita conceſſiſſe, & in omnibus confirmaſſe cognoſcite. Præcipientes ergo jubemus, quod perpetualiter circa eum manere volumus, ut quamdiu Nobis ac dilecto Filio noſtro fideliter deſervierit, omnes res, ut diximus, proprietatis ſuæ, undecumque tunc tempore juſto tramite veſtitus fuit, quando in Francia per juſſionem noſtram ductus eſt, & nos ei inpoſtmodum reddere juſſimus, deinceps per hanc noſtram auctoritatem jure firmiſſimo teneat atque poſſideat: ut vel quidquid exinde facere voluerit, liberum in omnibus perfruatur arbitrium. Et ut hæc præceptio atque confirmatio noſtris futuriſque temporibus inviolata permaneat, manu propria ſubtus corroborare decrevimus, & de anulo noſtro ſigillari juſſimus.*

Signum 

Domni Karoli piiſſimi ac ſereniſſimi Imperatoris.

Locus Sigilli ✠ cerei deperditi.

Hado ad vicem E . . . . . anbaldi ſcripſi & ſubſcripſi.

Data XVI. Kalendas Auguſtas, Anno VIII. Chriſto propitio Imperii noſtri, & XL. Anno Regni noſtri in Francia, & XXXVIII. in Italia, Indictione Prima.

Actum Aquiſgrani Palacio noſtro in Dei nomine feliciter. Amen.

Præfert pergamena Diplomatis hujus Notas fere omnes germani atque autographi Privilegii, videlicet characteres illi convenientes ævo, & ſigna Cancellariæ Imperialis, locum quoque Sigilli cerei deperditi. Unum tamen reſtat, quod ſuſpicionem falſi ingerit. Nimirum conſentit quidem *Annus Octavus* Imperii Caroli cum *Indictione Prima*. Congruit & *Annus Quadrageſimus* Regni Francici: ſed *Annus Trigeſimus octavus* Regni Italici a recta Chronologia diſcordat, quum Anno DCCCVIII. decurreret Annus *Trigeſimus Quartus*, non vero *Trigeſimus Octavus*. Ad hæc ultra morem ſubtilis mihi viſa eſt eadem Pergamena. Quare dubius hærere cogor, atque opinari tutius petendum eſſe a Sæculis poſterioribus *Manfredum*, Piæ, Picæ, Papazonæ, Pedochæ, aliarumque Familiarum propagatorem. Fuit revera & alter *Manfredus* vivente Comitiſsâ Mathildâ, cujus filio *Ugoni* ipſa in Feudum conceſſiſſe traditur *Curtem Quarantulæ cum Caſtello Mirando*. Tabulas evulgavit Contelorius in Monumentis Comitiſſæ Mathildis; quas tamen non unam ob cauſſam ſpurias arbitror. Verùm minime his opus eſt ad ſtatuendum, floruiſſe ſub Mathilda Comitiſſa *Ugonem filium Manfredi*: ipſe enim teſtis adſuit pluribus ejuſdem Mathildis contractibus, uti ex monumentis a ſupra laudato Abbate Bacchinio productis conſtat; quibus Chartam adde a me editam

ſupra

ſupra in Diſſertatione VI. *de Marchionibus*, ubi occurrunt *Albertus & Hugo filii Maginfredi*, ſeu Manfredi, Anno MCXIII. in comitiva ejuſdem Comitiſſæ Mathildis; ita ut vix falli poſſit, qui Ugonem illum cenſeat, Mathildæ fuiſſe Vaſſallum, quemadmodum videtur & *Opizo de Gonzaga*, ibi pariter ſæpe memoratus, a quo nobiliſſimam gentis Gonzagæ ſobolem prodiiſſe antea ſum opinatus in Præfatione ad Hiſtoriam Mantuanam Platinæ, Tomo XX. Rer. Italicarum. Quum ergo *Manfredus*, ſive *Maginfredus* Ugonis illius pater Sæculo Undecimo floruerit, ſuſpicandi locus eſt, ab illo potius *filios Manfredi* deſcendiſſe, ejuſque Nomine pro Cognomine poſteros uſos fuiſſe, donec in plura capita propagati, ut unam ab alterâ lineam diſtinguerent, nomina ſubſequentium Magnatum, hoc eſt *Pii*, *Pici*, *Papazzonis*, & aliorum, in proprium Cognomen aſſumſere. Neque ab alio fonte, quàm a Nomine parentis in Cognomentum converſo, complures Neapolitanæ & Florentinæ Familiæ olim gentiliciam appellationem traxiſſe videntur, cujuſmodi fuere *Coſtanzo*, *Agneſe*, *Andrea*, *Pandone*, *Matteo*, *Daniele*, *Vincenzo*, *Aleſſandro* &c. aut *Uberti*, *Ubertini*, *Alberti Comites*, *Guidones Comites*, *Girolami*, *Donati*, *Tedaldini*, *Philippi*, *Rudulphi*, *Alberici*, *Cipriani*, *Lamberti*, *Tebaldi*, *Arigucci*, atque alii: neque enim omnes recenſere oportet, uti neque in aliis Italiæ Civitatibus ejus rei exempla perquirere. Præterire tamen non poſſum clariſſimam *Urſinorum* Familiam, illuſtre videlicet Romanæ Urbis ornamentum, quæ Summos non ſemel Eccleſiæ Paſtores, & nuper etiam Benedictum XIII. Pontificem Maximum dedit. Raphaël Volaterranus Lib. 22. Anthropolog. (Petrarchâ etiam in teſtem advocato, jure-ne, is viderit) Urſinæ gentis originem ab Anno Chriſtianæ Æræ DLXXX. deducit. Inde ipſe, aliique poſt ipſum, Familiam hanc vel in remotiſſimis Sæculis ſplendentiſſimam nobis exhibuere, fabulis fabulas (ſit verbo venia) contexentes. Ego, quæ certa habeo, tantùm proferam: neque enim dubiis documentis, eoque minus mendacio præſtantiſſima illa gens indiget, ut in Orbe noſtro lucidiſſime effulgeat. Meâ ergo ſententiâ non ab Urſinis ſub Romana Republica florentibus, neque ab Urſo in eorum Vexillis picto, ſed ab *Urſo* quodam Nobili Viro *Urſina* Gens appellationem ſuam traxit, nomine illius ſenſim in Cognomen converſo. Proinde antiquis temporibus *de filiis Urſi* eorum progenies appellabatur. Ex hac Familia primus in Romanum Pontificem adlectus eſt Anno MCXCI. Hyacinthus Sanctæ Mariæ in Coſmedin Diaconus Cardinalis, qui *Cæleſtini III.* nomen aſſumſit. Diu, atque ab ipſo Baronio ignoratum eſt, hunc ex *Urſina* Gente procreatum fuiſſe, quod in antiquis Catalogis dumtaxat appelletur *filius Petri Bubonis*. Sed nunc res extra controverſiam poſita eſt. Audi Auctorem Vitæ Innocentii III. quem Cæleſtinus habuit Succeſſorem, Tomo III. pag. 564. Rer. Italicarum. Narrat ille ſeditiones Anno MCCVIII. Romæ excitatas, *quarum incentores & auctores fuerunt Filii Urſi, quondam Cæleſtini Papæ Nepotes, de bonis Eccleſiæ Romanæ ditati, hac occaſione dumtaxat, quod inter domum Petri Bobonis, ex qua ipſi per Patrem deſcenderant, & domum Romani de Scorta, ex qua Dominus Papa per Matrem deſcendit, veteres æmulationes fuerunt.* Infra is addit, *captam quamdam Turrim Filiorum Urſi, propter injuriam perpetratam* &c. Ad hujus gentis decus acceſſit Anno MCCLXXVII. *Nicolaus III.* Romanus Pontifex, vir celebratiſſimus, ex Urſinorum progenie natus, & in ipſa ditanda & extollenda minime poſtea parcus. In Vita Cæleſtini V Papæ a Jacobo Sancti Georgii ad Velum Aureum Cardinali, circiter Annum MCCCXIII. ſcripta, Tomo III. pag. 622. Rer. Italicar. editâ, hæc de Matthæo Rubæo Cardinali Urſino habentur:

- - - - - - - - - - *genuit quem Nobiles Urſæ*
Progenies, Romana Domus, veterataque magnis
Faſcibus in Clero, pompaſque experta Senatus:
Bellorumque manu grandi ſtipata parentum;
Cardineos apices, necnon faſtigia dudum
Papatus iterata tenens. - - - - - - - - - -

En rurſus indicari vides duos ex Urſina gente Pontifices Romanos, hoc eſt, *Cæleſtinum III.* & *Nicolaum III.* Heic autem *Urſæ progenies* appellatur Cardinalis ille Urſinus. Fortaſſe ſcriptum fuerit *Urſi progenies*. Hæc olim ejus Familiæ nomenclatura uſitatior. Sallæ quoque ſeu Sabæ Malaſpinæ in Chronici Siculi Lib. 3. Cap. 20. Tomo VIII. pag. 835. Rer. Italicarum, nominantur ad Annum MCCLXVII. *Dominus Neapoleon*, & *Matthæus frater ejus de Filiis Urſi*, ambo ſubinde Cardinales. Eidem quoque memoratur *Dominus Rainaldus de Filiis Urſi*. Nam vel ad ea uſque tempora multi Romanorum Nobilium Patris mentione facta dumtaxat ſeſe deſignabant. Refert Cardinalis Baronius ad Annum Chriſti MCLXXXVIII. Chartam concordiæ initæ inter Clementem III. Papam, & Senatum Romanum. Sed Nomina Senatorum in Codice, quo ille uſus eſt, deſiderabantur, eaque a me reſtituta fuerunt ope Codicis Eſtenſis in Tomo III. Rer. Italicarum. Verùm nunc decrevi tabulas eaſdem e MSto Codice Eſtenſi deſumtas, integras ac emendatiores evulgare, in quibus animadvertas, *dare Senatoribus Presbyteria conſueta*, nihil aliud fuiſſe, quàm *Donativa*, quæ Summi Pontifices interdum diſtribuere Magiſtratibus Romanorum conſueverunt, uti ſupra oſtendi in Diſſertatione III. *de Roman. Imper. electione*.

Concordia inter Dominum Papam Clementem III. & Senatores, Populumque Romanum, ſuper Regalibus & aliis Dignitatibus Urbis, Anno 1188.

Sanctiſſimo Patri & Domino, Clementi, *Dei gratiâ* Summo Pontifici & univerſali Papæ, *Senatus, Populuſque Romanus ſalutem, & fidele cum ſubjectione ſervitium. Dignitas Senatus, Populique Romani in optimum ſtatum roboratur, & Reipublicæ nimium confert, ſi pacis concordiam inter ſacroſanctam Eccleſiam, & inclytam Urbem firmiter ſtabilitam ad poſterorum memoriam ſolemni ſcripturarum exaratione reducamus, ne fortè per negligentiam* (a) *vel ſocordiam inæſtimabilis pacis veritas temporis lapſu depereat; quæ ſuæ excellentiæ prærogativa ab omnibus eſt tam colenda, quàm perpetuis temporibus obſervanda. Per abundantiam namque pacis,* (b) *auxiliante Deo Patre creſcit defenſio, & Eccleſiæ Romanæ, atque Urbi egregie dignitas conſervatur illæſa. Hinc agrorum fertilitas procreatur, quæ in uſum humanæ vitæ multiplici commoditate porrigitur; per quam equidem nobis & vobis, ceteriſque illam conſervantibus utilitates & lucra generantur quamplurima, & hoſtibus noſtris veſtriſque male merentibus digna præparantur exitia. Proinde, piiſſime in Chriſto Pater, & Domine, tenores ejuſdem Pacis ad perennem rei memoriam per præſentem Senatoriæ dignitatis paginam* (c) *de certo ampliſſimi Ordinis Sacri Senatus, & aliorum quamplurimorum tam Sapientum quam multorum Prudentum virorum conſulto duximus roborandam, & vobiſcum taliter componendam. Videlicet, ad præſens reddimus vobis Senatum, & Urbem, ac Monetam. Tamen de Moneta habebimus tertiam partem, ſicut inferius continetur. Item Eccleſiam Beati Petri abſolutam reddimus, & Epiſcopatus, & aliis Eccleſiis obligatas pro guerra reddimus abſolutas hoc modo, quod de tertia parte Monetæ, quam Senatus habebit, ſingulis annis exonerentur, donec tota pecunia, pro qua* (d) *obligata ſunt, ſolvatur: & ſicut ſors minuetur, ita minuantur uſuræ pro rata parte. Reddimus omnia Regalia tam infra quàm extra Urbem, quæ tenemus, præter Pontem Lucanum, quem tamen* (e) *non refutatis his, quæ alii tenent, non faciemus vobis contrarium. De Capitaneis ſimiliter,* (f) *ſalvo quod ex eis infra ſcriptum eſt. Defendemus omnes dignitates & honores Urbis ad opus & utilitatem veſtram & Romanæ Eccleſiæ. Et tam nos Senatores quam alii Senatores, qui erunt per tempora, ſingulis annis jurabimus fidelitatem & pacem vobis & Succeſſoribus veſtris, ſicut conſuetum eſt. Et faciemus, quod omnes perdentes, ſuſceptis emendationibus, ſicut concordatum fuerit, faciant inde refutationem per publicum Inſtrumentum vobis, Succeſſoribuſque veſtris, & Romanæ Eccleſiæ. Et quocumque modo Tuſculanum dirui contigerit, nihilominus omnes poſſeſſiones & tenimenta ejus intus & extra* (g) *cum omnibus bonis & rebus eorum ſint in jure & poteſtate Romanæ Eccleſiæ*. Vos autem dabitis Senatoribus, *qui erunt per tempora, Beneficia, &* Presbyteria conſueta: *item Judicibus, Advocatis, Scriniariis a Romano Pontifice ordinatis, & Officialibus Senatus* Presbyteria conſueta dabitis. *Deperdentibus autem res eis ablatas per Maſnadam Romani Pontificis, & Forisfactores, & Tuſculanenſes per guerram, ſicut promiſſum eſt a vobis per concordiam, emendabitis, ſalvis exceptionibus a vobis factis; quibus* (h) *dependentibus obſervabitis conventiones a vobis factas, ſicut cum eis conveniſtis; & deperdentes obſervabunt vobis conventiones ab ipſis factas, ſicut vobiſcum convenerunt.*

Et dabitis ſingulis annis pro reſtauratione murorum hujus excellentiſſimæ Urbis centum Libras bonorum Provenienſium. De Tuſculano ſcilicet, quocumque modo ad manus noſtras devenerit. Infra dimidium annum omnes muros, & Carbonaria Civitatis, & Roccæ Tuſculani, & Suburbiorum dabitis nobis ad diruendum, quos & quæ numquam reficietis, nec refici facietis in vita veſtra: retentis & ſalvis tam vobis quam Succeſſoribus veſtris, & Romanæ Eccleſiæ, omnibus poſſeſſionibus, tenimentis, & pertinentiis ejuſdem Tuſculani intus & extra, cum hominibus rebuſque eorum. Quod ſi hinc uſque ad Kalendas Januarias dictum Tuſculanum ad manus noſtras non venerit, tunc excommunicabitis Tuſculanos: & per fideles veſtros de Campania & de Romania cogetis eos perficere de Tuſculano, quod dictum eſt ſupra, cum adjutorio noſtro. Propter hoc autem nos Senatores Pacem & ſecuritatem vobis, & Epiſcopis, & Cardinalibus, totique Curiæ veſtræ, & euntibus ad Curiam, & moram facientibus & redeuntibus jurabimus, ſalvis juſtitiis Romanorum, quas petent bona fide, ſine malitia. Et inſuper vos eligetis per ſingulas Contradas univerſarum Regionum Urbis decem Viros ſine malitia, de quibus nos Senatores faciemus (i) *vobis jurare veſtriſque hanc Pacem, cum Beneficiis, quæ a Romana Curia habere conſueverunt. Et ſi plures hanc Pacem jurare voluerint, nos Senatores permittemus. Si ad defenſionem Patrimonii Beati Petri Romanos vocaveritis, ipſi ibunt cum expenſis, quas prædeceſſores eorum a Romana Curia habere conſueverunt. De Capitaneis ſit ſalvum Urbi & Populo Romano quidquid ab eis* (k) *conventum eſt, & permiſſum Romæ per ſcriptum & juramenta, ac plenarias, & ſtararias, ac præcones: ſalvâ proprietate Romanæ Eccleſiæ, quam de Præneſtina Civitate habet, & ſalvo hominio Capitaneorum, quod debent vobis & Romanæ Eccleſiæ.* (l) *Tibur non recipietis ad detrimentum, & damnum Urbis; ſed ſi Tiburtinos impugnare voluerimus, non facietis nobis contrarium. Monetam facie-*

(a) Alter Codex Eſtenſis habet: *ſeu diſcordiam inæſtimabilis.*
(b) *auxiliante Deo Patriæ creſcit*
(c) *decreto*
(d) *obligatæ ſunt,*
(e) *non refutatis. Et de his, quæ*
(f) *ſalvo jure, quod*

(g) *cum hominibus & rebus*
(h) *quibus deperdentibus*
(i) *vobis jurare quinque hanc*
(k) *conventum & promiſſum eſt Romæ per ſcriptum & juramenta, & plejarias, & ſtajarias, ac preſones ſalvâ*
(l) *Tiburtinos non recipietis*

facietis fieri intra Urbem , ubi vobis placuerit: de qua tertiam partem dabitis Senatoribus per tempora . Si nos præcepto veſtro guerram alicui fecerimus , & propter hoc nobis aliquis contrarium fecerit , juvabitis nos inde , atque defendetis (m) *cum adjutorio noſtro . Omnia ſupradicta vos , & univerſi Epiſcopi , & Cardinales Romanæ Eccleſiæ , & pro vobis , & Succeſſoribus veſtris* (n) *promittetis obſervare Senatui , Populoque Romano in perpetuum . Et nos Senatores & univerſus Populus Romanus promittemus pro nobis , & ſucceſſoribus noſtris , omnia iſta obſervare vobis , & toti Curiæ ,* (o) *Succeſſoribuſque veſtris in perpetuum . Hæc omnia bona fide , & ſine fraude ab utraque parte obſerventur . Ut autem compoſitio iſta perpetuis temporibus illibata conſiſtat , eam decreto Senatus confirmamus , & præſentis ſcripti patrocinio communimus . Auctoritate itaque Omnipotentis Dei , & Magnificentiſſimi Ordinis Senatus Edicto firmiter præcipimus, ut nullus noſter Concivis , amicus , vel fidelis contra hæc,* (p) *quæ perſcripta & firmiter ſtabilita ſunt, aliquo modo venire præſumat , ſi amorem & bonam noſtram voluntatem habere deſiderat : alioquin iram Ampliſſimi* (q) *Senatorii , & metuendi Populi Romani graviſſime incurrat & odium .*

Actum XLIV. Anno Senatus , Indictione ſextâ , menſe Madii die ultimo ; juſſu Senatorum Conſiliariorum , Angeli Ser Romani de Pinea : Bobonis Stephani de Octaviano : Petri Stephani de Tranſtiberim : Romani Senebaldi : Rainerii Rainaldi de Ramucio : Johannis de Schinando : Caſari Bartholomæi : Petri Nicolai : Fuſconis de Berta : Bubonis Donnæ Scottæ : & Ilperini Domnici . Et Senatorum, Stephani Contebracæ : Petri Berardi : Centii Muti : Johannis Centii : Guidonis Bobonis : *Johannis Leonis : Johannis Parentii : Gregorii Malebranchæ : Guidonis Roffredi : Jordani de Ponte Sancti Petri : Oddonis Caputferri Romani: Johannis de Flajano: Petri Johannis Adæ: Centii de Gulferamo : Stephani Judicis : Nicolai Buccæmazi : Gerardi Petri de Gerardo : Jaquinti de Toſto : Piſcionis Nicolai : Johannis Saxonis : Johannis Guidonis de Papa : Petri de Gerardo : Johannis Bartholomæi : Johannis Centii : Benonis Petri de Octaviano : Vitalis Pauli : Franconis Stephani : Petri Latronis : Cuntebrace : Petri de Gregorio : Petri Berardi de Blanca : Rainonis Buccænuzæ: Octaviani Johannis de Octaviano : Johannis Plagæ: Johannis Buccæmazi : Jordani Oddonis : Centii de Bertranno : Silveſtri Petri Artonis : Johannis Scriniarii : Bartholomæi Ciconnis : Nicolai de Antonio: Johannis Aſtulfi: Angeli Romani de Johanne: Aſtaldi de Tranſtiberim: Johannis Gulferami : Matthæi Mecuminpunga : Jacobi Oddonis Franconis .*

Vide quot Romanos Proceres una patris appellatio alterum ab altero diſtingueret . Qui inter eos *Guido Bobonis* appellabatur , patruus fortaſſe fuit Hyacinthi Cardinalis Urſini , qui in Cathedra Romana tribus poſt annis Cæleſtini III. nomen aſſumſit ; ei enim , ut ſupra vidimus , pater fuit *Petrus Bobonis* . Sub ipſo Cæleſtino inter Urbis Senatores , Urſinos nobis prodet altera Charta nondum edita , atque e MSto Cencii Camerarii a me deſcripta. Hic ibi titulus .

Chartula ſuper tenimentis Tuſculani , quam fecit Senatus & Populus Domino Papæ, & Romanæ Eccleſiæ, Anno 1191.

IN nomine Domini . Nos Senatores almæ Urbis , decreto ampliſſimi Ordinis Senatus, acclamatione quoque Populi Romani publice Capitolio conſiſtentis , conſtituimus, & firmiter ſtabilimus , ut Dominus Papa, & Romana Eccleſia teneant & habeant ſibi , atque poſſideant omnia tenimenta Tuſculani, ſicut in Privilegiis finis factæ inter ſacroſanctam Romanam Eccleſiam & Urbem apparet . Corrumpentes itaque , & omnino evacuantes , & in irritum reducentes omnia Privilegia , & invaſiones , atque inveſtimenta , quæ ſuper tenimenta Tuſculani facta ſunt ſive a Romanis , ſive ab omnibus aliis perſonis hoc modo, quod nullius valoris vel momenti ſint , & ita quod Romanis vel forenſibus nil conferant, nec Domino Papæ vel ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ullo tempore aliquomodo poſſint nocere , conſtituimus præterea auctoritate Senatus , & Reverendi Populi Romani publice Capitolio conſiſtentis, & pariter acclamantis, firmiter ſancimus , ut quæcumque perſona , ſive Romana , ſive forenſis ſit , quæ de terris & tenimentis Tuſculani invaſit , & ſtatim a tali invaſione & exactione non deſiſtit omnino , perdat id, quod de prædictis terris & tenimentis invaſit , & tantundem de ſuis terris & tenimentis perdat . Tali tenore , quod ſancta Romana Eccleſia habeat ſibi primo id , quod de prædictis terris vel tenimentis invaſum eſt , vel erit , & poſtea habeat ſibi illud , quod pro pœna invaſionis perdet invaſor . Et ita quod Romana Eccleſia omnia præſcripta pleno jure perpetuo habeat , teneat , & poſſideat , & utatur , atque fruatur omni tempore , ſicut per Privilegia finis compoſitæ inter eam & Urbem apparet .

Actum XLVII. Anno Senatus , Indictione Nonâ , menſe Aprili die XIX. juſſu Senatorum Conſiliariorum , Jordani Bulgamini : Guidonis Mancini : Petri Sarraceni : Petri de Romano Ruſtici : Sergii Tranſtiberim : Roberti Johannis Leonis : Stephani Rainerii de Marana : Petri Johannis Frajapani : Petri Benencaſæ Piczoli . Et juſſu Senatorum , Jacobi Oddonis Franconis : Petri Milonis : Stephani Azarii : Pauli Laurentii : Nicolai Johannis Saxonis : Johannis Bartholomæi : Roberti Gotifredi : Gibelli Ilpertini de Tullo : Philippi Johannis Aſtaldi : Guidonis Cirini : Bonevente Centii Ocilendæ : Obitionis Calidi Buconis : Laurentii Thomæ de Urſinis : *Andreæ Petri Silveſtri : Petri de Monte : Gulferani Centii Gulferani : Pauli Cathenæ : Johannis Coxæ : Johannis Gregorii Scriniarii : Bartholomæi Petri : Stephani Alverii :* Petri Bobonis Stellæ : *Petri Bari-*

(m) *cum adjutorio veſtro.*
(n) *promittitis,* & infra *promittimus*
(o) *omnibuſque Succeſſoribus veſtris*
(p) *quæ præſcripta &*
(q) *Senatus, &*

Barilis : Guidonis Johannis Alexandri : Guittonis Jacobi de Xiſto : Petri Bobuli de Scorteclaro : Sciatti Pauli Franconis : & Johannis Centii de Porticu .

Uti præcedens Charta ſcripta fuit *XLIV. Anno* Senatus , ita & præſens *XLVII. Anno Senatus* : in qua præter *Laurentium* filium *Thomæ de Urſinis* , habes *Petrum* filium *Bobonis Stellæ* , qui , neſcio , referendus-ne ſit ad eamdem Urſinorum Familiam . Ad ipſum Hyacinthum Cardinalem pertinet altera Charta in eodem Cencii Regeſto ſcripta, quam addere juvat, tum quod ibi commemoratur *Bobo frater* ejuſdem *Cardinalis*, ac de re agitur non vulgari , quæ tamen Cardinalis Baronii diligentiam effugit .

Privilegium Fernandi Regis Hiſpaniarum Romanæ Eccleſiæ factum ſuper donatione & conceſſione Caſtri Thoraph , Anno 1172.

IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. Inter cetera , quæ Regiam Majeſtatem decorare videntur , ſumma & præcipua intereſt , ſancta Loca & religioſa diligere & venerari , & ea largis ditare muneribus , atque in prædiis & poſſeſſionibus ampliare , ut dando terrena adipiſci mereantur æterna . Eapropter ego Fernandus , *Dei gratiâ* Hiſpaniarum Rex , *una cum* uxore mea Regina Donna Viracca , *per ſcriptum donationis firmiſſimum , in perpetuum valiturum , dono , do , & Sancto Petro , & vobis dilecto noſtro* Cardinali Domno Hyacintho in Hiſpania Legato, *Caſtrum Thoraph ; & per proprium Annulum vos inde inveſtio, ut ab hac die & deinceps præfatum Caſtrum habeatis, cum pratis , paſcuis , montibus , fontibus , rivis , molendinis , arboribus , Villis , & azeniis , piſcariis , & cum omnibus directis , & pertinentiis ſuis, & cum omni jure Regali . Et poſſideatis , vendatis , donetis , commutetis , & omnem voluntatem veſtram faciatis , jure hereditario in perpetuum habendum vobis, & Eccleſiæ Romanæ dono & concedo pro remedio animæ meæ, & parentum noſtrorum, & pro amore & dilectione , quam ſemper erga me habuiſtis . Factum fuit hoc apud Zamorram , in camera , in qua idem Domnus Cardinalis jacebat, & hoc in præſentia Dominæ Reginæ ,* Bobonis fratris Domini Cardinalis , *Raymundi de Capella Sanctæ Romanæ Eccleſiæ , Subdiaconi Maibardi . Si quis igitur tam de meo genere , quam de alieno hoc meum ſpontaneum factum irrumpere præſumſerit , iram Dei omnipotentis , & beati Petri Apoſtoli incurrat , & cum Juda Domini proditore in inferno ſit damnatus : & pro temerario auſu parti Regiæ , & veſtræ , centum Libras auri perſolvat , & quod invaſerit , vobis vel voci veſtræ in quadruplum reddat : & hoc ſcriptum ſemper maneat firmum .*

Facta Charta in Zamorra, ſeptimo Idus Julii , Ærâ Milleſimâ Ducenteſimâ Decimâ , Regnante Rege Domino Fernando Rege Legionenſi, Eſtrematuræ, Galliciæ, & Aſturiis : eo Anno, quo famoſiſſimus atque pius Domnus Cardinalis Hyacinthus Apoſtolicæ Sedis Legatus venit in Hiſpania .

Ego Fernandus *Dei gratiâ* Hiſpaniarum Rex , *hoc ſcriptum , quod fieri juſſi , proprio robore confirmo .*

Ego Petrus *Dei gratiâ* Compoſtellanæ Eccleſiæ Archiepiſcopus *confirmavi* .

Stephanus Zamorrenſis Epiſcopus *confirmavi*.

Petrus Salmanticenſis Epiſcopus *confirmavi*.

Adam Aurienſis Epiſcopus *confirmavi* .

Johannes Lucenſis Epiſcopus *confirmavi* .

Petrus Caurienſis Epiſcopus *confirmavi* .

Johannes Mindonienſis Epiſcopus *confirmavi*.

Johannes Tudenſis Epiſcopus *confirmavi* .

Dominicus Abulenſis Epiſcopus *confirmavi*.

Comes Urgellenſis , Major Domus Regis , *confirmavi* .

Bernardus Roderici Dominus in Aſturiis *confirmavi* .

Comes Gomez in Tranſtamar *confirmavi* .

Comes Petrus *confirmavi* .

Gunterus Roderici , Signifer Regis , *confirmavi* .

Ego Pelagius Gonteri Notarius Regius , Archidiacono Pelagio *exiſtente* Cancellario, *ſcripſi & confirmavi* .

Infra in Inſtrumento Anni MCLVII. legimus *Oddonem Bobonis , & patrem ſuum , & fratres ſuos germanos , & conſobrinos , & patruos , & avunculos ſuos* , iis ſane verbis , quæ certiores facere nos poſſunt , vel iis temporibus non mediocrem fuiſſe *Urſinorum* potentiam atque propagationem . Hoc autem repetitum videas in altera ſimili Charta , quam ex eodem Cencii Regeſto deſcripſi , & quæ præcedenti eſt ſubjungenda .

Permutatio Caſtrorum inter Hadrianum IV. Romanum Pontificem, & Landulfum ac Landonem fratres de Aquino, Anno 1157.

EGo Landulfus, & Lando germani fratres, filii quondam Pandulfi de Aquino, mihi Landoni præſente & conſentiente Landulfo fratre, & procuratore meo, dato mihi in hac re a Domino Philippo Sacellario Sanctæ Sedis Apoſtolicæ Judice, cambiamus & permutamus tibi Domino Adriano *a Deo decreto* ſummo Pontifici, *& in ſacratiſſima Sede beati Petri Apoſtoli* Papæ IV., *& per te ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, veſtriſque Catholicis Succeſſoribus, ad proprietatem in perpetuum, interveniente procuratorio nomine* Domino Ubaldo Presbytero Cardinali *titulo Sanctæ Crucis: Ideſt duas partes medietatis duorum Caſtrorum, unius deſtructi, & alterius integri, cum Rocca ſua, & domibus intus & foris: cum terris, vineis, ſilvis, molendinis, paludibus, & pantanis, placitis, & diſtricto ſuo, & cum omnibus uſibus & utilitatibus, ac pertinentiis ſuis, poſita territorio Sabinenſi, in loco, qui dicitur Britti, ſicut inter ſuos concluditur fines; ſicut nobis pertinent jure hereditario, vel quolibet modo, ſic tibi, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ cambiamus & permutamus, ideo quia nobis dediſti duas partes medietatis unius Caſtri, quod vocatur Mons Sancti Johannis, cum domibus, terris, vineis, molendinis, ſilvis, paludibus, & pantanis, placitis, & diſtricto ſuo, & omnibus ſuis uſibus, & utilitatibus, & pertinentiis ſuis, poſita territorio Campanino, ſicut inter ſuos concluditur fines; ſicut veſtris detinetis manibus, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ pertinet, ita nobis, noſtriſque heredibus, ac ſucceſſoribus cambiatis & permutatis. Et ab hodierna itaque die licentiam & poteſtatem habeatis intrandi, tenendi, utendi, fruendi, vendendi, locandi, commutandi, & quicquid volueritis ad uſum & utilitatem beati Petri perpetuo placuerit faciendi:* Excepto Oddone Bovonis, & patre ſuo, & fratribus ſuis germanis, & conſobrinis, & patruis, & avunculis ſuis, quibus aliquo modo non dabitis, concedetis, ſeu alienabitis. *Et defendere promittimus ab omni homine, ſi neceſſe fuerit, pœnâ alteri parti legitime ſtipulanti ſexaginta Librarum auri.*

Tertio quum in præcedenti Diſſertatione plura diſſeruerim de Agnominibus (liceat mihi vocabulo iſto uti ad id deſignandum, quod nos *Sopranome* appellamus; diſputatur enim, quid illa apud Latinos ſignificarit) nunc addendum eſt, iis tribuendam eſſe originem complurium Cognominum, quæ ad nos uſque penetrarunt. Namque adeo tenaci ſtudio Populus excipiebat ejuſmodi extrinſecus addita Nomina, ut non alio ſigno homines, immo & ipſam eorum Familiam, deſignare vellet, atque ſoleret; ipſique etiam Nobiles, ſive ultro, ſive inviti; cogerentur adſcititiâ illâ appellatione poſtea uti, quamquam interdum vituperationem & ſcomma redoleret, ad ſe, ſuamque gentem a reliquis ſecernendam. Ita eximium ac vetuſtiſſimum *Malaſpinarum* & *Pelavicinorum* Marchionum genus, Agnomine in Cognomentum translato adhuc diſtinguitur. Poſtremi dumtaxat nomenclaturam agreſtem emollire niſi ſunt, *Pallavicinos* ſeſe nuncupantes. Id perſpicue deprehendas in Charta Anni MCCVIII. quam produxi in Additamentis ad Chronicon Caſaurienſe, Part. II. Tomi II Rer. Italicar. pag. 992. Ibi memoratur *Ruſtico Comes, qui rectum nomen Atto vocatur*, ideſt *Azzo*. Supranomen fuit *Ruſticus*, uti patet e ſubſcriptione, ubi habetur *Signum manus Actonis Comitis, qui Supranomen Ruſtico vocatur*. Ita *Maltraverſi*, *Pappaſava*, *Frigimelega*, *Scalzi*, *Cathari*, *Trappolini*, aliæque Familiæ Patavinæ invaluerunt. Ita Genuæ *Malocelli*, *Caſtaneæ*, *Guercii*, *Embriaci*, *Strejaporci*, *Baraterii*, *Grilli*, *Falamonica*, *Caudelupi*, *Piccamilii*, *Ficomattarii*, aliæque ſtirpes emerſere. Neque alia origo Bononiæ fuit nobilibus quibuſdam Familiis, *Boncompagnis*, *Fachinettis*, *Bentivoglis*, ſive *Bentivoliis*, *Bianchettis*, & *Bianchinis*, *Griffis*, *Bologninis*, *Guiſlavillanis*, *Seccadenariis*, *Boccadeferris*, *Mattuglianis*, *Mezzavaccis*, *Magnavaccis*, *Malvitiis*, ut alias omittam. Florentiæ quoque idem contigit *Bonaguiſis*, *Belculaccis*, *Boccutis*, *Buondelmontis*?, *Cavalcantis*?, *Ubriachis*, *Importunis*, *Fereboſchis*, *Tornaquinciis*, *Tiniofis*, *Pazziis*, *Boccatondis*, & aliis. Hujuſmodi Cognomina in ſuis Urbibus unuſquiſque nullo negotio deprehendere poterit. Exemplo ſit præ ceteris apud Florentinos eoſdem egregia *Capponum* Gens, cujus cognomentum nullus dubito, quin originem ſumſerit ab antiquo ejuſdem ſtirpis Viro, quem Populus *Capponem* per Agnomen appellarit. Inde *Filii Capponis*, ac tamdem *Capponum* progenies emerſit, Clariſſimos Viros Ginum & Nerium enixa, quorum geſta habes a me edita in Collectione Rer. Italicarum. E Nerio Gini filio prodiere, nunc Florentiæ ſummo cum honore florentes, Familiæ tres Marchionum, ſcilicet Scipionis Mariæ, Joſephi, & Petri. Atque ut alios prætercam Capponios, e Laurentio Gini filio deſcendentes, & nunc in Gallia vigentes, ex Auguſtino Gini fratre propagata fuit Florentiæ proſapia Ferrantis Capponii Comitis, Senatoris, & Equitis, atque Romæ degens Alexander Gregorius Capponius Marchio, & Forerius ſupremus Romani Pontificis, quem honoris cauſsâ ob ejus ſpectatam Eruditionem, ac benevolum erga me animum lubenter commemoro. Quod verò in Italia de Agnominibus in Cognomina converſis factum vidimus, idem quoque apud Gallos & Britannos contigiſſe animadvertas. Hujuſmodi tamen Cognomina non ego ante dimittam, quàm eorum uſum vel in ipſa ſplendidiſſima Urbe Româ perquiram. Jam ſupra evulgatæ Chartæ nobis obtulere *Obitionis Calidi-Bucconis* nomen, *Petri Barilis*, *Guidonis Mancini*, *Stephani Contebracæ* (an potiùs *Cortebracæ*?) *Gregorii Malebranchæ*, *Odonis Caputferri*, *Johannis Buccemazi*, *Petri Latronis*, *Matthæi Meccum-in-pugni* &c. Alibi quoque reperiuntur *Rocca-Porcina*, ut habet Baronius, ſive ut in Vita Gelaſii II. Papæ, Tomo III. Rer. Italicar. legitur *Bocca-Pecorini*, *Georgius Johannis Bibentis-aquam*, *Gilgannus Bucca-belli*, atque alii. Ita in Bulla Nicolai II. Papæ data Anno

A Anno Chriſti MLIX. occurrit *Johannes*, *qui dicitur Corbacchione*, vocabulo prorſus Italico. Sed in primis hinc arceſcendum eſt Cognomen præclariſſimæ Familiæ Romanæ *Frangepanum*, cujus nobilitatem remotiora etiam Sæcula ſuſpexere, & adhuc ætas noſtra incolumem ſpectat in egregiis Nepotibus, ac præcipue in ampliſſimo Viro Marchione Mario, perpetuo Romanorum Senatore, ejuſque fratre germano Pompejo Marchione, in quibus probitas, humanitas, amor Literarum, aliæque Virtutes de primatu certant, ac honorem vetuſti & celebris nominis ſplendidiſſime ſervant. Mihi nulla dubitatio eſt, quin ab *Agnomine* eorum *Cognomen* petendum ſit. In antiquis Libris & Chartis *Frejapane* (quaſi *Frega-Pane* Italice) B Familiæ hujus Agnomentum eſt: quam lectionem confirmatam video a Goffrido Vindocinenſi Abbate in Epiſtola octava Libri Primi ad Paſchalem II. Papam, in qua ait, ſe audiviſſe (Anno, ut videtur, MXCIV.) *piæ recordationis Domnum Papam Urbanum in domo Johannis Frica-Panem latitare, & contra Guibertiſtam* (fortaſſe *Guibertiſtarùm*) *Hæreſim viriliter laborare*. Domum iſtam *firmiſſimam munitionem* ad eum Annum appellavit Bertholdus Conſtantienſis. At ſunt qui a *frangendo panem* Cognomen ejuſmodi arceſcunt. Et ſane in Charta Anni MCLXXXVI. quam infra dabo in Diſſertatione L. *de Civitat. Italicar. Libertate*, viſitur *Otto Frangens-Panem*, C *Præfectus Romæ*. In aliis verò antiquorum monumentis *Frajapane*, *Fragapane*, *Fragepane*, ac tamdem *Frangepane*, & *Frangipane* nuncupatur eorum genus. Fortaſſe quod Latine fuit *Frangens-Panem*, vulgus pro more ſuo, nunc iſto, nunc alio modo efferebat. Varia etiam dialectus hanc diverſitatem pepererit.

Vide nunc in Part. II. Tomi II. Rer. Italicar. pag. 522. inſigne Placitum pro Farfenſi Cœnobio Romæ habitum *Anno III. Benedicti VIII. Papæ*, *Indictione XII.*, hoc eſt, Anno Chriſti MXIV. Ibi ſubſcribunt *Leo*, *qui vocatur Fragepane*: *Benedictus*, *qui ſupernomen Bocca-Pecu*. Ita donatio, facta Anno MLXXXIX. a Comitiſſa Mathilde Romanæ Eccleſiæ, celebrata eſt in *præſentia Cincii Frejepane*. Quanta autem foret Frangepanæ Familiæ potentia Romæ Anno MCXVIII. jam Annales Eccleſiaſtici, & Auctor Vitæ Gelaſii II. Papæ Tomo III. pag. 384. Rer. Italicar. ſatis prodidere. Electo enim Pontifici adverſante *Cencio Frajapane*, ejuſque agnatis, Gelaſius fugâ ſalutem quærere coactus eſt, atque in Galliam ſeſe recipere. Contra Anno MCXXX. nemo conſtantior, quàm Frangepanum Familia, pro Innocentio II. Papa contra Pſeudo Papam Anacletum ſtetit, ita ut teſte Auctore ejus Vitæ Tomo III. Rer. Italicar. pag. 435. *præter Frangepanum*, *& Curſorum munitiones Papa Innocentius nullum in Urbe ſubſidium haberet*. Idem factum, ut ſupra vidimus, Anno MXCIV. quo *Johannes Frica-Panis* pro Urbano II. Papa ſtetit. Refert etiam Raynaldus in Annalibus Eccleſiaſticis ad Annum MCCXVIII. num. 31. Honorii III. Papæ Literas ſcribentis: *Invicta fides*, *& devotio indefeſſa*, *quam Magnifici Viri antiqui Frajapanes a progenie in progenies erga Romanam Eccleſiam habuerunt* &c. Alibi autem Chartam vidimus *Oddonis Frajapanis* Anno MCLII. renuntiantis pignori in Civitatem Tuſculanam. Nunc illuſtrem hunc Virum, ſimulque ejus Familiam, propiùs inſpicere ac noſcere juvat. En ergo duas Chartas e prælaudato MSto Codice Cencii Camerarii excerptas.

Locatio perpetua dimidii Caſtri Radicofani facta a Rainerio Abbate Sancti Salvatoris de Monte Amiato, Eugenio III. Romano Pontifici, Anno 1153.

D *IN nomine Domini. Anno Dominicæ Incarnationis Milleſimo Centeſimo Quinquageſimo Tertio: Anno Nono Domini Eugenii III. Papæ, Indictione Primâ, Menſis Madii die XXIX. Ego quidem* Rainerius, *licèt indignus* Abbas *venerabilis* Monaſterii beati Salvatoris de Monte Amiato, *conſentientibus Fratribus meis & Monachis ipſius Monaſterii, Stephano Presbytero, & A. Diacono, & R. & A. Converſis, ceteriſque Fratribus ipſius Monaſterii; conſentientibus etiam ſubſcriptis Vaſſallis ipſius Monaſterii, & teſtibus vocatis: hac die, propriâ, ſpontaneâque meâ voluntate, in præſentia* Dominorum Epiſcoporum Conradi Sabinenſis, Ymari Tuſculanenſis, Hugonis E Oſtienſis, & Conradini, Presbyteris Cardinalibus, Gregorio titulo Sancti Calixti, Rolando Cardinali & Cancellario, Hubaldo titulo Sanctæ Praxedis, Ariberto titulo Sanctæ Anaſtaſiæ, & Juliano titulo Sancti Marcelli: *nec non in præſentia* Dominorum Diaconorum Cardinalium Odonis Sancti Georgii ad Velum Aureum, Widonis Sanctæ Mariæ in Porticu, Johannis Sanctorum Sergii & Bacchi, Gerardi Sanctæ Mariæ in Via Lata, & B. Sanctorum Coſmæ & Damiani: *atque coram Dominis Judicibus, Gregorio Corano, R. primo Defenſore, Philippo Sacellario, Mardone Protoſcriniario, Gregorio Coranò, & Ildebrando Aquæpendentis: in præſentia etiam Advocatorum Johannis Judicis, R. de Scriniario, Benedicto de Leone, & Bartholomei. Loco & concedo vobis* Domino *noſtro* Eugenio, *a Deo decreto* ſummo & univerſali Pontifici, *& in ſacratiſſima Sede beati Petri Apoſtoli* Papæ III *& per vos beato Petro Apoſtolorum Principi, ſanctæque Romanæ Eccleſiæ, omnibuſque veſtris Catholicis Succeſſoribus in perpetuum: idest medietatem integram unius Caſtri, quod vocatur Radicofanum, cum dimidia in integrum parte totius Curtis, & cum tenimentis ſuis, & Burgo de Calamala, & bandis, & Placitis, & diſtrictu, & omni honore ipſius Caſtri; omnia in integrum pro medietate vobis, veſtriſque ſucceſſoribus loco & concedo, exceptis antiquis poſſeſſionibus, quæ etiam tempore Comitum per ſpeciales & proprios Miniſtros Monaſterii tenebantur, & cuſtodiebantur, ad uſum Fratrum ibidem ſervientium, & feodis, & libellariis, quæ ſimiliter nomine tantùm Monaſterii detinebantur. Reſervato etiam Monaſterio Sancti Salvatoris jure, quod in eis habet. In Burgo quoque de Calamala redditus panis & vini, qui de agris & vineis ſolvitur. Penſiones etiam Monaſterio noſtro integre reſervando. Omnes autem homines ipſius Caſtri vobis, veſtriſque Catholicis ſucceſſoribus, fidelitatem jurabunt. Mihi quoque Abbati, meiſque Catholicis ſucceſſori-*

ſoribus, fidelitatem facient. Sic tamen ut, ſi quando ego, vel ſucceſſorum meorum quilibet præter tenorem hac Chartula comprehenſum Caſtrum ipſum vobis, veſtriſque ſucceſſoribus Catholicis, ſanctæve Romanæ Eccleſiæ auferre tentaverimus, vel Caſtrum ipſum, vel quamlibet partem ejus cuiquam in Feudum, vel quolibet alio modo conceſſerimus, aut conceſſum ſervaverimus; & requiſiti infra tres menſes non emendaverimus, a fidelitate Abbatis ſint ſoluti: & Caſtrum ipſum in jus beati Petri, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ devolvatur. Si verò Dominus Papa, vel ſucceſſorum veſtrorum quilibet mihi, vel ſucceſſorum meorum alicui, vel Monaſterio ſolvere deſignatum Cenſum ceſſaveritis, vel Cuſtodiam noſtram Vos, vel Cuſtodes veſtri ejeceritis, & infra tempus ſubſcriptum non emendaveritis, tunc a fidelitate veſtra, veſtrorumque ſucceſſorum ſolvantur. Ad indicium autem, quod Caſtrum ipſum Monaſterii Sancti Salvatoris juris & proprietatis ſemper exiſtat, ad veſtimenta Monachorum, vos, veſtrique ſucceſſores mihi, meiſque ſucceſſoribus & Monachis, qui pro tempore fuerint, ſex Marcas puri argenti annis ſingulis menſe Madio pro penſione perſolvetis. Hoc etiam duxi adnectendum, ut Caſtrum ipſum per Cuſtodes veſtros proprios, veſtrorumque ſucceſſorum, aſſumtis ſecum duobus vel tribus Cuſtodiis meis, meorumque ſucceſſorum, ſemper teneatur: per quos, & per alios homines ipſius Caſtri, & a vobis, veſtriſque ſucceſſoribus, ſicut quod juris beati Petri exiſtit, Monaſterium ipſum cum bonis ſuis a pravorum hominum incurſibus defendatur, nec ab eiſdem fraudulenter, nec malitioſe perturbetur; & ipſum Caſtrum in alicujus alterius dominio vel poteſtate, ſive cuſtodiâ, ullo umquam in tempore transferatur. Et omnes Cuſtodes veſtri, vel veſtrorum ſucceſſorum, qui ibi pro tempore fuerint, quod mihi & Monaſterio in ipſo Caſtro reſervatum eſt, mihi meiſque ſucceſſoribus conſervare jurabunt. Si verò ſupradictus Cenſus aliquo caſu per tres annos ſolutus non fuerit, & vos, ſive ſucceſſores veſtri tunc requiſiti, & in quarto anno integrum perſolvi non feceritis; ſive etiam Cuſtodes Monaſterii ab hominibus veſtris de Caſtro ejecti fuerint, & infra tres menſes, poſtquam tertiò requiſiti fueritis, ſuperadjecto tempore ad iter faciendum, & ad Cuſtodiam Monaſterii opportune revocandam, ſive utriſque partis malitia ſufficienter reſtituta non fuerit: hæc Locationis Chartula de cetero viribus careat. Si quando etiam Roma-
A *nus Pontifex qualibet ex cauſa Caſtrum ipſum ad manus ſuas retinere noluerit, ipſi Monaſterio abſque impenſarum recompenſatione reſtituat; eo tamen tenore, ut quandocumque idem Romanus Pontifex qualibet cauſa, vel ſucceſſorum ejus Catholicus quilibet, ad ſuas manus Caſtrum ipſum revocare voluerit, ſimili tenore abſque contradictione & impenſarum reſtitutione ei reſtituetur.*

Quam ſcribendam rogavi Andream Scriniarium ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, in Menſe, & Indictione ſupraſcripta Prima.

✠ *Signum manus ſupradicti Domini Eugenii, ſummi & univerſalis Pontificis, & in ſacratiſſima Sede beati Petri Apoſtoli, Papæ III. con-*
B *ductoris hujus . . . . .,*

Centius Frajapanis, egregius Romanorum Conſul.

Johannes Petri Leonis, egregius Romanorum Conſul.

Odo Frajapanis, ſtrenuus Romanorum Conſul.

Gratianus filius Owitionis Petri de Leone, Romanorum Conſul.

Johannes Frajapanis, filius Domini Centii, *Romanorum Conſul.*

Petrus Leonis Petri de Leone, Romanorum Conſul.

Obitio Leonis Petri de Leone, Romanorum Conſul.

C *Stephanus de Thebaldo.*
Hyacinthus, Domini Papæ Dapifer.
Stephanus Infans filius Stephani de Thebaldo
Oliverius Romani de Oliverio.
Wiſcardus, de Familia Domini Papæ.
Johannes Rontione.
Berardus frater ejus.
Johannes de Bibiano.
Rogerius de Letulo.
Guitto Supracoquus Domini Papæ.
Petrus Rittius.
Donnellus.
Abbaja Monte Hoſtiarii.
Petrus Scantio.
Robertus, Mareſcallus equorum alborum.
D *Johannes de Ancilla Dei.*
Litaldus, Cognatus ejus.
Benedictus Zenonis.
Petrus Bucca-Bella.
Toderus.
Gregorius de Carello, & quamplures alii teſtes.

Inſtrumeutum, quo Johannes Rancione & Berardus frater ejus, Adriano Papæ & Romanæ Eccleſiæ Caſtrum de Ramajano dederunt, Anno 1159.

IN *nomine Domini. Anno V. Pontificatus* Donni Adriani IV. Papæ, *Indictione VII. Menſis Aprilis die VII. Ego quidem* Johannes Rontione, *& ego* Berardo frater ejus (*a*) *una cum ipſo Domino Johanne fratre meo & Curatore, dato mihi in hac re ab ipſo Donno Papa, hic die, propriâ noſtrâ voluntate donationem inter vivos donamus & concedimus tibi* Donno *noſtro* Adriano, *a Deo decreto ſummo Pontifici & univerſali* Papæ IV. *omnibuſque tuis Catholicis Succeſſoribus, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ in perpetuum: ideſt dominium de Caſtro Rajani, cum tota portione noſtra, quam nos habemus, & nobis pertinet in ipſo Caſtro, & territorio ſuo, in domibus, terris, vineis, hortis, canapinis, ſilvis, pratis, campis, paſcuis, ſalectis, rivis, pantanis, molendinis, cum diſtrictu ſuo intus & de foris, & cum omnibus, quæ nobis pertinent in ipſo Caſtro & territorio ſuo, jure hereditatis & locationis: poſita territorio Collincnſe, ſicut inter ſuos concluditur fines. Qualiter nobis competit jure hereditario, ſeu & locis vel quocumque modo, taliter tibi donamus & concedimus, ut ab hodierna itaque die in antea licentiam & poteſtatem habeatis intrandi, tenendi, utendi, vendendi, donandi, commutandi, & quicquid perpetuò placuerit, ad uſum & utilitatem veſtram, veſtrorumque ſucceſſorum, ſanctæque Romanæ Eccleſiæ faciendi. Nos autem & noſtros ſucceſſores defenſuros promittimus ab omni homine, ſi neceſſe fuerit. Quod ſi contra hæc, quæ dicta ſunt, quolibet modo venire tentaverimus, & cuncta, quæ dicta ſunt, non obſervaverimus, tam nos, quàm noſtri heredes componamus vobis, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ pro pœna duas auri Libras. Et ſolutâ pœnâ hæc donationis Chartula firma permaneat. Ego prædictus Johannes Rontione promitto, quod ſi Berardus frater meus infra ætatem litem vobis fecerit, faciam eum quieſcere, & poſt ætatem faciam eum confirmare hanc donationem. Quod ſi non*
A *fecero, aut ſi pro ejus ætate aliquod damnum incideritis, quanti erit damnum, tantum liceat vobis in meis bonis vindicare. Inſuper ego Berardus, tactis ſacroſanctis Euangeliis juro, me hanc donationem ratam habiturum, & nullo modo adversùs eam venire: immo poſtquam compellatus fuero a vobis, vel a Curatore meo, fixi poſt viginti quinque annos hanc donationem confirmare. Quam ſcribendam rogavi Andream Scriniarium in Menſe, & Indictione ſupraſcripta VII.*

✠✠ *Signum manuum prædictorum Johannis Rontionis & Berardi fratris ejus, hujus Chartulæ rogatorum.*

Oddo Frajapanus Illuſtriſſimus Romanorum
B Conſul, *teſtis.*
Granus Obitionis.
Ramone Frajapanus.
Petrus Latro.
Malabranca.
Petrus Oddonis de Inſula.
Petrus de Ponte.
Golferamus de Guidocicca.
Johannes Petri de Bobo, teſtes.
Andreas Scriniarius ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, & ſacri Lateranenſis Palatii, complevi & abſolvi.

Occurrunt nobis in priori Charta *Centius Frajapanis, egregius Romanorum Conſul, Odo Frajapanis, ſtrenuus Romanorum Conſul, &*
C *Johannes Frajapanis, filius Domini Centii, Romanorum Conſul.* In altera unus tantummodo memoratur *Oddo Frajapanus Illuſtriſſimus Romanorum Conſul.* Quid ultra quærimus ad Gentis hujus præſtantiam, & decus intelligenda? Tertiam tamen Chartam ſubnectere juvat, ex ejuſdem Cencii Regeſto depromtam, in qua mentio eſt non ſolùm *Cencii* nuper laudati, ſed & *Oddonis* ac *Cencii Nepotum ejus.* Spectat Charta ad nobiliſſimam Familiam Comitum Aquini, quæ immortalem Virum nobis dedit, ſcilicet Sanctum Thomam Aquinatem.

(*a*) Hoſce duos fratres eos ipſos eſſe vides, qui ſupra deſcripto Actui Locationis Radicofani una cum aliis teſtibus interfuerunt & ſubſcripſerunt.

Permutatio Caſtrorum quorundam inter Hadrianum IV. Papam, & Adinulſum de Aquino, Anno 1157.

Exemplum Chartulæ permutationis de Brittis, & Monte Sancti Johannis.

IN *nomine Domini Anno Dominicæ Incarnationis Milleſimo Centeſimo Quinquageſimo Septimo, Anno III. Pontificatus Domini Adriani IV. Papæ, Indictione V. Menſe Aprili, die VIII. Ego* Adinulſus filius quondam Pandulfi de Aquino, *propriâ meâ voluntate cambio & permuto tibi* Domino Adriano, *a Deo decreto ſummo Pontifici & univerſali* Papæ IV. *& per te ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, omnibuſque veſtris Chatolicis Succeſſoribus, ad proprietatem in permutatione, intervenientibus pro te procuratorio nomine* Domino Rolando, *titulo Sancti Marci, ſanctæque* Romanæ Eccleſiæ
D Cancellario, *&* Ubaldo, *titulo Sanctæ Crucis,* Presbyteris Cardinalibus: *ideſt ſexſtam integram partem duorum Caſtrorum, unius deſtructi, & alterius integri, cum Rocca ſua, cum domibus ſuis intus & de foris, & terris & vineis, Eccleſiis, ſilvis, paludibus, & pantanis, cum Placitis, & diſtricto ſuo, & omnibus ſuis uſibus, utilitatibus, ac pertinentiis, poſitis in territorio Sabinenſi, in loco qui vocatur Britti, ſicut inter ſuos concluduntur fines, ſicut mihi pertinet jure hereditario, aut qualicumque modo. Sic tibi & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, ſicut dictum eſt, cambio & permuto, pro eo quod vos dediſtis mihi causâ permutationis ſexſtam partem Caſtri, quod vocatur Mons Sancti Johannis,*
E *cum domibus, terris, vineis, & cum Placito & di-*

diſtricto ſuo, & cum omnibus ſuis pertinentiis, poſitis territorio Campanino, ſicut inter ſuos concluditur fines, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ pertinet. Inſuper ego, vel aliqui fratrum meorum, qui Caſtrum tenere debent, fidelitatem & hominium facere debent Domino Papæ Adriano, & ſuis Catholicis ſucceſſoribus, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ: & quicumque perpetuò Caſtrum tenuerint, adjuvare per perſonas ſuas, & per Caſtrum illud, & guerram & pacem facere contra omnes homines: & ſervire Domino Papæ, & ſucceſſoribus ſuis, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, ſicut ex aliis Campaniæ Baronibus, ad mandatum & præceptum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ. Et omnes alii tam fratres mei, quamque Patruus meus, & filii ſui, & omnis ſimiliter, qui in Caſtro partem habebunt, jurabunt ipſis, qui fidelitatem juraverunt Domino Papæ eis Caſtrum, quod per ſe, vel ſuas ſubmiſſas perſonas non auferent, neque de jure & dominio Domini Papæ & Catholicorum ſucceſſorum ſuorum, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſubtrahent: immo ſi Eccleſiæ Romanæ opus fuerit, abſolvent homines ſuos de prædicto Caſtro a ſacramento, & eis præcipient, ut adjuvent Eccleſiam Romanam cum eis, qui Eccleſiæ Romanæ fidelitate tenentur contra omnes homines. Et jurabunt omnes, hunc contractum adimplere, & obſervare, ſicut ſuperius dictum eſt. Et ab hodierna die licentiam & poteſtatem habeatis intrandi, tenendi, utendi, fruendi, vendendi, locandi, commutandi, & quicquid volueritis ad uſum & utilitatem beati Petri perpetuo placuerit, faciendi: excepto Oddone Bobonis, & patre ſuo & fratribus ſuis germanis, & conſobrinis, & patruis, & avunculis ſuis, *quibus aliquomodo, vel contractu non dabitis, concedetis, ſeu alienabitis. Et defendere promitto ab omni homine, ſi neceſſe fuerit, pœnâ alteri parti, legitime ſtipulanti, viginti Librarum argenti.*

Hi ſunt teſtes: Centius Frajapanus.
Oddo, & Centius Nepote[illegible]ius.
Johannes Petri Leonis.
Oddo Benedicti de Bona.
Oliverius Romanus de Oliverio.
Bartholomæus de Taliacozzo.
Landinulfus de Stracato.
Raynaldus de Avellano.

Hiſce adde Chartam, quam infra dabo in Diſſertatione LVI. *de Religione*, ubi ad Annum MXIV. occurrit *Leo Frajapane*. Chorum denique claudat quarta pergamena, ad idem argumentum ſpectans, & ex eodem Cencii Codice deſcripta. Agitur ibi de Caſtro Aſturæ, loco videlicet, ubi Anno MCCLXVIII. infelix Princeps Conradinus, Friderici II. Auguſti Nepos, a Johanne Frangepane captus, & Carolo I. Siciliæ Regi traditus, ſecuri poſtea fuit percuſſus. Eſt apud laudatum Cencium hic titulus.

Inſtrumentum Caſtri Aſturi pro centum quinquaginta Libris a Leone Frajapane Domno Cæleſtino pignori obligati. Anno 1193.

IN nomine Domini. Anno Dominicæ Incarnationis Milleſimo Centeſimo Nonageſimo Tertio; Pontificatus Domni Cœleſtini III. Papæ Anno Tertio, Indictione XI. Menſe Aprili die XIV. Nos quidem Leo Frajapanus *ante præſentiam* Domni Petri Portuenſis, & Sanctæ Rufinæ Epiſcopi, *& ſubſcriptorum teſtium, propriâ noſtrâ voluntate pignori ponimus & obligamus vobis*, Domno Centio, *Dei gratiâ* Diacono Cardinali *Eccleſiæ* Sanctæ Luciæ in Silice, & Domni Papæ Camerario, *ad opus & utilitatem prælibati* Domni Cœleſtini III. Papæ, *ejuſque Succeſſorum, procuratorio nomine, ut inferius legitur: ideſt totam & integram medietatem noſtram pro indiviſo mixtam cum alia medietate* Manuelis fratris noſtri, *videlicet totius Roccæ & Caſtri Aſturæ, cum terris, ſementibus, ſilvis, pratis, & paſcuis, vel aquis, vineis, domibus, & caſalinis, & denique cum omnibus ſuis uſibus, utilitatibus, & pertinentiis intus & foris, dictæ noſtræ medietati competentibus. Quæ medietas Arcis & Caſtri, ut dictum eſt, cum ſuis pertinentiis nobis pertinet jure pignoris, vel aliter, ſicut per Privilegium Senatus apparet. Quam verò medietatem dicti Caſtri & Arcis cum ſuis pertinentiis amodo, dum hoc pignus duraverit, pro nobis & noſtris heredibus vel ſucceſſoribus, a prælibato Domino Papa, & ſuis ſucceſſoribus precario & ejus nomine poſſidemus. Pro centum quinquaginta Libris bonorum Provenienſium Senatus; quas nobis, ut dictum eſt, pro dicto Domino Papa procuratorio nomine, & de ejus pecunia, mutuo datis & ſolvitis: de quibus nos bene quietos vocamus, & non ſolutæ pecuniæ exceptioni dicti mutui omnino refutamus. Tali tenore, ut ſi ad ſex Menſes, poſtquam nobis, vel heredibus noſtris prædictus Dominus Papa, vel ejus Succeſſor dictam ſummam petierit, eam cum omni integritate non ſolverimus eis, poteſtatem & licentiam habeat ex tunc dictus Dominus Papa, vel ejus ſucceſſor, ſive ille, cui commiſerit, tam dictum pignus, quam alia noſtra bona ſibi placentia auctoritate propriâ, & ſine juris offensâ & alicujus Curiæ proclamatione, & ſpecialiter Senatus, ingredi, & alii obligare, vendere, aut aliter alienare, & etiam pro dicta ſumma plenaria ſatisfactione, niſi ejus voluntas fuerit, nobis plus in antea inducias dare, ſalvo precario, & omni alia poteſtate, ut dictum eſt, ad ejus utilitatem. Qua hora tranſacto dicto termino, dictam ſummam recolligere voluerit; quâ ſolutâ, Chartula hæc vacua ſit, & ad nos revertatur. Et cedimus & mandamus vobis pro dicto Domno Papa omne jus & omnem actionem perſonalem & in rem, tam etiam ad agendum quàm excipiendum, quod, quamve in dicta medietate Arcis & Caſtri cum ſuis pertinentiis habemus, vel adverſùs quamcumque perſonam habere poſſemus reſpectu tantum & occaſione dictæ ſummæ Centum quinquaginta Librarum. Et refutamus juris vel legum auxilio, & ſpecialiter Senatus, quo uti poſſimus quoquo modo ad infringendam præfatam obligationem, & omnia quæ dicta ſunt. Noviſſime autem tam pro nobis, quam pro noſtris heredibus & ſucceſſoribus vobis pro dicto Domino Papa, & ejus ſucceſſoribus, ut dictum eſt, procuratorio nomine hoc pignus, & omnia, quæ prædicta ſunt, obſervare & defendere promittimus, ſub pœna prædicti mutui dupli: & ſolutâ pœnâ hæc Chartula firma permaneat: quam ſcribere rogavi Johan-*

hannem Leonis Scriniarium in Menſe , & Indictione ſupradicta XI.

Dominicus Bovatianus , teſtis .

Petrus de Attegio , teſtis .

Dominus Toſtus , teſtis .

Petrus Paladinus , teſtis.

Jacquintus Stephani de Bovesleis , teſtis .

Ego Johannes Leonis , ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Scriniarius , habens poteſtatem dandi tutores & curatores , emancipandi etiam , decretum interpretandi , & alimenta decernendi , complevi , & abſolvi .

Quartò complura *Cognomina* originem ſuam debent *Dignitatibus* , aut *Artibus* Majorum . Inde , ut vidimus , veteres non pauci , Cognominibus deſtituti , deſumebant unde ſe inter ceteros diſtinguerent . Et quamquam progreſſu temporis illuſtria munera deficerent , neque amplius Ars illa exerceretur , nihilo tamen ſecius poſteri appellationem eamdem retinuere . Ita nobilis *Comitum* Familia Romana, quæ non unum Pontificem Romanæ Eccleſiæ dedit , e *Comitibus Signiæ* deſcendit; & adhuc ſublatâ licet eâ ditione , magnificum titulum Cognominis loco ſervat . Celeberrimam *Vicecomitum Mediolanenſium* Familiam quis quæſo ignorat ? *Vicecomitum* quoque *Placentinorum* progenies Gregorium X. Papam , ſpectatæ ſanctitatis virum , genuit . In variis autem Italiæ Civitatibus adhuc perdurant nobiles aliæ proſapiæ , ex hujuſmodi Dignitatibus Cognomen ſuum mutuatæ , videlicet *Advocati*, nunc *Avogadri* ; *Conſanonerii* : nunc *Conſalonieri* ; *Capitanei* , ſive *Cattanei* ; *Vicedomini* , nunc *Viſdomini* ; *Cancellarii* ; *Valvaſſores* ; *Doctores* ; *Alferii* ; *Judices* ; *Caſtaldi* ; *Clerici* ; *Presbyteri* &c. Quod eſt ad Artes , quæcumque Cognomina eaſdem præferunt , fere ſemper indicio ſunt , primum aliquem operam iis dediſſe , atque in poſteros tranſiiſſe ejuſdem Artis mentionem . Egomet , qui ſcribo , vix fallar , ſi ad *Cæmentarium* aliquem referam Cognominis mei originem . Neque diverſa opinari licet de *Ferrariis* , *Fabris* , *Sartis* , *Medicis* , *Specialibus* , *Notariis* , *Bancheriis* , *Munariis* , *Mareſcalchis* , *Beccariis* , *Formagiariis* , *Furnariis* , *Cerretanis* , *Porcariis* , *Canevariis* , *Capellariis* , *Pelliciariis* , *Settaciariis* , *Barberiis* , *Magnanis* , *Caprariis* , *Oreficis* , atque aliis hujuſmodi Cognominibus, quæ per complures Italiæ , immo & Galliæ , Britanniæ , atque Germaniæ Civitates audiuntur . Inficias tamen non iverim , quin interdum ex Agnomine , non autem ex Arte aliqua , id genus Cognomina fuerint efformata . Apud Anonymum Salernitanum in Paralipomenis Cap. LXVII. Part.II. Tom.II. Rer. Italicarum, Salernitani *Fabrum Ferrarium* appellabant Radelchiſum Principem Beneventi , quod is in adoleſcentia Aurificis Arte delectaretur . Verùm pleraque ex his opinari licet orta ex ipſa Artis alicujus profeſſione , poſtea in liberorum ac nepotum Cognomen converſa . Et hi quidem præcipui fontes Cognominum. Reliquam eorum turbam invexit prædii alicujus poſſeſſio, ſive incolatus ; aut ædium , plateæ , templi , viæ , fontis , vallis , montis, aliorumque locorum habitatio , vicinitas , confinium ; aut expoſitum ante tabernam , aut in galeis , veſtibus , vexillis militaribus adhibitum Inſigne aliquod ; aut fortuitus eventus ; aut hominum arbitrium . Exempli cauſsâ oculos converte ad Chartam Reipublicæ Mutinenſis , ſcriptam

A Anno Chriſti MCLXVIII. ut intelligas , unde Cognomina aſſumta fuere . *Conſulibus Mutinæ Domino Gerardo Rangono* (de cujus Familia actum eſt ſupra) *& Alberto de Graſulfo* (aut a patre , aut ab aliquo ſeniore inter ejus Majores , cui nomen *Graſulfus*) *& Giberto de Bajoaria* (a loco , ideſt ab ejus nominis Curte cum Caſtello , quem locum nunc *Bazovara* nuncupamus) *& Arlotto Judice* (quem a reliquis diſtinguit munus Judicis , nunc *di Dottore*) *& Alberto de Pildeguerra* (a patre , aut uno celebri de majoribus ejus , cui fortaſſe ſupranomen *Peldiguerra*) *& Guidotto de Rolando , Guido de Martino , Ugo de Tado , Gerardus de Rodulfo* (ita appellati eorum patres)
B *& Wilielmo Zacio* (fortaſſis ex agnomine deſumto e *Giaco* , armaturæ ſpecie) *ibi præſentibus . Teſtes Dominus Bernardus Malvezo* (ab agnomine *Mal-vezzo* , aut *Mal-vizio*) *& filii Godonis Albertus , & Dux* , (quos ab aliis pater diſtinguit) *Bochabadata* (Agnomen , quo ipſum Populus , contemto nomine proprio , compellabat . Ejus filium puto *Rainerium de Buccabadata* , qui una cum *Arloto Judice* nuper memorato Paci Conſtantienſi Anno MCLXXXIII. pro Mutinenſi Reipublicâ interfuit . Vide Diſſertationem XLVIII.) *Arduinus Raffachane* (ex Agnomine , quod fortaſſis enatum eſt ex Italico *Aggraffa-Cane*) *Boſcetus* (nomen proprium , aut agnomen , e
C quo Nobilis Mutinenſis Familia *Boſchettorum*) *Ugo de Gorzano , Albertus de Varana , Dominus Ugo de Solaria , Ugo de Gajo , Ubertus de Balugola* (ſinguli iſti a Caſtellis *Gorzano* , *Varana* , *Solara* , *Gaggio* , *Balugola* cognomen ſortiti ſunt) *Paſſaponte* , *Calcagnius* , *Squartia*, *Codagnelus* (Agnomina , ſive Supernomina ſunt in nomen converſa) *Radaldus* , *Teuzo* &c. *& alii Nobiles & Sapientes Mutinæ* . En qualis apud Majores noſtros Nominum & Cognominum uſus , vel ipſo Sæculo Chriſti Duodecimo . Plura aggerere ſuperfluum duco .

Sed quando *Cognomina* hæc præ manibus habemus , committendum non eſt , ut Lector
D animadverſione fraudetur , quæ uſui multis eſſe poſſit . Occurunt nobis perſæpe in variis , iiſque diſſitis Civitatibus , ipſiſſima *Familiarum Cognomina* . Quid rei hoc ſit , & unde hoc factum fuerit , eruditi hominis intereſt probe noſſe . Caſus ergo non rarò eiſdem Cognomentis originem dedit in diverſis locis , cujuſmodi puto quæ præcipue ab Artibus deducta ſunt . Nulla quippe Civitas caruit *Fabris* , ſive *Ferrariis*, *Sellariis*, *Medicis* , *Pelliciariis*, *Scribanis* , aliiſque Artificum generibus . Si qua ergo ex hiſce Artibus in quorumdam Cognomen tranſiit , iis ipſis Urbibus , aut Caſtellis tribuenda plerumque eſt ejuſmodi Cognominum impoſitio , neque aliunde arceſſen-
E da . Eadem quoque Cognomina invexiſſe potuit apud diverſos Populos Agnomen idem , facile ubique locorum excogitatum : idque opinari licet de *Rubeis* , *Albis* , (Italice *Bianchi*) *Nigris* , *Corteſiis* , *Ricciis* , *Zoppiis* , *Blondis* , *Craſſis* , *Calvis* , *Bruſatis* , atque horum ſimilibus . Verùm quæ Familiæ aut a longinquis locis Cognomentum mutuatæ , aut Cognominibus ſingularibus diſtinctæ diverſis Civitatibus deprehenduntur , has non immerito opinari poſſumus , ex una in alteram Civitatem tranſmigraſſe , atque in multis iis locis propagaſſe genus ſuum . Id autem præſertim factum eſt , quum totam Italiam dilacerabant factio-

factiones Guelforum & Gibellinorum. Nobiles enim viri, prout in certaminibus eorum pars ſuccumbebat, aut ſponte, aut coacti exilium ſubire cum uxoribus & liberis cogebantur, ſibique ſedes quærere ſub alio cœlo. Adde Tyrannorum impotentiam, tum adverſam fortunam, privatas rixas, crimina perpetrata, hereditates, Feuda acquiſita, officia belli aut pacis, aliaſque cauſſas, ob quas Nobilium olim Familiæ aut integræ, aut diviſæ, e patria Urbe ad alias translatæ, ibi lares fixere, filioſque ac nepotes peperere. Ferrarienſis Civitas quot exteris eximiis familiis, illic Eſtenſium Principum curâ ſtabilitis, nobilitata fuerit, jamdiu animadvertit Gaſpar Sardius Lib. 2. Hiſtor. Ferrarienſ. Ad ſe nimirum traxere Ateſtini, aut lubentiſſime venientes excepere, *Calcagninos*, & *Roverellos* Rhodiginos; *Pios*, *Taſſonios*, *Furnios*, *Caſtellos* Mutinenſes; *Varanos* olim Camerini Dominos; *Bentivolos* antea Bononiæ dominatores; *Strozzios* Florentinos; *Areoſtos*, & *Plateſios* Bononienſes; *Beviliquas* Veronenſes; *Alvarottos* & *Roncagallos* Patavinos; *Ptolomeos*, & *Salimbenos* Senenſes, ut reliquos omittam. Ita ex Mutinenſi Urbe Bononiam ſe contulere *Savignani*, *Buccadeferro*, A *Doxii*, *Boſchetti*, *Guidotti*, aliæque illuſtres Familiæ, inter quas *Garzoniam* quoque ego facile recenſerem, tum *Malvitiam*, ſive *Malvezzam*, quando hanc inter magnificas Mutinenſium proſapias Sæculo XII. & XIII. reperio, & nuper memoratam vidimus in Charta Anni MCLXVIII. Sed & alias ex aliis Civitatibus Bononia accepit Nobilium ſtirpes, ut Dulfius in earum Hiſtoria tradit, qui tamen more ceterorum de Familiarum origine ſcribentium fabulis ſæpiſſime indulget. Vide etiam Tomum VIII. pag. 91. Rer. Italicarum, quot Familiis Nobilibus exteris aucta olim fuerit Civitas Vicentia. Certe nullam oſtendas, in quam turbulenta olim Italiæ tempora B multas non adduxerint Nobilium ſoboles, Civitate poſtea donatas: & præſertim complures Neapoli & Panormi offendas, quas nempe illuc advexit Andegavenſium & Aragonenſium Regum dominatus, aut mercaturæ, reive militaris occaſio. Itaque ubi non una Civitas ejuſdem Cognominis gentem alit, Nobilem atque a vetuſtate commendatam, tunc juſtæ conjecturæ locus eſſe poteſt, e Civitate, in qua antiquiùs ipſa refulſit, avulſos ſurculos, atque in alias Urbes & Caſtella translatos, ibi in novum germen creviſſe.

DE LITERARUM STATU, NEGLECTU ET CULTURA IN ITALIA

POST BARBAROS IN EAM INVECTOS

Uſque ad Annum Chriſti Milleſimum Centeſimum.

DISSERTATIO QUADRAGESIMATERTIA.

DISSERTATIO QUADRAGESIMATERTIA.

QUæ fortuna, qui ſtatus Literarum in Italia fuerit, ex quo Gothi, Langobardi, ceterique Aquilonares Populi feliciſſimam hanc Provinciam ſibi ſubdidere, nunc noſſe operæ pretium eſt. Quum Heruli ſub Odoacre, tum verò Gothi ſub Theoderico, declinante Sæculo Vulgaris Epochæ Quinto, in regionem hanc irruerunt, eique legem dedere uſque ad tempora Juſtiniani Auguſti, fieri non potuit, ut ex devicti Populi animis tam cito excideret Literarum amor, ſtudiumque Eloquentiæ, & Eruditionis. cui tanto ſucceſſu, Romanis Imperantibus, ſeſe antea Italica gens devoverat. Proinde nil mirum, ſi adhuc decurrente Sæculo Sexto floruiſſe in Italia videmus Severinum Boëthium, Ennodium Ticinenſem, Caſſiodorium, Eugyppium, Dionyſium Exiguum, Aratorem, & Venantium Fortunatum Poëtas ſacros, Jordanem Hiſtoricum, quem Jornandem corrupte appellamus, Claudium *Claſſitanæ Civitatis Abbatem* a Johanne Diacono in Vita Gregorii Magni memoratum, atque ut alios prætermittam, ipſum Gregorium Magnum, Romanum Pontificem, qui unus cum præcipuis totius antiquitatis ut pietate, ita & Literarum gloriâ certare potuit. Et revera per idem tempus perdurabat adhuc in Italia Scholarum uſus, & præſertim Romæ: cujus rei teſtem adferre poſſumus tum ipſum Johannem Diaconum, tum Concilium Vaſenſe Secundum, Anno DXXIX. habitum, in cujus Canone Primo hæc leguntur: *Omnes Presbyteri, qui ſunt in Parochiis conſtituti, ſecundùm conſuetudinem, quam per TOTAM ITALIAM ſatis ſalubriter teneri cognovimus, juniores Lectores ſecum in domo recipiant, & eos quomodo boni patres ſpiritualiter nutrientes, Pſalmos parare, divinis lectionibus inſiſtere, & in lege Domini erudire contendant.* Caſſiodorius quoque hiſce teſtibus eſt adjungendus. Verùm Langobardis rerum potitis, & afflictâ mirum in modum inter varias calamitates Italiâ, ſub gente Literarum prorſus ignarâ, & bello tantùm aſſuetâ, ſcientia fere omnis exolevit, & ubique locorum non mediocris ignorantia ſucceſſit. Quod quum ajo, non eſt mihi animus ſignificandi, Italiam in Lapponiam tum fuiſſe converſam, Literaſque adeo ſublatas, ut neque legere neque ſcribere quiſquam noſſet. Aut delirantis, aut infantiſſimi plane hominis hæc opinio foret. Immo olim mirabar ego, quei Clariſſimus vir Scipio Maffejus Marchio in Diſſertatione de Verſib. Rhythmicis, ſcribere non dubitaverit: *Corriſponde tal credenza a quell' UNIVERSAL SENTIMENTO, per cui ſembriamo immaginarci, che all' entrare in Italia de' Barbari, uno ſpirito lapidifico occupaſſe toſto gl' Italiani, talchè impietriſſero in un momento tutti, nè mai più funzione alcuna per lor ſi faceſſe nè animale nè intellettuale, onde debban coloro chiamarſi progenitori noſtri, e a que' pochi ſtranieri debba generalmente attribuirſi tutto ciò, che in Italia o di buono, o di reo da poi s'è fatto.* Hæc ille, quum tamen non ſolùm abſurda adeo opinio nequaquam poſſit ſine in-

A juria tribui *Univerſis*, ſed ne unus quidem in eam conceſſiſſe umquam oſtendi poſſit. Uti ego in Tractatu *Del Buon Guſto*, Part. 2. Cap. primo oſtendebam, Ingenia eadem emerſere ſemper in regionibus ſub cœlo felici ſitis. Paria ſemper Italia quoque peperit, uti & Græcia, aliæque cultiores plagæ. Verùm tempora eſſe poſſunt, quibus Ingenia iſta aut nihil aut parùm in Literis excellant, & nonnulla ex iis ad fabulas, ad ineptias, ad barbariem declinent, ſive ex defectu educationis, Scholarum, Magiſtrorum, ſive ob tyrannicum regimen, bellorum rabiem, paupertatem, aliiſque de cauſſis. Hoc autem quin ſenſim acciderit, ex quo Langobardi Italicam gentem
B pæne univerſam ſuo jugo preſſere, nemo, ut arbitror, inficiari audebit. Erant ſane adhuc Epiſcopi, Clerici, & Monachi: erant Judices, cauſſarum Patroni, Notarii, Medici, quos in Literis prorſus hoſpites minime dixiſſes. Attamen tota hæc ſuppellex eruditionis exiguo conſtabat Aut modicum Eloquentiæ, Philoſophiæ, Theologiæ, Poëtices, aliarumque Scientiarum norant, aut norant dumtaxat ſuperficiem. Immo ne ipſa quidem Grammatica fortunatior apud eos fuit, ut ipſæ eorum Chartæ, in Tabulariis ſuperſtites ſatis produnt. Quod ſi quis e Clero, aut ad Populum verba faciebat, aut alio exercitationis genere, doctrinæ ſuæ experimentum faciebat, nihil
C niſi tritum ac vulgare, interdum quoque ineptum & puerile proferebat. Uno verbo, ſi Romam excipias, ubi ne tunc quidem deſiderata eſt aliqua Literaturæ cultura, & certe Canonum ſemper ſcientia viguit; fortaſſis etiam ſi excipias Ticinum, tunc Regum ſedem, in qua Urbe literatulum aliquem facile ſemper deprehendiſſes: reliqua Italia aut analphabetis, aut leviter tantùm literatis abundavit; certe nullum inſigni eruditione ornatum dedit, cujus nomen aut Libri ad nos cum multa commendatione famæ pervenerint. Gregorius II. Romanus Pontifex Anno DCLXXX. Legatos mittens ad Concilium VI. Oecumenicum, ad Auguſtos ita ſcribit Tom. 6. Concilior. Labbe,
D pag. 634, *Pro obedientia, quam debuimus, non pro confidentia eorum ſcientiæ, illos dirigimus, Nam apud homines in medio Gentium poſitos, & de labore corporis quotidianum victum conquirentes, quomodo ad plenum poterit inveniri Scripturarum ſcientia?* Tum ſubdit, ſe ac ſuos ea tantùm tenere cum ſimplicitate cordis, quæ tradita ſunt, & ſtudere, ne quid minuatur, mutetur, vel augeatur. Non diſpari ſermone utuntur Patres Concilii Romani ad eoſdem Auguſtos illâ ipsâ occaſione ſcribentes. *Si ad eloquentiam Sæcularem* (reſpicimus), *non æſtimamus, quemquam temporibus noſtris reperiri poſſe, qui de ſummitate Scientiæ glorietur, quandoquidem in noſtris regionibus diver-*
E *ſarum Gentium quotidie æſtuat furor* &c. Propterea Paulus Diaconus Lib. 6 Cap. 7. de Geſtis Langobardor. veluti rem memoriâ dignam adnotandum cenſuit, floruiſſe Ticini ſub Cuniberto Rege, hoc eſt circiter Annum Chriſti DCC. Felicem Grammaticum, de quo ſunt ejus verba: *Eo tempore floruit in arte Gramma-*

matica Felix patruus Flaviani præceptoris mei, quem in tantum Rex dilexit, ut ei baculum argento auroque decoratum inter reliqua ſuæ largitatis munera condonaret. Scilicet raræ admodum tunc erant Scholæ, & rarum videbatur, vel unum habere alicujus pretii Grammaticæ Magiſtrum. Refert Clariſs. Mabillonius in Appendice ad ſupplementum Diplomaticæ fragmentum Epiſtolæ Hadriani I. Papæ de rebus Beneventanis, ex authentica phylira deſumtum, ubi occurrunt hæc verba: *eorumque noviliſſimis ſuvoles . . . . ut inter eis diſſenſio fiat, & diviſis inveniantur . . . . una cum indiculum . . . una cum omnes Benebentani . . . . aut tam de recipiendi eos, quamque de noſtro Miſſo una cum noſtrum Indiculum* &c. Si tot flores Roma, vel tunc ſupra ceteras Italiæ Urbes erudita, ferebat, quid de reliquis Urbibus cogitandum? Et multas quidem hujuſmodi ferrei illius Sæculi formulas haberemus, niſi ex eorum Libris rubiginem interdum deterſiſſet poſteriorum Librariorum, aut Editorum licentia.

Sæculo tamen Octavo non deſideratas fuiſſe alicubi in Italia Scholas, conjicere poſſumus, & præſertim Aquilejæ. Opinari quippe licet, ex ea Schola prodiiſſe Paulinum, poſtea Aquilejenſem Patriarcham, virum pietate ac eruditione clarum, atque ipſius Paulli Diaconi æqualem, quem Carolus Magnus in Diplomate apud Baronium appellat *Artis Grammaticæ Magiſtrum*. Præterea temporibus iiſdem Romæ, non ſecus atque antea, numerabantur Grammatici non pauci: quod ex Vita ejuſdem Caroli Magni per Monachum Engoliſmenſem ſcripta, Tomo 2. Du-Cheſnii, elicimus. Jacebant tunc & in Gallia Literæ, uti ipſius Caroli Epiſtola ad Baugulfum Abbatem Fuldenſem, a Sirmondo edita, fidem facit. Carolus ergo recte perpendens, optimorum Principum ac Heroum eſſe, ad omne genus gloriæ contendere, ſuiſque Populis quamcumque felicitatem comparare, ſibi etiam curandum duxit, ut diſciplinæ ac ſtudia Artium Liberalium in Regnis ſuis, quàm latiſſime fieri poſſet, reſtituerentur. Quare Anno Chriſti DCCLXXXVII. in hanc rem ſubſidia ex ipſa Urbium Regina petivit. Audi Monachum prælaudatum ita ſcribentem: *Domnus Rex Carolus iterum a Roma Artis Grammaticæ & Computatoriæ Magiſtros ſecum adduxit in Franciam, & ubique ſtudium Literarum expandere juſſit. Ante ipſum enim Domnum Regem Carolum in Gallia nullum ſtudium fuerat Liberalium Artium*. Quum *iterum* dicit, ſatis oſtendit hic Scriptor ex Romana Urbe accerſitos antea fuiſſe alios viros doctos in Galliam. Ad hæc Ticini circiter Annum DCCLX. *Petrus Grammaticæ Magiſter* claruit, quem poſtea ſenem idem Carolus Magnus accitum ad ſe, tum ipſe audivit, tum in Palatinis Scholis Grammaticæ didaſcalum ſtatuit. Alcuinus in Epiſtola XV. ad Carolum ipſum ex editione Du-Cheſnii hæc ſcribit: *Dum ego adoleſcens Romam perrexi, & aliquantos dies in Papia Regali Civitate demorarer, quidam Judæus Julius nomine cum Petro Magiſtro habuit diſputationem; & ſcriptam eſſe eamdem controverſiam audivi in eadem Civitate. Idem Petrus fuit, qui in Palatio veſtro Grammaticam docens claruit*. Patriam iſtius Petri nobis ſervavit Eginardus in Vita Caroli Magni, ſcribens: *In diſcenda Grammatica Karolus Petrum Piſanum Diaconum ſenem audivit*. Equidem certum minime habeo, Petrus-ne iſte Piſanus literarium ludum Ticini aperuerit: ſed veri omnino id ſimile videtur. Addo, præter hunc ab eodem Carolo Magno *ex Italia in Gallias adductum fuiſſe Theodulfum*, poſtea Epiſcopum Aurelianenſem, virum diſertiſſimum, ut veteres Annales teſtantur apud Sirmondum. Immo non in ſolis Urbibus erant Grammatices Magiſtri, ſed & in Caſtellis & Villis, in quibus tradendæ illius Artis cura ad Parochos pertinebat. Ritum, quæſo, intuere expreſſum in Charta, cujus pervetuſtum exemplum vidi in inſigni Tabulario Capituli Canonicorum Mutinenſium. Eſt aliqua pugna inter notas Chronologicas, quam dirimere nihil attinet.

Traditio Plebis Sancti Petri in Siculo facta Victori Archipresbytero a Giſone Epiſcopo Mutinenſi, circiter Annum Chriſti 796.

GIſo *per miſericordiam Dei* Mutinenſis Epiſcopus, *omnibus filiis noſtræ Eccleſiæ. Notum eſſe vobis volumus, quia reſidentibus nobis in domo Sancti Geminiani in Mutina, Anno Imperii* Domnorum noſtrorum Caroli & Pipini *glorioſiſſimorum* Regum *in Dei nomine Vigeſimo Quinto, & Sextodecimo, die XIV. Menſe Octubris per Indictionem Quartam decimam, concedimus ordinantes Plebem noſtram in Siculo, quæ nominatur Sancti Petri*, conſenciente Sacerdocio & Clero noſtro, necnon Eccleſiæ ipſius Populo, Victori Archipresbytero noſtro: *ea ſiquidem ratione, ut ipſe locus regiminis teneat, & ſecundum Canonicam auctoritatem miniſterio Archipresbyteratus fungi in omnibus non obmittat*. *Ideſt* in ſartatectis Templi reficiendis, in Clericis congregandis, in Schola habenda, & Pueris edocendis. *Cujus locum ita firma ſtabilitate ei concedimus, ut ſecundum Canonicam auctoritatem a nullo Succeſſorum noſtrorum ſtatus ejus ordinis violari poſſit, niſi talia perpetraverit, quæ digna ſint Eccleſiaſtico plecti judicio. Annualem autem ipſius Plebis nobis & Succeſſoribus noſtris debitam penſionem, quæ eſt Solidorum triginta & quinque, per ſingulos annos ſtatuimus, per hanc noticiam, ut in Paſca Domini annualiter perſolvatur: de quibus ſi negligens fuerit, duplici datione, ut Leges judicant, puniatur*.

Giſo Epiſcopus Mutinenſis Eccleſiæ *in hoc Privilegio manu mea ſubſcripſi*.

Ego Martinus Presbyter manu mea ſubſcripſi.

Ego Martinus Diaconus manu mea ſubſcripſi.

Ego Giſelpertus Diaconus manu mea ſubſcripſi.

Ego Johannes Diaconus & Notarius Sanctæ Mutinenſis Eccleſiæ, ſcriptor iſtius Privilegii poſt tradita complevi & dedi.

Animadverte eorum temporum mores. Victori Archipresbytero Eccleſia illa conceditur, *conſentiente Sacerdocio & Clero noſtro, necnon Eccleſiæ ipſius Populo*. Is autem præter alia ad Parochiale munus ſpectantia in ſe recipit, *ſartatecta Templi reficere, Clericos congregare, Scholam habere, Pueros edocere*. Veri videtur ſimile, id in aliis quoque Plebibus factum. Et

ſane

ſane hoc idem exigebat in collatione Eccleſiæ Archipresbyteralis, ſive Plebis *de Rubiano*, Godefridus alter Mutinenſis Epiſcopus, uti A conſtabit ex aliis tabulis archetypis, quas idem Chartophylacium Mutinenſium Canonicorum adſervat.

Collatio Plebis de Rubiano facta Sileberto Presbytero a Gottefredo Epiſcopo Mutinenſi, Anno 908.

GOttefredus *ſanctæ* Motinenſis Eccleſiæ Epiſcopus *omnibus filiis noſtre Eccleſie. Notum vobis eſſe cupimus, quoniam reſidentibus nobis in principali noſtre Dioceſeos Sinodo, & ea que Katholice & regulari auctoritati congruunt, ſecundum Domini diſpoſitionem pro poſſe tractantibus, adierunt noſtre parvitatis clementiam Sacerdotes & Plebe Sanctæ Mariæ in Rubiano, quorum iſta ſunt nomina: Johannes, itemque Johannes, Sigebertus cum ceteris aliis ejuſdem Plebis Sacerdotibus, ſed & cum plurimis ipſius matris Eccleſie fidelibus Laicis, luctuoſa querimonia reclamantibus, quod predicta Plebs diruta eſſet, & ſine Archipreſbitero pene deſolata remaneret. Quorum reclamationi ſtudioſum prebentes auditum, deſtinavimus & Sacerdotibus noſtre matris Eccleſiæ, qui hoc vice noſtra proſpicerent, nobiſque renuntiarent, ideſt Giſevertus Prepoſitus & Sacerdos, Natalis Presbiter, Gariſuſus Presbyter: ipſique nobis renuntiaverunt, ita ſe habere, quemadmodum nobis de ipſa Plebe a predictis Sacerdotibus & Parrechianis intimatum fuerat. Itaque nos inquiſivimus ab eis, quem vellent eligere Archipresbiterum. Illi autem uno conſenſu & pari voluntate petierunt noſtræ humilitati* Silebertum Sacerdotem *ſibi dari* Archipresbiterum. *Quorum peticionibus nos benivole aſſentientes, eorumque neceſſitati ex debito compatientes, predictum Sacerdotem Silebertum,* conſentiente Sacerdocio & Clero noſtro, *illis ordinavimus Archipresbiterum. Ea tamen ratione, ut omnibus diebus vite ſue ſecundum temporis qualitatem & ſibi a Deo conceſſam poſſibilitatem, religioſa converſatione Chriſto ibi deſervire ſtudeat,* ideſt in Schola habenda, in Pueris educandis, in ſartatectis Eccleſie reficiendis, in luminaribus adhibendis, & ceteris, *que Religioni Eccleſiaſtice congruunt ſecundum Domini voluntatem per poſſe patrandis. Quam Plebem ita ei divino ſuffragante adjutorio firma ſtabilitate concedimus, ut a nullo Succeſſorum noſtrorum ſtatus ejus ordinis valeat diſſolvi, niſi ea commiſerit, que Sacerdotali digna ſint plecti judicio. Annualem autem ipſius Plebis nobis & Succeſſoribus noſtris debitam penſionem, que eſt Soldorum triginta annutim in Paſcha Domini perſolvere debeat, adhibito eo quod pro circanda Parrœchia tercio ſemper anno in expenſis nobis Succeſſoribuſque noſtris preberi debetur, hoc eſt aut decem Soldorum expenſas, aut decem in argento. Et ſi de ipſa penſione tardus aut neglegens fuerit, duplici datione, ſecundum quod Leges cenſeunt, puniatur.*

Actum Motina, VI. Kalendas Junii, Indictione XI.

✠ *Ego* Gottefredus *gratia Dei* Epiſcopus *in hoc decreto a me facto manu mea ſubſcripſi.*

✠ *Ego Giſevertus Presbiter & Prepoſitus in hoc decreto manu mea ſubſcripſi.*

✠ *Ego Giſelvertus Presbiter & Canonicus manu mea ſubſcripſi.*

✠ *Ego Raginaldus Presbiter & Canonicus* B *in hoc decreto ſubſcripſi.*

✠ *Ego Gaiprandus Presbiter & Canonicus in hoc decreto manu mea ſubſcripſi.*

✠ *Ego Gariſuſus Presbiter & Canonicus in hoc decreto manu mea ſubſcripſi.*

✠ *Ego Martinus Presbiter manu mea ſubſcripſi.*

✠ *Ego Benedictus Presbiter manu mea ſubſcripſi.*

✠ *Ego Petrus Diaconus manu mea ſubſcripſi.*

✠ *Ego Lupus Diaconus manu mea ſubſcripſi.*

✠ *Ego Adelbertus Diaconus manu mea ſubſcripſi.*

✠ *Ego Ragiuntus Diaconus ſubſcripſi.*

✠ *Ego Dominicus Diaconus ſubſcripſi.*

C ✠ *Ego Martinus Subdiaconus manu mea ſubſcripſi.*

✠ *Ego Garivertus Subdiaconus manu mea ſubſcripſi.*

✠ *Ego Ernenpertus Presbiter manu mea ſubſcripſi.*

✠ *Ego Sunipertus Presbiter in hoc decreto manu mea ſubſcripſi.*

✠ *Ego Adelardus Presbiter in hoc decreto manu mea ſubſcripſi.*

✠ *Ego Lupus Presbiter in hoc decreto manu mea ſubſcripſi.*

✠ *Ego Johannes Presbiter in hoc decreto manu mea ſubſcripſi.*

✠ *Ego Sigebertus Presbiter in hoc decreto* D *manu mea ſubſcripſi.*

Perſtringe tamen quæ hactenus recenſui, neque aliud exſculpes, niſi Italiam tunc multos fortaſſis oſtentare potuiſſe Grammaticæ Magiſtros; Scholas autem graviorum Literarum in Urbibus & Caſtellis fere omnibus nullas: ac propterea nil mirum, ſi depreſſa foret in Italia temporibus iis Scientiarùm meliorum fortuna, nulloſque egregios Scriptores Italicum Cælum tunc dederit, quorum uſque ad nos fama permearit. Semper excipio *Paullum Diaconum*, & *Paulinum* ſupra memoratos, uti & *Theodulfum* nuper laudatum, qui inter Poëtas ejus temporis pæne unus revera Poëticam noviſſe, & verſus rite procudiſſe videtur. Quod ut etiam luculentius perſpiciat Lector, animadvertendum eſt, quid Carolus Magnus jam E Langobardorum Regno potitus egerit. Non in Gallia tantùm & Germania, quibus ille Regnis dominabatur, quanto potuit ſtudio, Liberales Artes propagandas curavit, ſed Italiam quoque voluit ejuſmodi beneficii aliqua ex parte participem. San-Gallenſis Monachus a Caniſio, & Du-Cheſnio editus, in Hiſtoria de reb. geſt. Caroli Magni, Lib primo, Cap. primo, narrat, *duos Scotos* (Monachos, ut multa ſuadent) *de Hibernia ad litus Galliæ perveniſſe, viros & in Sæcularibus & in Sacris Scripturis incomparabiliter eruditos.* Hi ſapientiam *venalem* Populo offerebant. Delatâ re ad Carolum Magnum tunc Franciæ Regem, is Monachos, ſive Sæculares illos, ad ſe evo-

eatos , ubi comperit , Literarum ſtudio excellere , *unum eorum nomine Clementem in Gallia reſidere præcepit*, ut Pueros erudiret : *alterum verò in Italiam direxit , cui & Monaſterium Sancti Auguſtini juxta Ticinenſem Urbem delegavit , ut qui illuc ad eum voluiſſent , ad diſcendum congregari potuiſſent* . De nomine Monachi , ut opinor , iſtius Ticinum miſſi circiter Annum Chriſti DCCLXXX. contendunt Scriptores . Ego nihil definio , tum quod parum intereſt , tum etiam quod in id tantummodo intentus ſum, ut oſtendam, quàm humili loco tum eſſent Literæ in Italia , quando Carolo Magno ad eas aliquâ ratione inſtaurandas opus fuit uſque ex Hibernia unum Monachum ambabus ulnis accipere , eumque ad Ticinenſem Urbem mittere bonarum Artium Magiſtrum . Si in reliquis Italiæ Urbibus , atque in ipſa Ticinenſi, tum floruiſſent Viri literaturâ præſtantes, nihil erat , cur Carolus undique conquirens , & tamen paucos inveniens , quorum ope in Regno paterno Literarum culturam excitaret, e duobus, quos ſibi fortuna obtulerat , unum ſibi retineret , altero Italiam donaret . Hoc exiſtimare quiſque per ſe , vel me tacente , poſſit , ſimulque cogitatione metiri , quàm grande , aut exiguum in Italia emolumentum diſciplinis obvenerit ab uno Magiſtro in una tantùm Urbe conſtituto? Sed ut ut aliquis inde fructus fuerit perceptus, certe ſublato illo Magiſtro , & ex vivis etiam rapto Carolo , verè ob geſta & virtutes Magno , in deterius res Literaria apud Italos abiit. Splendidiſſimum teſtem dabo , cui fidem abrogare nemo audeat, hoc eſt , Lotharium I. Auguſtum. Hic enim Anno DCCCXXIII. eodem videlicet, quo conſors Imperii a Ludovico Pio patre ſuo creatus eſt , & Romano diademate cinctus , Italico Regno , cui præerat , ornamenta procurare cupiens , inter cetera abjectæ Literarum fortunæ , prout tunc licuit , conſuluit . Egregium hac de re Capitulare ab ipſo promulgatum , quod hactenus in Codice Capituli Canonicorum Mutinenſium latuerat , evulgatum a me jam Lector accepit Part. II. Tomi I. Rer. Italicar. pag. 151. illudque iterum heic repetere nemini grave , immo cuilibet gratum, futurum eſſe puto . En ejus verba : *De Doctrina . De Doctrina verò , quæ ob nimiam incuriam atque ignaviam quorumque Præpoſitorum cunctis in locis eſt funditus exſtincta , placuit , ut ſicut a nobis conſtitutum eſt , ita ab omnibus obſervetur . Videlicet , ut ab his , qui noſtra diſpoſitione Artem docentes alios , per loca denominata ſunt conſtituti , maximum dent ſtudium , qualiter ſibi commiſſi Scholaſtici ita proficiant , atque doctrinæ inſiſtant , ſicut præſens expoſcit neceſſitas. Propter opportunitatem tamen omnium apta Loca diſtincte ad hoc exercitium providimus , ut difficultas locorum longe poſitorum , ac paupertas nulli fieret excuſatio . Primùm in Papia conveniant ad Dungallum , de Mediolano , de Brixia , de Laude , de Bergamo , de Novaria, de Vercellis, de Derthona, de Aquis , de Genua , de Haſte , de Cuma. In Eboreja ipſe Epiſcopus hoc per ſe faciat . In Taurinis conveniant de Vighintimilio* &c. Qui reliqua cupit , locum ſupra memoratum adeat. Hinc interea liquet , Anno DCCCXXIII. *Doctrinam cunctis in Locis Italici Regni* fuiſſe *funditus extinctam* . Ergo late ignorantia regnabat , & ludis literariis tunc Italicæ fere omnes carebant Urbes .

Quapropter , ut huic morbo mederetur Lo- A tharius , in octo ejuſdem Regni Civitatibus Scholas inſtituit , ad quas conterminarum Urbium *Scholaſtici* (nunc appellamus *Scolari*) confluere , ſi vellent , poſſent . Non omnium ille Diſciplinarum Magiſtros conſtituit , non omnium Artium Gymnaſium excitavit , quod nonnulli ſibi facile nimium ſuaſere : ſed unum tantummodo Magiſtrum in ſingulis iis Urbibus Scholæ præfecit , cujus eſſet munus *Artem* docere diſcipulos, *Grammaticam* videlicet, uti in Notis ad idem Capitulare jampridem monui . Eo autem tempore Grammatici non tantùm Latinæ Linguæ rudimenta tradebant, ſed etiam ad Eruditionem , utcumque poterant , adoleſcentes educabant , quum nempe iis Poëtarum, B Hiſtoricorum , Oratorum , immo & ipſius ſacræ Scripturæ , Sanctorumque Patrum Libros explicarent : quæ conſuetudo in Caſtellis nonnullis noſtra adhuc tempeſtate perdurat . Propterea , ut puto , Johannes Monachus in Vita Sancti Odonis Cluniacenſis Abbatis, Tomo V. Actor. Sanctor. Benedictin. Mabillonii , circiter Annum DCCCCL. ſcripſit , ſanctum illum virum , Anno ætatis decimo nono *Grammaticæ Artis liberalibus ſtudiis educatum* fuiſſe : quaſi Grammaticæ ſtudere idem foret , ac ceteris Artibus Liberalibus operam dare . Ita Monachus ille natione Italus . Quod etiam animadvertas velim , *Dungalus* , ſeu *Dungallus* ille , cui commendatam nuper vidimus Scholam C Ticinenſem , Scotus , ſimulque Monachus & ipſe fuit , ut infra oſtendam . Nonne hinc etiam diſcimus , quo in loco tunc eſſet Literarum fortuna apud Italos , quando vel ab ipſa Scotia , ſive Hibernia , ad erudiendos juvenes evocandi fuere Præceptores ? Accedit , quod Dungalus idem in calce ſui Opuſculi contra Claudium Taurinenſem Epiſcopum, qui adverſùs ſacras Imagines invehebatur , de eo hæc habet : *Propter iſtam autem inſaniſſimam perverſitatem renuit ad conventum occurrere Epiſcoporum, vocans illorum Synodum congregationem Aſinorum* . Doctiſſimus ſane vir quamquam in Hæreſim prolapſus, Claudius fuit , natione Hiſpanus . Non aliâ ratione is credendus eſt D tam inhoneſto vocabulo oneraſſe Italicos Præſules , niſi quod eos noſſet , aut exiſtimaret in Literarum ſtudio hoſpites, aut certe numquam ſibi earum profeſſione comparandos . Neque verò ex Italis quiſquam pedem cum Claudio contulit , ſed unus Dungalus Scotus , tunc inter Italos verſatus . Heic autem petas , cur uſque e Scotia, & non potiùs ex vicina Gallia, excitus eſt Literarum Magiſter . Jam ſupra vidimus , ipſam quoque Galliam exteris tunc indiguiſſe ſubſidiis . Neque enim ſilenda laus Britanniæ , Scotiæ , ac Hiberniæ , quæ ſtudio Liberalium Artium eo tempore antecellebant reliquis Occidentalibus Regnis , & curâ præſertim Monachorum , qui Literarum gloriam , E alibi aut languentem aut depreſſam , in iis regionibus impigre ſuſcitarant atque tuebantur . Debet autem Gallia Flacco Alcuino in primis , quem ex Britannia accitum , ſive ſibi in Romano itinere oblatum , Carolus Magnus Præceptorem habuit , & Scholæ Palatinæ ſuæ præfecit , quod apud Gallos refloruerint Scientiæ , & in Cœnobiis ac Epiſcopiis cum Clericorum & Monachorum , tum Sæcularium Scholæ fuerint conſtitutæ . In partem hujuſmodi beneficii Italia quoque venit . Nam præter primum illum Monachum e Scotia acceptum , & a Carolo ad Ticinenſes miſſum , illuc deinde acceſſit *Dungalus* ſupra in Capitulari memoratus .

Duos

Duos ergo heic Monachos diverſos exhibeo, quamquam ſuſpicari quiſquam poſſit, non duos, ſed unum in Italiam ad Ticinenſem Scholam miſſum fuiſſe, ſcilicet Dungalum. Obſtare tamen videtur tempus: nam circiter Annum DCCLXXX. Carolus Magnus illuc miſiſſe creditur Monachum Scotum: Dungalus verò Anno DCCCXXIII. ſcilicet poſt annos quadraginta tres, Ticinenſi Scholæ præerat. Difficile ſtatuas, tamdiu Dungalum præfuiſſe Scholæ Ticinenſi, niſi is ſerius, quàm putetur, Ticinum venerit, aut ſaltem annos in longam ætatem produxerit. Quod certum eſt, Dungalus & Monachus & Scotus fuit; immo ipſi etiam Carolo Magno carus, magnique ab eo factus. In Spicilegio Dacheriano ejus Epiſtola legitur ad eumdem Carolum Auguſtum Anno Chriſti DCCCXI. ſcripta, quum Carolus ipſum conſuluiſſet de Eclipſi Solis, anno præcedenti viſâ per Waldonem Abbatem Sancti Dionyſii Pariſienſis. Epiſtolam illam Ticini exaratam fuiſſe

A a Dungalo, ea mihi verba indicare videntur: *In iſta Terra, in qua Nunc, Deo donante Franci dominantur, ab initio Mundi talis Rex & talis Princeps numquam viſus eſt, qui ſic eſſet, fortis, ſapiens, & religioſus, ſicut noſter Dominus Auguſtus Karolus.* Utcumque ſit, Dungalus Britannicæ ſive Scoticæ eruditionis guſtum aliquem in Italiam præ ceteris intulit. Quod etiam primus animadverti, plures ille Codices MStos antiquiſſimo Bobienſi Cœnobio, ſupra Placentiam ad Trebiam ſito, largitus eſt, unde exempla in reliquam Italiam propagata deinde fuere. Recte cadit in hunc locum Catalogus vetuſtiſſimus MStorum Codicum, qui olim in ejuſdem Bobienſis Monaſterii B Bibliotheca adſervabantur, ſed temporis edacitate corroſus ac decurtatus. Ego qualem inveni in eadem Bibliotheca deſcripſi, & monumentum Literariæ Reipublicæ non inutile, nunc tandem profero.

Index MStorum Codicum Bobienſis Cœnobii, Decimo, ut videtur, Æræ Vulgaris Sæculo exaratus.

. . . .

Librum I. ad Paſcen . . . . . . mirabilibus gemmarum . . . .

. . . . breviter excerptus Lib. I. de Adam . . . .

. . . . De Sancta Virginitate, & de bono . . . . . . nis conjugiis. Lib. I. Quæſtio . . . . Lib. II. de octo Quæſtionibus . . . . . rum Epiſcopum Libellum parvulum I . . . . . . Epiſtolæ Pauli ad Rom . . . . Hieronymi in Epiſtola Pauli ad Galatas . . . . . . rum ad Proſperum Lib. I. de . . . . ſto, in quo continetur de Humilibus . . . . Lib. I. de Doctrina Chriſtiana. Lib. I. contra Marcionem. Lib. I. de ædificatione Templi, in quo continentur Homiliæ. Auguſtini. Librum Retractationum. Librum I. de Letaniis. Libellus unus de decem chordis, in quo Hieron . . . . . ad Ydiviam . . Lib. I. de Epiſtolis Canonicis ad Evodium. De Ammonitionibus ad Reges & Potentes, & de Pœnis infernorum, & Beatitudine juſtorum . . Et de Quæſtionibus Sancti Auguſtini in Matthæum. Librum I. Quæſtionum in Matthæum, & Lucam: in quo habentur Libri III. quos compoſuit Adamnianus de Situ Hieruſalem, & Terra repromiſſionis, & Urbe Conſtantinopolitana.

Item de Lib . . . . in minoribus Prophetis. Expoſitiones II. in Epiſtola ad Galatas. In . . . . ad Epheſ . . . ad Philemonem, ad Corinthios. Et commentarium Epiſtolæ, ſeu . . . . . . & gloſ. ſuper Virgil. in Eſaia Expoſ. IIII. Expoſitionem I. in Zacharia & Malachia. Expoſitionem I. in Abdia & Jona. In alio volumine Expoſitionis ejuſdem in Abdia Librum I. In Jona. I. In Naum. I. In Hieremia Libros III. Expoſitiones IX. in Hieremia. In Ezechiel Libros IV. In Abbacuc Expoſitionem I. Librum I. de Manſionibus Iſraëlitici Populi; in quo habetur Dialogus Attici & Critoboli. Tractatum in Eccleſiaſten. Librum I. de Cronica Apoſtolorum. Libros II. de Illuſtribus Viris. Commentarios III. in Matthæum. Librum ſuper Pſalmos. Libros Quæſtionum II. Librum generalium Sententiarum I. De Opuſculis ejuſdem. Librum I. de Infantia Salvatoris. Librum I.

C *ad Pammachium & Marcellam. Librum in Canticis Canticorum. Librum I. contra Jovinianum. Librum I. in quo ſunt Prologi in Libros Regum, in Eptatico, in Paralipomenon, & Eſdra: & de Manſionibus Iſrahelitici Populi. Librum I. in Johel, & Amos, & Micheæ. In Geneſi Librum I. in quo continetur ars cujuſdam de Grammatica, & Sinonima, & Cronica Apoſtolorum. Librum I. de Opuſculis Hieronymi, & Auguſtini. Librum I. in Salomone, & in Job. Libros III. Dogmatum. Libros VII. de Epiſtolis Hieronymi in Oſeæ & Johel Lib. Tractatus in Apoſtol . . . . . Librum I. Commentarium in Evangelio Matthæi & Lucæ. Et Quæſtiones diverſæ Librum I.*

D *Item de Euſebii Libris. Libros Cronicarum III. Libros de Iſtoria Eccleſiaſtica III. Excerptos de Chronica Euſebii Libellos IV.*

Item de Hilarii. In Epiſtola ad Romanos Librum I. De Fide Catholica Libros III.

Item de Beati Gregorii Papæ. Libros Homeliares plenarios II. & non plenarios II. In Ezechiel Libros VI. & in uno ex his habetur Epiſtola Sancti Auguſtini de Caritate. Moralium in Job Libros VII. Libros Regulæ Paſtoralis II. Dialogorum Libros III. Librum Patern. I. Librum Philippi Presbiteri in Job I.

Item de Beati Ambroſii Libris. Ad Gratianum Imperatorem Libellum Fidei I. Officiorum Librum I. De Divite avaro Librum I. In Luca E *Libros II. De Jejuniis Librum I. De ſingulis Capitulis veteris Teſtamenti Librum I. De Lapſu Virginum, & de Virginitate Librum I. in quo eſt Paſſio Sanctæ Eulaliæ. De Apologia David. Et de Sacramentis. Seu & de Immortalitate Librum I. Librum I. in quo habetur fides Sancti Hilarii, confeſſio Sancti Ambroſii, fides Hier. Sermo de Trinitate. Epiſtola Gratiani Imperatoris ad Sanctum Ambroſium. Libros IV. ejuſdem, & Sermo de Caſtitate & Pudicitia . Librum de Virginitate I. Expoſitionem I. in Pſalmo Centeſimo decimo octavo. Lectionarios II. Libellus parvus de Lapſu Virginum I.*

Item de Origenis Libris. In Geneſi Expoſitiones II. In Exodo Expoſitionem I. In Levitico Expoſitionem I. In uno Volumine Homeliæ continentur ejuſdem in Jheſu Nave XXVI. In Libro

bro Judicum VIII. In Primo Libro Regum Homelias VI. De Epiphania Homelias II. In Canticis Canticorum Libros II. In Luca Librum Homeliarum I.

De Libris Cipriani. Item Cipriani ad Demetrianum Libros II. De diligendo Deo Lib. I. Ad Quirinum Libros II. De diverſis Opuſculis Librum I.

Item de Yſidori Libris. Expoſitum in Geneſi I. De diebus, & Septimanis, temporibus, & ſignis Libros II. Officiorum Libros V. Et in uno ex his continentur Epiſtolæ diverſorum, & Sinonima Ciceronis, & Gloſs. Libros Differentiarum III. Libros Proëmiorum II. Libros, & Homologiarum IV. Libros Sententiarum III. Librum de Ordine Creaturarum I. Chronica Yſidori Librum ....

Item de Canonibus. Inter majores & minores habentur Libri Canonum XV. & Libri Epiſtolarum Papæ Leonis II. Item Librum Canonum I. in quo habetur Yſidori de Ordine rerum.

Item de Libris diverſorum Auctorum. Librum Athanaſii contra Apollinarem, in quo & alia continentur Opuſcula. Libros Gregorii Nazozeni Apollogeticos II. Librum ejuſdem de Grandinibus I. Libros II. Johannis Conſtantinopolitani in Epiſtola ad Hebræos. Et de Pſalmo quinquageſimo Librum I. Et alius Tractatus I. Libros Pauli Oroſii IV. Item Johannis Oſaurei de Cordis Compunctione, & Reparatione, & alia Opuſcula. Libros Eucherii de Formulis ſpecialibus IV. Libros Caſſiani de Inſtitutione Monachorum III. Et de Collationibus Patrum Librum I. Libros Sancti Columbani in Pſalmos II. Libros Primaſii in Apocalipſin II. Libros II. Celii Firmiani Lactantii de Opificio Dei, & unum de Falſa Religione, in quo habentur dicta Sybillæ. Librum Sancti Severiani I. Librum Decretale Gelaſii I. in quo habetur Libellus Auguſtini de Hæreſibus. Librum de Vitiis. Libros Inſtitutionis divinæ Legis Tunilli ad Primaſium II. Librum Rufini in Oſee, Johel, & Amos I. Librum I. Vindicii Verecundi pri..... Prophetarum. Librum Effrem Diaconi. Libros Optati Epiſcopi contra Donatiſtas II. Et in uno ex his habetur Expoſitio Autorum in Apocalipſin, & Ordo omnium Feſtivitatum. Librum inſtructionis Nicetæ Epiſcopi I. Librum Metodii Epiſcopi De Regno Gentium & noviſſimis temporibus I. Librum Effrem I. in quo habentur Epiſtolæ Fulgentii & Hieronymi. Librum Victorini unum in Apocalipſin, & in Epiſtolis Pauli. Librum Fauſti Epiſcopi de Prædeſtinatione Dei unum. Librum Cæſarii I. Libros Homeliarum Maximi Epiſcopi II. Librum Tertulliani I. Plinii Secundi Naturalis Hiſtoriæ Libros III. De Inſtitutis antiquorum Regum I. & Juſtiniani II. Libros Egeſipi II. Librum cujuſdam de Geſtis Gothorum I. Libros Smaragdi III. Libellum Caſſiodori in Pſalmis parvulum I. Librum Expoſitionis Claudii Epiſcopi Taurinenſis in Epiſtola ad Corinthios. Formula vitæ honeſtæ cujuſdam Martini, in qua & alia habentur Opuſcula. Libros Hier ..... Scotti Exceptos VII. Librum Laurentii unum de duobus temporibus.

Item de Libris incertis. Libros Gloſſarum & Expoſitionum quorundam ſuper Matheum VIII. Librum Pandectarum I. in quo eſt Expoſitio cujuſdam in Matheum. In Epiſtolis Pauli Expoſitionum Libros IX. Libros breviter expoſitos in Pſalmis VI. Librum I. Quæſtionum cujuſdam in Veteri & Novo Teſtamento, in quo habetur Epiſtola Hieronymi ad Edibiam, & Aſceticon, ideſt Inſtituta Sancti Baſilii. Librum I.

A *cujuſdam de remediis peccatorum; in quo habentur Libri VI. Alchimii metrice conte...... Libros IV. in quo habentur Homeliæ quorundam de ſingulis Feſtivitatibus. Librum I. cujuſdam ad quendam Judeum; & alia Opuſcula.*

Item de Vita, & Paſſionibus Sanctorum. Libros de Vita Patrum...... ex his habetur Vita Gutbercti. In alio Collationes Patrum. Vita Pauli, Antonii, Hilarionis. Et de captivitate Malchi Monachi Librum I. Et in uno ex eis Vita Sancti Martini. Librum de Vita Sancti Martini. Librum de Vita Hilarionis, & Sancti Germani. Librum I. de Vita Sancti Cipriani Martyris. Librum I. de Vita Sancti Ambroſii.
B *Librum de Vita Sancti Euſtaſii & Ambroſii. Libros de Actu Sancti Silverii quatuor. Libros de inventione Corporis Sancti Stephani quatuor. Librum I. de Vita Sancti Simeonis: in quo habentur Arnulfi de Situ Hieruſalem Libri II. De Vita Sancti Columbani. De Vita Sancti Galli Libros II. Librum de Vita Sanctæ Ceciliæ & Juliani Martyris unum. Libellum unum de Vita Sancti Marcelli. Librum de Vita Sancti Medardi unum. Libros de Paſſione Apoſtolorum Petri & Pauli I..... Libros Paſſionum complurium Sanctorum II. Librum Regulæ Sancti Columbani. Libros Regulæ Baſilii Duos. Librum unum, in quo habentur Lectiones Natalis Domini, & de Epiphania, & Lamentationes Jeremiæ.*
C *Libros Legis Langobardorum duos. Librum unum Dioniſii de Computo. Anatolii Theophili I. Victorini V. & alios Libros de Computo VI. Libros Gloſſarum VII. Libros Pſalmorum II. Libros Euangeliorum plenarios & non plenarios V. Librum Collectaneum I. in quo diverſa habentur Opuſcula de Fratre Dominico, quem ipſi preſtitimus.*

Libros Sergii de Grammatica duos, & in uno horum Adamantii Liber habetur. Libros Virgilii numero quatuor. Lucani Libros IV. Juvenalis duos; & in uno ex his habetur Martialis & Perſius. In uno Volumine habemus Perſium, Flaccum, & Juvenalem. Libros Claudiani Poëtæ quatuor; & in uno ex his Sedulii quædam pars in capite, & alia Opuſcula.
D *Libros Ovidii Naſonis duos. Librum Lucretii I. Librum Dracontii I. Librum Ennodii Epiſcopi unum, in quo & alia continentur Opuſcula. Libros Donati tres; & in uno ex his habentur Sinonima Ciceronis. Libros Valerii Probi III. Libros Boëtii III. de Aritmetica, & alterum de Aſtronomia. Librum Marii Victoris de Rethorica. Libros Terentii II. Librum Honorati I. Libros Porphyrii II....... & alterum de Iſagogis. Librum Iſidori de Vitiis I. Commentarium Hieronymi ſuper Donatum. Librum Prudentii I. Librum I. Paulini in Laude Sancti Felicis. Librum I. Demoſthenis. Librum I. Verſuum Licentii ad Sanctum Auguſtinum, in*
E *quo ſunt Verſus Sybillæ de Die Judicii. Libros Pompeji III. ſed non plenarios. Librum I. de Verſibus Apoſtolorum. Libros IV. Categoriarum Ariſtotelis. Librum I. in veteri Teſtamento conſcriptum metrice; in quo continentur Libri Alchimi & Catonis. Libros II. Capri & Acroëtii de Ortographia. Libros Ouricis duos. Librum I. Doſithei de Grammatica. Librum Juvencii I. Librum Auſonii Poëtæ I. in quo habentur Plinii Libri III. Librum Conſentii I. Libros Sedulii IV. Libros Symphoſii II. Librum Papirii de Analogia I. Librum I. Flaviani de conſenſu nominum & verborum. Libros Priſciani minoris II. Libros Marii Grammatici de*

de centum Metris II. & in uno ex his habentur Sergii de Litera Libri II. Aſterii Grammatici, Honorati de Ratione Metrorum, & Expoſitio cujuſdam ſuper Donatum; Expoſitio quoque Sancti Auguſtini ſuper totas partes Orationis; Phocæ etiam de Grammatica Libri III. Exercitaminum Priſciani Sophiſtæ Librum unum. Libros Priſciani II. Unum de figuris Numerorum, alterum de Litera. Librum I. de Sententiis Philoſophorum, in quo ſunt Libri Catonis, & Theophraſti de Nuptiis. Librum Soſipatris I. in quo continetur Liber Differentiarum Plinii. Librum Donati ſuper Virgilium unum. Libros Gloſſarum ſuper Virgilium IX. Librum Mictologiarum Fulgentii I. Libros diverſorum de Grammatica XX. Libros Septimi Sereni duos; unum de ruralibus, alterum de Hiſtoria Trojana, in quo & habetur Hiſtoria Daretis. Librum I. Daretis de vaſtatione Trojæ. Librum I. de Epiſtolis Alexandri & Dindimi. Librum I. de ſitu Indiæ Alexandri ad Ariſtotilem Magiſtrum. Librum I. Coſmographiæ. De Hiſtoria Alexandri Magni Macedonis Librum unum. De diverſis generibus Monſtrorum Librum I. Librum I. Ciceronis, in quo ſunt Topica & Partitiones. Contra Catilinam Librum I. Generalium Sententiarum Librum I. in quo Lucii Annæi Senecæ, Valerii Flacci Liber I. Aratoris Subdiaconi de Actibus Apoſtolorum Liber Metricus I. Phocæ de Grammatica Librum unum.

Item de Libris, quo Dungalus præcipuus Scottorum obtulit beatiſſimo Columbano. In primis Librum Origenis in Geneſi I. In Canticis Canticorum ejuſdem Librum I. in quo habetur Expoſitio Bedæ in Eſdra, & Quæſtiones Hieronymi in Geneſi, & de Locis Terræ repromiſſionis, & de Hebraicis Nominibus; Expoſitio quoque in Eccleſiaſten, in Danihelem, & in Hieremiam. Librum Origenis in Epiſtola ad Romanos unum, in quo habetur Expoſitio Johannis Conſtantinopolitani in Epiſtola ad Hebræos. Librum I. Sancti Ambroſii in Luca; in quo eſt Expoſitio Bedæ in eodem. Librum Homeliarum Gregorii in Ezechiel I. in quo habetur Expoſitio Hieronymi in eodem. Librum cujuſdam in Epiſtolis Pauli, in quo continetur Expoſitio Hieronymi in Epiſtola ad Epheſios, ad Titum, ad Philimonem, ad Galathas: & Expoſitio cujuſdam in ſeptem Epiſtolis Canonicis. Librum I. Auguſtini ſuper Johannem. Librum I. Auguſtini de Trinitate. Ejuſdem de Civitate Dei Librum unum. Librum I. Hieronymi in Eſaia. Ejuſdem in minoribus Prophetis Librum unum. Epiſtolarum Hieronymi Librum unum. Librum I. Eugeppii, in quo continetur Liber Caſſiodori Inſtitutionum Divinarum Lectionum, & Hieronymi Illuſtrium Virorum, & Soliloquiorum Auguſtini, & Expoſitio Albini in Geneſim. Librum Bedæ in Geneſim unum, in quo eſt Albini ſuper Johannem. Expoſitio I. Bedæ in ſeptem Epiſtolis Canonicis. Librum Etymologiarum Iſidori unum. Expoſitum cujuſdam breve in Johanne & Salomone. Librum Prudentii. Librum Fortunati unum, in quo eſt Paulinus, Arator, Juvencus, & Cato. Librum Pompei I. Librum Joſeppi Hiſtoriographi unum. Evangelium plenarium. Librum Enchiridion Sancti Hier....... II. Pſalterium I. Librum quendam Latine Scotaicæ Linguæ. Librum Dungali contra perverſas Claudii Sententias unum. Librum Sancti Auguſtini de Muſica.

In primis Lib...... Sedulii ortograph........ Librum Pſichomachiæ Prudentii...... quo continetur Conſentii Lib....... Priſcianus minor Lib....... ſuper Donati Lib. in...... cujuſdam ſuper...... De Conſolatione....... Lib. de Injuria....... Regula....... pro peccatis........ Lib........ Præfaction........ Lib...... Gloſis....... Librum Quæſtionum in Geneſi. Librum Bedæ de.....

De Libris Benedicti Presbyteri. Brevis recordationis de Libris venerabilis Benedicti..... primis. Librum Priſciani majorem. Librum Virgilii unum. Sergii ſuper eundem Virgilium....... Priſcianus minor. Beda de Metris, & alia habentur Opuſcula....... Librum I. in quo Verſus Apoſtolorum, Donatus, Beda, & Alchoin habentur....... Librum Donati in quo & Tractatus habetur ſuper eundem Donatum....... in quo Pſichomachia Prudentii, & Sancti Auguſtini habetur de....... Juvenci unum. Librum I. Junilii de Divina Lege. Librum de concordia Evvangel. unum. Libros ſuper Matheum II. ſuper Marcum I. ſuper Lucam I. ſuper Johannem Libros II. Canonum Alithgarii Epiſcopi Librum I. De Regula Sancti Benedicti. Miſſale plenarium. Librum Officiorum Iſidori unum. Librum Epiſtolarum Pauli unum; & Librum Prognoſticorum Juliani. Rufini de Vita Patrum Librum I. Miſſales parvos II. Victoris Librum Computi. Librum Omeliarum Johannis Kriſoſtomi de Evangeliis. Librum Ymnorum I. in quo computum, & alius habetur. Librum I. Collectaneorum. Hieronymus cum aliis diverſis Operibus. Pſalterium. Einhardi Librum.

De Fratre Adalberto Pſalterium unum. Antiphonarium plenarium unum. Canones, quos excerpſit Alitgarius Epiſcopus. Infantia Salvatoris.

Breve de Libris Theodori Presbyteri. Miſſales IV. Pſalterium gloſatum I. Homeliarum Gregorii, & Bedæ Liber I. Sinodorum Libri III. Johannis Criſoſtomi de reparatione Lapſorum, & aliis ſententiis Liber I. Super Daniel, & in Apocalipſin, & Epiſtola de Melchiſedech, & Prognoſtica Juliani Pomeri Liber. Albini de Trinitate Liber I. Chronica Iſidori Lib. I. De Vita Sancti Columbani Liber. De Vita Sancti Gutberti Liber. Diurnum Sancti Gregorii Liber. De Predicationibus Liber I. Regula Canonica Liber I. De Decimis, & Expoſitione Miſſæ Liber. Liber Caſſiani unus. De Collatione Abbatis Cheremonis. Regula Sancti Benedicti unus. Martyrologium Bedæ I. Martyrologium Hieronymi. Et de Arithmetica; Macrobii; Dioniſii; Anatolii, Victorii; Bedæ; Colmani, & Epiſtolæ aliorum Sapientum Liber I. Eucherii de Quæſtionibus veteris & novi Teſtamenti, & de ſitu Hieruſalem, & Gloſis Liber I. Boëtii de conſolatione Philoſophiæ, & Catonis Liber. Priſciani major Liber I. Liber Donati de majoribus & minoribus partibus, & de Gloſis ſuper ipſum & Conſentii unus. Liber I. Yſidori, Servii, Sergii, Maximi, Victoris, & Priſciani minoris, Bedæ, Clementis, EutICIS, & alia Opuſcula Liber item I. Sedulii, Juvencii, & Proſperi, ac Prudentii, & aliorum Verſificatorum Liber unus. De Rethorica Karoli & Albini Magiſtri unus. De Dialectica Martiani, Auguſtini, Apulei, & Iſidori Liber I. Liber de Ordine Eccleſiæ unus. Omnes Libri Volumina XXXII.

Item de Libris Petri Presbyteri. Expoſitum Caſſiodori Senatoris in Pſalmis Libros III. Regula Canonica Librum I. Libellos Canonum II. Miſſalem I. Antiphonarium I. Pſalteria II. Libellus Einardi de Pſalmis, in quo habentur Ora-

Orationes, quæ ſpecialiter dicuntur. Enchiridion Auguſtini. Miſſale Collectarium I. Librum Pomerii, in quo & alia habentur Opuſcula. Librum Sancti Auguſtini I. de Magiſtro, in quo habentur ejuſdem de Ordine, & de Achademica & Vera Religione. Librum Canonum I. Librum Rabani in Geneſin I. Librum Prognoſticorum I. Librum Donati de partibus minoribus & majoribus, in quo & alia habentur Opuſcula. Librum Martiani de Nuptiis Philologiæ & Mercurii. Librum Euticis I. Librum Auſonii I. in quo Mictologia Fulgentii. Rethorica Caroli & Albini, & Periermeniarum Apulei, & alia quædam. Librum Priſciani minoris, in quo Caper, & Agrœcius, & Alchoin habentur. Librum Prudentii plenarium I. Librum I. Bedæ in titulis Pſalmorum. Librum Ciceronis de Senectute I. in quo habetur Dialectica Auguſtini. Expoſitio in Somnio Scipionis, & Boëtii de Muſica....... quas non reperimus .... Ezechiel & Daniel Librum I. Epiſtolas Pauli, & Acta Apoſtolorum, Apocalipſis, & Epiſtolæ Canonicæ Librum. Amphoſii Librum I. De diverſis generibus Monſtrorum Librum I. Deca..... Librum I. & alios Libros. De Pſalmis Lib. I. De mirabilibus gemmarum Librum I. De ſeptem Quæſtionibus ad Dulcitium Librum. Admonitionum ad Reges & Potentes Librum I. Expoſitionem in Lucham Librum I. Expoſitionem Ezechielis Librum I. De Pſalmis Librum I. Prologus Regum. In Paralipomenon, in Eptateucho Librum I. Librum Quæſtionum I. Librum I. Sancti Hieronymi de Opuſculis ipſius. Librum Epiſtolarum I. Cujuſdam de Geſtis Gothorum Librum I. Librum ſuper Matheum unum. De inventione Corporis Stephani Librum I. Epiſtolarum Expoſition. Librum I. De Expoſitione Pſalmorum Librum I. Homeliarum tres.

De Libris Boniprandi. Infantiæ Salvatoris Librum I. & Librum Computi, & Regulam Sancti Benedicti.

Ad Speluncam, Miſſalem I. Lectionarium I. Antiphonarium I. Regula Sancti Benedicti una. Vita Patrum I. Homeliarum XXXX. Beati Gregorii unum. Homeliarum collectarum I. Expoſitionum ſuper Johannem unum. Pſalterium I.

Item de Libris Fratris Smaragdi, Liber Priſciani major I. Liber Auguſtini de Muſica. Ejuſdem de vera Religione. Liber Bedæ de Metris. Quædam pars de Arithmetica. Boëtii Liber. Auguſtini de Magiſtro. Euangelium plenarium. Soliloquiorum Auguſtini unum.

Item de Libris Fulgentii. Unum Librum Priſciani majoris de partibus orationis. Librum Boëtii de Muſica. Librum de Ordine I. Librum de Academia I. Librum mictologiarum Fulgentii. Librum Martiani de Nuptiis Philologiæ & Mercurii, & gloſula in ipſum.

Vidiſti Bobienſium Codicum partem memorari, *quos Dungalus præcipuus Scottorum obtulit beatiſſimo Columbano*. Ejus etiam *Liber contra Claudium* Taurinenſem Epiſcopum recenſetur infra hoc titulo: *Liber Dungali contra perverſas Claudii Sententias.* Clariſſimus Mabillonius opinatus fuit, Dungalum *non Gallum, ſed alienigenam, fortè Scotum* fuiſſe, eumque cenſuit in Gallia conſediſſe, ibique ſacras Imagines vindicaſſe a cenſura Claudii Taurinenſis. Contra ego in Notis ad Capitulare prælaudatum contendi, non in Gallia, ſed Ticini apud Italos, Dungalum potiorem ſuæ vitæ partem in erudiendis adoleſcentibus egiſſe, eumdemque fuiſſe illum, qui Claudio ſeſe objecit, & qui pro ſacris Imaginibus ſtetit. Conſonat cum Capitulari prælaudato Lotharii I. pariterque cum Catalogo nunc evulgato ſententia mea; atque hinc etiam emendandus, ſive ſupplendus Caveus in Hiſtoria Literaria Scriptor. Eccleſiaſticor. qui Dungalum cenſuit *Monachum San-Dionyſianum Pariſienſem*. Scotum fuiſſe diſertis verbis tradit Catalogus Bobienſis. Et quamquam neque in eodem Catalogo, neque in Capitulari, Monachus ille appelletur: attamen Monaſticam vitam profeſſum poſt Mabillonium & ego conjicio, a *Dungalo* tamen *Monacho recluſo* diſtinguendum, cui, contra quàm idem Mabillonius opinatus eſt, nihil rei fuiſſe puto cum Dungalo Scoto, Literarum Magiſtro Ticini, & Auctore Libri contra Claudium Taurinenſem. Ceterum, quum Sancto Columbano, celeberrimo ob ſanctitatem vitæ, miracula, & eruditionem viro, in Hibernia nato, & Bobii Anno Chriſti DCXV. vitâ functo, originem ſuam debeat Italicum Bobienſe Cœnobium: nil mirum, ſi Dungalus Scotus ſingulari amore in locum ſacrum ac celebratiſſimum afficeretur, & bene de illo meritus fuerit. Gratiæ quoque Dungalo, aliiſque magnæ Britanniæ viris, qui MStorum Codicum ſupellectilem in Italia auxere. Neque Lectori latere volo, pleroſque Bobienſis Bibliothecæ Libros ſupra memoratos in Ambroſianam Mediolanenſem translatos fuiſſe curâ immortalis viri Friderici Borromæi ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis & Archiepiſcopi Mediolanenſis. Egregios ſane Codices ex antiquitate, quorum utilitatem & ego ſenſi in Anecdotis Latinis luce donandis, & quorum erit ſemper aliquis uſus eruditionis Eccleſiaſticæ & Sæcularis amatoribus; nam vel ipſis editis Libris quantum præſidii afferre poſſint veteres MSti, neminem ignorare arbitror. Uno exemplo mihi uti liceat. Quot Bedæ Libros, eximii inter Britannos Monachi, Bobienſis Bibliotheca complecteretur, ſupra vidimus. Ego in Ambroſianâ olim MStos Codices recenſens, hæc inter alia animadverti. Illic viſitur *Hiſtoria Anglorum*, ab eo literis conſignata; tum ejuſdem *Compendium*, quod in editis Tom. 3. Operum Bedæ ſine ulla diſtinctione perducitur uſque ad Annum DCCLXVI. quum tamen tot ante annos Beda naturæ legibus ceſſiſſet. In MSto Codice Ambroſiano poſtrema Compendii verba ſunt hæc: *Anno DCCXXXI. Berctuald Archiepiſcopus obiit. Anno eodem Tatuini conſecratur Archiepiſcopus nonus Duruvernenſis Eccleſiæ, Ædibaldo Rege Merciorum, quintumdecimum agente annum Imperii......* Adnectitur e veſtigio Operis concluſio iis verbis Bedæ jam editis, ideſt: *Hæc de Eccleſiaſtica Hiſtoria Britanniarum* uſque ad *ſuperadjicere curavi*. Poſt quæ Ambroſianus Codex hæc habet in editis deſiderata, nempe enumerationem Librorum, quos ad illud uſque tempus Beda ipſe teſtatur ſeſe ſcripſiſſe.

Index Librorum, quos Beda conſcripſit, ab ipſo literis conſignatus circiter Annum Chriſti 731.

IN principium Geneſis uſque ad Nativitatem Iſaac & ejectionem Hiſmahelis Libros IV. De Tabernaculo & vaſis ejus, ac veſtibus Sacerdotum Libros IV. In primam partem Samuhelis, ideſt uſque ad mortem Saulis Libros III. De ædificatione Templi Explanationis allegoricæ pro Populo, ſicut & cetera, Libros II. Item in Regum Librum XXX. Quæſtionum. In Proverbia Salomonis Libros III. In Cantica Canticorum Libros VII. In Eſaiam, & Danielem, Duodecim Prophetas, & partem Hieremiæ, Diſtinctiones Capitulorum ex Tractatu Beati Hieronymi exceptas. In Ezram & Neemiam Libros III. In Canticum Abbacuc Librum I. In Librum beati Patris Tobiæ Explanationis allegoricæ de Chriſto & Eccleſia Librum I. Item Capitula Lectionum in Pentatheucum Moyſi, Joſuæ, Judicum, in Libros Regum, & Verba dierum. In Libros beati Job, in Parabolas, & Eccleſiaſten, in Cantica Canticorum, in ipſos duodecim Prophetas, Ezram quoque & Neemiam. In Evangelium Marci Libros IV. In Evangelium Lucæ Libros VI. Homiliarum Evangelii Libros II. In Apoſtolum quæcumque in Opuſculis Sancti Auguſtini expoſita inveni, cuncta per ordinem ſcribere curavi. (*) *In Actus Apoſtolorum Libros II. In Epiſtolas ſex Canonicas Libros ſingulos. In Apocalypſim Sancti Johannis Libros III. Item Capitula Lectionum in totum novum Teſtamentum, excepto Evangelio . . . . Item Librum Epiſtolarum ad diverſos, quarum de ſex Ætatibus una eſt: de manſionibus filiorum Iſrahel una: de eo, quod ait Eſaias*; & claudentur ibi in carcerem, & poſt dies multos viſitabuntur. *De ratione Biſſexti una. De Æquinoctio juxta Anatolium una. Item de Hiſtoriis Sanctorum. Librum Vitæ & Paſſionis Sancti Felicis Confeſſoris de metrico Paulini Opere in proſam transtuli. Librum vitæ & paſſionem Sancti Anaſtaſii male de Græco translatum, & pejus a quodam imperito emendatum, prout potui, ad ſenſum correxi. Vitam Sancti patris Monachi ſimul & Antiſtitis Cudberti, & prius heroico metro, & poſtmodum plano ſermone deſcripſi. Hiſtoriam Abbatum Monaſterii hujus, in quo ſupernæ pietati deſervire gaudeo, Benedicti, Ceolfridi, & Huetberti in Libellis II. Hiſtoriam Eccleſiaſticam noſtræ Inſulæ gentis in Libris V. Martyrologium de Natalitiis Sanctorum Martyrum diebus, in quo omnes, quos invenire potui, non ſolùm qua die, verùm etiam quo genere certaminis, vel ſub quo Judice Mundum vicerint, diligenter adnotare ſtudui. Librum Hymnorum diverſo metro, ſive Rythmo. Librum Epigrammatum Heroico metro, ſive Elegiaco. De natura temporum, & de Temporibus Libros ſingulos. Item de Temporibus Librum I. majorem. Librum de Ortographia, alphabeti ordine diſtinctum. Item Librum de Metrica Arte: & huic adjectum alterum de Schematibus ſive Tro-*

A *pis Libellum, hoc eſt, de figuris, modiſque locutionum, quibus Scriptura ſacra contexta eſt.*

Hactenus in Ambroſiano Codice Beda. Tum ſuccedit Oratio *Te Deprecor* &c. ut in editis. Ad horum normam certe exigenda ſunt, quæ de ejus Libris ſcripſere Trithemius, Baronius, Du-Pinius, Caveus, & alii. Alterum quoque Codicem, quem ante annos nongentos ſcriptum conjiciebam, e Bobienſi in Ambroſianam Bibliothecam devectum legi. Ibi occurrit *Bedæ Commentarius in Geneſim* uſque ad nativitatem Iſaac, una cum Epiſtola præfixa ad Antiſtitem Accam. Conſonant omnia cum editis uſque ad verſiculum: *Iſtæ generationes Cœli & Terræ, quando creatæ ſunt* &c. Quæ verò ſubſequun-
B tur, ab editis differebant, aut nondum edita reputabam. Sed ante paucos annos hunc fœtum publici juris fecere Clariſſimi Viri Martene & Durand, Monachi e Congregatione Sancti Mauri, Tomo V. Theſauri Anecdoctorum. Supra Dungali facta eſt mihi mentio. Nunc addo, haberi in nuper memorata Ambroſiana Bibliotheca Codicem, ante annos nongentos ſcriptum literis quadratis, in quo ejus nomen expreſſum legitur tribus hiſce Verſibus præpoſitis, quibus Bobienſi Cœnobio traditum a ſe Librum deſignat.

Sancte Columba, tibi Scotto tuus incola DUNGAL
Tradidit hunc Librum, quo Fratrum corda beentur.
C *Qui legis ergo, Deus pretium ſit muneris, ora.*

En ut rurſus *Scotum* ſe Dungalus profitetur. Librum offert Sancto *Columbæ* (ita enim & alii Sanctum Columbanum appellarunt) hoc eſt, illius Monaſterio Bobienſi. Nihil de Monachatu ſuo adjicere videtur; at quum ait *incola tuus*, idem prodit ſignificans, ſe in ejus Cœnobio vivere. Complectitur autem Codex ille Vitas Sanctorum Patrum, quarum lectio Monachis potiſſimum commendabatur, & familiaris eo tempore eſſe conſuevit. Ibi primo occurrit *Prologus in Vitas Patrum Sancti Hieronymi Presbyteri. Benedictus Deus, qui vult omnes homines ſalvos fieri* &c. Primo Capitulo
D hic titulus præfigitur: *De Sancto Johanne Eremita. Primum igitur tamquam verè fundamentum noſtri Operis* &c. Hæc autem Ruffino Aquilejenſi tribuuntur in editione Heriberti Roſweydi Societ. Jeſu Antuerpiæ Anno MDCXXVIII. facta. Sunt autem in MSto Codice Capitula omnia, quæ apud Roſweydum leguntur, ſed ordine mutato uſque ad Capitulum *De duobus Macariis*. Subſequitur *Liber Secundus de Vita Sanctorum Patrum*. Ei præfixam Epiſtolam, qùum minime animadverterim a Roſweydo editam, propterea huc inferre ſtatui in commodum Eruditorum, quamquam parum feliciter e Græco, ut mihi videtur, converſam.

(*) Heic obiter animadverte, diſputatum diu inter Eruditos, an *Commentaria in Epiſtolas Sancti Pauli*, e Sancto Auguſtino pleraque excerpta, tribuenda forent Bedæ, an potius Floro Magiſtro. Hinc ſaltem diſcimus, revera id genus Opus a Beda fuiſſe confectum. Vide Mabillonium in Analectis, & Caveum in Hiſtor. Liter. Scriptor. Eccleſiaſticorum.

Epiſtola præfixa Libro Secundo de Vitis Sanctorum Patrum.

Beatifico & admiror propoſitum tuum: dignum eſt enim, a beatitudine incipere hujus Epiſtolæ textum, quoniam circa vana & inania præſentis Seculi ſtudium ſuum impendunt, & in ædificatione lapidum, ex quibus non valde gaudebunt. Ipſe autem verbum ædificationis, & ſacræ Scripturæ doctrinam doceri deſideras: Sanctorum Patrum converſationem & inſtituta perquiris. Multorum igitur multa & varia per ſingula tempora habentur conſcripta de his, qui inlecebras Seculi derelinquentes; quorum bonum deſiderium inſpiratio ſupernæ gratiæ Dei adjuvabit in ædificationem eorum, qui fide voluntaria permanent in doctrina Salvatoris noſtri Chriſti. Viſum eſt mihi humili & reverentiæ tuæ præceptis, & deſiderio tuæ magnitudinis obedire, amator doctrinæ veritatis, pro poſſibilitate mentis meæ; triceſimum ſiquidem & tertium annum ætatis agens, in Congregatione Fratrum converſatus ſum, nihilominus etiam & in ſolitaria vita, viceſimum annum in Epiſcopatu. Igitur deſideranti tibi Sanctorum Patrum enarrare Vitas, virorum ſcilicet ac feminarum, quos vidi, & de quibus audivi, cum quibus & converſatus ſum tam in Ægypti ſolitudine, quàm & in Lybia, & Thebaida, & Siene, ſimul & qui dicuntur Tabenenſiotæ; deinde in Meſopotamia Paleſtinæ, & Syriæ, & partibus occiduis Romæ & Campaniæ: & eorum, qui in his morantur. Itaque habens tibi exponere & enarrare ſpecialiter in hoc Libro hoc, ut cominus ſalutifero commonitorio habeas indeficientem animæ medicinam, & obliviſcaris omnem quidem deſidiam, mentiſque ſomnolentiam, & inrationabile deſiderium, omnem autem diſſenſionem animæ, etiam & commotionem iracundiæ, & triſtitiam, & inrationabilem timorem per hæc repellas, ſimul & ambitionem Mundi deſpicias, ut in fide veritatis & in deſiderio proficias; quatenus in propoſito pietatis dux tibimetipſi bonorum operum, & eorum qui tecum ſunt, & qui poſt te erunt, piiſſimorum efficiaris imperator. Ex hoc enim amatores Chriſti proficiunt ad æternam ſalutem. Non ergo ſpernas ſimplicitatem & impolitos ſermones: nec enim operis eſt doctrinæ, ſophiſtice & eloquenter ſignare ſermones, ſed ſuadere mentes hominum in Fide, & operibus veritatis ſecundùm quod ſcriptum eſt: Aperi oſtium verbo Dei. *Et iterum non ſpernas narrationem ſervorum; & ipſi enim didicerunt a Patribus. Denique Sanctorum, ideſt Patriarcharum & Prophetarum, Abraham ſcilicet & Iſaac & Jacob, Moyſi & Heliæ, & Johannis, deſcripta eſt fides & converſatio, non tantum ut illos glorificent, quos certe Dominus glorificaverat, & in regno ſuo glorioſos habebat, ſed ut legentibus poſteris conferrent veritatis doctrinam exempla ſalutis. Explicit Epiſtola.*

Tum hujus Epiſtolæ ſpecimen, tum reliqua Capitula leguntur in Lauſiaca Palladii. Subſequitur in MSto Codice *Venerabilis Nili Monachi de octo principalibus Vitiis*. Et poſt alia Capitula & admonitiones Sanctorum Patrum contra fornicationem aliaque vitia, una cum exemplis, concluditur Liber his verbis: *Venerabilis Abbas Lumbertus Levita juſſit hunc ſcribere Librum*. Poſt hæc ſuccedit *Vita Theophili Vicedomini*, e Græco translata, quam in aliis Codicibus vidi. Tum Sanctæ Pelagiæ Vita, quæ apud Roſyeidum dicitur *ex verſione Euſtochii*. Diverſa autem eſt verſio Bobienſis Codicis. Sequitur in eodem Codice *Sanctæ Thayſis pœnitentia*, quam e Græco tranſtulit Dionyſius Exiguus. Eam protulit Roſyeidus Libro primo pag. 374 in Vitis Patrum, ſed ignorans, cui hæc interpretatio debeatur. Præfationem igitur ad idem Opuſculum, quam adhuc luce carentem puto, accipe.

Incipit Præfatio Pœnitentiæ Sanctæ Tayſis.

Domino kariſſimo mihi Fratri Paſtori Abbati Dionyſius. Sanctæ Tayſis quondam meretricis mirabilem pœnitentiam, ſimplici ſermone conſcriptam, quam inter alios eximiæ converſationis viros Ægyptios protulit talium fœcunda virtutum, de Græco me tranſferre juſſiſti. Sume igitur ad obliterationem delictorum grande, ut ſpero, compendium. Quis enim, licèt multis congravibus peccatorum vinculis obligatus, non hujus venerandæ mulieris provocatur exemplo, de ſuæ abſolutionis non deſperare remedio? Nec nos ſatisfactionis ejus qualitas ardua, difficiliſque deterreat, quæ voluntario carcere paſſa ſe cludi, parvi temporis pœnâ fugit æterna ſupplicia. Potens enim eſt omnipotens & miſericors Deus, ut qui illi tantæ patientiæ contulit præmium, nobis pœnitentiæ largiatur affectum, quatenus a peccatis mortiferis abſtinentes, cotidianâ proficiamus indulgentiâ, per quam Domini noſtri Jeſu Chriſti miſericordiam conſequamur, quæ per Prophetam teſtatur & dicit: Nolo mortem peccatoris, ſed ut convertatur & vivat. *Ora pro me, venerabilis Pater. Saluti humanæ æterni Regni aditum pœnitentibus patet, & ſi quocumque ſit quiſque nexibus facinorum prægravatus, ſi ex toto cordis convertatur arcano, facile veniam promerebitur delictorum. Nam ſcribtum eſt:* Beati, qui lugent nunc, quoniam ipſi conſolabuntur. *Et alibi:* Amplius eſt gaudium in Cœlo ſuper uno peccatore pœnitentiam agente, quàm ſuper nonaginta novem juſtis, *qui non peccaverunt. Nam erat quædem meretrix, nomine Tayſis tantæ pulchritudinis, ut pæne multi propter eam venditis ſubſtantiis ſuis ad ultimam pervenirent inopiam. Sed & lites inter ſe eidem amatores facientes, frequenter ſanguine juvenum puellæ limina replebantur. Quæ quum Abbas Paſnutius repperiſſet, ſumto habitu ſeculari, & uno ſolido &c.*

Reliqua edidit Roſweydus. In Ambroſiano tamdem Codice legitur *Viſio*, *quæ fratri noſtro Vecentino oſtenſa fuerat pridie ante tranſitum ejus*. Sed quando de Vitis antiquorum Patrum nobis eſt ſermo, nolo mihi excidat animadverſio altera, quam Lectori minime ingratam fore confido. Recenſetur a Photio in Bibliotheca Codice CXCVIII. συγκεφαλαίωσις, καὶ σύνοψις τοῦ μεγάλου καλουμένου ΛΕΙΜΩΝΑΡΙΟΥ, hoc eſt: *Epitome & Synopſis Magni* (*quod vocant*) *Limonarii*;

rii , ſive *Prati Spiritualis* . Latine hanc Epitomen dedit prælaudatus Roſweydus in Vitis Patrum ex verſione Pelagii ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Diaconi , & Johannis ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Subdiaconi. Itaque hactenus una tantùm Epitome magni *Limonarii* prodiit . Ego verò integrum ipſum Opus exſtare adhuc arbitror in MSto Codice Bibliothecæ Ambroſianæ, ubi Vitæ & dicta Sanctorum Patrum , & veterum Monachorum comprehenduntur . Ætatem ſeptingentorum annorum ſuperare mihi viſus eſt Codex ille membranaceus. Vaſtum plane Opus , quamquam in principio & fine aliquot folia deſiderentur . Contuli ego cum editis a Roſweydo ipſum Codicem, & reapſe ampliorem deprehendi . Ibi complura habentur , quæ in Epitome Photii & Roſweydi, atque in aliis Sanctorum Patrum Vitis fruſtra perquiras: puta Rufi , Sarmatæ , aliorumque Abbatum ſententias & facta ; ita ut in eam plane ſententiam conceſſerim , *Magnum Limonarium* a Photio laudatum , ſuperſtes in eo Codice reperiri , quod Latio donandum atque evulgandum ſi quiſquam ſuſciperet , ſua laude profectò fraudandus non eſſet. Sed jam tamdem e diverticulo in ſemitam regrediamur.

Quem ſucceſſum habuerit Lotharii Auguſti cura pro reſtituendis Literis in Italico Regno , putet nunc aliquis . Mediocrem ſane fuiſſe inde argumentari licet , quod per totum Sæculum Chriſti Nonum raros ex Italia emerſiſſe videmus , quos cum eruditis Græciæ , Galliæ , ac Germaniæ viris eo tempore conferre poſſimus . Et quidem quum Gallos commemoro , negandum certe nequaquam eſt , quin ob magni illius Imperatoris Caroli curam , & Alcuini exemplum , plurimos literaturæ fructus , & doctos viros eodem Sæculo Nono Gallia pepererit . Attamen ſi Lupum ipſum Ferrarienſem Abbatem , unum ex eruditis & eloquentibus viris illius temporis audimus , qui ſub filio Caroli Ludovico Pio floruit , neque ea fuit literis fortuna in Galliis , quam quiſquam fortaſſe ſibi perſuadet ; ait enim in Epiſtola 34. *Nunc Literarum ſtudiis pæne obſoletis , quotus quiſque inveniri poſſit , qui de Magiſtrorum Imperitiâ , Librorum penuriâ , otii denique inopiâ , merito non queratur?* In Italia verò Concilium Romanum Anno Chriſti DCCCXXVI. habitum, Canone IV. ſat prodit , abundaſſe *Presbyteros , Diaconos , atque Subdiaconos indoctos*, quos propterea ad tempus a divinis officiis ſacra Synodus ſuſpendit , *ut docti valeant ad debitum miniſterium advenire* . Immo & Epiſcopos , *ut doceri poſſint*, a Metropolitano monendos jubet. Attamen eo ipſo Sæculo *Anaſtaſium Bibliothecarium*, doctiſſimum ſane virum , *Guillielmum* itidem Pontificiæ Bibliothecæ præfectum , *Johannem Diaconum* , alioſque minoris nominis Roma dedit . Prodiit quoque ex Caſinenſi Cœnobio *Erchempertus* , uti & ex Neapolitana Schola *Johannes Diaconus* , & *Petrus Subdiaconus* , quorum Libros aut edidi , aut indicavi in Collect. Rer. Italic. *Agnellum* Ravennatenſis Civitas protulit . Sangallenſis quoque Monachus de Geſtis Caroli Magni Lib. primo , Cap. 8. ſcribit , Grimoldum inſignem circiter Annum Chriſti DCCCL Sancti Galli Abbatem, *primo in Gallia, poſt verò in Italia Liberalibus fuiſſe Diſciplinis imbutum* . Ad hæc dum regia Conſtantini Magni Urbs Chriſtianis Imperatoribus paruit, apud Græcos ſemper in honore Literarum ſtudia fuerunt , & iis e regionibus manarunt ingenia plane erudita , Librique magni faciendi . Certe exciderunt interdum Scholæ , deſiderati ſunt Magiſtri ; ſed non diu ſinebantur Literæ humi jacere . Bardas Cæſar Anno DCCCLIX. mirabili ardore Conſtantinopoli omnium Diſciplinarum ſtudia reſtauravit . Rurſus idem præſtitit Anno DCCCCLVI. Conſtantinus Porphyrogenitus Auguſtus . Apud Monachos verò Latinos præcipuum Literæ aſylum ſibi invenere . Et quoniam cum Græcis vicinis , & nonnumquam dominis , multum commercii erat Neapolitanis , neque exiguum Beneventanis , propterea eodem Sæculo Nono Beneventi bene fuiſſe Liberalium Artium ſtudiis, auctor eſt Anonymus Salernitanus in Paralipomen. Cap. 124. Part.II. Tomi II. Rer. Italicar. pag. 265. Scribit enim , quo tempore Ludovicus II. Auguſtus Beneventi moram traxit, hoc eſt, circiter Annum DCCCLXX. *triginta duos Philoſophos eam Urbem* habuiſſe, *ex quibus unus inſignis , Ildericus nomine , inter illos degebat , non ſolùm liberalibus Diſciplinis apprime imbutus , ſed etiam probe virtuti deditus* . Hæc ille, qui & ipſius Ilderici Carmen profert , ex felici ſane profectum ingenio . Sed utut hiſce , quæ hactenus commemoravi, alia nobis ignota conjiciendo ac opinando addamus : quænam tamdem & quanta eſt hæc meſſis Literaria , ſi tot Urbes & Ingenia numeres, quibus ſemper abundavit Italia ? Et præcipue quum vel paucos illos Scriptores , quos laudavi , nulla ſingularis ingenii virtus , nulla eminens eruditio , nullus ſupra mediocritatem aſſurgens fœtus commendet . Neque tamen defuit Literis Romanorum Pontificum patrocinium , ut ubique ſaltem Clerici iis operam darent . Eugenius II. Anno DCCCXXVI. in Concilio Romano , Canone 34. hæc ſtatuit : *De quibuſdam locis ad nos refertur , non Magiſtros , neque curam inveniri pro ſtudio Literarum . Idcirco in univerſis Epiſcopiis , ſubjectiſque Plebibus , & aliis locis , in quibus neceſſitas occurrerit , omnino cura & diligentia habeatur , ut Magiſtri & Doctores conſtituantur , qui ſtudia Literarum , Liberaliumque Artium , ac ſancta habentes dogmata , aſſidue doceant* . Confirmatum eſt idem decretum Anno DCCCLIII. a Leone IV. Papa in altera Synodo Romana , additumque eſt : *Etſi liberalium Artium Præceptores in Plebibus , ut aſſolet , raro inveniuntur , tamen divinæ Scripturæ Magiſtri & inſtitutores Eccleſiaſtici officii nullatenus deſint, qui & annualiter proprio Epiſcopo de ejuſdem actionis opere ſolicite inquiſiti debeant reſpondere . Nam qualiter ad divinum utiliter cultum aliquis accedere poſſit , niſi juſta inſtructione doceatur ?* Hoc eſt , ſaltem comparentur Magiſtri in ruralibus Parochiis, qui Clericis Scripturam Sacram exponant , eoſque ad divina officia recte recitanda ac peragenda informent . Verùm aut ſalubri huic decreto extra Romam parce obtemperatum eſt , aut ab ipſis Urbibus , in quarum pleriſque conſtitutas fuiſſe Scholas hi duo Pontifices ſatis innuere videntur , nondum ſegnities a Magiſtris , aut a Diſcipulis incuria depulſa eſt . Erant heic & illic non pauci Literis bene eruditi : abundabant etiam , ut arbitror , plures ſemidocti ; ſed qui tunc excellerent Literarum gloriâ , pauculos ſane nunc oſtendere poſſumus . Et quum Sæculo Nono Carolus Calvus Francorum Rex & Auguſtus , uti Auctor eſt Herricus Monachus Autiſſiodorenſis in Præfatione ad Vitam Sancti Germani, doctos viros undique in Galliam acciret ad Literas promovendas , in Græcia quidem , & Hibernia eos perquiſiſſe dicitur , non autem in Italia .

Qualibus fatis provecta fuerit apud Italos res Literaria Sæculo Chriſti Decimo, nunc diſpiciendum. Ne eo quidem tempore defuiſſe Scholas Italiæ, ex verbis Ratherii Epiſcopi Veronenſis, ſed patriâ Belgæ, in Dacheriano Spicilegio elucere videtur, qui hoc ipſo Sæculo hæc ſcribebat: *Pone quemlibet Nobilium Scholis tradi; quod utique hodie magis fieri ambitu videtur Epiſcopandi, quàm cupiditate Domino militandi*. Dixi eodem Sæculo, Annum minime deſignare auſus; tot enim ærumnis, exſiliis, rerumque converſionibus obnoxius fuit Ratherius, quibus ipſe ex inconſtantia atque ambitione ſua, adde etiam ex mordacitate linguæ ac ſtili, cauſſam dedit, ut ejus Chronologiam recte conſignare non tam facile poſſis. *Atto* etiam *Vercellenſis Epiſcopus*, cujus Opera curâ Clariſs. Dacherii in Spicilegio edita habemus, circiter Annum DCCCCL. in ſuo Capitulari, Cap. 61. ex Theodulfo Aurelianenſi hæc ſcribebat: *Presbyteri etiam per Villas & Vicos Scholas habeant; & ſi quislibet fidelium ſuos parvulos ad diſcendas Literas eis committere vult, eos ſuſcipere & docere non renuant, ſed cum ſumma eos caritate doceant*. Quamobrem opinandi locus eſt, excultas fuiſſe tunc in plerisque Italiæ partibus Artes Liberales, aut ſaltem abſuiſſe enormem illam inſcitiam, quam tempora Langobardorum Regum ſenſerant; & Canonum certe peritiam aliquam ne iis quidem Sæculis negare licet. Sed utcumque ſeſe res habuerit, ne illo quidem Sæculo emerſiſſe ex Italia videmus Viros Literarum ac Librorum laude claros, ſi *Attonem* nuper memoratum Epiſcopum excipias, egregium ſane & doctiſſimum virum, & *Liutprandum* patria Ticinenſem, Antiſtitem poſtea Cremonenſem, Hiſtoricum, lepidum aliquando, immo & ſcurram, non uno tamen nomine commendandum. Nam quod eſt ad *Anonymum Salernitanum*, cujus Hiſtoriam Part. II. Tomi I. & Part. II. Tomi II. Rer. Italicar. evulgavi, alioſque Biographos Sæculi illius, tanti non ſunt, ut eos exerendos putem ad Italiæ decus. Audi nunc Glabrum Radulphum, qui circiter Annum MXLV. ſuas conſcripſit Hiſtorias, a Ducheſnio editas. Ita ille ad Annum Milleſimum, Lib. 2. Cap. 12. *Ipſo quoque tempore apud Ravennam quidam, Vilgardus dictus, ſtudio Artis Grammaticæ magis aſſiduus quàm frequens, ſicut Italis ſemper mos fuit Artes negligere ceteras, illam ſectari* &c. En quod tum foret exterorum hominum judicium de Italicorum Literatura. Glaber tamen in Chronologiam peccaſſe heic mihi videtur. Hujus enim Vilgardi deliramenta refert ad Annum Chriſti Milleſimum, & poſtea ſubdit: *Ad ultimum Hæreticus eſt repertus, atque a Pontifice ipſius Urbis Petro damnatus*. At Petrus Ravennas Archiepiſcopus Anno DCCCCLXXI. regimine Ravennatis Eccleſiæ ſeſe abdicavit, ut monumenta ejuſdem Eccleſiæ teſtantur. Quare Vilgardi acta in Annalibus Baronii anticipanda videntur, niſi alterum Petrum Ravennatem Archiepiſcopum mihi oſtendas; aut error cubat in Glabri narratione. Heic autem petas: Si minime apud Italos Scholæ deſiderabantur, cur tam exigua Literatorum ſeges inde Sæculo IX. & X. germinavit? Reſponſum accipe. Parum eſt, Scholas habere, niſi & Scholæ egregios habeant Magiſtros, e quibus ornati doctique Diſcipuli & Auditores prodire poſſint. At eâ tempeſtate pauci ſupra illam Grammaticam, cujus antea mentio facta eſt, aſſurgebant. Accedit, quod Sæculo X.

A corrupti nimium ac deformati fuere Italicorum mores, ita ut ne ipſa quidem Roma ab hujuſmodi contagione cavere ſibi potuerit. Nuper memoratus Liutprandus Epiſcopus Cremonenſis, & Legatus Ottonis Magni Auguſti ad Græcorum Imperatorem, ubi legationem ſuam deſcribit, de eorum temporum Romanis hæc ſcribit: *Eos nos Longobardi tanto dedignamur, ut inimicos noſtros commoti nil aliud contumeliarum, niſi, Romane, dicamus*. Tunc fere ubique, & in utroque Clero, atque in ipſis etiam auguſtioribus Monaſteriis, ambitioni, avaritiæ, & luxuriæ lora laxabantur. Et quum diſciplinæ ſacræ nulla aut modica reverentia haberetur: quis ſtupeat, quod Literæ languidæ & B depreſſæ in Italia, immo & extra Italiam, caput minime tunc extulerint? Vide rurſus Ratherium ipſum Part. 2. de Contemtu Canonum, qui ſe interrogantem inducit: *cur præ ceteris gentibus Baptiſmo renatis, contemtores Canonicæ Legis & vilipenſores Clericorum ſint magis Italici?* Hæc illi nimirum cauſſa videtur: *Quoniam quidem libidinoſiores eos, & pigmentorum venerem nutrientium frequentior uſus, & vini continua potatio, & negligentior diſciplina facit doctorum* &c. Proinde ſubdit, nihil a ritu Laico Clericos diſtinctos fuiſſe, niſi quod hi barbam raderent (*barbiraſio* hic ritus ipſi Ratherio appellatur) & capitis, ac *aliquantulam veſtium diſſimilitudinem* a Laicis præferrent. Et Gre- C gorio quidem VII. Papa teſte Lib. 8. Epiſtolâ decimâ, *Occidentalis Eccleſiæ Clerus ab ipſis Fidei Chriſtianæ primordiis barbam radendi morem tenuit*. Contra Clerici & Sacerdotes Græci, ut ſcribit Nicolaus I. Papa in ſuis Epiſtolis, barbam nutriebant; immo Latinos, quod alio ritu viverent, inſimulabant: quam ridendam quæſtionem agitare coacti ſunt Æneas Pariſienſis Epiſcopus, & Ratramnus Monachus Corbejenſis adversùs Græcos. Sæculo deinde XI. Petrus quoque Damiani Lib. primo Epiſtolâ XV. *Rectores Eccleſiarum* ait *tanto mundanæ vertiginis rotari impulſu, ut eos a Sæcularibus barbiraſium quidem dividat, ſed actio non diſcernat*. Sub Clero tam incompoſito quoſnam, D quæſo, putemus fuiſſe Laicorum mores ac inſcitiam Sæculo Chriſti Decimo?

Neque prætermittam, ad remorandum temporibus iis Literarum progreſſum non parùm confluxiſſe penuriam Chartæ, qua nos ab aliquot Sæculis abundamus. Præter Membranas Romanis, dum rerum potiebantur, vulgatiſſimas, aliaque ad ſcripturam excipiendam idonea, in uſu fuere Ægyptiacæ potiſſimum Papyri ſive philyræ, quæ vili emebantur, itaut a Literatis viris, dum crumena omnino exſanguis non eſſet, Charta facile pararetur, cui ſua ſenſa committerent, & unde Libros, quoties opus erat, efformarent. Quo Sæculo Ægyptiacæ Chartæ uſus evanuerit, arduum ſit decer- E nere. Attamen immortalis nominis Vir, ac illuſtre Benedictini Ordinis decus, Johannes Mabillonius, Libro primo, Cap. 8. de Re Diplomatica, & præcipue Cap. 3. Supplementi ad ipſam Diplomaticam, animadvertit, Papyros inveniri ſcriptas vel ipſo Sæculo Chriſti Octavo & Nono. Quod quum audis, opinari ſubit, aut tunc conficiendæ Papyri Artem in Ægypto pæne exoleviſſe, aut certe raras eo tempore in Occidentis provincias advectas fuiſſe Philyras. Sive id acciderit, quod Occidenti cum Oriente, abjectis Græcorum Imperatoribus, non id commercii, quod antea, fuit; ſive, ut veri videtur ſimilius, quod Ægyptus Sæculo Septimo in

in ditionem Arabum, hoc eſt Saracenorum, conceſſerit: certe exiſtimare licet, jam tum cœpiſſe in deſuetudinem abire Papyros, ſaltem inter Occidentis Populos. Et revera innumeri quidem occurrunt Libri, Diplomata, ac Inſtrumenta, Sæculis VII VIII. & IX. in Membranis exarata; ſed nullam Eruditi viri hactenus exeruere Papyrum iis temporibus ſcriptam: quod præcipue poſt Mabillonium oſtendit Cl. V. Scipio Maffejus Marchio Veronenſis, de argumento hoc optime meritus. Nihilo tamen ſecius novimus, Sæculo etiam Decimo Romæ in uſu fuiſſe Papyros, quum Anno DCCCCLXXII. Johannes XIII. Papa *ſcriptis ex Papyreo Tomo Chartis, fecit privilegium Moſomenſi Eccleſiæ*, rogante Adalberone Archiepiſcopo Remenſi, uti Mabillonius animadvertit in Annalib. Benedictinis ad eum Annum. Trivoltienſes quoque Patres Soc Jeſu in Monum. Hiſtoriæ Liter. ad Septembr. 1711. geminas Bullas Romani Antipapæ & Formoſi Papæ in papyro ſcriptas, & Gerundæ adſervatas, commemorarunt. Sed & ſubſequenti Sæculo Undecimo ejuſdem papyraceæ Chartæ veſtigia vidiſſe videtur Titius Senenſis Hiſtoricus, qui, ineunte Sæculo Chriſti Sextodecimo, varios Hiſtoriarum Tomos manu exaratos reliquit, apud amicum quondam meum Hubertum Benvoglientum Senenſem adſervatos. Et ſane diſputans Titius ipſe, cur ſuo quoque tempore non *Cancellarii* ſed *Vicecancellarii* appellarentur *Cardinales* ii, qui Pontificiæ Cancellariæ præſunt, ait: *In Bullis Benedicti Noni, quibus Pontifex ille inter Bonizonem Epiſcopum Tuſcanienſem, & Godizonem Epiſcopum Caſtrenſem* (nomina Ughellio ignota in Italia Sacra) *litem Decimarum duorum Caſtrorum diremit, ita ſcriptum reperi: Datum Tertio Kalendas Aprilis per manum Petri Diaconi Cardinalis & Cancellarii Sanctæ Sedis Apoſtolicæ, Anno Decimo Domni Benedicti Papæ*: hoc eſt Anno Chriſti MXLIII. Tum ſubdit: *Has Bullas interpretandas accepi, literis Langobardorum, & in Papyro conſcriptas, quæ in ſanctæ Soanenſis Eccleſiæ Archiviis conditæ ſervantur.* Agitur heic, uti videtur, de Bullis archetypis, ac proinde non vulgarem Chartam noſtram, neque pergamenam, ſed Ægyptiacas philyras nomine *Papyri* deſignatas puto. Vix tamen poſt tempora illa Papyrum uſurpatam ab Italis mihi oſtendas, quæ & antea apud nos eſſe perquam rara cœperat. Itaque ad ſcripturam tantummodo ſupererant Pergamenæ, ſive Membranæ, quarum ſane conſtans fuit ab antiquis Sæculis in Oriente & in Occidente conſuetudo.

Confer nunc pretium vulgaris Chartæ noſtræ ex detritis, maceratiſque linteis confectæ cum veterum Sæculorum Membranis. Nullo negotio tute intelliges, quàm multa deeſſent pleriſque Literarum amatoribus, & præſertim Monachis, quibus præter victum & veſtitum vix aliud ſuppetebat. Vide Præfationem Gregorii Monachi in Chronicon Farfenſe Part. II. Tomi II Rer. Italicarum. Literarum, inquam, amatoribus nimis tunc multa deerant ad comparandos ſibi Libros alienos, & ad conſcribendos ſuos, quando vel ipſum Chartæ adhibendæ, hoc eſt membranaceæ, pretium vires ſæpe ac ſæpius excederet Literatorum. Vidi ego in Ambroſiana Bibliotheca MStum Codicem, complectentem quædam Opera Bedæ. Ejus antiquitas, quantum quidem conjicere potui, octingentos annos ſuperabat. Characteres enim quadrati ac minuti erant. Fortaſſis etiam ad

A nongentos accedebat, ut ex infra addendis quiſquam colligere poterit. Quod ibi præ ceteris adnotatione dignum cenſui, Librarius, deletâ vetuſtiore ſcripturâ, membranis iis uſus fuerat ad novum Librum deſcribendum. Antiquior autem ſcriptura literis conſtabat quadratis atque majuſculis, ita ut ſupra Mille annos aſcendere mihi videretur. Inde aliquot veſtigia delibavi, exempli cauſsâ: *Non vox, aut lingua mortalis, ſed inſpiratio cæleſtis operetur per Dominum Jeſum Chriſtum filium* &c. *Sacrificium & ad te, Domine, habe* &c. Reliqua omitto: hæc enim pauca ſatis indicant, Ritualem Ordinem fuiſſe ibi antea conſcriptum. Ita in altero ejuſdem Bibliothecæ Codice legitur B *Manuelis Cretenſis* (Moſchopuli, ut opinor) Grammatica Græca, ſcripta ἔτει ςϡλδ. κθ. τοῦ Ὀκτωβρίου, ideſt *Anno Chriſti MCCCCXXXIV. die XXIX. Octobris*. Membrana vetuſtiſſima eſt, atque in ea Tractatus alter antiquiſſimis Characteribus ſcriptus fuerat, uti veſtigia oſtendunt. Iis autem aut ſponte fugientibus, aut conſulto deletis, Grammatica ſuperinſcripta ſucceſſit. En quo vergerent, quibus paupertas facultatem parandæ novæ Chartæ negabat. Et alii quidem Codices occurrerunt mihi, in queis novi characteres vetuſtiores alios aquâ calidâ obliteratos perhibebant. Ceterum in Ambroſiano illo Codice, quem primo commemoravi, legitur Bedæ Liber *de Temporibus, &* C *certis Annorum ſpatiis*, jam editus Tomo 2. Operum Bedæ, niſi quod Capitula XVI. XVII. & ſequentia uſque in finem diverſa ſunt ab editis. Ibi Chriſtus natus dicitur Anno a creatione Mundi 3952. Hæc autem pauca decerpſi, a neſcio quo addita, quæ in Libris editis deſiderantur: *A Juſtiniano uſque ad Pippinum ſeniorem ſunt Anni . . . . A Pippino ſeniore uſque ad Karlum ſunt Anni XXVI. A Carlo uſque ad Pippinum & Carlomannum ſunt Anni XXVII. A Pippino & Carlomanno uſque dum Pippinus Rex conſtitutus eſt, fiunt Anni X. A Pippino verò uſque ad Carlum & Carlomannum fiunt Anni XVII. A Carlo & Carlomanno uſque ad Carlum ſunt Anni IV. Deinde Domnus* D *Karolus ſolus Regnum ſuſcepit, & Deo protegente gubernat uſque in præſentem Annum feliciter, qui eſt Annus Regni ejus XLII. Imperii verò VIIII. Sunt autem totius ſummæ ab origine Mundi Anni ad præſentem diem MMMMDCCLXI.* Hæc, inquam, in editis non leguntur, quippe Libro Bedæ poſt ejus obitum adjecta. Sequitur Kalendarium ſub titulo *Libri annalis*, perantiquum ſane, atque ab editis diverſum. Denique Librum claudit Tractatus *de temporum ratione* jam evulgatus.

Ad hæc Bibliothecam ſibi parare, aut ab aliis paratam reperire iis temporibus perdifficile ac rarum erat. Nos felicitate Sæculorum noſtrorum inflati, ſocordiam ac ignorantiam E veterum fortaſſe miramur; etiam iis inſultamus, quod illorum foret in Literaria re tam curta ſupellex. Verùm meminiſſe quoque decet, viliſſimo pretio Chartam poſtea adinventam nunc redimi; uti & poſt excogitatam Sæculo Decimo Quincto Artem Typographicam, paucis nummis nunc venire prægrandes Libros, ſpiſſa ac varia unius Scriptoris Opera complectentes, qui centenis, & millenis Aureis olim conſtitiſſent. Exploratum quippe eſt, præter membranæ pretium, uſque ad Typographiæ originem a Librariis calamo exaratos fuiſſe Codices, & præſertim a Monachis, qui ante alios deſcribendis Codicibus operam dabant. Proinde

de nemo non intelligit, quantum laboris & temporis expoſceret ejuſmodi ſcriptura, acpropterea quàm caro unus Codex veniret; & quot præterea Codicibus opus eſſet, conquirenti, exempli cauſsâ, univerſa Auguſtini, Origenis, Chryſoſtomi, Gregorii Magni, Opera, quæ Typographorum ope nunc impreſſa & recuſa non multo ære emenda proſtant. Igitur perquam paucæ tunc erant, ſaltem in Italia, Bibliothecæ, Principibus viris, & omnibus ferme Laicis, iſthæc ornamenta negligentibus, aut contemnentibus, aut earum colligendarum enormi pretio ac ſumtu deterritis. In inſignibus tantùm Cœnobiis Bibliothecæ locus erat, quamquam & illic brevi plerumque catalogo numerus Codicum expediretur. Quid ergo mirum, ſi vel ipſa robuſtiora ingenia tunc minime emergerent, & exiguam illuſtrium Librorum ſegetem ea ætas ferret? Ingenia certe eadem atque nunc Italia temporibus iis genuit: ſed ubi Magiſtri, Codices, & cultura deſiderantur, vis omnis ingeniorum in Literis langueat oportet, & certe modici fructus inde ſperandi. Inter cetera Attonis Epiſcopi Vercellenſis ſupra laudati, a Dacherio edita in Spicilegio, leguntur Literæ *Gunzonis Levitæ Novarienſis*, & *Ambroſii Presbyteri Mediolanenſis*, quæ viros produnt in Canonum ſcientia aliquantulum eruditos. Sed iis, atque horum ſimilibus alæ deerant ad tentandos altiores volatus. Fortaſſis autem mea non me fallat opinio, ſi dixero, ad augendam hanc Librorum inopiam in Italia confluxiſſe etiam teterrimas Barbarorum irruptiones, Langobardorum videlicet, Hungarorum, Saracenorum, ut alios prætercam. Furibunda gens non hominum tantummodo vitas metebat, ſed incendiis etiam in quæcumque obvia aut reſiſtentia ſæviebat. Et quum nullus apud eos eſſet Literis honor, propterea ingens Librorum copia illorum non minus ignorantiâ quàm crudelitate perierit neceſſe eſt, præcipue in Monaſteriis, e quibus tot flammis tradita novimus. Ante Normannos an tantis calamitatibus Gallia ſuccubuerit, affirmare non auſim. Nihilo tamen ſecius vel iis temporibus, ut ſupra vidimus, teſte Lupo Ferrarienſi Abbate, de *Librorum penuria* paſſim Galli conquerebantur. Immo Lupus ipſe exemplum memoriâ dignum ſuppeditat. Quotquot ille poterat Codices ſibi ſuiſque Monachis avidiſſime procurabat; & quum duo ex eiſdem Monachis e Gallia Romam ad Apoſtolorum limina religionis cauſsâ profecti eſſent, en quid Lupus ipſe Epiſtolâ intrepide datâ ad Benedictum III. Papam circiter Annum DCCCLV. ab eo flagitarit. *Commentarios*, ait, *Beati Hieronymi in Hieremiam, poſt Sextum Librum uſque in finem prædicti Prophetæ, per eoſdem Fratres nobis mitti depoſcimus in Codice reverendæ veritatis, veſtræ Sanctitati, ſi id obtinuerimus, poſtquam celeriter exſcriptus fuerit, ſine dubio remittendos. Nam in noſtris regionibus nuſquam ullus poſt Sextum Commentarium potuit inveniri; & optamus in vobis recuperare quicquid parvitati noſtræ deeſſe ſentimus. Petimus etiam Tullium de Oratore, & duodecim Libros Inſtitutionum Oratoriarum Quintiliani, qui uno, nec ingenti volumine continentur: quorum utriuſque Auctorum partes habemus, verùm plenitudinem per vos deſideramus obtinere. Pari intentione, Donati Commentarium in Terentium flagitamus. Quæ Auctorum Opera ſi veſtra liberalitas nobis largita fuerit: Deo annuente, cum memorato Sancti Hieronymi Codice fideliter omnino reſtituenda curabimus.* Hæc Lupus. ... cujus verbis non ſolùm animadvertere poſſumus Codicum raritatem, quum ſupra memoratos univerſa Gallia ſuppeditare Lupo non poſſet, iique in tam remota regione quærendi eſſent; ſed etiam hominis confidentiam, qui ad ſe ex Urbe ipſa deferendos Codices ſperavit: Codices, inquam, perquam raros ac mille periculis in itinere eundo ac redeundo obnoxios. Potius tamen hinc diſcendum nobis, quamplurimas iis ipſis Monachis habendas eſſe gratias, quum ferme eorum tantummodo curâ, quidquid Librorum veterum ſupereſt, nos habeamus; & majores quidem noſtros excuſatione dignos, ſi plura in Literis excolendis non præſtitere; nos verò indignos, qui in tanta Librorum copia adhuc deſides & indocti eſſe pergimus.

Rari ergo quum olim forent, multoque ære redimerentur Codices MSti, hinc intelligimus, cur tanti fieret eorum donatio, ut ſi quando vel ipſi Romani Pontifices ejuſmodi munera ſacris Templis offerebant, ad eorum gloriam de iis mentio in Hiſtoria haberetur. Stephanus V. Papa, ut eſt in ejus Vita, Tomo III. pag. 272. Rer. Italicar. circiter Annum Chriſti DCCCLXXXVI. præter alios Libros ibi commemoratos, *pro animæ ſuæ remedio contulit Eccleſiæ Sancti Pauli cantharam exauratam unam* (fortaſſe *cantharum*) *Lib. Comment. I. Prophetarum Lib. I. Geſtarum rerum Lib. II.* In Ambroſiano MSto legitur *Lib. Comiſem I.* Fortaſſis ibi ſcribendum *Librum Comitem I.* Hic enim Liber fuit Ritualis, ſacris viris ad divina Officia recte peragenda olim ſummopere commendatus. Inter Sancti Athanaſii Epiſcopi Neapolitani geſta laudabilia, teſte Johanne Diacono in ejus Vita, Part. II. Tomi I. Rer. Italicar. pag. 316. illud refertur, quod circiter Annum DCCCLV. *Librum etiam fecit Comitidos, ſive fecit & Comitidas, quibus Cantores per Feſtivitates uterentur*: hoc eſt *Librum Comitis* dono dedit, ut in Notis ego interpretabar. Librum hunc Baluzius in Appendice ad Capitularia evulgavit. Ita quoties alii Epiſcopi & Abbates collegium Canonicorum aut Monachorum Libris olim locupletabant, etiamſi pauci forent, digna res commemoratione videbatur in eorum Vitis. Sed parum dixi. Digna cenſebatur, quæ marmore inſculpta veluti æternum laudis monumentum ad ſeros poſteros pertranſiret. Duo in hanc rem egregia antiquitatis fruſta huc referre juvat, nondum ſatis pro merito nota, quamquam antea edita. Alterum eſt Epitaphium *Pacifici Archidiaconi Veronenſis*, in maximo Veronæ Templo adhuc proſtans. Mancum & corruptum illud jampridem Ughellius ediderat Tomo V. Italiæ Sacræ. Integrum & expurgatum nunc habemus curâ prælaudati Scipionis Maffeji Marchionis Veronenſis V. Cl. qui in Præfatione ad Caſſiodorii Complexiones Anno MDCCXXI. per eum e tenebris eductas, & primum typis editas, Pacifici memoriam illuſtrem ſuo honori reſtituit. Florebat ille Anno DCCCXL. En ipſam Epigraphen, cujus pars Rhythmico tenore conſcripta eſt, pars verò hexametro & pentametro verſu.

AR-

✠ ARCHIDIACONUS QVIESCIT HIC VERO PACIFICUS,
SAPIENTIA PRECLARUS, ET FORMA PREFVLGIDA.
NULLUS TALIS EST INVENTUS NOSTRIS IN TEMPORIBUS:
QVOD NEC ULLUM ADVENIRE UNQUAM TALEM CREDIMUS.
ECCLESIARUM FUNDATOR, RENOVATOR OPTIMUS
ZENONIS, PROCULI, VITI, PETRI, ET LAURENTII,
DEI QVOQVE GENITRICIS, NECNON ET GREGORII.
QVICQVID AURO, VEL ARGENTO, ET METALLIS CETERIS,
QVICQVID LIGNIS EX DIVERSIS, ET MARMORE CANDIDO,
NULLUS UNQVAM SIC PERITUS IN TANTIS OPERIBUS.
BIS CENTENOS TERQVE SENOS CODICESQVE FECERAT.
HOROLOGIUM NOCTURNUM NULLUS ANTE VIDERAT.
EN INVENIT ARGUMENTUM, ET PRIMUM FUNDAVERAT.
GLOSAM VETERIS ET NOVI TESTAMENTI POSUIT,
HOROLOGIOQVE *CARMEN SPERÆ COELI* OPTIMUM,
PLURA ALIA *GRAFIAQVE* PRUDENS INVENIET.
TRES ET DECIM VIXIT LUSTRA, TRES ANNOS AMPLIUS.
QVADRAGINTA ET TRES ANNOS FUIT ARCHIDIACONUS.
SEPTIMO VICESIMO ÆTATIS ANNO CÆSARIS LOTHARII,
MOLE CARNIS EST SOLUTUS, PERREXIT AD DOMINUM.
NONO SANE CALENDARUM OBIIT DECEMBRIUM,
NOCTE SANCTA, QVE VOCATUR A NOBIS DOMINICA.
LUGENT QVOQVE SACERDOTES ET MINISTRI OPTIMI:
EJUS MORTE NEMPE DOLET INFINITUS POPULUS.
VESTROS PEDES QUASI TENENS, VOSQVE PRECOR CERNUUS,
O LECTORES, EXORARE, QVESO, PRO PACIFICO.
HIC, ROGO, PAUXILLUM VENIENS SUBSISTE, VIATOR,
ET MEA SCRUTARE PECTORE DICTA TUO.
QVOD NUNC ES, FUERAM, FAMOSUS IN ORBE VIATOR:
ET QVOD NUNC EGO SUM, TUQVE FUTURUS ERIS.
DILICIAS MUNDI PRAVO SECTABAR AMORE;
NUNC CINIS ET PULVIS, VERMIBUS ATQVE CIBUS.
QVAPROPTER POTIUS ANIMAM CURARE MEMENTO,
QVAM CARNEM: QVONIAM HÆC MANET, ILLA PERIT.
CUR TIBI PLURA PARAS? QVAM PARVO CERNIS IN ANTRO
ME TENET HIC REQVIES, SIC TUA PARVA FIET.
UT FLORES PEREUNT VENTO VENIENTE MINACI,
SIC TUA NAMQVE CARO, GLORIA TOTA PERIT.
TUM MIHI REDDE VICEM, LECTOR, ROGO, CARMINIS HUJUS,
ET DIC: DA VENIAM, CHRISTE, TUO FAMULO.
PACIFICUS, SALOMON, MIHI NOMEN, ATQVE IRENEUS:
PRO QVO FUNDE PRECES MENTE LEGENS TITULUM.
OBSECRO, NULLA MANUS VIOLET PIA JURA SEPULCRI,
PERSONET ANGELICA DONEC AB ARCE TUBA;
QVI JACES IN TUMULO, TERRÆ DE PULVERE SURGE,
MANGNUS ADEST JUDEX MILIBUS INNUMERIS.
TOLLE HINC SEGNITIEM, PONE FASTIDIA MENTIS.
CREDE MIHI, FRATER, DOCTIOR HINC REDIES.
ANNO DOMINICE INCARNATIONIS DCCCXLVI. INDICTIONE X.

Habes

Habes heic Epocham Lotharii I. Auguſti. Decurrebat enim *Annus illius in Imperio XXVII. Anno* Chriſti *DCCCXLVI. Nono Kalendas Decembris*, *nocte* diei *Dominicæ*, *Indictione X.* quæ nempe in curſu eſſe cœpit a Kalendis Septembris illius Anni. Neque enim *ætas* Lotharii heic Annos ejus vitæ, ſed Imperii, deſignare credenda eſt, quum Lotharius Anno DCCXCV. natus fuerit, aut ſequenti. Verùm aſſequi non poſſum, cur die *IX. Kalendas Decembris*, ſive die XXIII. Novembris, quæ Dominica erat, Pacificus e vivis ereptus dicatur, quum Anno DCCCXLVI. Litera Dominicalis *C* in curſu eſſet, ac propterea die 23. Novembris decurreret non Dominica dies, ſed *Feria Tertia*. Sed hiſce dimiſſis, potius animadvertamus, quàm ingens, quàm rarum, & marmore quidem dignum, fuerit donum factum a Pacifico Archidiacono, qui *Bis Centenos Terque Senos Codices*, hoc eſt, ducentos octodecim, Collegio Veronenſium Canonicorum fuerat elargitus. Theſauri ſane loco, neque immeritò, tunc temporis id habitum fuit. Iis adde munus *Gloſſæ Veteris & Novi Teſtamenti*, cujus ſpecialis mentio habetur in Rhythmica Epigraphe mox deſcripta. Hanc veritatem, nimirum quanti æſtimarentur iis temporibus ejuſmodi dona, uberius intelliges ex altero monumento, quod ſum additurus, Romæ in Sancti Clementis detecto. Primus illud in lucem evexit doctiſſimus vir e Societate Jeſu Eduardus de Vitry, Theologus Gallicus (quem nobis a morte ereptum ante paucos annos dolui) in Opuſculo, cui titulum fecit *Tumulus Sancti Clementis Martyris illuſtratus*, Romæ Anno MDCCXXVII. evulgato.

HH ISRAËLITICUS D̄Ō OFFEREBAT POPULUS RURI,
ALIUS QVIDEM AURUM, ALIUS NAMQUE ARGENTUM,
QVIDAM COQVE ÆS, QVIDAM VERO PILOS CAPRARUM.
INFELIX AUTEM EGO GREGORIUS P̄R̄R̄ ALMÆ
SEDIS APOSTOLICÆ, HUJUSQVE TITULI GERENS
CURAM, AC BEATI SUPREMUS CLIENS CLEMENTIS,
OFFERO DE TUIS HÆC TIBI X̄P̄Ē THESAURIS,
TEMPORIBUS S̄C̄ĪS̄S̄ ZACCHARIÆ PRÆSULIS SUMMI,
PER MARTYREM ET S̄C̄Ū M̄ PARVA MUNUSCULA TUUM
CLEMENTEM; CUJUS MERITIS MEREAR DELICTIS CARERE,
ATQVE AD BEATAM ÆTERNAM INGREDI VITAM.
AISTI QVANTUM HABES REGNUM VALET CÆLORUM.
SUSCIPE HOS D̄N̄Ē VELUT MINUTA VIDUÆ, QVÆSO,
VETERIS NOVIQVE TESTAMENTORUM DENIQVE *LIBROS*,
OCTATEUCHUM, *REGUM*, *PSALTERIUM*, AC *PROPHETARUM*,
SALOMONEM, *ESDRAM*, *STORIARUM* ILICO PLENOS.
REQVIRE SYLLABARUM, LECTOR, SEQVENTIAM HARUM.

Quæſivi ego, & nihil inde exculpſi. En ergo Gregorium ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalem tituli Sancti Clementis, qui ſub Zacharia Romano Pontifice Anno Chriſti DCCXLIII. floruit, auctorem Inſcriptionis, ac doni. Is nimirum Eccleſiæ ſuæ in uſum Clericorum eidem inſervientium, Libros veteris ac novi Teſtamenti obtulit. Grande ita temporibus iis fuit ejuſmodi donum, ut bene collocatus crederetur lapis ad teſtandam poſteris Cardinalis illius piam liberalitatem. Paucis nunc ſacra Biblia emimus. Tunc ſibi nemo comparabat Volumen illud ampliſſimum manu exaratum, niſi effuſâ ingenti vi auri. Turrigius quoque in Crypt. Vatican. Part. 2. Cap. 8 duas antiquas Donationes refert marmore inſcriptas in Urbe, in quarum prima *Teubaldus* quidam Eccleſiæ Sancti Valentini ſe dono dediſſe ait, præter varios fundos, *Miſſalem unum*, *Antiphonaria duo*, *unum Diurni*, *aliumque Nocturni Officii*, *Feriales duos*, *Librum Geneſeos cum Hiſtoriis Canonicis*, *Paſſionarium*, *Dialogum cum Scintillario*, *Imnaria duo*, *Librum ex Moralibus*. In calce Inſcriptionis hæc habentur:

TEMPORE PONTIFICIS NONI SUMMIQVE JOHANNIS
EST SACRATA DIE SUPREMO HÆC AULA NOVEMBRIS,
DUM LABENTEM QVINTA INDICTIO CURRERET ANNUM.

Cardinalis Baronius ad Annum uſque DCCCCV. diſtulit mortem Johannis IX. Papæ. Pagius verò contendit, eum e vivis ſublatum initio Menſis Auguſti Anno DCCCC. Uterque fortaſſis a veritate deflexit. Heic certe habemus, Johannem IX. Papam die XXX. Novembris Anni DCCCCI. (ſi Indictionem a Septembri inchoatam ponimus) recurrente Indictione V. adhuc in vivis, atque ſedentem. In altera Inſcriptione *Romanus Presbyter* ſe donaſſe ait Ædi Sancti Nicolai in Carcere præter multa alia, *quinque Libros Deptatico*, *Moralia Job*, *Beda ſuper Pſalterium*, *Librum Prophetiarum*, *Librum Sermonum*, *unum Librum Concordiæ*, *Librum Manualem*. Denique ſuccedat ad hanc veritatem confirmandam alterius generis teſtis, Statutorum videlicet Civitatis Ferrarienſis pervetuſtus Codex membranaceus, quem adſervat Bibliotheca Eſtenſis. Quo in pretio foret una ſacrorum Librorum collectio, decretum ejus Populi prodet; quum tanti res viſa fuerit, ut inter Reipublicæ Leges divini illius Libri conſer-

ſervatio locum meruerit. Itaque Libro 2. Rubrica 185. titulus hic legitur: *De Biblia Fabricæ Epiſcopatus recuperanda & manutenenda per Poteſtatem*. Subſequitur Statutum hiſce verbis: *Cum per prædeceſſorem Maſſariorum Fabricæ Epiſcopatus Ferrariæ incepta fuerit quædam Biblia in duobus Voluminibus ad honorem Beatæ Mariæ, & Beati Giorgii, tituli dictæ Fabricæ, ſeu Eccleſiæ; & per præſentes Maſſarios fuerit completa, & per vim teneatur a Canonicis ipſius Eccleſiæ, & jam ſit unum de dictis Voluminibus per eoſdem Canonicos pignori obligatum; & ſic non fit de ipſa Biblia, quod debet fieri: Statuimus & ordinamus, quod per Poteſtatem detur opera cum effectu, ut dicti Canonici ipſam Bibliam Maſſariis Epiſcopatus reſtituant; & quod ſit in fortia Maſſariorum, qui nunc ſunt, vel per tempora erunt. Et dicti Maſſarii teneantur eam ſemper tenere ad ſervicium dictæ Eccleſiæ ſeu Fabricæ, ut ad officia dictæ Eccleſiæ haberi poſſit copia. Factum fuit hoc Capitulum Milleſimo Ducenteſimo Octuageſimo Sexto, die IV. exeunte Junio*.

Sed & præter Librorum raritatem, rara fuit temporibus iis Eloquentia, atque optimus ille rei Literariæ ſapor, quem in Chriſtianorum Libris per quatuor aut quinque prima Eccleſiæ Sæcula adhuc cernimus & admiramur. Vel ipſi, qui Sæculo IX. apud Gallos ſacris ſtudiis excelluere, ipſo De Fleury Gallico non diffitente in Hiſtor. Eccleſiaſt. plerique aut nævis abundarunt, aut nervis caruerunt. Tunc loca communia ſæpius excolebantur, & eorum potius induſtriâ quàm ingenio fiebat, ut Libri novi conficerentur. Integras enim paginas, ne Librum dicam, implebant verba hinc inde e Patrum Libris delibata, interdum etiam ſine ordine digeſta; interdum quoque ex apocryphis Auctoribus, dubiiſque monumentis excerpta. Tunc autem Catenæ in uſu apud Græcos eſſe cœperunt; nimirum quum quiſque vires ſibi ad majora deeſſe ſentiret, eo ſe conferebat, ut ſacram Scripturam interpretaturus, aut aliud quodlibet argumentum ſibi præponens, rem ex unis Patrum veterum ſententiis decerptis abſolveret. In opulentis Bibliothecis multæ ex hujuſmodi Catenis manu exaratis adhuc leguntur; nonnullas quoque æneis typis impreſſas habemus. Unam olim mihi obtulit Ambroſiana Bibliotheca Græce ſcriptam in *Proverbia Salomonis*, & ab editis quidem diverſam. Codicis antiquitatem ad ſexcentos annos aſcendere e characterum forma opinabar. Laudantur illic *Origenes*, *Didymus*, *Baſilius*, *Olympiodorus*, *Polychronius*, *Evagrius*, *Apollinaris*, *Euſebius*, *Hippolytus*, *Epiphanius*, *Chryſoſtomus*, *Euſtathius*. *Euſtathius Antiochenus* alibi memoratur, ut ſuſpicari liceat, duos diverſos Scriptores eos fuiſſe. Ita & infra commemoratum videas *Olympiodorum Epiſcopum Apameæ*, qui, neſcio, an alter ſit ab eo, qui unice *Olympiodorus* dicitur. Inter hoſce Interpretes, omnium maxime *Didymus* & *Polychronius* in ſcænam veniunt, ita ut eis potior Commentarii pars debeatur. Sunt & ibi Catenæ in Eccleſiaſten, in Cantica Canticorum, & in Job, ubi præter laudatos ſupra Auctores adferuntur Scholia *Gregorii Nyſſeni*, *Juliani*, *Theodori*, *Clementis*, *Severi Epiſcopi Antiocheni*, *Methodii*, *Cyrilli Alexandrini*, *Theophili Archiepiſcopi Alexandrini* &c. Alicubi *Julianus* ille inſcribitur *Diaconus Antiochenus*. Alteram inſuper Catenam vidi in Proverbia Salomonis, cujus initium eſt: Σοφῶς μὲν ὁ Δαυὶδ, καὶ πεπαῤῥησιασμένως αὐτὸν &c. Uſque

A ad Cap. X. Scriptores fere omnes, quos nuper memorabam, ibi commemorantur. Dignus eſt etiam, qui heic ſaltem indicetur, Codex in eâdem Bibliothecâ adſervatus, & ferme ante annos ſeptingentos, ut mihi viſum fuit, exaratus. Ibi conſarcinata videas Theologica multa ex variis Auctoribus, ubi de Unitate Dei, Incarnatione, Hypoſtaſi & Naturâ Dei, de Angelis, de Anima, ejuſque immortalitate, de Diebus Feſtis, aliiſque ſacris argumentis agitur, & Opuſcula etiam integra interdum adducuntur. Auctorum, quorum ſententiæ illic proſtant, nomina hæc in primis animadverti. *Baſilius Cæſarienſis*: *Dionyſius*: *Athanaſius Alexandrinus*: *Euſebius*: *Gregorius Theologus*: *Cyrillus Hieroſolymitanus*: *Nemeſius Epiſcopus
B Emiſenus*: *Apollinarius*: *Chryſoſtomus*: *Gregorius Nyſſenus*: *Maximus*, qui modò Monachus, modò Abbas, modò Philoſophus, modò Confeſſor appellatur: *Marcianus Bethleemita*: *Limonarium*: *Nilus Monachus*: *Clemens Alexandrinus*: *Evagrius*: *Amphilochius*: *Leo*, vel *Leontius Damaſcenus Presbyter*: *Origenes*: *Ignatius Theophorus & Martyr in Epiſtolis*: *Iſidorus Peluſiota*: *Philon*: *Coſmas Veſtitor* Περὶ Δακρύων, ſive de Natura Lacrymarum. Præter hoſce ibi in ſcænam prodeunt *Cyrillus Alexandrinus*; *Moſchus Monachus*; *Severianus*, quem alibi *Gabalitanum* vocat; *Hippolytus*, *de Animalibus*, *quæ Daniel vidit*; *Porphyrius* Περὶ
C Κριμάτων Θεοῦ, de Judiciis Dei; *Diodorus Hiſtoriographus*; *Johannes Damaſcenus*; *Juſtinus Philoſophus*; *Heſychius Presbyter Hieroſolymitanus*; *Anaſtaſius Antiochenus Patriarcha*, ibi pluries laudatus, & præcipue in prolixo Capitulo Περὶ τῆς Ἑορτῆς τοῦ Πάσχα, *de Solemnitate Paſchali*: quod argumentum hiſtorice pertractatur, & *Anatolii Laodiceæ Syriæ Epiſcopi* ſententia refertur ex Opuſculo jam edito. Eſt ibi *Nicephori Archiepiſcopi Conſtantinopolitani* Dialogus inter Orthodoxum & Hæreticum; in quo de Veneratione Imaginum Sacrarum, & de aliis Theologicis rebus diſputatur. Sunt & ibi *Theodori Abucaræ* (qui Epiſcopus Καρῶν, ſive *Cariæ* alibi nuncupatur) Διάκρισις τῶν Φω-
D νῶν, *Judicium de Vocibus*, & Ἔλεγχος τῆς τῶν Ἀκεφάλων, Σευηριανῶν, καὶ Ἰακωβιτῶν Αἱρέσεως, *Confutatio Hæreſis Acephalorum*, *Severianorum*, *& Jacobitarum*. Habentur quoque alia hujus Auctoris Capitula prolixa de rebus Theologicis. Laudatur inſuper ibi *Theodorus Diaconus* Κατὰ Ἀγνοητῶν *Contra Agnoitas*: uti & *Johannes* quidam *Contra Jacobitas*; necnon *Theodori Agiopolitæ* Dialexis *de Nomine Dei*, aliiſque de rebus. Præterea quædam adferuntur *Eulogii Archiepiſcopi Alexandrini* contra Hæreſes *Arii*, *Macedonii*, *Apollinarii*, *Neſtorii*, *Eutychetis*, *Sabellii*, *Severi*, *Dodocitarum*, *Monothelitarum*, *Dioſcori*, *Theodori*, *Timothei Æluri*, *Jacobi*, ex quo Jacobitæ, *Petri Gna-
E phæi*, *Origenis*, & *Valentini*. Denique illic memoratos videas *Ariſtotelem*, *Johannem Scholaſticum Alexandrinum* (ideſt, ut puto, Philoponum) *Alexandrum* (ideſt Aphrodiſæum) *Damaſcium*, & *Aëtium magiſtrum Eunomii*. Hæc ibi ego olim deprehendi, Librum propterea ratus magni faciendum, tum ob ejus vetuſtatem, tum ob aliqua veterum fragmenta & Opuſcula hactenus luce carentia.

Sed quando heic facta eſt mentio *Damaſcii*, quem non alium opinor quàm Damaſcium patriâ Damaſcenum Philoſophum, de quo Photius in Bibliotheca Codice 181. & Codice 242. multa habet; in Eruditorum memoriam revo-

candum eſt, Philoſophum hunc Ethnicum magni nominis floruiſſe circiter Annum Chriſti DXX. & Theonis Rhetoris, tum Iſidori Philoſophi ſucceſſorem fuiſſe in Schola Athenienſi. Agathias Scholaſticus Lib. 2. Hiſtor. eum inter principes ſui ævi Philoſophos numerat. Scripſit Libros Quatuor *de admirandis Operibus*, & *Vitam Iſidori Philoſophi* præceptoris ſui: quæ omnia excidiſſe dolendum eſt, nota tantùm nobis e Photii narratione. Si enim, ut recte animadvertit Cl. V. Johannes Albertus Fabricius Volum. IX. pag. 416. Bibliothecæ Græcæ, priores Libri exſtarent, *non leve fortaſſe credulitatis, ſuperſtitioniſque Ethnicæ documentum haberemus*. Voſſio quoque idem ipſe creditur ſcripſiſſe *Hiſtoriam Philoſophicam*, de qua Suidas meminit ad vocem Δῶρος. Sed fortaſſis hoc nomine *Vita Iſidori* ſignificatur. Eodem etiam Suida teſte, ſcripſit *Commentarios in Platonem*, & Περὶ Ἀρχῶν, ſive *de Principiis*. At quando cuncta hæc periiſſe creduntur, meminiſſe liceat, ejuſdem Philoſophi Librum *de Principiis* ſupereſſe in Ambroſiana Mediolanenſi, atque in aliis Bibliothecis. Hic illi titulus: Δαμασκίου Φιλοσόφου Ἀπορίαι, καὶ Λύσεις περὶ τῶν Πρώτων Ἀρχῶν; hoc eſt: *Damaſcii Philoſophi Dubitationes & Solutiones de Primis Principiis*. En prima verba: Πότερον ἐπέκεινα τῶν πάντων ἐστὶν ἡ μία τῶν πάντων ἀρχὴ λεγομένη, ἤ τι τῶν πάντων, οἷον κορυφὴ τῶν ἀπ' αὐτῆς προϊόντων &c. ideſt: *Utrum ante omnia unum ſit omnium Principium dictum, ſeu quodpiam univerſorum, utpote caput eorum, quæ ab ipſo Principio emanant* &c. In margine Codicis adnotatum eſt: Σημείωσαι, ὅτι ἐπὶ τῆς βασιλείας Ἰουστινιανοῦ ὁ Δαμάσκιος οὗτος ἦν, καὶ Σιμπλίκιος ὁ Κίλιξ ὁ τῶν Ἀριστοτελικῶν βιβλίων ἐξηγητής. *Animadverte, ſub Juſtiniani Imperio Damaſcium hunc floruiſſe, uti & Simplicius Cilix, Ariſtotelicorum Librorum Explanator*. Hoc in Libro Damaſcius ſæpe *magnum Jamblichum* commemorat, & *Pythagoram*, & *Philolaum Pythagoricum*, & *Aſclepiadem*, & *Proclum*, *Heraiſcum ſeniorem*, & *Heraiſcum juniorem*, qui etiam ſcripſiſſe nonnulla ad eumdem Proclum dicitur, & *Parmenidem*, alioſque antiquos Philoſophos, ut *Platonem* prætercam, cujus doctrinam Damaſcius in eo ipſo Libro explicandam ſuſcepit. Inquit etiam, Αἰγυπτίους δὲ ὁ μὲν Εὔδημος οὐδὲν ἀκριβὲς ἱστορεῖ: *Ægyptios verò Eudemus parùm accurate conſuluit*. Vaſtum opus eſt, & fortaſſe non pauci faciendum. Quale de hoc Opere judicium fuerit Lucæ Holſtenii viri doctiſſimi, hæc ejus nota, quam manu exaratam ſervo, indicabit: *Hunc Auctorem* (ita ille ſcribit) *in Britannia vidi Oxonii in Bibliotheca Corporis Chriſti, Pariſiis apud Patres Societatis Jeſu in Collegio Claromontano. Exſtat paſſim in publicis Bibliothecis Germaniæ, & Italiæ. Sed neſcio, cur Stoicum vocent, quum certiſſimum ſit, eum Platonicum fuiſſe: quod in fragmentis Vitæ Iſidori Philoſophi apud Photium videre eſt, tum præſertim in hoc Opere. Platonici enim* Περὶ Ἀρχῶν *diſpu-*

A *tarunt, præcipue Origenes, Longinus, Porphyrius, & recentiores. Opus hoc longe difficillimum eſt ob dictionem luxuriantem, ut ex Photii excerptis videre eſt, tum propter Quæſtionum ſubtilitatem, in quibus doctrina Platonis de Deo, Materia, & Ideis, verſatur; ad quorum explicationem & accuratam Græcæ Linguæ notitiam & magnum Platonicæ Philoſophiæ uſum Interpres affirat, neceſſe eſt*. Hæc Holſtenius. Sed in ſemitam regrediamur.

Itaque Latini etiam, Græcorum minorum more, quando majora aggredi non audebant, ad hoſce centones ſibi procurandos animum adjecere. Exemplum dabo. In Anecdotis meis Latinis evulgavi Opuſculum *Gezonis Abbatis*,
B & expoſitionem Symboli *Quicumque vult ſalvus eſſe*, auctore *Fortunato Presbytero*. Complectebatur iſta unus Codex Ambroſianus, in quem & alia complura congeſta fuere, videlicet *Gloſſæ* perutiles *in Geneſim*, & *in Proverbia Salomonis*. Tum excerpta e Tractatu quodam *in Apocalypſim*, cujus initium eſt: *Nicolaus, ut fertur, unus fuit ex ſeptem Diaconibus* &c. Ponè ſequuntur variorum *Expoſitiones in Orationem Dominicam*, & *in Symbolum Apoſtolorum*. Deinde *Breviarius*, *quomodo Hieroſolyma constructa eſt*, cujus exordium eſt: *Ipſa Civitas in monte poſita. In medio Civitatis eſt Baſilica Conſtantini* &c. Succedunt *Etymologiæ e Virgilio Presbytero Hiſpano*: tum aliæ e *Li-*
C *bro Domni Yſidori*. Denique illic habentur *Gloſſæ in vetus ac novum Teſtamentum*; *in Librum Officiorum*; *in Librum Rotar* (neſcio quis aut quid heic ſignificetur); *in Librum Vitæ Sanctorum*; *in Caſſianum*; *in Euſebium*; *in Oroſium* &c. En ergo ut majores noſtri Collectanea ſibi pararent, quæ ſi nunc diligenter ſcrutari velimus, neque temporis neque laboris nos pœnitebit. Inde enim rudera interdum non contemnenda antiquitatis educi poſſunt. Liceat mihi in hanc rem proferre aliquot veterum fragmenta, quæ quondam excerpſi ex Ambroſiano Codice venerandæ vetuſtatis, utpote qui mihi viſus eſt aſcendere ad ætatem Mille Annorum. Sunt autem excerpta e Libris *Philippi Presbyteri*, qui, Gennadio teſte, auditor fuit Sancti Hieronymi, & circiter Annum
D Chriſti CCCCXL. claruit. Conferat hæc qui velit cum *Commentario in Job*, edito Baſileæ Anno MDXXVII. & illato rurſus inter Opera Bedæ ab Hervagio. Conferat etiam cum ipſius Bedæ Opuſculis, qui revera Philippi lucubrationes liberaliſſime in ſuas transfudit. Illic etiam occurrebant fragmenta *Caſſiani*, & *Juliani Pomerii*, qui poſtremus, ut Eruditi norunt, floruit circiter Annum DXCVIII. Conferenda hæc autem ſunt cum Libro *de Vita Contemplativa*, cujus olim Auctor Sanctus Proſper vulgo credebatur. Denique in eodem Codice legitur fragmentum *Lactantii de motibus animi*, in quo tamen eloquentiſſimum illum virum quæras, ſed non facile invenias.

Frag-

Fragmenta e Libris Philippi Presbyteri, Caſſiani, Juliani Pomerii, & Lactantii, e vetuſtiſſimo MSto Codice Ambroſiano depromta.

Fragmenta Philippi Presbyteri.

NIhil in terra ſine cauſa fit, & de humo non oritur dolor *&c. De humo ideſt de natura omni terræ non exiit malum, cum in terra nihil ſine Dei juſtitia fiat. Hoc dicit, quòd omne malum naturale non ſit, quod hic dolorem dixit, ſcilicet omne malum accidens naturæ bonæ. Et eſt aliud malum, ideſt vindictæ, quapropter peccatum a Deo infertur hominibus. Malum eſt quidem peccatum, ſed liberi arbitrii malum eſt, quod hominis voluntate committitur. Et malum eſt retributio mali, ideſt peccati, quando irrogat Deus ſupplicia peccatoribus. Hoc ergo dicit, quod nihil horum accidentium malorum ſine judicio Dei fiat. Non enim ita naturale eſt homini, ut a Deo creatum putet. Et ideo dicit:* Et de humo non oritur dolor, *ideſt non naturæ, ſed culpæ &c.*

Homo ad laborem naſcitur, & avis ad volatum: *ideſt, labor hominem manet, ut al..... omnibus vitiis caſtigatus in m...... & ſic adhuc tamen deditus, ut velut avis, quæ naturaliter volatum accipit. Ita & hic per agones vitæ præſentis evolet ad ſuperiora &c.*

Pereat dies, in qua natus ſum, qua dictum eſt: conceptus eſt homo. *Et Hieremias dicit:* Maledicta dies, in qua natus ſum. *Quidam dicunt, tempora nativitatis humanæ, quæ præterierint, non poſſe maledici; certe ex ſuperfluo maledicuntur, quia ſuis jam ſunt facta tranſcurſibus. Sancti autem inflati ſpiritu Prophetiæ maledicunt diem nativitatis humanæ, quod quidem non ſine tribulatione ſua faciunt. Sentiunt quippe in ſe hæc patiendo, generi humano juſtitiâ Dei ſententiam mortis inlatam. Non itaque exiſtimo, diem iſtum, qui homini in miniſterium datus eſt, a Sanctis tanta execratione maledici. Tropicòs ergo diem cum ſua nocte dictam noverimus: dies namque & nox Diabolus & mortalitas poſſet intelligi; non quod dies & lumen Diabolus ſit recedendo a vero lumine, ſed quod dies fuerat aliquando, cum habitaret cum Deo æterno lumine; ſicut Lucifer ex aurora diluculi, & lapis ſplendore rutilans in Paradiſo Dei; vel quod impiis & peccatoribus in hac proſperitate & felicitate hujus Seculi gaudentibus dies eſſe videtur. De quo dicitur:* Auferetur ab impiis lux ſua. *Et Salomon*, lumen, *inquit*, impiorum extinguetur. *Et iterum:* ſplendor impiorum peccatum. *Nam & hoc poteſt de Diabolo dici, qui inventor eſt peccati.*

Et fecit Deus hominem ad imaginem Dei. *Et ſequitur:* Et adprehendit Deus limum terræ, & formavit hominem. *Vides ergo, quanta differentia ſit facturæ & plaſmationis. Quod fecit Deus ad imaginem ſuam, fecit, ideſt*
A *animam. Et quod plaſmavit, corpus eſt de terra, quod vivificavit inſpiratione animæ, quam fecit. Imago ad immortalitatem pertinet. Dei ſimilitudo ad poteſtatem & operationem, ut naturaliter poſſideret imaginem immortalitatis Dei, & ſimilitudinem poteſtatis ſuper omnia, quæ creaverat, & piis operibus imitaretur Deum.*

Qui inluminat omnem hominem venientem in hunc Mundum. *Quia omnis homo hanc vim ſapientiæ naturaliter accipit, ut Deum ignorare non poſſit, niſi contempnat aut negligat.*

Hel. Semel loquitur Deus, & ſecundo id ipſum non repetit. *Ab ipſo principio Mundi, & deinceps ſemper locutus eſt Deus hominibus, & ſemper nihilominus loquitur. Sed ubi ......*
B *ter loqui dicitur Deus, vel Lex ejus .... ex, vel per Prophetas ma .... lus diverſitas. Ubi verò ..... u ſignificatur ſtabilitas ..... ejus ſententia demonſtratur. Loquitur enim dum efficientia ...... res intelligitur. Quemadmodum & ad Sanctum Job Dominus ipſe ait:* Aut putas, me aliter tibi locutum, niſi ut appareres juſtus? *Locutum ſe dixit pro illa tribulatione, quam fecit, ut temptaretur. Et id circo hoc eſt illius loqui quod facere. Ait ergo Heliu, ita dicens:* Semel loquitur Deus, & ſecundo id ipſum non repetit, *quando locuturus dicitur, ideſt immutat, niſi hoc ipſum vitæ noſtræ inmutatio depoſceret.*

Heliu: Omnes homines vident eum. Unuſ-
C quiſque intuetur procul. *Per naturæ ſuæ bonum notitia Creatoris ineſt cordibus hominum, & quod unuſquiſque tam pravus ſit & frigidus, ut alienus eſſe ſtudeat a Creatore ſuo, nullus tamen eſt, qui ſe abſcondat a calore ejus. Et ideo unuſquiſque mortalium, licèt de longe, ſentit & intelligit Deum. Diſſimiliter quidem omnino, quod non ſicut corpus ..... ſpiritum creatum ita ſentit eſſe Deum, ſed alio ineffabili modo, quo Deus acie mentis eſt intuendus, ubi in ipſo obtutu cordis intelligendo videt homo, quod ſupra ipſum eſt Deus.*

Aperite mihi portas juſtitiæ, *uſque* Domino *&c. Semper enim homo ad poſſidentem ſanctimoniam & virtutum monilia conſervantem affectu*
D *congaudentis ingreditur, quoniam ex participatione theſauri communis fit fidelis; cor unum & anima una in Deum freta in hoc Mundo, velut in fornace examinationum pariter poſiti, quaſi ex imo ore benedicunt Dominum in omni tempore, & ſemper laus ejus in ore eorum eſt.*

Eucherius: Dicere Dei, ideſt eſt & facere. *Deus non loquitur, cum efficientiæ ejus res intelligitur, quemadmodum ad Sanctum Job ipſe Dominus dixit:* Aut putas, me aliter tibi locutum, niſi ut appareres juſtus? *Locutum ſe eſſe dixit pro illa tribulatione, quam fecit, ut temptaretur.*

Fragmenta e Caſſiano, fortaſſis e Libris Sancti Eucherii excerpta.

PRincipalia bona ſunt Juſtitia, Prudentia, [A] *Fortitudo, Temperantia. Media autem bona ſunt Nuptiæ, Agricultura, Divitiæ, Solitudinis remotio, Vigiliæ, Sacrorum Lectio, & Meditatio Librorum, Jejunia. Principalia bona jubentur, media verò ſuadentur. Quicquid autem imperative decernitur, mortem irrogat non implenti. Quæcumque verò ſuadentur potiùs, quàm jubentur, facta proſunt, non facta non puniunt &c. Quiſquis ergo perfectionem Euangelicæ ſtuduerit tenere diſciplinæ, hic ſub gratiâ conſtitutus, peccati dominationi non permittitur. Hoc eſt enim eſſe ſub gratiâ, eaque gratiâ mandantur implere. Quicumque autem perfectionis Euangelicæ plenitudini ſubjectus eſſe noluerit, non ignorat, ſe, quamvis baptizatus* [B] *ſibi videatur, ac Monachus, non eſſe ſub gratiâ, ſed legis vinculis peccati pondere prægravari præpeditum.*

Juſtus ſepties cadit in die, & reſurgit. *Septem caſus juſti. Aut enim per ignorantiam, aut per oblivionem, aut per cogitationem, aut per ſermonem, aut per obreptionem, aut per neceſſitatem, aut per fragilitatem carnis ſingulis diebus vel inviti vel volentes frequentes incurrimus. Juſtos ac Sanctos non eſſe immunes a culpa manifeſte Scriptura pronunciat, dicens:* Septies cadit Juſtus in die, & reſurget. *Quid enim aliud eſt cadere, quàm peccare? Et tamen cum dicatur ſepties cadere, pronunciatur nihilominus juſtus, nec juſtitiæ contra præjudicat lapſus fragilitatis humanæ. Quod multùm intereſt inter ſancti, & peccatoris hominis lapſum. Aliud enim eſt admittere mortale peccatum, & aliud cogitatione, quæ peccato non caret, præveniri: ignorantiæ, aut oblivionis errore, aut falſitate otioſi ſermonis offendere, aut ad punctum in Fidei theoria aliquid hæſitare, aut ſubtili quadam cænodoxiæ titillatione pulſari.*

Fragmenta ex Juliano Pomerio. Vide Libros de Vita Contemplativa Proſpero tributos.

Incipit de Tertio Libro Pomerii ad Julianum, qualiter venire debeant, qui Chriſtum imitari deſiderant.

ET ideo ſi in illo eſſe volumus, quid eſſe debemus, Sanctus Johannes Apoſtolus dicit: Quomodo ille ambulavit, & nos ſpiritualiter ambulemus. *Quid eſt ambulare, ſicut ille ambulavit, niſi contemnere omnia proſpera, quæ contempſit; non timere adverſa, quæ pertulit; libenter facere, quæ fecit, fierique mandavit; ſperare, quæ promiſit; & ſequi, quo ipſe præceſſit; præſtare beneficia etiam ingratis; non retribuere juxta merita ſua malivolis; & orare pro inimicis; amare bonos, miſereri perverſos,* [D] *invitare averſos, ſuſcipere converſos, & æquanimiter pati ſubdolos ac ſuperbos? Ad hoc pertinet, quod ait etiam Sanctus Paulus Apoſtolus:* Si reſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt, quærite, ubi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens. *Illi reſurgent cum Chriſto, qui moriuntur, ſicut ille, peccato, eâ tamen diſtinctione ſervatâ, quod ille mortuus eſt peccato non ſuo, ſed noſtro: unuſquiſque autem noſtrûm non omnium moritur peccato, ſed ſuo. Quid eſt peccato mori, niſi damnandis operibus omnino non vivere, nihil concupiſcere carnaliter, nihil ambire, ſicut qui mortuus eſt carne nulli jam detrahit, nullum adverſatur aut deſpicit, nullius pudicitiam callidus circumventione corrumpit, in nullum violentus,* [E] *neminem calumniatur aut opprimit, non invidet bonis, aut inſultat afflictis, non luxuriæ carnis inſervit, non vinolentiæ deditus in ſe bibendo ſitim bibendo magis ac magis incendit, non odiorum facibus inardeſcit, non lucra injuſta ſectatur, non potentibus aut divitibus adulatur, non inquietâ curioſitate raptatur, non domeſticæ ſolicitudinis curâ diſtenditur, non officioſis occurrentium ſalutationibus delectatur, nec ſuper horum injuriis fatigatur, non eum ſuperbia inflat, non ambitio ventoſa præcipitat, non vana gloria turpiter jactat,* [C] *non deſiderium glorioſæ opinionis inflammat, non diſtentio alteni actus inlaqueat, non ad ſocietatem turpium turpitudinis amor invitat, non rabies inſani furoris excitat, non ſumtuoſarum litium ſtudium actat, non ardor animoſæ contentionis exanimat, non facit impudentem audacia, iniquum injuſtitia, ferum inclementia, varium inconſtantia, pertinacem contumelia, inſanum veſania, delitioſum gula, vanum jactantia, infidum perfidia, levem facilitas, ſævum crudelitas, manduconem turpis edacitas, impatientem novitas, mobilem inſtabilitas, vagum ſpiritualis infirmitas, iracundum animoſitas, ſuſpicioſum perverſitas, verboſum vanitas, injurioſum malignitas; qui remotus eſt a ſecularibus prorſus inlecebris, remotus ab inimicitiis, remotus ab inſidiis alienis, remotus a rapinis vel occultioribus vel apertis, remotus a mendaciis ſive perjuriis, poſtremo remotus ab omni genere flagitiorum atque facinorum, quibus carnaliter viventes Deum offendunt, & mortui peccato non ſerviunt, ſicut, inquam, carne mortuus nec facere poteſt iſta, nec pati. Ita his & talibus Vitiis omnino non vivunt, qui vivunt Deo, carnem ſuam cum vitiis & concupiſcentiis crucifigunt &c.*

Membra ſua, quæ ſunt ſuper terram mortificant, quando inſolens corpus jejuniorum continuatione caſtigant, quando intra neceſſarium modum ſuum temperant adpetitum; quando a delicioribus cibis moderatâ diſtinctione ſuſpendunt: ſed etiam in illis communibus nihil carni ſuæ pro deſiderio, ſed pro ſuſtentandæ vitæ neceſſitate permittunt; certi quod delitiæ quælibet, ſi abſque deſiderio percipiantur, non officiunt, & viles ubi abſtinentiæ profectum, ſi adpetenter accipiantur, impediunt. Hinc eſt, quod Sanctus David aquæ concupiſcentiam caſtigavit, atque eam ſibi a ſuis oblatam, ne deſiderio ſuo ex ea ſatisfacere videretur, effudit. Et Sancto Heliæ perceptio carnium non concupita non nocuit. Unde intelligitur, non naturas, ſed concupiſcentias &c. Verumtamen ſic abſtinere vel jeju-

jejunare debemus, ut non nos jejunandi vel abſtinendi neceſſitati ſubdamus, ne jam non devoti, ſed inviti rem voluntariam faciamus. Si enim quoslibet advenientes jejunio intermiſſo reficio, non ſolvo jejunium, ſed impleo caritatis officium. Ceterum ſi propter abſtinentiam ſpirituales fratres, quos novi meâ remiſſione delectari, contriſto, abſtinentiâ meâ, non eſt virtus ſed vitium.

Fragmentum Lactantii de Motibus animi, quod non occurrit in Sex Libris Divinar. Inſtitutionum.

T*imor, Amor, Lætitia, Triſtitia, Libido, Concupiſcentia, Ira, Miſeratio, Zelus, Admiratio: hi motus animi, vel affectus a Domino ab initio hominis exiſtunt conditi, & naturæ humanæ utiliter & ſalubriter ſunt inſerti, ut per eos ordinate & rationabiliter regendo ſe homo, virtutes bonas viriliter agendo exercere poſſit, per quas a Domino perpetuam accipere vitam juſte meruiſſet. Hi namque animi motus intra fines proprios coartati, hoc eſt, in bona parte poſiti, in præſenti virtutes bonas & in futuro æterna præmia parant: extra metas verò ſuas affluentes, hoc eſt, in malam partem declinantes, vitia & iniquitates exiſtunt, & æternas pœnas pariunt.*

Ceterum præter privatorum ſtudium, qui olim præcedentium Scriptorum Libros in uſum ſuum deſcribebant, fuerunt & *Scribæ*, ſeu *Librarii*, quos etiam *Antiquariorum* vocabulo appellatos videas a Caſſiodorio, Iſidoro, atque aliis. Horum fuit, veteres deſcribere Libros, aut novos, dictante plerumque aliquo Scriptoribus multis, commendare membranis. Innumeros profectò antiquorum Codices habemus, a doctis viris exaratos, & idcirco emendatos, magnique nunc etiam faciendos. Monachi præcipue horum ſcriptores fuere. Antiquioribus autem Sæculis, hoc eſt ante Barbarorum in Italia Regnum, in accurate deſcribendis Libris atque emendandis, multum curæ impendebatur. Atque heic mihi in memoriam redit Inſcriptio Romæ poſita, atque evulgata a Reineſio, Claſſe XI. Num. 123. hiſce verbis.

CN. POMPEIUS
PHRIXUS
DOCTOR
LIBRARIUS DE
SACRA VIA
FECIT SIBI ET
LIB. LIBERTABUSQVE
POSTERISQ. EORUM.

Reineſio tamen *Doctor Librarius inepta locutio videtur, certe non ex uſu priſci Sæculi.* Itaque mavult legere STRUCTOR LIBRARIUS, qui nempe membranas, chartas, libros conſuit, glutinat, malleat *&c.* Ejus confidentiam non probo. Aliarum Artium Doctores & Magiſtri olim fuere: cur & Librariæ Artis eſſe non potuere? E Schedis meis MStis accipe Inſcriptionem in marmore Romano ſculptam.

D. M
T. FLAVIO. EXPEDITO
DOCTORI. SAGITTAR
FLAVIA, EUPHROSINE
ET. ATTICA. FILIAE
PATRI. B. M

Hic Artem ſagittandi milites tyrones edocebat, prout & ab icone lapidi adjecta conſtat. Apud Fabrettum quoque Cap. III. pag. 143. Inſcription. Antiquarum, poſitus eſt Lapis

AURELIO. HERACLIDAE
AGITATORI
FACTIONIS. VENETAE
ET. DOCTORI
FACTIONIS. S. S. ET. PRASINAE

Ita & in altera Inſcriptione, pag. 189. memoratur THREPTION CAES. N. ideſt, *Cæſaris noſtri* ſervus, DOCTOR THRAEC. interpretor, *Doctor Thræcius*. *Thræces*, nempe *Gladiatores*, de quibus Feſtus poſt Tullium, Senecam, & alios. Vide præſertim Lipſium Lib. 2. Cap. 9 Saturnal. Quare uti Artes illæ ſuos Doctores habuere, ita Reineſianus ille *Cneus Pompejus Phrixus* juvenes erudiiſſe videtur, ut ſcite ac emendate Libros ſcriberent, ipſoſque Libros unus ipſe multis dictabat. Negligentiam ac ignorantiam Librariorum non ſemel Sanctus Hieronymus fugillat. Propterea & illis egregio Doctore, & Magiſtro aliquo opus fuit. Quamquam, ut verum fatear, ne perſpectum quidem Reineſio fuit, quid *Librarius* ſignificarit olim. Non enim Scriptores tantùm, & Bibliopegi eo nomine donati (primi autem appellati *Scribæ Librarii*) ſed & alia officia id nominis geſſere, uti colligere potes e Grutero, & e Scaligeriano ejus Theſauri Indice ad Cap. *Magiſtratuum*. Erant & in Militia *Librarii*, nempe *Librarii Legionis*. Scribas fuiſſe inquies Legionum; attamen aliud *Scribæ*, aliud *Librarii* fuiſſe videntur. Atque id nomen in memoriam mihi revocat *Libratores*, hoc eſt, *Fundibularios*, a Tacito, aliiſque memoratos. Videndum foret, an *Librarii* militares iidem eſſe potuerint. *Funda Librales* Cæſari memorantur. Ita Reineſianus *Pompejus Doctor* fuiſſet *Fundibulariorum*, uti *Flavius Expeditus* nuper viſus *Sagittariorum*. Lanipendia quoque femina in Inſcriptione apud Fabrettum pag. 214. appellatur *Libraria*, quod Librâ uteretur ad partienda penſa; ita ut videas,

deas , variam eſſe *Librarii* ſignificationem .

Sed quando cœpimus vulnera rimari literis inflicta , dum rudia Sæcula decurrerent , ne hoc quidem diſſimulandum eſt , imperitiſſimos & indoctiſſimos homines crebrius quàm antea fuiſſe adhibitos ad exſcribendos Codices, quos propterea erroribus ac ſordibus ad nauſeam uſque repletos intueare . Ex his non paucos præ manibus habui , & exemplum adferre ju vat , quod non uno nomine , niſi mihi facile blandior , lucem expoſcere videtur . Adſervat Ambroſiana Mediolanenſis Bibliotheca membranaceum Codicem , e Bobienſi acceptum , cujus antiquitas pæne ad annos mille accedere mihi viſa eſt . Scriptus enim fuit Literis majuſculis & quadratis . Titulus præfixus omnia tribuit Johanni Chryſoſtomo , ſed immeritò . Mutilum in principio Codicem deprehendi . Cap. IV. eſt *de Animantibus*, atque ex his verbis incipit : *Alæ duo teſtamenta . In Ezechiel unumquodque duabus alis velabat os ſuum* &c. Horum Auctorem agnovi Eucherium Lugdunenſem Lib. Formul. Spiritual. Sequitur fragmentum de Apoſtolis, infra mihi evulgandum. Tum *Incipit de expoſitionem* (ita ibi) *diverſarum rerum . In primis mandragora in Geneſi , genus pumi ſimillimum parvo peponis ſpeciem vel odore* &c. Ita illic depravata ſunt verba , excerpta e Libro ejuſdem Sancti Eucherii de Hebraic. Nomin. Interpret. Poſt alia ſequitur *de Matthæo Evangeliſta . Orate autem, ne fiat fuca veſtra hieme vel ſabbato ; ideſt ne cum fuca ſit , impedimentum patiamini* . Poſt hanc Homiliam ſuccedit altera *de ultimo adventu Chriſti* , ubi de mille annis in Apocalypſi memoratis agitur . Tum Homiliæ in illa verba : *Nemo ſcit de die & hora illa . De tribus menſuris . De Petro Apeſtolo . De reparatione lapſi* , quod Opuſculum novimus tributum Chryſoſtomo . Additur *Fides Sancti Ambroſii Epiſcopi*, quæ incipit : *Nos Patrem & Filium* &c. ſed poſt aliquot lineas reliqua deſiderantur . Accedit altera *Expoſitio Fidei Catholicæ* , cuius Auctorem Charta lacerata non retinet . Tum *Fides Sancti Luciferi Epiſcopi* . Deinde *Fides, quæ ex Nicæno Concilio proceſſit* . Tamdem *Incipit Fides Beati Athanaſii . Fidis unius ſubſtantiæ Trinitatis Patris & Filii , & Spiritus Sancti* &c. Ex eodem ergo Codice ego decerpſi fragmentum antiquiſſimum ad Canonem divinarum Scripturarum ſpectans . Nulli diligentiæ peperci , ut ejus Auctorem detegerem , ſimulque reſcirem , num hactenus editum fuerit . Niſi me fefellerunt oculi, aut complurium Librorum defectus , quem non ſemel doleo : nuſquam deprehendi evulgatum , ac propterea ſpes mihi ſupereſt , fore ut libentiùs a Lectoribus accipiatur , ac præcipue quod antiquitatem redoleat ſumme venerabilem . Si conjecturam meam exerere fas eſt, in illam opinionem feror , tribuenda hæc eſſe *Cajo Eccleſiæ Romanæ Presbytero , qui ſub Victore & Zephyrino Pontificibus* , teſte Photio in Bibliotheca , Codice XLVIII. hoc eſt qui circiter Annum Chriſti CXCVI. floruit . Diſputationem Caji iſtius *diſertiſſimi viri , habitam Romæ temporibus Zephyrini adverſus Proclum quemdam Cataphrygarum hæreſis propugnatorem* , memorat Euſebius Cæſarienſis, Eccleſiaſtic. Hiſtor. Lib. 6. Cap. 20. in qua ille , dum adverſariorum in componendis novis Scripturis temeritatem & audaciam ſugillat , τῶν τοῦ ἱεροῦ Ἀποςόλου δεκατριῶν μόνων ἐπιςολῶν μνημονεύει , τὴν πρὸς Ἑβραίους μὴ συναριθμήσας ταῖς λοιπαῖς : ἐπεὶ καὶ εἰς δεῦρο παρὰ

A Ῥωμαίων τισὶν οὐ νομίζεται τοῦ Ἀποςόλου τυγχάνειν : *tredecim tantùm divini Apoſtoli recenſet Epiſtolas , eam , quæ ad Hebræos inſcripta eſt , cum reliquis non adnumerans . Sane hæc Epiſtola etiamnum a quibuſdam Romanis Apoſtoli eſſe non creditur* . Sanctus Hieronymus totidem fere verbis , de Cajo iſto loquens in Libro de Scriptorib. Eccleſiaſtic. Cap. 60. reddidit ſententiam Euſebii , niſi quod addit, diſputationem a Cajo habitam *ſub Zephyrino Romanæ Urbis Epiſcopo , ideſt ſub Antonino Severi filio* ; ac propterea ſecundùm illum Cajus hæc ſcripſerit circiter Annum Vulgaris Epochæ CCXII. Addit etiam de eadem Epiſtola : *ſed & apud Romanos uſque hodie quaſi Pauli Apo-*
B *ſtoli non habetur* , quum tamen Euſebius tantùm ſcripſerit *apud quoſdam Romanos*. Photius quoque loco ſupra laudato auctor eſt , Cajum *tredecim dumtaxat Beati Pauli Epiſtolas enumeraſſe, non receptâ in cenſum, quæ eſt ad Hebræos* . Ille quoque hæc ab Euſebio hauſit . Ceterum non eſt hujus loci recenſere , quibus Auctoribus & rationibus in Canonem ſacrarum Scripturarum merito recepta deinde ab omnibus fuerit Epiſtola ad Hebræos, de qua idem Sanctus Hieronymus ad Evagrium ſcribens dicit : *Quam omnes Græci recipiunt , & nonnulli Latinorum*. Ita quæſtionem hanc jamdiu verſarunt ac illuſtrarunt viri doctiſſimi, ut rurſus eamdem agitare velle , ſupervacaneum
C foret .

Illud, quod ad me ſpectat, arripio . Hippolytus quoque Portuenſis Epiſcopus, Caji ſupra laudati æqualis, Photio teſte, Codice 121. ſenſit *Epiſtolam ad Hebræos non eſſe Pauli Apoſtoli*. Immo ne temporibus quidem Sancti Hieronymi Romana Eccleſia illam inter Canonicas Apoſtoli Pauli Epiſtolas receperat . Quum ergo eam omiſerit Cajus Presbyter Romanus , Scriptor antiquiſſimus, ceteras recenſens , veri videtur ſimile , eidem Cajo tribuendum eſſe fragmentum infra evulgandum , in quo prætermiſſam plane videas Epiſtolam ad Hebræos . Accedit & alterum robuſtius argumentum . Memorat hic Scriptor celebrem Hermæ Li-
D brum , titulo *Paſtoris* inſcriptum , his verbis : *Paſtorem verò Nuperrime Temporibus noſtris in Urbe Roma Herma conſcripſit , ſedente Cathedrâ Urbis Romæ Eccleſiæ Pio Epiſcopo fratre ejus* . Jam inter Eruditos conſtat , Hermam floruiſſe ad dimidium Sæculi a Chriſto nato Secundi . Et certe ſi tunc Romanam Cathedram tenuit Pius I. Papa , illius frater , is Librum *Paſtoris* ſcripſiſſe dicendus eſt circiter Annum Chriſti CL. At nos ſupra vidimus , Cajum Romanum Presbyterum vixiſſe circiter Annum CXCVI. & nihil obſtat , quin antea hæc ſcripſerit . At quando fragmenti Auctor teſtatur , Hermam *Nuperrime Temporibus Noſtris* Librum Paſtoris conſcripſiſſe : quemnam
E opportuniùs quàm eumdem Cajum fragmenti ipſius parentem fuiſſe conjicias ? Tamdem ſcribit fragmenti Auctor : *Apocalypſim etiam Johannis & Petri , tantùm recipimus , quam quidam ex noſtris legi in Eccleſia nolunt* . Recte hæc in Caji tempora conveniunt . Euſebius enim Lib. 3. Cap. 25. *Apocalypſim Petri* inter dubios quidem Libros recenſet , non tamen abjicit veluti Hæreticorum fœtum . Eodem quoque teſtante, Clemens Alexandrinus eâdem Apocalypſi eſt uſus , non ſecus ac Epiſtolâ Barnabæ . Sozomenus pariter nos monuit Lib. 7. Cap. 19. hanc Apocalypſim *in quibuſdam Eccleſiis Palæſtinæ uſque adhuc ſingulis annis*

ſemel

ſemel legi. Temporibus etiam Caji ipſius circumferebatur Epiſtola ſpuria Pauli Apoſtoli *ad Laodicenſes*, a Sancto Hieronymo & Theodoreto exploſa, quam Marcion hæreſiarcha in ſubſidium ſui delirii adhibuit, uti nos docet Sanctus Epiphanius Hæreſi 42. At præter hanc ex ipſo fragmento nunc diſcimus, alteram Paulo ſuppoſitam fuiſſe, nempe *ad Alexandrinos*, cujus neſcio an quiſquam alius meminerit. Quum verò *Apocalypſim Pauli*, ab Auguſtino & Sozomeno memoratam, Scriptor hic nequaquam recenſeat, confirmatur ſententia Johannis Erneſti Grabii, qui in Spicilegio Patrum pag. 84. cenſuit, erupiſſe hanc impoſturam Sæculo dumtaxat Eccleſiæ Chriſtianæ Quarto. Heic quoque videas memorari *Librum Pſalmorum* a Valentino hæreſiarcha elaboratum. Unus Tertullianus, quod ſciam, A Lib. de Carne Chriſti, Cap. 20. iſtos indicavit, ſcribens: *Nobis quoque ad hanc ſpeciem Pſalmi patrocinabuntur, non quidem Apoſtatæ, & Hæretici, & Platonici Valentini, ſed ſanctiſſimi & receptiſſimi Prophetæ David*. Quis verò fuerit *Mitiades* ille Hæreticus, ſive *Miltiades*, cujus eſt mentio in hoc fragmento, divinent alii. Profectò non fuerit *Miltiades* Rhetor ab Euſebio ac Hieronymo laudatus, qui ſub Antonino Commodo multa ſcripſit pro Catholica Eccleſia. Age verò jam proferamus Fragmentum ipſum e vetuſtiſſimo Codice Ambroſiano decerptum, atque illud Eruditorum omnium examini ſubjiciamus, nullum demendo ex erroribus, quibus Librariorum B imperitia ſcripturam ſaturavit atque fœdavit, quamquam nihil ii obſtent, quominus pretium rei intelligamus.

Fragmentum acephalum Caji, ut videtur, Romani Presbyteri, qui circiter Annum Chriſti 196. floruit, de Canone ſacrarum Scripturarum.

. . . . *quibus tamen interfuit, & ita poſuit. Tertio* Evangelii *Librum* ſecundo Lucam. *Lucas iſte Medicus poſt aſcenſum Chriſti cum eo Paulus quaſi ut juris ſtudioſum ſecundum adſumſiſſet numeni ſuo ex opinione concriſet. Dominum tamen nec ipſe vidit in carne, & idem prout aſſequi potuit. Ita & a nativitate Johannis incipet dicere. Quarti* Evangeliorum Johannis *ex Diſcipulis. Cohortantibus condiſcipulis & Epiſcopis ſuis dixit*: Conjejunate mihi hodie triduo, & quid cuique fuerit revelatum, alterutrum nobis enarremus. *Eâdem nocte revelatum Andreæ ex Apoſtolis, ut recognoſcentibus cunctis Johannis ſuo nomine cuncta deſcriberet. Et ideo licèt varia ſingulis Evangeliorum Libris Principia doceantur, nihil tamen differt credentium Fidei, cum uno ac principali ſpiritu declarata ſint in omnibus omnia de Nativitate, de Paſſione, de Reſurrectione, de converſatione cum Diſcipulis ſuis, & de gemino ejus Adventu. Primo in humilitate deſpectus, quod ro . . . . . ſecundum poteſtate Regali præclarum, quod futurum eſt. Quid ergo mirum, ſi Johannes tam conſtanter ſingula etiam in Epiſtolis ſuis proferat dicens in ſemetipſo*: Quæ vidimus oculis noſtris, & auribus audivimus, & manus noſtræ palpaverunt, hæc ſcripſimus. *Sic enim non ſolùm viſorem, ſed auditorem, ſed & ſcriptorem omnium mirabilium Domini per ordinem profitetur*. Acta *autem omnium* Apoſtolorum *ſub uno Libro ſcripta ſunt* Lucas *optime* Theophile *comprehendit, quia ſub præſentia ejus ſingula gerebantur, ſicut & ſemote Paſſionem Petri evidenter declarat, ſed profectionem Pauli ab Urbe ad Spaniam proficiſcentis. Epiſtola autem Pauli, quæ, a quo loco, vel qua ex cauſa directe ſint voluntatibus intelligere, ipſe declarant. Primum omnium Corinthiis ſchiſma hæreſis interdicens, deinceps Callactis circumciſionem. Romanis autem ordine Scripturarum, ſed & principium earum eſſe Chriſtum intimans, prolixius ſcripſit, de quibus ſingulis neceſſe eſt a nobis diſputari; cum ipſe Beatus Apoſtolus Paulus ſequens prædeceſſoris ſui Johannis ordinem, nonniſi nominatim ſeptem Eccleſiis ſcribat ordine tali* Ad Corinthios *prima*, ad Epheſios *ſecunda*, ad Philippenſes *tertia*, ad Coloſſenſes *quarta*, ad Galatas *quinta*, ad Teſſalonicenſes *ſexta*, C ad Romanos *ſeptima. Verùm Corinthiis, & Teſſalonicenſibus licèt pro correbtione iteretur, una tamen per omnem orbem terræ Eccleſia diffuſa eſſe denoſcitur. Et Johannes enim in Apocalypſi licèt ſeptem Eccleſiis ſcribat, tamen omnibus dicit. Verùm* ad Philemonem *una, &* ad Titum *una, &* ad Timotheum *duas pro affectu & dilectione, in honore tamen Eccleſiæ Catholicæ, in ordinatione Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſanctificatæ ſunt. Fertur etiam* ad Laudecenſes, *alia* ad Alexandrinos *Pauli nomine fictæ ad hæreſem Marcionis; & alia plura, quæ in Catholicam Eccleſiam recipi non poteſt. Fel enim cum melle miſceri non congruit*. Epiſtola *ſane* Judæ, *& ſuperſcripti* Johannis duas *in Catholica habentur*. Et Sapientia *ab amicis* Salomonis *in* D *honorem ipſius ſcripta*. Apocalypſis *etiam* Johannis, *&* Petri, *tantum recipimus, quam quidam ex noſtris legi in Eccleſia nolunt*. Paſtorem vero nuperrime temporibus noſtris in Urbe Roma Herma conſcripſit, ſedente Cathedra Urbis Romæ Eccleſiæ Pio Epiſcopo fratre ejus. *Et ideo legi eum quidem oportet, ſe publicare verò in Eccleſia Populo, neque inter Prophetas completum numero, neque inter Apoſtolos in finem temporum poteſt. Arſinoi autem, ſeu* Valentini, *vel* Mitiadis *nihil in totum recipimus, qui etiam novum* Pſalmorum Librum *Marcioni conſcripſerunt una cum Baſilide Aſſianum Catafrygum conſtitutorem*.

Vidiſtin, quot vulnera fruſtulo huic antiquitatis inflixerit Librariorum incuria atque E ignorantia? Id ipſum aliis bene multis Libris accidiſſe noveris: quod ego experientiâ quoque complurium annorum perſpectum habeo. Interrogabis autem, cur nihilo ſecius pleroſque Codices ad nos veniſſe videamus a mendis, & certe a tanta deformitate liberos. Equidem puto, ſubſequentes Scriptores, prout quiſque judicio atque eruditione pollebat, quum exſcribebant aut dictabant veterum Libros, identidem exterſiſſe ejuſmodi ſordes; atque hinc potiſſimum natam tantam Variarum Lectionum ſegetem, quæ in conferendis antiquorum Libris deprehenditur, quum quiſque aut divinando propria Auctorum verba reſtitueret, aut ex ingenio ſuo ſuppleret. Sane inter eruditos præferri conſueverunt recentioribus Codices antiquiores; neque injuriâ. Quo enim pro-

pius

pius ad fontem accedunt, eo etiam potiori jure cenſentur retinere mentem ac verba ſincera ſui Auctoris. Attamen ſunt & recentiores Codices interdum, in quibus major quàm in vetuſtis occurrit caſtigata lectio, ſive quod ab optimis exemplaribus deſcripti fuerint, ſive quod vir aliquis doctus errores ab apographo novo arcuerit, ſive ſuſtulerit, quibus vetuſta exemplaria ſcatebant. Nam quod eſt ad indoctos, vel ſuo tempore Sanctus Hieronymus ad Lucinium ſcribens, incuſabat *imperitiam Notariorum, Librariorumque incuriam, qui ſcribunt non quod inveniunt, ſed quod intelligunt: & dum alienos errores emendare nituntur, oſtendunt ſuos*. Alibi quoque eadem repetit ſanctus ille Vir. Sed numquam deſiderati ſunt eruditi viri, quorum curâ vitiatis Libris identidem ſuccurrebatur. Et multis quidem poſſem hanc veritatem confirmare; verùm exemplis duobus rem conficiam. Id ſe præſtitiſſe teſtatur Carolus Magnus in *Conſtitutione de Emendatione*

A *Librorum & Officiorum*, editâ a Sirmondo; tum a Baluzio, Tomo Primo pag. 203. Capitular. Reg. Francorum, in qua hæc habet inclytus ille Rex: *Jampridem univerſos Veteris ac Novi Inſtrumenti Libros Librariorum imperitiâ depravatos, Deo nos omnibus adjuvante, examuſſim correximus*. Alterum exemplum nobis ſuppeditabit Ambroſiana Bibliotheca ſupra laudata, in cujus pluteis adſervantur Commentarii prolixi in Pſalterium manu exarati, & Sancto Hieronymo tributi. En exordium in Pſalmum Primum: *Quidam putant iſtius Pſalmi clavem ſuper Chriſti Domini noſtri perſonam eſſe referendam, ut* Beatus *iſte* vir *ſecundùm hominem Chriſtus ſit. Bona quidem voluntas, ſed imperitia eſt* &c. Vide Martianæum
B Tom. 2. pag. 522. noviſſimæ editionis Operum Sancti Hieronymi. In calce hi Verſus leguntur, Flori videlicet, qui ex hoc Commentario errores præcedentium Scribarum ſuſtulerat.

Elorado Abbati Florus ſupplex.

„ HOs Cythariſta puer lyricis concentibus Hymnos
„ Edidit in laudes, o bone Chriſte, tuas.
„ Egregius vultu, formâ ſpecioſus amœnâ,
„ Viribus invictus, moribus almificus.
„ Numinis ætherei plenus, ſacro ore melodus,
„ Inclytus æterni Rex ſator imperii.
„ Cui cadit horrifici moles truculenta Philiſtei,
„ Saxo fuſa levi, trunca mucrone ſui.
„ Urſorum rabies, feritas inſana leonum
„ Sternitur, & fracto gutture vita perit.
„ Cedit & obſeſſo fugiens e pectore dæmon,
„ Comprimiturque pio regius ore furor.
„ His igitur modulis larbalia monſtra fugantur,
„ Vincitur hoſtis atrox, crimina dira ruunt.
„ Artubus auxilium, menti venit alma medela;
„ Mors, morbi fugiunt: vita, ſalus redeunt.
„ Jugibus idcirco precibus, cantuque perenni
„ Hæc, Pater, ex veſtro perſonet ore lyra:
„ Quâ priſci cecinere ſenes, quos maxima Nili
„ Oſtia, & alticrepi horruit unda ſali;
„ Quamque ſacer longi corruptam erroribus ævi
„ Reddidit antiquo Hieronymus decori.
„ Ingenio cujus pulchris inſtructa ſagittis,
„ Stellarum rutilo tota nitore micat.
„ Quas ſtudioſa manus, multi ſudore laboris
„ Reſtituit priſcis, te rogitante, locis.
„ Namque per incultas errat dum lubrica palmas
„ Dulcis & ambroſio tincta liquore lyra,
„ Perdiderat fulvi radiantia ſigna metalli,
„ Texerat & furvo fila canora ſitu.
„ Sed tamen Hebraicâ rurſus ratione polita,
„ Ac ſimul Argolicâ denuo picta manu,
„ Mellifluas cœli ſpargens trans ſidera voces,
„ Concrepat Angelico carmine ſacra ſono.
„ Nunc cape *correctum* gratanti corde *Volumen*,
„ Utque ita permaneat, da, Pater, oro operam.
„ Nullus enim fructus conamina noſtra ſequetur
„ Eraſis vitiis, qui bona ſubdidimus,
„ Ni vigil atque ſagax ſtudio, Pater optime, veſtro
„ Conſervet Scriptor, quæ modo recta manent.
„ Jamque vale: Florique tui ſine fine memento,
„ Ut valeat culpis ipſe carere ſuis.
„ Amen.

Quis

Quis fuerit *Eloradus Abbas* iſte (ita enim legitur neſcio an vitioſe in MSto) ad quem Florus hos verſus mittit , nondum reſcire potui . Carminis verò Auctorem vix alium fuiſſe opinor a *Floro Magiſtro* , Diacono Lugdunenſi , qui circiter Annum Chriſti DCCCXXXVII. gloriâ literarum celebris apud Gallos evaſit . Uſſerius in Hiſtoria Goteſchalci Cap. 9. & Cave in Hiſtor. Literaria Scriptor. Eccleſiaſtic. tradunt , a Floro iſto ſcriptum fuiſſe *Commentarium in Pſalterium* , atque illud in Haſligemienſi Cœnobio (inter Bruxellam & Aloſtam ſito) extitiſſe olim MStum , *unde illud in Pſalmum LXXX. adverſùs Amalarium a Fabro citatum eſt teſtimonium adverſùs Tranſubſtantiationis dogma* . In Ambroſiano MSto, quem minime diverſum ab Haſligemienſi cenſeo, legi ego hæc verba ad Pſalmum LXXX. *Et cibavit illos . Adeps frumenti Sacramentum eſt Corporis Chriſti . Quid enim adeps in frumento aliud ſignificat , niſi divinitatem in carne ? Petra Chriſtus , mel dulcedo ipſius , a qua omnes credentes in Fide nutriuntur* . Vide, quæſo , quàm lepide contra Catholicorum ſententiam verba iſta exerantur , quum tantummodo ad illam confirmandam inſervire poſſint. Ad hæc non facile concederem in opinionem Uſſerii, tribuentis Floro Commentarium nuper memoratum . Ex verſibus nunc evulgatis nihil aliud colligi poteſt , niſi a Floro *correctum* fuiſſe *Volumen* , quod potiùs Sancto Hieronymo tribui videtur . Et ſane titulus Ambroſiani Codicis Auctorem illius Commentarii Hieronymum facit . Neque , ut verum fatear , ibi elegantia deſideratur . At is eſt ſtilus , ea eruditio Sancti Hieronymi , ut a ceterorum ſcriptis facile ſeſe diſcernendam exhibeat . Proinde Hieronymum illic deliteſcere numquam tibi perſuadeas . Præterquamquod Florus id unum fortaſſe curavit, nempe integritati ſuæ reſtituere Pſalterium a Sancto Hieronymo translatum, & aſteriſcis ornatum , quod ipſe *Florus lyram* appellat , hanc inquiens , dum per Librariorum ignaras manus erraſſet, rubiginem contraxiſſe , ac ſe omnia reſtituiſſe priſtino decori . Atque heic mirari ſubit , cur tantopere antiqua Sæcula inſtiterint , ut Hieronymum invitum omnino vellent auctorem alicujus perpetui Commentarii in Pſalterium , quum tamen is dumtaxat monuerit in Libro de Vir. Illuſtrib. ſe ſcripſiſſe *in Pſalmos , a Decimo uſque ad Decimum ſextum , Tractatus ſeptem* . Præter Commentarios in idem Pſalterium, inter ejus Opera evulgatos , quos tamen nemo nunc ei tribuit ; & præter alteros nuper a me commemoratos , luce adhuc carentes : reperi ego in prælaudata Ambroſiana Bibliotheca Codicem , characteribus tantæ vetuſtatis exaratum , ut mihi videretur ætatem mille annorum attingere . Titulus quidem vetuſtiſſimus , ſed literis non adeo antiquis , ita ſe habet : *In hoc Volumine continetur Hieronymi Presbyteri Expoſitio ſuper Pſalterium , non tamen a primo Pſalmo prius , ſed quoſdam alios indirecte prius exponere videtur . Deinde ad Pſalmorum ordinem , ideſt a primo incipiens & demum ſubſequenter uſque ad finem Pſalterii* . Præcedunt Præfatio edita Hieronymi : *Pſalterium Romæ dudum poſitus*

A &c. Tum Prologus : *David filius Jeſſe* &c. editus inter Opera Bedæ Tom. 8. Denique *Prologus Hieronymi ad Sophronium* , hoc eſt , Epiſtola CXXXIV. in antiquis editionibus . Poſt Præfationes occurrit primo Expoſitio in Pſalmum XVII. tum in XVIII. XXI. XXV. & XXVIII. ubi ad ea verbas *Confringet Dominus cedros Libani* , hæc inter alia leguntur : *In hoc loco voluit dicere pro vitulamine . Ita namque & Hebræus habet : ſicut vitulamina Libani . Vitulamina verò Libani dicuntur parva virgulta , quæ ſunt pro ipſa ſui tenuitate fragilia . Et quoniam cedros Libani Aſſyrios vocaverat propter ingentes corporum formas , intulit : Et comminuit atque contrivit ſicut vitulos Libani ;* B *ita , inquit , illos ſublimes & grandes brevi tempore comminuit atque contrivit , ſicut vitulamina , quæ exilitate ſui facile conteruntur . Syrus namque, quod hic poſitum eſt : Et comminuit eos tamquam vitulos Libani , ita ait : Inimicos ſicut germina cedrorum . Germina autem Cedrorum optime virgulta vocavit ab arborum radice ſurgentia* &c. Rurſus hæc ibi leguntur ad verſiculum : *Et commovebit Dominus deſertum Cadis . Eadem ſæpius deſertum indicans , quod deſertum Cadis non eſt , ut quidam putaverunt , ſcriptum Cadis , ſed Caddis . Caddis verò non eſt nomen loci atque regionis ; ſed Caddis dicitur a Syro , vel Hebræo ſanctum . Sanctum ergo dicit locum, qui erat ante Civitatem,* C *in quo Aſſyrii caſtra poſuerunt . Et remanſit hic ſermo ſecundùm Linguam Syram vel Hebræam in Voluminibus Græcis, ut Adonai, atque Sabaoth , & alia ſimilia* . Tum ſequitur Pſalmi XXIX. Expoſitio , deinde XXXIV. XXXV. XXXVI. ubi ad ea verba : *Quoniam benedicentes ei hereditabunt terram* , Commentarius iſte apponitur : *Syrum ita dicit : Quoniam maledicentur ab eo , excidentur . Aquila etiam & Symmachus concinenter : Benedicti ab eo hereditabunt terram . Senſus ita poſitus eſt , ut alii aliter interpretentur , ut Septuaginta dixerunt . Manifeſtus intellectus eſt , quoniam id quod dixit : Benedicentes ei , de Deo accipiendum ſit, non ſicut quidam opinantur, de David.* D Succedit Pſalmus XXXIX. ubi ad ea verba : *In capite Libri* , hæc adferuntur : *Aquila in volumine Libri poſuit ; nam apud Hebræos tam Legis quàm Prophetarum Libri ſinguli ſingulis erant voluminibus conſcripti* . Poſtremo ſequitur Pſalterii totius expoſitio a Pſalmo I. uſque ad ultimum , niſi quod in fine Codex eſt mutilus . An hactenus ex Commentariis iis delibata , & eruditionem utique non plebejam redolentia , Hieronymiani quidquam præferant , aliorum eſto judicium . Illud quidem ſtatuo , ſubſequentes in eo Codice Commentarios, longe abire a Sancti Hieronymi guſtu , doctrinâ & elegantiâ , & nil continere tanto Doctore dignum . Atque ut Lector non meis verbis , E ſed ſuis oculis credat , excerpta aliquot ejuſdem Operis ſubjicere placuit cum etiam in finem, ut facilius dignoſcat erudita gens , an hæc edita ſint , aut cuinam Scriptori ſint tribuenda . Dignus denique præ veneranda antiquitate ſua fœtus iſte eſt , cujus ſaltem particulæ aliquot , tenebris eripiantur , ſiquidem nondum integer lucem viderit .

Specimen Commentarii antiquiſſimi in Pſalterium, Sancto Hieronymo perperam tributi, in vetuſtiſſimo Codice Bibliothecæ Ambroſianæ.

PRimum Pſalmum quidam in Joas Regem dictum eſſe voluerunt, qui a Jojada Principe Sacerdotum & nutritus eſt, & interfecto Athalia in imperium ſubrogatus eſt; eo quod per omne tempus, in quo a Pontifice eruditus eſt in lege Dei, meditatus eſt noctibus ac diebus. Sed non audiendi ſunt hi, qui ad excludendam Pſalmorum veram expoſitionem, falſas ſimilitudines ab Hiſtoria petitas conantur inducere. Quomodo enim Beatum iſtum pronunciare potuiſſet, & ab omni errore amore virtutis alienum, cui in Regum Libris nullum teſtimonium de perfectione perhibetur? in quibus ita dicitur: Et fecit Joas rectum ante Dominum omnibus diebus, quibus inluminabat eum Jojada Pontifex. Verumtamen ab Excelſis non receſſit. Adhuc Populus ſacrificabat in Excelſis. Dicendo itaque omnibus diebus, quibus inluminavit eum Jojada Princeps Sacerdotum, fecit rectum ante Dominum, indicat, quod reliquis diebus ceſſante Jojadæ magiſterio fecerit id, quod primis inſtitutionibus minime conveniret. Refertur etiam in iiſdem Regum Libris, quod Azahelem Regem Syriæ ab impugnatione Hieruſalem Joas munerum oblatione ſubmoverit: quæ quidem dona de Templo ſublata miſit, quæ prius utique Deo tam ipſe quàm Reges Juda, ideſt Majores ejus obtulerant; quod actum indicatur his verbis: bonum eſt enim, nos ad agnitionem rei geſtæ teſtimonio lectionis accedere: Et accepit Joas omnia ſancta, quæ ſanctificavit Joſaphat, & Joram, & Ochozias patres ejus Reges Juda, & ſancta ſua, & omne aurum, quod inventum eſt in theſauris Domus Domini, & in Domo Regis, & miſit Azaheli Regi Syriæ. Huic igitur, qui Templum Dei ſpoliavit, & omnia intus poſita dona concuſſit, ac miſit ea viro alienigenæ, impio ac ſacrilego, quem Propheta David Beatitudinis apicem contuliſſet? Talis ergo Hiſtoriæ uſurpatio inconveniens adprobatur, & quod præſenti Pſalmo non poſſit aptari, in quo Beatus David pronunciatur vir, de quo ſermo eſt, atque omnis virtutis perfectione conſpicuus. In fine enim Pſalmi dicitur: Ideo non reſurgunt impii in judicio, neque peccatores, uſque peribit. Hoc dictum his convenit, qui poſſunt & morum perfectione, & pro bono converſationis ſuæ, apud Deum confidentiam habere non minimam. Joas verò Rex non talis oſtenditur Hiſtoriæ lectione, ut dignus Beatitudine comprobetur. Eſt ergo moralis Pſalmus, quod ex iis, quæ ſequuntur, apparet; in quibus & de Virtutum appetitu, & de Errorum abſtinentia diſputatur: quod in Joas proprie non poteſt convenire. Parvulus enim per illud tempus, in quo Jojada Pontifice nutritus eſt, neque averſari mala judicio ſuo poterat, neque in meditatione Legis curam ſedulam admovere, qui ad omne ſtudium pro nutrientis ducebatur arbitrio. Septimum itaque ætatis agenti annum onus inſigne Regiæ dignitatis impoſitum eſt. Duo itaque ſunt, quæ faciunt hominem ad Beatitudinem pervenire, dogmatis recti ſententia, ideſt, ut pie de Deo & integre ſentiatur, & morum emendata formatio eſt, priuſquam honeſte ſanceque vivatur. Neutrum ad perfectionem valet ſine altero; alterum verò altero aut ſuppletur aut comitatur. Sed fides inter hæc primum obtinet locum, ſicuti in corpore honorabilius caput inter reliqua membra cenſetur. Ad perfectionem tamen hominis neceſſaria eſt reliquorum acceſſio & compago membrorum. Similiter & ad conſummationem vitæ hujus oportet, utraque concurrere, Fidem ſcilicet & Vitam. Et Fidei quidem ad profectum comprehenſio res ardua atque difficilis, cuſtodia verò facilis. Vitæ autem ratio ad intelligendum prona, & quæ omnium intellectui tam in bonorum adpetitu, quàm in malorum fuga videatur expoſita. Exhibitio verò non operis parvi ac laboris, ſed nonnumquam vitæ merito ad fidem aditus aperitur, & e diverſo ad perfectam cognitionem ejus peccatis obſtruitur, nam velut quibuſdam tenebris converſationis ſincerum intercluditur ejus, & puritas impeditur. Unde hanc partem maxime Scripturæ divinæ eſt moris excolere. Et ideo etiam in præſenti Pſalmo ante documenta diſciplina moralis indicitur, nam obeſſe perfectæ Fidei morum vitia Apoſtolo teſte diſcimus, qui ait ad Corinthios: Non potui vobis loqui quaſi ſpiritualibus ſed quaſi carnalibus, quaſi parvulis in Chriſto. Et ſubjungit: Cum enim ſit inter vos zelus & contentio, nonne carnales eſtis, & ſecundùm hominem ambulatis? Cum e contrario cor melius ad Fidem ſit ſuffragio converſationis admiſſus (*). Hoc itaque argumentum eſt præſentis Pſalmi. Debemus jam adjuvante Domino per partes ad reſerandum intellectum ejus accedere, & ſi neceſſe fuerit pro conſideratione rerum occurrentium, aliqua latius explicare. Non obliviſcemur tamen ejus, quam promiſimus in Præfatione, brevitatis. Hoc autem maxime ſervabimus in præſenti Pſalmo, & in reliquis omnibus, ut omnem intellectum in ſummam redigentes ſtrictim, quicquid dicendum eſt, explicemus, quoniam non eſt nobis propoſitum latius cuncta proſequi, ſed ſummatim dictorum omnium ſenſus adtingere, ut poſſint lecturis expoſitionis prima facie relucere; illis relinquentes occaſiones majoris intelligentiæ, ſi voluerint aliqua addere, quæ tamen a præmiſſa interpretatione non diſcrepent. Iſta enim veri eſt intellectus perfectio, ut ſecundùm Hiſtoriæ fidem tenorem expoſitionis aptemus, & concinnenter ea, quæ dicenda ſunt, proferamus.

Beatus vir, qui non abiit in conſilio impiorum, uſque ſedit. Interdum Scriptura divina inter impium & peccatorem facit differentiam, impium vocans Dei veri notitiam non habentem, peccatorem verò honeſti, juſtique tramitem non tenentem. Tamen eſt, ubi communi vocabulo utrumque ſignificat. In præſenti Pſalmo tamen videtur facere diſtinctionem, quoniam vult, qui ſit ſtatus perfectionis exprimere, cui etiam Beatitudinem credit rite competere, vel propter perfectam de Deitate notitiam, vel propter ſtudia vitæ melioris. Quod verò ait, non abiit, non ſtetit, non ſedit, animæ motus corporalibus ſignat indiciis. Quoniam, cum aliquod molimur efficere, primùm ad arripiendum opus movemur in greſſum; deinde ſubſiſtimus, ubi res cœpit eſſe

(*) Heic mendum cubat.

eſſe in manibus ; ad ſedendum verò convertimur negotio jam parato . Hoc ergo Sanctus David ait : quoniam ille verè Beatus ſit , qui neque primis quidem veſtigiis impietatum cogitationem adiit , vel ingreſſus eſt , neque adfectum pravi operis admiſit , neque ullâ inretitus eſt malæ delectationis inlecebrâ ; quod nomine cathedræ & ſeſſionis oſtenditur , ut eorum conſortio jungeretur , qui aliorum ſimplicitatem veneno ſuæ pravitatis inficiunt . Hos enim peſtilentes vocat, quorum eſt plane morboſa conjunctio . Eſt autem peſtilentiæ proprium , ab uno in alterum tranſeundo inficere multorum corpora atque vitiare . Non abiit ergo dicendo , conſenſus cogitationum notavit, quibus ad pravas ſuggeſtiones rapimur, & id , quod libuerit , implere properamus . Quod verò ait, non ſtetit , in opus exiiſſe indicat id , quod cogitatio ante ſuggeſſerat , quod tunc implemus , cum delectat in aliis operibus gradum figere , ac ſæpius reſtitare . Pro cathedræ autem ſeſſione ille ſignatur, qui ita delectatur , & requieſcit in mala conſuetudine , ut reliquis ejuſdem ſtudii hominibus ſine ullo verecundiæ miſceatur aſpectu. Quod verò impiorum conſilia ponit , peccatorum verò opera , ſatis ad utrumque reſpexit . Impietas enim ad agitationem mentis pertinet , & motus non rectè animæ ſentientis . Peccatum verò in rem actio jam deducta . Tertium , quod addidit , utriſque ſubjecit , quoniam non ſolùm hi peſtilentes vocantur , qui male ſentiendo corrumpunt reliquos , & ſocietate ſuâ perimunt ; verùm etiam illi , qui tabe conſortii , bonum converſationis ſuæ rectæ infringunt , quibus in totum non admiſceri eſt ſibi optime conſulentis . Et ideo hunc, qui per omnia declinat a talibus, Beatum præſentis Pſalmi lectura deffinivit , qui ita actus ſuos circumſpicit, ut etiam aliena mala ſollicitatione declinet . Et verè , ut ne alienis maculis candor ſuus , puritaſque fuſcetur, quoniam tendentibus ad beatitudinem non ſufficit recedere tantùm a malis, ſed etiam bona facere neceſſe eſt , inferius ait : Sed in Lege Domini fuit voluntas , uſque die ac nocte . Non ſolùm , inquit , ſtudet malorum conſortia declinare , verùm aſſiduâ & jugi meditatione Legis diſcit , qualem ſe formare conveniat . Et ut fructuoſum hujuſmodi , quod commendare nititur , probet ſtudium , inducit ſimilitudinem, per quam poſſit bonum ejus, quem Beatum dicit, hominibus relucere : & erit , ſicut lignum , quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum , uſque proſperabuntur . Sicut arbor , inquit , cui virere jugiter natura eſt . Etiam locus in quo plantata fuerit , vivificatur beneficio , ut ab ariditate aquis defendatur irriguis . Atque ob hoc multis fit fructibus plena , quæ neque aëris , neque loci , neque temporis injurias ſentit . Id enim indicat , quod ſequitur dicens : Et omnia, quæcumque faciet , ſemper proſperabuntur . Eſt omnibus tam perpetuo virore, quàm pomorum numeroſitate conſpicua . Ita etiam ille clarus erit , qui ſe & a malis abſtinuerit , & bonorum ſtudiorum amore devinxerit , quem nec ulla peccatorum opera deturpant , & meditatio continua Legis exornat . Non ſic impii , non ſic , ſed tamquam , uſque a facie terræ . Superioribus dictis omnes ad virtutis ſtudium provocavit , præſentibus deterret a vitiis , & per comparationem pulveris oſtendit , quanta ſit utilitas impiorum , & qui non digni aliquo æſtimantur adſpectu , & ita malis ſupervenientibus impellantur facile , ac ſtare non poſſint , ut pulvis , qui pro tenuitate

A ſua ac levitate , ventorum flatibus huc illucque diſpergitur . Ideo non reſurgunt impii, uſque juſtorum : Hoc dicens , non reſurrectionem impii denegavit , qui utique , ſi non reſurgerent, lucrifacerent futura ſupplicia , quæ quidem non aliter niſi reſtituti in corpore ſuſtinebunt : non ita erit commune animæ corporiſque ſupplicium, ſicut fuit peccatorum communis admiſſio . Quod ergo dicit , tale eſt , quia conſuevimus in apertis criminibus moras ad inquirendum nullas adhibere , ſed ſtatim condemnationis ferire ſententiam . Ita & impii ad pœnam reſurgentes , non illam delationem habebunt , quæ ſolet judiciariis inquiſitionibus admoveri , quos gravius manere ſupplicium per hoc indicatur , quod ſta-
B tim & velut acceleratâ ſententiâ in locum meritis ſuis debitum , & in ultimum contrudentur exitium . Et ideo non dixit abſolute : Non reſurgent , ſed addidit in judicio ; hoc eſt , non reſurgent ad examinationem , ſed reſurgent, ut ſtatim ſententiam damnationis excipiant . Et ne fortè ex communi Reſurrectionis nomine communem æſtiment etiam expulſionem futuram eſſe cunctorum , oſtendit, quoniam in eodem momento Reſurrectionis magna futura ſit diverſitas , ut alius per illum ad honorem perducatur, alius mittatur in pœnam . Erit ergo pretioſa aliis & remunerabilis , aliis gravis atque terribilis. Bene ergo inter impium & peccatorem fecit differentiam , & impios quidem ait in judicium
C non reſurgere , ideſt , ut ſuperius diximus, non in examinationem venire ; peccatores autem in concilio juſtorum , hoc eſt , ut nulla illis ſit in juſtorum remuneratione communio . Tradentur ergo & ipſi ſuppliciis : nam qui per peccata excluduntur a premiis , ea ſine dubio , quæ ſunt præmiis diverſa , patientur . In hoc ergo erit differentia , ut impii quidem reſurgant non diſcutiendi , ſed ſtatim locis triſtibus deputandi , peccatores verò , ut nullâ juſtis communione jungantur . Hoc autem manifeſtiſſime ex his , quæ ſequuntur , oſtenditur : Quoniam novit Dominus viam juſtorum , ideſt ; placitam ſibi, & acceptam eſſe remunerationis teſtimonio perdocebit : & iter impiorum peribit . Ideo igitur
D non reſurgunt impii, quia omnium viæ perfectâ Dei notitiâ continentur , atque ab hoc ſine ulla delatione reſurrectionem eorum conditio & ſors digna ſuſcipiet .

Explicit Pſalmus primus.

Incipit ſecundus .

IN ſecundo Pſalmo Beatus David prophetans narrat omnia , quæ a Judæis Paſſionis Dominicæ impleta ſunt , tempore quorum ſacrilegos contra Dominum motus rationis vacuos , inaneſque commemorat , & conatus noxios inaneſque deſcribit . Indicat etiam jus imperii , &
E potentiam dominationis inſinuat , quam ſuper omnia poſt Reſurrectionem homo a Deo ſuſceptus accipit . Exhortatur quoque ad petitum Beatitudinis, quam dicit per ſuſceptionem Fidei conferendam . Fugiendam infidelitatem monet, cujus fructus damnatio ſit futura . Hæc autem in Chriſtum prædicta ſi quis Chriſtianorum ambigit , utemur ad probationem Beati Apoſtoli Petri teſtimonio , in quo ait : Quare fremuerunt gentes , & Populi , uſque adversùm Chriſtum ejus . Verè enim convenerunt Herodes & Pontius Pilatus cum Principibus Populi , & Senioribus adversùs ſanctum puerum Jeſum. Adſunt etiam Beati Apoſtoli Pauli dicta, in quibus ait :

Ad quem autem Angelorum dixit aliquando? Filius meus es tu. Ego hodie genui te. *Adverſùm Judæos verò, qui Prophetiæ hujus tenorem a perſona Domini detorquere conantur, quorum alii in Zorobabel, alii in David volunt dicta Pſalmi hujus accipere, congrediendum eſt. Sed omiſſis illis, qui dicta iſta ad Zorobabel rapiunt, cum his manus eſt conferenda, qui eam in David dictam conantur adſtruere. Relinquamus ſane unicuique lecturo, ſi velit, hiſdem uti argumentis etiam contra eos, qui ad Zorobabel Pſalmum hunc dixerint pertinere. Utilius autem eſt cum fortioribus inire certamen, quibus victis neceſſe erit etiam infirmiores quoſque conruere. Æqualis namque & par ab utriſque contra nos pugnat intentio, etſi veriſimiliora dicant, qui ad David, quàm qui ad Zorobabel Pſalmum conantur inflectere. Unde majus certamen eligimus, quia dejecto valentiore, eádem ruinâ etiam imbecillus involvitur. Hiſdem ſane objectionibus, ſi qui ſtudioſi ſunt Fratrum, contra utrumque poterunt ſufficienter armari.*

Quare fremuerunt gentes, *uſque* inania. *Fremitus proprie dicitur ille equorum ſonus, quem naribus viciſſim in lite poſiti indicem furoris emittunt, quando animos ſuos in jurgia flatibus ardere ſignificant. Irrationabiles ergo Beatus David contra Dominum Judæorum motus indicans, non eſt dignatus eis illam, quæ poteſt in homines cadere, perturbationem mentis adſcribere. In hoc autem loco, ſi a Judæis quæritur, quæ gentes congregatæ ſint adversùs Dominum, reſpondemus: Herodes, & Pontius Pilatus, ac milites, reliquique, qui eorum imperiis tunc parebant, quos conſequenter vocat* Populos, *ſeu* gentes, *non univerſitate eorum, qui adfuturi erant, ſed a parte ſignificans. Neque enim ita dicit gentes, ut omnes undique velit intelligi, ſed partionale univerſali appellatione ſignavit. Diviſit verò inter Populos & gentes, quoniam Judæi comprehendentes Dominum tradiderunt Pilato, & non ſolùm Pilato, ſed etiam Herodi, quos utroſque Gentiles fuiſſe non dubium eſt. Hoc ergo, quod dicit:* Quare fremuerunt gentes: *quæ fuit, inquit, tanta cauſa, quæ illis motus furiarum ingeſſit? aut quibus dementiæ facibus accenſi ſunt Populi, ut armari contra Dominum non timerent? & non ſolùm eum ſuis temerare manibus, verùm etiam Gentibus tradendo piaculi crimen augerent?* Adſtiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt in unum. *Eadem, quæ ſuperius interrogationis figura, cum non ſubeſſe cauſa furoris exprimitur. Auſus enim tam nefarii multorum in ſe ora converterant, & facti temeritas ad ſpectaculum omnes excitaverat. Convenerunt multi etiam longe poſiti, maxime viſione illâ permoti, quæ de obſcuratione Solis facta eſt, qui quidem illâ horâ, quando medium tenens cœlum ſolet eſſe clarior, virtute Dei obſcuratus, omnem terram tenebrarum denſitate velavit. Similis autem ſigni novitas in diebus Ezechiæ Regis apparuit, quando Sol revocatus eſt per ea ſpatia, quæ fuerat emenſus, quod quidem eſt in Libris Regum, & in Ja. . . . . volumine continetur. Quo facto attonitus Aſſyriorum Rex miſit dona Ezechiæ, attonitus miraculis, ſignique novitate.* Et Principes convenerunt in unum. *Scribas, Phariſæoſque ſignat, qui de ſententiarum impietate non diſcrepantes mortem Domini crimen commune fecerunt.* Adversùs Dominum, & adversùs Chriſtum ejus: *adversùs Patrem,*

A *inquit, & Filium, quoniam ad contumeliam Patris Filii ſpectat injuria, & in utrumque committit, qui in alterutrum prophanus extiterit:* Diſrumpamus vincula eorum, & projiciamus a nobis jugum ipſorum. *Per id quod ſuperius dicitur,* quare fremuerunt gentes, *irrationabilis furor, & ſtultitiæ plenus notatur, qui cum nullas habuerit offenſionum cauſas adversùs Dominum, tamen facibus animi dementis exarſerint. Per hoc autem, quod ait:* diſrumpamus vincula eorum, *aperitur quod velut rationis intuitu ad auſus ſacrilegos venerint, & quæ fuerit intentio impii conatus oſtenditur. De communi ergo gentium intelligendum eſt, quod dictum eſt tam ex perſona*
B *Populi, quàm Principum:* Convenerunt in unum adversùs Dominum, & adversùs Chriſtum ejus. Diſrumpamus, *itaque ajunt,* vincula eorum, & projiciamus a nobis jugum ipſorum: *hoc eſt; removeamus a nobis Patris, Filiique dominatum: non eorum ultra ſubdamur imperio. Sic enim agebant omnia, quaſi qui nollent ſub Dei legibus vivere, non ab impietate ullâ divini timoris conſideratione revocari. Dicit autem, non quia talia locuti ſunt Scribæ atque Phariſæi, ſed quia talia fecerint, ut ex qualitate operis ſermo talis proceſſiſſe videatur. Conſuetudo namque eſt divinæ Scripturæ, & maxime Beato David, ex operis merito formare vocem, ut cum inquit, de oſoribus ſuis:*
C Narraverunt, ut abſconderent laqueos, & dixerunt: quis videbit eos? *Non quia illi iſta dixerint, ſed quia talia egerint, ut putarent neminem futurum, qui opera eorum poſſet inſpicere & eos contemplatione ſui a pravis conatibus amovere.* Vincula eorum, & juga ipſorum *jus dominationis appellat, quoniam ſunt vinculis abſtricti, & ſub jugo poſiti libertate carent, neque poſſunt vel in agendo vel in eundo copiam voluntatis ſuæ obſequi. Ita & quem conditio ſubdit inferior jugo ſervitutis, prorſus præceptis Domini ſui parere compellitur. Hoc itaque Beatus Propheta Hieremias ex perſona Domini exprobrat Judæis, quod abjecto ejus famulatu, idola colendo ſuſcipiunt.* Non eſt
D placitum mihi in te, inquit Dominus, quoniam a ſeculo contriviſti jugum tuum, diſrumpiſti vincula tua, & dixiſti: non ſervio tibi; *hoc eſt, dicens; removiſti a te dominationem meam.*

Qui habitat in cælis, inridebit eos, & Dominus ſubſannabit eos. *Inefficaces, caſſoſque contra Dominum vult Judæorum conatus oſtendere, ſicut & ſuperius fecit dicendo:* Et Populi meditati ſunt inania. *Etſi deſideria, inquit, eorum, atque opera videantur impleta, vana tamen eorum eſt omnis intentio, Domino actus eorum ſubſannatione dignos riſuque judicante. Per quod utique non ſolùm inrita, quæ egerunt, ſed & inutilia illis & noxia probantur.* Tunc
E loquetur ad eos in ira ſua, & in furore ſuo conturbabit eos. *Cum ea, quæ audent ac moliuntur, perfecerint, cum opera voluntatis ſuæ impleverint, crucifigentes & interficientes Dominum, tunc motus ultoris pertiment, tunc iram vindicis ſuſtinebunt, tunc in omni conturbatione ac malis innumeris poſiti operis ſui meritum cogentur agnoſcere.* Ego conſtitutus ſum Rex ab eo. *Hoc ex perſona ſuſcepti hominis, qui eſt crucifixus, inſeritur, de quo alibi ait:* Quid eſt homo, quia memor es ejus, aut filius hominis, quoniam viſitas eum? *uſque* ſub pedibus ejus, *ac reliqua. Quæ manifeſte de ſuſcepto homine dicta eſſe. Beatus Paulus oſten-*

A *oſtendit* , *dicens* : *Conteſtatur autem quis quodam in loco dicens* : Quid eſt Homo , quia memor es ejus , aut Filius Hominis , quoniam coronas eum ? *Et ſubjungit* : Eum autem , qui modico quàm Angelus memoratus eſt , videmus Jeſum propter paſſionem mortis gloriâ & honore coronatum . *Deus enim Verbum non eſt Rex conſtitutus ex tempore , cujus utique non cœpit aliquando , ſed fuit & eſt ſemper imperium , qui ut in natura habuit creare quæ voluit , ita in natura habet dominari omnium ut a ſe perfecto jure factorum . Non ergo nuper additam & velut novellam habet poſſeſſionem , quia inconveniens erat , ut nullus juris haberet in his , quæ ipſe condiderat . Suſceptus itaque*
B *homo ſuper omnia dominationis accipit . Ab inhabitatore ſuo verbo ſuo ; & hoc manifeſte indicat Scriptura divina , Beato David dicente* : Quid eſt homo , quia memor es ejus ? *& reliqua . Et Apoſtolus Paulus hominem aſſerit Jeſum , cujus memor fuit Deus , & qui tanto dignus honore ſit habitus . De hoc ergo in præſenti Propheta David loquitur , ideſt ſuſcepto homine a Deo verbo ; quod quidem etiam ipſe Dominus dicens eſſe teſtatur* : Domine , Dominus noſter , quàm admirabile eſt nomen tuum in univerſa Terra; quoniam elevata eſt magnificentia tua ſuper cœlos, *uſque* ſub pedibus ejus, *& reliqua . Cum ingrederetur enim Hieroſolymam , occurrerunt ei pueri , dicentes* : Oſanna
C in excelſis : Benedictus , qui venturus eſt in nomine Domini . *Scribæ verò invidentes dixerunt ad eum* : Non vides , quæ iſti dicunt ? *Reſpondens ait eis* : Etiam . Non legiſtis ? ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem. *Si ergo dicta iſta perſonæ ejus proprie conveniunt , & reliqua conveniunt , quæ ſequuntur , ideſt* : Quid eſt homo , quia memor es ejus ; & minuiſti eum paulo minus ab Angelis , *uſque* ſub pedibus ejus . *Illum itaque hominem , cui tantus honor delatus ſit , & qui dominationem ſuper omnia accipit , Beatus Apoſtolus Jeſum eſſe confirmat , quoniam ex his , quæ dicta ſunt , alia conſtant Deo , alia ſuſcepto homini convenire . Quid enim unus atque idem juxta unam naturam & memor eſt & dignus memoriâ*
D *ducitur , viſitat ac viſitatur , gloriâ & honore coronat , atque coronatur , dominationem ſuper omnia confert & ſuſcipit ? quomodo etiam poſſit intelligi de Deo Verbo , quod dictum eſt* : Minuiſti eum paulo minus ab Angelis? *Per omnia itaque dicta ſic comprobatur hoc , quod dictum eſt* : Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo , *ad adſumptum hominem pertinere , qui ut omnium eſſet Dominus , Deo Verbo conferente , hoc ſuſcepit . Si quis verò dicat a Patre collatum eſſe homini , non a Verbo , non eſt ulla diverſitas , utrum a Deo Verbo , an a Patre Homo adſumptus, ſit tanto honore donatus . Hoc ſolum mihi curæ fuit oſtendere , nihil conſequenter dicere eos , qui ex diſpenſatione carnis*
E *adſumptæ occaſionem accipientes , ſimplices, imperitoſque decipiunt, atque audent . . . . cui datum ſit imperium , & per hoc minorem unigenitum Filium a parte Deitatis accipere* . Super Sion montem ſanctum ejus prædicans præceptum Domini . *Ita legendum atque intelligendum eſt* : Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo , *ut ſit plena diſtinctio , & ſequatur ſuper Sion montem ſanctum ejus* , prædicans præceptum *Domini . Siquidem in Judæa majore converſatus tempore , & ſtudio dicendi inſtetit , & in ſignorum , curationumque opere atque admiratione virtutis innotuit . Unde dicit in Evangelio* : Væ tibi Chorizaim ! Væ tibi Bethſaida! quoniam ſi in Tyro & in Sidone factæ fuiſſent virtutes, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egiſſent. *Conſequenter ergo ſuperioribus junguntur iſta , quæ ſequuntur , ideſt illi quidem operibus ſuis digni inriſione ſunt habiti . Ego autem a Deo ſuper omnia jus dominationis accepi, commoratuſque in Judæa auditores ſalutaribus doctrinis inſtitui . Ex hoc autem ſupplicio majore ſunt digni , quia cum in medio eorum verſarer, ad ſalutem tamen duci , neque perfectione magiſterii mei , neque ſignorum multitudine atque novitate voluerunt* .

Dominus dixit ad me : Filius meus es tu . Ego hodie genui te. *Ad eum ſine dubio Filium dictum hoc referendum eſt , cui poteſt præſentis temporis generatio convenire , & cujus nativitatis diem totus profecto Orbis agnovit . Illam autem generationem , quæ ante omnia tempora ex Patre eſt Dei Verbi , non potuit fini , ideſt tempori, ſubjacere, quod præſentis dici appellatione ſignatur . Nam & illud , quod dictum eſt* : Hodie , ſi vocem ejus audieritis , *& reliqua, ita intelligendum eſt , ut non ad infinitum tempus , ſicut quidam putant , ſed ad finitum , præſenſque referatur . Infinitum namque tempus in numero dierum eſt ; hoc enim ipſum die indicat de præſenti tempore ſe dicere : nam & nos tali appellatione, ideſt* Hodie, *præſens tempus conſuevimus indicare , & quoniam non infinitum tempus tali ſignetur indicio , oſtendit Beatus Apoſtolus , dicens* : Iterum determinat diem quemdam , ita David dicendo : Hodie ſi vocem ejus audieritis . *Hodie itaque ad finiti temporis ſpectat indicium , quia infinitum non poteſt tali appellatione ſignari. Unde & in præſenti lectione* hodie , *quia dictum eſt , ad illam ætatem referendum eſt , quæ erat in manibus , cui competebat Domini generatio corporalis* . Poſtula a me , & dabo tibi gentes hereditatem , & poſſeſſionem tuam terminos terræ . *Adverſùm Hæreticos quidem , ut hæc non de Deo Verbo , ſed de Homine accipiantur , ſufficienter in ſuperioribus actum videtur . Eadem ſine dubio conſequentiâ etiam hæc , quâ ſuperiora , dicta ſunt a Propheta . Nunc jam contra eos ſermo nobis moveatur. Interrogemus iterum illos , quas gentes in hereditatem , & quos in poſſeſſionem terminos terræ David Beatus acceperit ? quando ita regnaverit , ut ei totus ſubjiceretur Orbis ? quando imperio ejus ultimi terrarum fines acceſſerint ? Si reſponderint : quando accepit hereditatem gentium , & varia ſibi armis regna ſubjecit , ideſt vicinarum , proximarumque nationum ; terminos autem terræ dici fines Judeæ regionis multis locis Scripturæ divinæ teſtimonio probari : interrogemus eos, hoc, quod ait Apoſtolus* : Et dabo tibi gentes, *uſque* terræ, *ac ſubjungitur* : Reges eos in virga ferrea ; *uſque* franges eos , *in communi putent , ideſt ad utrumque referendum , ut ſit & de Gentibus , & de terminis Judeæ terræ dictum , aut de ſolis Judeæ terminis ? dicens enim* ; & poſſeſſionem tuam terminos terræ , *ſtatim junxit* : reges eos in virga ferrea , *uſque* eos. *Sub hac ergo conditione , o Judæi , Beatus David in vos jus accepit imperii , ut vos comminueret atque contereret , non ut providentiâ ſuâ regeret atque defenderet ? Quid quod non legitur vobis ita præfuiſſe ? Nam alio in loco ita de ipſo dicitur* : Elegit David ſervum ſuum , *ac motus imperii ejus dictis talibus explicatur* : Et pavit eos in innocentia cordis ſui ; *alligatur manſuetudo cordis ejus , ut non videatur dure*

vobis

vobis & crudeliter imperaſſe. Quomodo igitur audebitis dicere ab hoc illum a Deo percepiſſe imperium in vos, & ita vos Deo fuiſſe vehementer exoſos, ut conſtitueret vobis Regem, qui vos non aleret & foveret, ſed ad ſimilitudinem vaſis fictilis ſuo rigore contereret? Sed neque eritis tam amentes, ut vos ſaltem pudor ab hac profeſſione non retrahat. Non ergo conveniunt Beato David iſta, quæ dicta ſunt. Domino verò apertiſſime junguntur, cujus Regnum porrigitur ad ultimas terræ extremaſque regiones, atque ad totius Mundi partes extenditur, qui tam Gentium quàm Judæorum ſtatum percuſſum virgâ dejecit atque contrivit: non ut eos perderet, ſed ut in melius reformaret, cogeretque depoſito vetere homine in novum per Baptiſmi ſacramenta migrare. Hoc namque indicare volens Beatus David; profecto, ait, ſicut vas figuli confringes eos; *oſtendens per ſimilitudinem, quoniam contritionem eorum non eſſet perditio, ſed innovatio ſecutura. Hæc eſt enim figuli omnis intentio, ut vaſa ſi non ſint facientis manum ac voluntatem ſecuta, dum adhuc viridia ſunt, & nondum fornace durata, comminuat, ac formanda rurſus rotæ imponat. Huic namque ſenſui etiam Beatus Hieremias perhibet teſtimonium loquens ex perſona Dei:* Aut ſicut figulus iſte non potero vos facere Dominos Iſrahel, dicit Dominus: *hoc eſt, lapſos e manibus meis reparare rurſus nequeo, & in meliorem ſtatum formamque convertere?* Et nunc Reges intelligite: erudimini, qui judicatis terram. *Hinc jam utilitas exhortationis inducitur, & provocantur omnes, ut ad credendum Domino properantes accedant. Neceſſarie autem ad Reges ſermo dirigitur, qui Chriſto difficilius crediderint, & non parva impedimenta etiam aliis credere volentibus adtulerint, dum ad acceſſum Fidei terrorem perſecutionis opponunt, unde conſequenter ipſos exhortationis hujus ſermo compellat.* Servite Domino in timore, *uſque* tremore. *Non coactum, ad quem provocat, ſed devotum vult eſſe famulatum, & ob hoc quod dixerat:* Servite Domino in timore; *ne quis exiſtimaret degenerem illam, quæ extremæ conditionis eſt, imperare formidinem, intulit:* Exultate ei cum tremore. *Per primum verſiculum dum ſollicitum ſervitium imperat, voluit honorem ejus, cui ſerviendum eſſet, oſtendere, quia quanto ſublimior eſt, cui parandus eſt, tanto ſollicitius ad officia ejus acceditur. Per ſequentem verò lætitiam, non triſtis animi ſubjectionem verbo exultationis expreſſit, & quæ non mœroris cauſa futura eſſet ſervientibus, ſed ſalutis. Nam dum talis Domini obedimus imperiis, & vitæ noſtræ conſulimus, & bono conſcientiæ purgatioris implemur.* Apprehendite diſciplinam, ne quando iraſcatur Dominus. *Volens nos tenacius divinis magiſteriis inhærere, convenienti voce, ut diſciplinam comprehenderèmus admonuit.* Et pereatis de via juſta, *uſque* ejus. *Sciens Propheta virtutes pro præmiis, vitia numerare pro pœnis, id pro maximo ſupplicio comminatur, ad quod illos neglecto Domini magiſterio ſtudia ſua erant, voluntaſque raptura: ſcilicet quod ſi nolint doctrinis cæleſtibus erudiri, per iram ulciſcentis Domini, a viis juſtitiæ efficerentur alieni. His iterum dictis timorem incutiens auditori debuit priuſquam invitaretur ſubjicere, & ideo neceſſarie addidit:* Beati omnes, qui confidunt in eo.

Explicit

A

In Pſalmo Nono ad ea verba

Ut quid Domine recedis longe, *uſque ad hunc locum, de vicinis gentibus ſermo fuit, quæ adſiduo filios Iſrahel incurſu, belloque quatiebant. Hinc verò contra ipſius Populi potentes, qui tenuiores quoſque vexabant, omnis querela conſurgit. Nam tam apud Hebræos, quàm apud Syros alter Pſalmus hinc incipit. Quod autem dicit &c.*

Incipit Decimus Pſalmus.

B

Cum Beatum David perſecutio Saulis urgeret, hi quos fugæ ejus, aut calamitas, aut neceſſitudo conjunxerat, ſuadebant, quæ vel timor, vel periculum ſuggerebat, ut de hoc monte ad alium tranſeundo, atque ab illo rurſus ad alium migrando, periculum comprehenſionis & mortis effugeret. Tunc igitur hunc Pſalmum cecinit.

In Domino confido. Quomodo dicitis animæ, *uſque* arcum. *Quare, inquit, ſuadetis debere me effugientem, montes vice paſſeris commutare, quia peccatores, ideſt Saul ad capiendum me intentus eſt? Sed ego* in Domino confido, *& ab hoc declinandas ejus inſidias cum magnâ curâ ſollicitor. Peccatores verò vocat Saul & eos, qui cum eo erant, ex opere eis nomen imponens, ideo quod ſine cauſa odientes David, ejus perſecutione peccarent. Hoc ergo eſt quod dicit:* tranſmigra in montem ſicut paſſer, quoniam ecce peccatores intenderunt arcum. *A comitibus David dicitur, ut loca fugiens, diverſa commutet.* Paraverunt ſagittas ſuas, *uſque* corde. *Sermo ex perſona ipſius David. De Saulis opere, & de conatibus conquerentis inducitur. Ita, inquit, paratus eſt nos interficere, quaſi tenebris denſitate ſui cuncta involventibus, teſtem operis non ſit habiturus.* In obſcuro *autem dixit, quod eſt in Græco σκοτόμηνη, ideſt cum noctis tenebras facit etiam Lunæ abſentia denſiores.* Mene *enim* Lunam *Græci vocant, unde etiam* menes, *quod eſt* Menſes, *rectiſſime nuncupaverunt.* Men *namque proprie apud eos certus dierum numerus dicitur ac finitus, ut puta, quia prima die creſcentis Lunæ uſque ad ultimum deficientis impletur. Poſt quam iterum ipſius Lunæ incipiunt incrementa reparari, qui numerus eſt ſemper æqualis, neque augmenta aliqua reſpiciens, neque ulla ſentiens detrimenta. Nam Lunæ curſus ſub uno ſemper, eodemque dierum numero terminantur, quæ quidem ut poſt impletionem ſui vacuatur, ita iterum vacuata completur. Unde ſive XXX. Lunæ dies, qui . . . . . ſive medium diem, ideſt VI. horas diei ſubducant, hi qui ſibi videntur diligentius ſupputare, ut ſint XXIX. & medium diei, ſecundùm unam tamen ſummam circulus Lunaris impletur. Nam hi, qui vulgo dicuntur Menſes, per quos anni orbis velut in XII. partes cæditur, nomen hoc non proprie reciperet; neque enim ideo Menſes vocantur, quia eorum ſpatia aſtrorum certis curſibus includantur, nam hoc exſequuntur omnes dierum numero. Nam aliis Menſibus poſt XXX. dies unus additur. Alii verò duo non ad XXX . . . . . perveniat, ſubducuntur, & hoc non ſemper. Nam poſt Annos IV. unum recipit, ut uno tamen a XXX. minuatur unum, cum ſit illis diverſus numerus, improprie Menſes vocantur. Lunæ autem ſub iiſdem ſemper ſpatiis creſcentis ac ſeneſcentis meritò hoc convenit*

C

D

E

nit , cujus vocabuli ignorantes vim atque rationem , ſtatutum dierum numerum Menſem vocarunt , quem proprie efficit Lunæ impleto dierum orbe ad initia reverſus . Nam ſicuti Annum itinera Solis explicant , certo temporis fine in orbitas ſuas recurrentia , quibus velut a januis Veris egreſſus , decurſis ſpatiis , ut annum impleat, ad Veris iterum initia revocatur , ita & Luna per tramites ſuos aſcendens deſcendenſque implet menſtruum tempus , unde & proprie Menſis vocatur præfinitus dierum numerus ab ea , quæ hoc efficit Mene , ideſt Luna . Quia ergo ait in obſcuro, *ideſt* in ſcotomene *ita poſuit , ac ſi diceret : in tenebrarum & caliginis denſitate ita nos alienos a culpa interficere nituntur , quaſi noctem patiantur inlunem , quæ nullius ad videndum , quæ faciunt , oculos teſtes admittat &c.*

In Pſalmo Duodecimo ad ea verba

Sanctis , qui in terra ſunt , mirificaſti, *uſque* in eis . *Secundùm intellectum, qui de Græca lectione vel in promptu poſitus videtur occurrere , facile poteſt aliquis ſuſpicari , de Iſrahelitis dicta eſſe ſanctis , qui in terra ſunt . Ita namque quidam hunc ſenſum , tamquam ad manum poſitum ſequentes , multum deviaverunt a veritate & virtute dictorum . Apud Syros autem ſive Hebræos non ita habetur , apud quos hoc modo poſitum eſt :* Superbis , *ac magnis potentibus , ac robuſtis , ideſt gentibus , quæ in circuitu noſtro ſunt, & nobis moleſtæ eſſe non deſinunt , admirabilis oſtenſus eſt , ut omnes voluntates meæ fierent in eis , dum te perſequente pereunt , atque exitio deputantur & gladio . Hæc namque erat Populi Iſrahel voluntas , ut impugnatores ejus ultio divina diſperderet . Juxta hunc ſenſum grandi conſequentiâ omnia ſibi dicta junguntur &c. Si ergo hoc quod dictum eſt*, Sanctis, qui ſunt in terra, mirificaſti quidem omnes voluntates meas in eis , *ſecundùm Syros & Hebræos intelligatur , ideſt quod fortes nationes , quæ in circuitu fuerant , vindicta ſit divinitus perſecuta , & hic ſenſus qui occurrit de Syro Hebræoque teneatur , jungentur ſibi aptiſſime omnia , quæ ſequuntur .* Multiplicatæ ſunt , *inquit* , iniquitates eorum, *utique gentium vicinarum , quæ Populo Iſrahel vincente corruerant . Si verò quis ea aliter voluerit accipere ſecundùm eum ſenſum , qui facile occurrit a Græco , quoniam ſanctis , qui ſunt in terra, ideſt Judæis, admirabilis oſtenſus ſit , ſecundùm quam conſequentiam jungentur , quod intulit* , multiplicatæ ſunt infirmitates eorum: *dicendo enim* eorum, *aperte oſtendit de iis ſe dicere , de quibus ſermo præceſſerat ; qui ſi Iſrahelitæ intelligantur , quis audebit de Populo Judæorum accipere* , multiplicatæ ſunt infirmitates eorum ? *Unde ille magis ſenſus , qui de Syro ſeu Hebræo naſcitur , ſequendus eſt . Unde & reliquorum dictorum conſequentia reperitur . Difficultas verò ſeu ambiguitas intelligentiæ iſtius de interpretationis neceſſitate provenit ; multa namque apud Hebræos inveniuntur , quæ ex rebus ſibi inſitis accipiunt nomen , quod quidem inter proprietatum collectiones in præfatione ſignavimus : ut eſt hoc de quo verſatur ſermo . Omne ſanctum ſingulare etiam præcipuum vocaverunt , eo quod in communionem vel in executionem reliquorum per meriti eminentiam non veniret . Hinc etiam vaſa Templi ſancta dixerunt , a promiſcuo uſu in Dei myſterium ſeparata . Nam & homines vocamus*

A *ſanctos utique , quos vitæ meritum a vulgari converſatione diſtinxit . Præcipuum ergo generaliter dicimus quidem id, quod aliqua ſui præſtantia diſtat . Præcipuos hinc formâ aliquos dicimus vel decore , eo quod ſint elegantiæ ſingularis . Præcipuos etiam vocamus, quos multa peritia facit præ ejuſdem artis conſortibus eminere , ſicut & robore præcipuum aliquem appellare conſuevimus , quem inter reliquos corporis virtus adtollit . Sed non ejuſmodi etiam ſanctos vocamus . Hebræus verò ab eo , quod ſancto etiam præcipuum ineſt, præcipuum ſanctum appellare conſuevit . Unde in hoc loco Sanctos pro fortibus poſuit &c.*

B *In Pſalmo Vigeſimo Octavo ad ea verba*

Commovebit Dominus deſertum Cades, *Hebræus vel Syrus* Cadis *legit , non* Cades , *quod interpretatur* Sanctum *&c.*

In Pſalmo Trigeſimo Secundo ad ea verba

Verbo Domini Cæli firmati ſunt . *Idioma Hebræorum eſt , plurali numero pro ſingulari uti . Ideo hìc* eorum *non ejus poſuit . Virtus autem Cælorum , vel ipſa firmitas elementi, vel ornatus aſtrorum , nam & Symmachus ita poſuit , omnis ornatus eorum &c.*

C *In Pſalmo Quadrageſimo Quarto ad hæc verba*

Vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis . *Te quoque ob honorem illius nobiles quique ſuſcipient . Quod quidem rebus videmus impletum , cum Apoſtolos ejus & Martyres ac Fideles quoſque , in quibus eſt Eccleſia , in gratiam Chriſti a Regibus conſpicimus honorari &c.* Adferentur Regi virgines poſt eam . *Ipſi videlicet Virginitatem ſuam ſacrantes, cujus apud veteres adeo impoſſibilis cuſtodia videbatur , ut Sancti quique ſingulis mulieribus non poſſent eſſe contenti .*

In Pſalmo , Salvum me fac *&c. ad ea verba*

D Deleantur de libro viventium . *Mos erat priſcæ conſuetudinis apud Judæos, ut ſcriberent nomina virorum clarorum non ſolùm viventium ſed & mortuorum , quod & nunc apud nos ſervatur in Eccleſiis .*

In Pſalmo

Benedixiſti , Domine , terram tuam . *In Ebræo* : Placatus es , Domine , terræ tuæ . *In Græco autem:* εὐδόκησας , Κύριε τὴν γῆν σου, *ideſt*, Bene placuit tibi , Domine , terra tua , *ut ſit ſenſus : Bene ſedit animo tibi , Domine , ut de terrâ tuâ proſpera decerneres .*

E *In Pſalmo*, Fundamenta ejus *&c. ad ea verba*

Memor ero Rab. *Apud antiquas editiones* : memor ero Rabba *legitur , ut ſignificet finitimas nationes proprio hoc nomine* Rab , *ideſt Arabas . Lingua quippe Ebraica* Rabba *Arabicam ſonat &c.*

In Pſalmo , Dixit Dominus Domino meo.

In Hebræis voluminibus nomen , quod dicitur Tetragrammaton , per quod Divinitatis vocabulum tantum ſcribitur , in utroque loco ſimiliter

liter poſitum eſt , *&* Dominus *ſcilicet* , *&* Domino . *Unde manifeſtum eſt* , *quod de homine quolibet non poſſit intelligi* , *ſed de eo* , *qui ſit Deus verus* , *& omnium Dominus* , *qui Chriſtus eſt* . *Ceſſant ergo falſæ opiniones Judæorum* , *qui aut Abrahæ &c.*

Atque hactenus excerpta ex Commentariis iis MStis , quorum Auctor ferme nihil aliud exhibet , quàm paraphraſim Pſalmorum , & pleroſque ex iis ad captivitatem Babylonicam, aut ad Aſſyriorum in Judæam incurſiones, aut ad Davidicam Hiſtoriam trahit . Quodnam futurum ſit de his aliiſque Commentariis in Pſalterium, Sancto Hieronymo tributis, judicium doctiſſimi viri Dominici Vallarſii Veronenſis Presbyteri , novam ejuſdem Operum editionem nunc adornantis, expectamus adhuc. Interea neque illud prætereundum, in antiquiſſimo iſto Codice Ambroſiano difficiliora verba per gloſſam interlinearem interdum explicari ; hoc eſt , per Linguam Septemtrionalem , quæ num Scotica ſit , Eruditi Britanni decernent . Exemplum dabo : *Verecundiæ* , ſupra ſcribitur *féle* : *Huc illucque* , *innunn hille* : *Homo a Deo ſuſceptus* , *annanno & Deudit donucht* : *Tanto honore afonuitmit dodia* : *Piaculi* , *inchuil* : *Anxium* , *dubach* : *Manifeſta isfoll* : *Ad vendicandum* , *bediachti* : *Convenienti teſtimonio*, *hond foncul immamcidiu*: *Supplicandum*, *dunduil* : *Triumphale*, *budath* &c. Accipe etiam continuatum ſermonem : *David niderb linnï in ſendias canone dunaith menadanis intrailſoadit maſued fonaith mentur and Dialvid for longars có. jadomdu tco am mondu re Saúl brethe hoſvidiu mondu ſectub doabi meleach hiterfodinaic manbtha David* &c. Sed jam progrediendum .

Poſt Annum Chriſti Milleſimum aſſurgere in Italia cœperunt Literæ , meliorique ſidere frui, & præſertim poſt Annum ML. Incrementi hujus cauſſam cui potiſſimum adſcribam , non habeo . Aliquam divinare liceat . Quo tempore, quove in loco confici primùm cœpta fuerit Charta noſtra vulgaris , ex pannis lineis ſeu cannabinis attritis incertum eſt . Hadrianus Valeſius in notis ad Panegyricum Berengarii , Tomo II. Rer. Italicarum , pag. 397. locum adfert Petri Mauricii Abbatis Cluniacenſis, qui circiter Annum Chriſti MCXL. in Tractat. contra Judæos memoravit *Chartam ex raſuris veterum pannorum* . Ad hæc ſubdit Valeſius : *Qui Chartæ noſtræ vulgaris ante Mauricium meminerit* , *neminem obſervavi* . Verùm Clariſs. P. D. Bernardus de Montfaucon Benedictinus e Congregatione Sancti Mauri , cui tot egregia & Sanctorum Patrum , & Antiquitatis illuſtratæ Volumina debemus , Lib. primo , Cap. 2. Palæographiæ Græcæ , contendit , *Bombycinam Chartam* (ſic enim primum appellata eſt vulgaris noſtra) uſurpatam reperiri etiam Sæculo Epochæ noſtræ Undecimo , immo & Decimo : quod ipſe conjicit ex vetuſtate nonnullorum Codicum . Mihi numquam contigit intueri Codices ex eâdem Chartâ ſcriptos ante Annum MC. & quamquam difficile putem, ex una characterum forma ſtatui certo poſſe ætatem cujuſque Codicis , dum notæ Chronologicæ , aliave indicia deſint , nihilo tamen ſecius tanta eſt apud me doctiſſimi Montfauconii auctoritas, ut ei ita judicanti accommodare fidem in hoc etiam velim . Immo reſcire cuperem, quid revera ſignificarit Lupus Servatus Abbas Ferrarienſis in Gallia circiter Annum DCCCXL. in Epiſtol. 16. memorans *Commentarios Boëtii in Topica Ciceronis*, *quos in Chartaceo Codice* , *ſive ut emendatius aliis dicendum videtur* , *in Chartinacio Amalricus in armario Sancti Martini habet* . Num his verbis deſignat ille Librum in Papyro ſive Philyra Ægyptiaca ſcriptum , an in Membranis , an in alia materia ? Ceterum quamquam ſine hæſitatione ſtatuamus, vel Sæculo Decimo prodire cœpiſſe Chartam vulgarem noſtram , attamen tutius agemus , ſi ejus uſum frequentiorem in Sæculum Undecimum rejiciemus : ex quo æſtimare promtum eſt nobis , quanta ad excolendas Literas , Libroſque parandos facilitas acceſſerit ; quæ eo major ſubinde evaſit , quo plures ad Chartam conficiendam officinæ per univerſam Europam conſtitutæ fuerunt . Fortaſſis etiam ad reſtaurandum apud nos honorem Literarum, non parum profuit exemplum & cura Gerberti, qui Aureliani in Gallia natus , vitamque Monaſticam amplexus , primo Bobii Abbas in Italia , tum Remenſis Archiepiſcopus, rurſus Bobienſis Abbas , deinde Archiepiſcopus Ravennas , ac demum Anno Chriſti DCCCCXCIX. Romanus Pontifex , ſub nomine Silveſtri Secundi , ingentem nominis famam inter accuſatores & laudatores non paucos ſibi comparavit . Vividum ac mirabile fuit illius ingenium, eloquentia ac eruditio ſupra ſui temporis conditionem . Uti ex ejus Epiſtolis a Du-Cheſnio, atque in Bibliotheca Patrum editis patet, quum in Italia & Germania moraretur , nihil antiquius habuit , quàm Codices omnium diſciplinarum cogere tum ad ſua ſtudia , tum ad Monachorum uſum . In Epiſtola 44. ad Ecbertum Abbatem Turonenſem ſcribit : *Bibliothecam aſſidue comparo* ; *& ſicut Romæ dudum* , *ac in aliis partibus Italiæ* , *in Germania quoque* , *& Belgica* , *Scriptores* , *Auctorumque exemplaria multitudine nummorum redemi* . Ita in Epiſtola 130. ad Raynaudum Monachum : *Noſti quanto ſtudio Librorum exemplaria undique conquiram* . *Noſti* , *quot Scriptores in Urbibus aut agris Italiæ paſſim habeantur* . *Age ergo fac ut mihi ſcribantur Manilius de Aſtrologia*, *Victorinus de Rhetorica* &c. Id ipſum præterea curaſſe, ut ex Gallia in Italiam *Scholaſtici* mitterentur, nos docet illius Epiſtola 13. ad Ecbertum Archiepiſcopum Treverenſem ſcripta , ubi hæc verba : *Si deliberatis* , *an Scholaſticos in Italiam ad nos uſque dirigatis* , *conſilium noſtrum in aperto eſt*: *quod laudabitis laudabimus*, *quod feretis feremus* . Quamquam *Scholaſticos* videamus appellatos , qui nunc *Scholares* , Italice *Scolari* , appellantur , in prælaudato Capitulari Lotharii I. ac in aliis ejus & ſequentis Sæculi monumentis : attamen inſurgere dubitatio poſſit , an heic potius eâ voce *Scholarum Magiſtri* , quos *Lettori* vocamus , ſignificentur , quos in Italiam eorum indigentem adſciſceret Gerbertus . Certe ipſemet Gerbertus appellatur *Scholaſticus* in ejus Epiſtola edita a Mabillonio inter vetera Analecta. In aliis quoque Epiſtolis ille ſeſe inſcribit *quondam Scholaſticum* , & in Conciliabulo Remenſi is habuit Defenſores *Johannem Scholaſticum Autiſſiodorenſem* , & *Rhanulphum Abbatem Senonenſem* . Sigeberto etiam in Chronico memoratur ad Annum MXLVII. *Franco Scholaſticus Leodicenſium* . Præterea in Codice Chartaceo , ſed ſatis antiquo , Ambroſianæ Bibliothecæ ſeſe mihi obtulerunt quidam Verſus *Honorii Scholaſtici*

laſtici ad Jordanem Epiſcopum , quos edere conſtitueram : ſed conſilium meum animadverti jam præoccupatum fuiſſe a Clariſs. Mabillonio , qui eoſdem evulgaverat inter Analecta ſua . Atque heic obiter dicere liceat , arbitratum fuiſſe doctiſſimum virum , Honorium hunc floruiſſe Sæculo Chriſti Sexto . Tunc enim is opinatur vixiſſe itidem Jordanem Epiſcopum Ravennatem , & ad ipſum Verſus illos fuiſſe conſcriptos . Mihi contra videtur nullus umquam extitiſſe Jordanes Ravennatis Urbis Epiſcopus. uti in Præfatione ad Hiſtoriam Gothorum Jordanis , Tomo I. Rer. Italicarum adnotavi . *Scholaſtici* autem titulus æquius ſedet Decimo atque Undecimo Chriſtianæ Æræ Sæculo quàm Sexto . Tunc certe apud Latinam gentem *Scholaſticos* ſæpius commemorari videas .

Sed ut ad *Scholaſtici* vocem redeam , Gerbertus ipſe dubitationis ſemina auget , quum in Opuſcul. de Rationali , edito a P. Pezio , Tomo primo , pag. 149. Theſauri Anecdotorum , ſcribit ad Ottonem III. Auguſtum : *Meminiſtis , adfuiſſe tam multos nobiles Scholaſticos , & eruditos , inter quos nonnulli aderant Epiſcopi , ſapientia præ aliis , & eloquentiâ inſignes* . Heic jam provecti Philoſophi ac Magiſtri ſignificari videntur . Contra verò idem ſcripſit in Epiſtola 92. ad Bernardum Monachum , ſe *interdum nobiliſſimis Scholaſticis diſciplinarum liberalium ſuavem fructum ad veſcendum offerre*: hoc eſt, ſi bene ejus mentem colligo , a ſe nobiliſſimos pueros liberalibus imbui diſciplinis. Et ei quidem ante contigerat literis erudire Ottonem III. poſtea Auguſtum , ac Robertum deinde Regem Franciæ . Sed ſive *Magiſtros* , ſive *Scholares* ſtatuamus a Gerberto , ſub *Scholaſticorum* vocabulo , expetitos , ad ſe in Italiam mittendos , utrinque propoſitæ a me ſententiæ pondus accedit , nempe homini huic , inſigni Philoſopho , tribuendam aliqua ex parte videri diſciplinarum meliorum reſtaurationem in Italia . Quod ſi hæc tantùm Abbas præſtitit , quid præſtitiſſe exiſtimandus eſt , ubi ad Ravennatem Cathedram pervenit ? quid autem effeciſſe putandus , ubi demum Apoſtolicum thronum conſcendit ? Utique veri mihi videtur ſimile , ipſum tum exemplo , tum voce , tum legibus curaſſe , ut Literarum ſtudia antiquum vigorem reciperent , ac Romæ potiſſimum , ubi earum cultura Sæculo Chriſti Decimo friguiſſe videtur . Arnoldus Aurelianenſis Epiſcopus , ſive ſub ejus nomine Gerbertus ipſe in Conciliabulo Remenſi , teſte Annalium Eccleſiaſticorum parente Baronio ad Annum DCCCCXCII. in hæc verba erupit : *Quum hoc tempore Romæ nullus pæne ſit (ut fama eſt) qui Literas didicerit , ſine quibus (ut ſcriptum eſt) vix Oſtiarius efficitur : qua fronte aliquis docebit , quæ minime didicit* ? Hæc certe fateor , uti & alia minime ferenda , irato , immo furenti homini tunc excidiſſe , ipſumque Gerbertum , famâ tantummodo innixum , facile a veritate abire potuiſſe . Nam contra eodem ipſo Sæculo Ratherius Veronenſis Epiſcopus in Itinerario ſuo ſcripſerat : *Quâ ignorantia, quo melius exui, quo aptius poſſum , quàm Romæ doceri ? Quid enim de Eccleſiaſticis dogmatibus alicubi ſcitur , quod Romæ ignoretur ? Illic ſummi illi totius Orbis Doctores* &c. Hæc Ratherius, quo tempore ipſe indigebat patrocinio Apoſtolicæ Sedis . Ad Gerbertum tamen quod attinet , vix hæc ille ſine aliqua ſpecie veri protuliſſet; prætereaque cenſendum eſt, ipſius, poſtea in Apo-

A ſtolicam Sedem tranſlati , ſtudio & curâ factum fuiſſe, ut latius quàm antea meliores diſciplinæ Romæ & alibi rurſus efflorerent . Ex ejus etiam Schola prodiit *Fulbertus* , Anno MVII. creatus *Carnotenſis Epiſcopus* , omnium ſuo tempore in Gallia doctiſſimus . Sunt quæ perſuadeant , Fulbertum ipſum fuiſſe natione Italum . Certe ipſius curâ Literæ in Gallia non modicum ſplendorem recepere , Adelmanno ejus diſcipulo hanc ei laudem tribuente . Succeſſere deinde poſt dimidium Sæculi Undecimi in Romana Cathedra doctiſſimi æque ac piiſſimi Pontifices , qui non Urbem tantùm , ſed & univerſam Italiam meliora ſapere ac agere docuerunt ; eorumque præſertim ope & conſiliis ac- B cidiſſe puto , ut non parùm dignitatis tunc Literis in Italia reſtitueretur : quæ felicitas majora in dies incrementa ſuſcipiens , ad noſtra uſque tempora conſtantiſſime perſeverat . Inter ceteros Sanctus Gregorius VII Papa , Concilium Romæ habens Anno MLXXVIII. ſtatuit , *ut omnes Epiſcopi artes Literarum in ſuis Eccleſiis doceri facerent* .

Itaque Sæculo Chriſti Undecimo in aliquot Italiæ locis reſtauratæ ſunt Scholæ : inter quas digna in primis eſt, quæ memoretur, Mediolanenſis . Landulphus Senior, in Hiſtoria Mediolanenſi editâ Tomo IV. Rer. Italicarum deſcribens , qualis eſſet antea Ambroſianæ Eccleſiæ facies , hæc tradit Lib. 2. Cap. 35. *In atrio in-* C *teriori , quod erat a latere portæ reſpicientis ad Aquilonem , Philoſophorum Scholæ diverſarum Artium peritiam habentium, ubi urbani & extranei Clerici Philoſophiæ doctrinis ſtudioſe imbuebantur , erant duæ , in quibus ut Clerici , qui exercitiis tradebantur , curioſe docerentur , longa temporum ordinatione Archiepiſcoporum antecedentium ſtipendiis a Camerariis illius Archiepiſcopi , qui tunc in tempore erant , annuatim eorum Magiſtris honorifice donatis , ipſe Præſul multoties adveniens Sæculi ſolicitudines, a quibus gravabatur , a ſe depellebat , ac Magiſtros ac Scholares in ſtudiis adhortans , in palatiis ſeſe demum recipiebat Ambroſianicis* . Hæc Landulphus circiter Annum Chriſti M- D LXXXV. literis mandabat . Quo etiam teſte novimus , ante aliquot annos diſputationem initam fuiſſe inter Sanctum Arialdum & Presbyteros in ea Urbe conjugatos , inter quos recenſetur Lib. 3. Cap 21. & 23 *Andreas Sacerdos in divinis & humanis , Græcis & Latinis ſermonibus virilis , & Ambroſius Biffius in Latinis literis & Græcis eruditus , atque ideo Biffarius dictus* . Jam ergo Literæ apud Inſubres felici æmulatione excolebantur uſque adeo, ut ad exteras etiam Provincias tranſierit , ac per eas poſtea propagatus fuerit illarum amor & cultus . Italia profectò temporibus iis dedit Galliæ, hoc eſt , Beccenſi Monaſterio in Nortmanniæ Ducatu , ac deinde Anglorum Regno , E eximios duos Viros , & ſanctitatis non minus quàm Literarum gloriâ celebres , *Lanfrancum* nempe Ticini natum , qui in Nortmanniam profectus , Cadomenſis Abbas Anno MLXIII. conſtitutus , ac deinde Anno MLXX. Cantuarienſis in magna Britannia Archiepiſcopus electus eſt : atque *Anſelmum* , qui Anno MLXXVIII. Beccenſis Abbas renuntiatus , ac demum & ipſe Anno MXCIII. Cantuarienſis Antiſtes fuit conſecratus . Ut ut Burgundionem Anſelmum nonnulli appellent , ambiguum minime eſt, quin is Italiam parentem habuerit, quippe Auguſtæ Prætoriæ natus (*Aoſta* nunc appellamus) quæ Civitas quamquam Burgundiæ Re-

gibus a Langobardis olim pacto data fuerit, ut oſtendit Hadrianus Valeſius in Notitia Galliarum, numquam tamen eſſe deſiit Italiæ & Galliæ Ciſalpinæ Civitas. Evulgavit celeberrimus Vir Stephanus Baluzius Miſcellaneor. Lib. 4. pag. 560. Epicedion in obitu ejuſdem Sancti Anſelmi, a ſynchrono Poëta elucubratum, ubi hæc legas:

Felix Italia præ cunctis partibus Orbis,
Quæ meruit talem progenuiſſe Virum.

Quod eſt ad Beatum Lanfrancum, auctor eſt Milo Criſpinus Cantor Beccenſis, ejus æqualis, in Vita ab Henſchenio editâ inter Acta Sanctor. Bolland. ad diem 28. Maji, ipſum *in primæva ætate patre orbatum, relictâ Civitate* (hoc eſt, *Papiâ*) *amore diſcendi, ad ſtudia Literarum perrexiſſe. Ubi plurimo tempore demoratus, omni Scientiâ ſæculari perfecte imbutus rediit. Deinde patriâ egreſſus, & Alpes tranſgreſſus, in Gallias venit* &c. Quas Scholas in Italia petierit Lanfrancus, in Diſſertatione proxime ſequenti inveſtigabimus. Nunc animadverte, quanto progreſſu Literæ apud nos caput jam extuliſſent, quum Gallia ipſi Lanfranco ad ſe profecto acceptum referat Scientiarum ſplendorem in ſuis quoque regionibus reſtitutum. Guilielmus Malmesburienſis Libro primo de Geſt. Anglor. de Lanfranco in hæc verba ſcribit: *Is gente Longobardus, non adeo abjectâ & obſcurâ progenie oriundus erat, ſed Literarum perinſignis, Liberales Artes, quæ jamdudum ſorduerant, e Latio in Gallias vocans, acumine ſuo expolivit.* Guitmundus Averſanus in Italia Epiſcopus, Auctor ſynchronus, in Libr. de Veritate Corpor. & Sanguin. Chriſti, idem confirmat, ſcribens: *Per Domnum Lanfrancum, virum æque doctiſſimum, Liberales Artes Deus recaleſcere atque optime reviviſcere fecit.* Neque diverſa habet Guilielmus Gemmeticenſis, Scriptor itidem coævus Lib. 6. Hiſtor. Normann. hæc de Lanfranco ſcribens: *Quem Latinitas in antiquum ab eo reſtituta ſcientiæ ſtatum tota ſupremum debito cum amore & honore agnoſcit.* Quanta quoque ſcripſerit, & quanta egerit pro reparando Literarum & Eccleſiaſticæ diſciplinæ honore Sanctus *Anſelmus* ejus diſcipulus, nihil attinet commemorare, utpote in re notiſſima. Meminiſſe ſat ſit, eum præcipue aperuiſſe aditum poſt Sanctos Patres ad Theologiam, quæ deinde in Scholis viguit, ipſumque non immeritò inter Eccleſiæ Doctores noſtra ætate fuiſſe numeratum.

Pari bonarum Artium plauſu eodem Sæculo Undecimo florere Italia vidit, & nobiles ingenii ac ſcientiæ fœtus edere, *Petrum Damiani, Albericum Monachum Caſinenſem Cardinalem, Alphanum Archiepiſcopum Salernitanum, Bonizonem Epiſcopum Sutrinum, Anſelmum Epiſcopum Lucenſem, Gregorium VII. Papam, Victorem III. itidem Papam, Brunonem Epiſcopum Signinenſem, Leonem Marſicanum Epiſcopum Oſtienſem, Gregorium Monachum Farfenſem*, ut eos omittam, quorum mentionem habes in Lib. Petri Diaconi de Viris Illuſtrib. Caſinenſ. & in Collectione Rerum Italicarum. Atque heic commemoratione dignus eſt *Johannes* ille *Italus*, qui circiter Annum MLXX. Conſtantinopolim profectus, Annâ Comnenâ teſte Hiſtor. Libro Quincto, *in eminentiſſimum ſapientiæ, atque eruditionis omnis apicem evectus eſt; quippe qui ad Græcorum literas, at-* A *que Artes omnes, quas perfecte norat, etiam Chaldæorum diſciplinas adjunxerat, famamque meruerat doctiſſimi omnium, qui tunc eſſent.* Sed ille, quum pravis dogmatibus ſibi mentem infici paſſus eſſet, Græcorum anathemata in ſe concitavit. De eo Guilielmus Cave, & Pagius legendi. Neque prætereo, Muſicam quoque eodem decurrente Sæculo Undecimo incrementum apud Italos accepiſſe curâ *Guidonis Arretini*, Monachi Pompoſiani, qui, uti in Notis ad Donizonis Carmen de Vita Comitiſſæ Mathildis monui, Tomo V. Rer. Italicarum, pag. 351. floruit circiter Annum MXXII. Ita ibi Donizo Libro primo, Cap. quincto:

B *Micrologum Librum ſibi dictat Guido peritus, Muſicus, & Monachus, necnon Eremita beandus.*

In eiſdem Notis prodidi, Micrologum ipſum in Codice Ambroſianæ Bibliothecæ adhuc reperiri MStum. Poſt quem ſequitur aliud Opuſculum, atque hæc ſunt priora illius verba: *Muſicorum, & Cantorum magna eſt diſtantia. Iſti dicunt, illi ſciunt, quæ componit Muſica* &c. In calce hæc habentur: *Finit Regula Henchiriadis, & Boëtii, & Domni Guidonis Monachi.* Succedit in eodem Codice *Liber Henchiriadis in Muſica*, cujus principium accipe: *Sicut vocis articulatæ, elementariæ* &c. Dividitur Libellus in duas partes. Pars prima C in duos Libros. Hic idem ille Scriptor eſt, cujus meminit Sigebertus, de Scriptorib. Eccleſiaſt. Cap. 109. hiſce verbis: *Enchiriades ſub perſona diſcipuli interrogantis, & magiſtri reſpondentis, ſcripſit Dialogum de ratione Muſicæ, & in tribus Libris multiformes Muſicæ regulas expoſuit.* Nihil de ætate, ac patria illius habet Sigebertus. Illum tamen ſtatuere videtur inter Sæculi Decimi Scriptores. Pone ſequitur in Ambroſiano Codice *Epiſtola Marcheti de Padua magnifico Militi & potenti Domino ſuo Domino Raynerio Domini Zachariæ de Urbeveteri, illuſtris Principis Domini Johannis, claræ, & excelſæ memoriæ Domini Karoli Regis Hieruſalem & Siciliæ glorioſi filii, Comitis* D *Gravinæ, in Provincia Romandiolæ Vicario generali, Marchetus de Padua ſe ipſum* &c. Tum incipit *Lucidarium Marcheti de Padua in Arte Muſicæ planæ. Tractatus I. & Cap. I. de inventione Muſicæ.* Incipit: *Qualiter Pythagoras adinvenerit Muſicam* &c. Laudatur ibi *Remigius quondam Artis Muſicæ Scriptor*. In fine hæc leguntur: *Explicit Lucidarium Marcheti de Padua in Arte Muſicæ planæ, inchoatum Ceſenæ, perfectumque Veronæ, Anno MCCLXXIV.* In Epiſtola ſupra laudata pater Johannis Comitis Gravinæ (videlicet Carolus II. Siciliæ Rex) dicitur *claræ & excelſæ memoriæ*, ita ut illum jam fato functum opinari liceat. Atqui Carolus II. Anno Chriſti tantùm M- E CCCIX. naturæ debitum ſolvit. Ergo Lucidarium abſolutum quidem fuit Anno MCCLXXIV. at dumtaxat poſt Annum MCCCIX. dicatum videtur Johanni Principi, Roberti Regis fratri. Fieri tamen poteſt, ut viventem etiam Carolum II. Marchetus iis epithetis ornarit. Vide quæ de eodem Marcheto notavit Scardeonius in Libro de Claris Civib. Patavin. Poſt hæc adnectitur *Pomerium Marcheti de Padua in Arte Muſicæ menſuratæ*, dicatum inſcriptumque *Præclariſſimo Principum Domino Roberto Dei gratiâ Hieruſalem & Siciliæ Regi*: Ibi is laudat *Magiſtrum Franconem Muſicæ Scriptorem*. Sunt autem Libri tres. Tum ſubſequitur

ſequitur *Ars cantus menſurabilis edita a Magiſtro Francone Pariſienſi*. En ejus exordium: *Quum de plana Muſica quidam Philoſophi ſufficienter tractaverint, ipſam quoque nobis tam theorice quàm practice efficaciter illucidaverint, theorice præcipue Boëtius, practice præcipue Guido Monachus, & maxime de Tropis Beatus Gregorius* &c. Ambroſianus autem Codex hæc omnia complectens, membranaceus, diligenter ſcriptus, auro ac minio illitus, ad ætatem quadringentorum annorum accedere mihi viſus eſt.

Non antea tamen argumentum iſtud dimittam, quàm vitium inuam, quo barbarica Sæcula non mediocriter laborarunt: nempe Criticæ artis inopiam. Ingenium certe ac judicium ne in eorum quidem temporum hominibus deſiderata ſunt. Sed quum in perpaucis conſtricta tunc foret aliqua non vulgaris Literarum peritia; non pauci verò aut ſemidocti aut ſcioli abundarent; reliquos immanis ignorantia premeret: fere tamen omnes, vel etiam Literis operam dantes, deficiebat accurata ratio internoſcendi fabulas, impoſturas, & quidquid aut malitia, aut ſimplicitas, aut ſupina nimis credulitas antea invexerat & fabricarat, aut identidem excudebat. Nullum enim tempus fuit, quo impoſtores & falſarii defuerint: nullum, quo nimia ignari rudiſque vulgi credulitas, aut phantaſia delirans, figmenta non conceperit, ſive ab aliis concepta non exceperit animo prono, atque ambabus ut ajunt ulnis. Immo quo mirabiliora olim in vulgus efferebantur, ac potiſſimum ſi literis conſignata, eo ardentius ad ea amplectenda ferebatur bona gens. Scriptores vero hæc præ ceteris in ſuos Libros veluti rariores gemmas conjiciebant, atque multiplicabant. Hinc ſparſa olim Miracula, portentaque innumera, eaque ſtupore non vulgari digna, inter quæ diſcernere vera a falſis facile nunc nequeas. Et fervente æſtu, quo unuſquiſque Sanctorum Corpora & Reliquias avide venabatur, non pauca emerſere figmenta: qua de re infra ſermo mihi erit in Diſſertatione LVIII. *de Sanctorum Veneratione*. *Legendæ* quoque, ut ajebant, prodiere ſine numero, hoc eſt, Sanctorum Vitæ non a coævis & rerum conſciis memoriæ proditæ, quales multas habemus, cum veneratione & fructu legendas; ſed a poſteriorum Sæculorum Scriptoribus efformatæ, prout veri ſimilitudo ſuggerebat: qui etiam nihil religioni ſibi ducebant ut plurimum miranda intermiſcere in ſuo cerebro nata, per quæ tœdium a Lectoribus arceretur. In Hi-
A ſtoriam quoque tum ſacram, tum profanam, ejuſmodi commenta, ac vulgi, ſive potius anicularum rumores, penetrarunt; ita ut e barbaricorum temporum Hiſtoricis, quoties ii narrant acta ab ætate ſuâ remota, vix ullus ſit a fabulis mendaciiſque hujuſmodi prorſus immunis. Tunc etiam Libri conficti, & eximiis Viris falsò tributi. Nulla denique Civitas eſt, quæ apud ſe non aluerit, & fortaſſis adhuc alat aliquam ex hiſce adulterinis mercibus. Neque ab ipſis cavere olim ſibi potuit, ipſa Urbium Regina Roma, poſtquam calamitatum flagellis undique afflicta, Literarum gloriam, qua antea tantopere excelluerat, deperditam in ſinu ſuo dolere coacta fuit. Nam
B tunc, ideſt barbarie per Italiam diffuſâ, erupere acta fabuloſa Silveſtri Primi Papæ: *Draco* nempe anhelitu ſuo Urbem vaſtans, & ab ipſo Pontifice in carcerem conjectus; & *lepra* Conſtantini Magni; & *infantium ſanguis* in lavacrum ipſius deſtinatus, & ejuſdem Principis *Baptiſma* Romæ peractum; & *Imago Salvatoris* in pariete depicta, quæ Populo Romano tunc apparuiſſe fertur. Emerſere pariter *Marcellini Papæ lapſus*; & *Concilium Synueſſanum*; alterumque *Concilium Romanum* ſub memorato Papa Silveſtro, & Catholicorum Patrum *Diſputatio* cum Judæis; & ſingularia prodigia *de Inventione Crucis Dominicæ*. Longe etiam ſerius excogitatæ ſunt *Indulgentiæ conceſſæ* ab
C eodem Sancto Silveſtro Baſilicæ Lateranenſi, & Sancti Sebaſtiani extra muros. Hæc ignorarunt, hæc minime tradidere veteres Hiſtorici, qui cur adeo ſtupenda præteriiſſent, ſi ea noviſſent? Juſta proinde ſuſpicio oboritur, conficta hæc aut ſomniata a poſteriorum temporum hominibus fuiſſe, dum quiſque majorem Baſilicæ ſuæ venerationem procurat, aut antiquorum monumenta pro ſuo ingenio interpretatur. Sed hiſce exemplis alterum non leve additum volo. Celebre in Urbe æterna eſt Templum in Capitolino colle antiquitus conſtructum, atque in honorem Deiparæ Deo dicatum, quod nunc excolunt religioſiſſimi Patres Minores Obſervantes; ibique etiam San-
D ctiſſimæ Virginis imago, a Sancto Luca, ut fertur, depicta viſitur. Proxime præteritis annis, dum ejuſdem ſacræ Ædis Odæum effoderetur, pervetuſtum Muſivum detectum eſt, cujus ectypon præclariſſimus & antiquitatum amantiſſimus vir Pompejus Marchio Frangepanis ære inciſum publici juris fecit. Illud & ego, quippe in Ciampinii Libris deſideratum, inferre huc ſtatui.

(*Vide Tabulam ſequentem Fig. I.*)

Hi Verſus ibi leguntur:

LUMINIS HANC ALMAM MATRIS QVI SCANDIS AD AULAM,
CUNCTARUM PRIMA QVE FUIT ORBE SITA:
NOSCAS QVOD CESAR TUNC STRUXIT OCTAVIANUS
HANC ARA CELI SACRA PROLES DUM PATET EI.

Et *Ara* quidem *Cæli* a pluribus Sæcullis appellata eſt ſacra illa Ædes. Quo autem tempore Muſivum iſtud opus ibi fuerit collocatum, opinari quidem licet, decernere verò non licet. Leoninos Verſus additos ſenſiſti. Supra ego in Diſſertatione XL. *de Rhythmica Veter. Poëſi* oſtendi, ejuſmodi metrorum conſonantiam majori quàm vulgo putetur, antiquitate conſtare.
E Attamen quum innumera inſpexerim aut Epitaphia, aut Epigrammata barbaricis Sæculis Romæ poſita, Leoninos Verſus aut nullos, aut pauciſſimos reperi ante Annum a Chriſto nato Milleſimum ibi uſurpatos. Quare utut non negem, quin ante illum Annum Muſivum iſtud ſtrui una cum Verſibus potuerit, veri tamen mihi ſimilius videtur, poſt illud tempus effor-

efformatum fuiſſe. Porro audiſti, hanc uti *primam* omnium ædem a Chriſti fidelibus conſtructam celebrari, ejuſque auctorem difertis verbis affirmari *Cæſarem Octavianum*, ſcilicet Auguſtum: quo imperante ex puriſſima Virgine Maria in lucem editus eſt Dei Filius Salvator noſter. Jam fabulam, eamque immanem, ſentis, & fortaſſe rides: ædificatum videlicet Romæ in ipſius Capitolii faſtigio Templum, Chriſto ac Deiparæ ſacrum, idque ſub Imperatore Auguſto, immo eo ipſo curante. At noveris, fabellam hanc olim diſſeminatam fuiſſe; ejuſque mentionem fecit magnus Annalium Eccleſiaſticorum parens Baronius in Apparatu num. 26. Nicephorum & Suidam memorans, qui Aram in Capitolio erectam ab Auguſto tradunt, hac inſcriptione ſignata:

ARA PRIMOGENITI DEI.

Inter Latinos Godefridus Viterbienſis, qui circiter Annum Chriſti MCLXXX. ſcribebat, in Chronic. Part. XV. & ipſe auctor eſt, Auguſtum conſuluiſſe Sybillam (quum tamen nulla tunc in vivis Sybilla foret) cur Idolum Capitolinum corruiſſet:

Rettulit illa: Dei Deus eſt de Flamine natus,
Virginis ex utero ſine ſeminis arte creatus.
Quare Auguſtus *Puerum devotus adorat,*
Nunc Aras & thura parans, offerre laborat.
Prima Deo Cæli tunc ibi thura dedit.

Habet etiam Bibliotheca Eſtenſis vetuſtum membranaceum Codicem, Anno Chriſti MCCLXXXV. ſcriptum, ex quo hauſi *Memoriale Poteſtatum Regienſium*, a me editum Tomo VIII. Rerum Italicarum. Ibi qualibus hæc eadem fabula verbis narretur, & quali coloribus illitâ imagine, pictiſque figuris Deiparæ in nubibus ſedentis, ſub cujus pedibus ſtant Auguſtus & Sybilla, legentium oculis repræſentetur, Lectorem, ut puto, accipere non pigebit.

De Viſione, quam vidit Octavianus Imperator de Beata Maria cum Chriſto filio ſuo, & Ara Cæli aperta eſt precibus & orationibus Sibillæ, ubi prædictus Octavianus Beatam Virginem Mariam cum Chriſto, tenentem in brachiis Chriſtum filium ejus, vidit in camera prædicti Imperatoris, ubi .... in Capitolio.

Tempore prædicti Octaviani Imperatoris Senatores videntes eum tantæ pulcritudinis, quod nemo in oculis ejus intueri poterat, & tantæ proſperitatis & pacis, quod totum Mundum ſibi tributarium fecerat, dicunt: te adorare volumus, quia Deitas eſt in te. Si hoc non eſſet, non tibi omnia ſubirent proſpera. *Qui renuens, inducias poſtulavit; & ad ſe Sibillam Tyburtinam vocavit, cui, quod Senatores dixerant, recitavit. Quæ ſpacium trium dierum petiit, in quibus arctum jejunium operata eſt. Poſt tertium diem reſpondit Imperatori:* Hoc pro certo erit, Domine Imperator,

Judicii ſignum. Tellus ſudore madeſcet.
Cælorum Rex adveniet per Secla futurus.
Scilicet in carne præſens, ut judicet Orbem:
Unde Deum cernunt incredulus atque fidelis
Celſum cum Sanctis, cui jam termino in ipſo
Sic animæ cum carne aderunt. quas judicet ipſe;
Cum jacet incultus denſis in vepribus Orbis.
Rejicient ſimulacra viri, curam, quoque gazam.
Exuret terras ignis, pontumque, polumque
Inquirens, tetri portas effringet Averni.
Sanctorū ſed enim cunctæ luxit lux libera carni.
Trudentur fontes; æternum flamma cremabit,
Occultos actus retegens. Te quiſque loquetur;
Secreta atque Deus reſerabit pectora luci.
Tunc erit & luctus, ſtridebunt dentibus omnes.
Eripitur Solis jubar, & ſolis interit aſtris.
Volvetur Cælum, Lunam..... ſplendet, obibit.
Dejiciet colles, valles extollet ab imo.
Non erit in rebus hominum ſublime vel altum.
Jam æquantur campi, montes, & cærula ponti.
Omnia ceſſabunt. Tellus confracta peribit.
Sic pariter fontes, torrentes, fluminaque igni.
Et tuba cum ſonitu triſtem demittet ab alto
Orbe gemens miſerum facinus, vanoſque labores:
Tartareumque chaos monſtrabit terra deinceps.
Et coram heic Domino Reges ſiſtentur ad unum.
Procedit.... e cœlo igniſque & ſulphuris annis.

Hæc de Chriſti Nativitate, Paſſione, & Reſurrectione, atque ſecundo Adventu tradita ſunt; ut ſi quis in Græco capitulo horum Verſibus diſcernere voluerit, inveniet Iheſus Chriſtus, Hios, Theu, Soter; *quod in Latinum translatis eiſdem Verſibus apparet; propter quod Græcarum literarum proprietas non adeo potuit obſervari. Credo vos, o inimici Judæi, tanti..... eſſe confutaturos eſſe ipſa veritate, ut nihil aliquid repugnare, nihil quærere debeatis.*


(Vide Fig. II.)

Illico apertum eſt Cælum, & nimius ſplendor irruit ſuper Eum. Et vidit in Cælo quamdam pulcherrimam Virginem ſtantem ſuper Altare, Puerum tenentem in brachiis. Et miratus eſt nimis: & vocem dicentem audivit: Hæc Ara Filii Dei eſt. *Qui ſtatim procidens in terram adoravit. Quam Viſionem retulit Senatoribus; & ipſi mirati ſunt nimis. Hæc Viſio fuit in camera Octaviani Imperatoris, ubi nunc eſt Eccleſia Sanctæ Mariæ in Capitolio. Idcirco dicta eſt* Sancta Maria Ara Cæli. *Hunc locum modò inhabitant Fratres Minores.* (*)

En ergo quare conditum fuerit, & quid ſignificet Muſivum, quod nuper vidimus. Neque ego plura addam, ut oſtendam, quàm nullam fidem mereatur ejuſmodi commentum, antiquis omnibus ignotum, & quamdiu ſteterit in Capitolio Templum Jovis, cujus loco tamdem ſucceſſit Chriſtianorum Ædes, *Ara Cæli* nuncupata. Verùm hæc pauca ſufficiant de eruditione & credulitate temporum barbaricorum, quorum ingenium & mores (utinam non & fraudes) aliqui nondum exuerunt. Ceteros Literarum eventus in ſubſequentem Diſſertationem conjeci.

(*) Hæc poſtrema verba addita ſunt charactere, manuque recentiori.

Fig: I- Pag: 878.



Munificentia Ill.mi Dñi Dñi Pompeij Marchionis Frango



si Sculp.



DE LITERARUM FORTUNA IN ITALIA

POST ANNUM CHRISTI MC.

ET DE ACADEMIARUM SIVE GYMNASIORUM ERECTIONE.

DISSERTATIO QUADRAGESIMAQUARTA.

DISSERTATIO
QUADRAGESIMAQUARTA.

QUo in loco per Italiam fuerint Artes ac Diſciplinæ liberales uſque ad Annum Milleſimum Centeſimum, in proxime antecedenti Diſſertatione vidimus. Res nunc poſcit, ut perſcrutemur, quæ earum fortuna fuerit Sæculis ſubſequentibus. Jam in Gallia, ac præſertim Lutetiæ Pariſiorum jacentes antea Literæ vires receperant, eâ famæ celebritate, ut vel ipſi Itali illuc proficiſcerentur eruditionis cauſsâ. Egregium teſtem dabo moris hujus Landulphum a Sancto Paullo, cujus Hiſtoriam Mediolanenſem evulgavi Tomo V. Rer. Italicarum. Narrat ille Cap. 13. ſe una cum Anſelmo de Puſterla, & Olrico Vicedomino, qui poſtea Archiepiſcopalem Cathedram Mediolanenſem unus poſt alterum conſcenderunt, in Galliam perrexiſſe, atque in iis Scholis ultra annum ſe literis operam dediſſe. *Anſelmo*, inquit, *de Puſterla, & Olrico Vicedomino Mediolanenſi adhæſi, quibus duobus domi & foris, ut manifeſtum eſt, utilis & rectus fui. Cum Anſelmo namque per annum & dimidium Turoni, & Pariſinis in Scholis Magiſtri Alfredi & Gulielmi, legi, & legendo, ſcribendo, multiſque aliis modis Anſelmo multam commoditatem dedi.* Rurſus idem Cap. 17. hæc habet: *Suggeſſerunt Olrico Mediolanenſi Vicedomino & Anſelmo de Puſterla cognominato, ire ad præcipuum Magiſtrum Anſelmum de Monte Leoduni; quibus duobus fuit gratum ſecum ducere me Landulphum Presbyterum. Et quum apud ipſum Magiſtrum, & fratrem ejus Rodulphum ſtuderemus, nuntiatum eſt* &c. Acta hæc fuere ineunte Sæculo XII. hoc eſt, circiter Annum Chriſti MCVIII. Sed jam inquiat heic aliquis: Reſtitutis in Italia Scholis ac Literis præcedenti Sæculo XI uti ſupra ſtatuimus, quid rei hoc eſt, quod Italici homines tunc a Gallia mutuarentur eruditionem tanto cum ſuo incommodo, & alibi quærerent, quod domi haberent? Et cur dimiſſis Academiis, ſive Gymnaſiis Italicis, quæ nunc Univerſitates appellantur, Pariſienſes Scholæ a noſtris tunc petebantur? Certe Henricus Pantaleo de Vir. Illuſtrib. German. Part. 2. auctor eſt, a Carolo M. *duo celeberrima Gymnaſia Literarum inſtituta fuiſſe, alterum in Occidentali Francia, Pariſiis, alterum Papiæ in Italia, quæ liberaliter dotavit, atque Viris doctiſſimis ornavit.* Idem quoque affirmavit Jacobus Middendorpius de Academ. celebr. Lib. 4. Guido Pancirolius de Clar. Leg. Interpret. Bulæus in Lib. de Pariſ. Univerſ. & noviſſime Antonius Gattus in Hiſtor. Gymnaſii Ticinenſ. ut alios omittam. Ad hæc, ſi fides multis Scriptoribus, *Bononienſe* Gymnaſium uſque a temporibus Theodoſii II. Auguſti originem ſuam deduxit. Cironius verò in Lib. V. Decretal. & Bulæus, Bononienſis Academiæ inſtitutionem referendam eſſe ad Carolum M. contendunt. Contra Papirius Maſſonius *Patavinam*, non autem Bononienſem, erectam ab eodem Carolo memoravit, ſcribens in Annal. Franc. *Pariſienſis, Patavina, & Ticinenſis Academiæ Karolum Magnum parentem ſuum appellant.* Si Academiis iſtis a tanto tempore gloriabatur Italia, mirum videatur, cur Pariſienſes ac Turonenſes Scholæ ſub initium Sæculi XII. ab Italica gente, propriis contemtis, anteferrentur. Atque hactenus ejuſmodi interrogationem diſtuli, cui ſuus eſſe locus poterat, & quidem juſtiore titulo, in antecedenti Diſſertatione. Quei enim tantus languor Sæculo IX. & X. in Italia Literas invaſiſſet, ſi hæc jam publicis ornata fuiſſet Academiis?

Itaque tempus eſt, ut veritatem fidentiſſime a fabulis nunc liberemus. Quod igitur innui in Notis ad Capitulare Lotharii I Part. II. Tomi I. Rer. Italicar. pag. 152. nunc repeto. Literarum quidem ſtudium in Gallia, & Germania, immo & Ticini, quanto potuit ardore animi, Carolus Magnus procuravit: majora etiam præſtitit Lotharius I. Auguſtus illius nepos in Italico Regno, excitatis Scholis in quibuſdam Civitatibus, ad quas reliquarum pueri erudiendi confluerent. Epiſcopales quoque Scholæ, & Cœnobiales antiquis Sæculis inſtitutæ fuerunt; idque vel in ipſa Italia factum facile conſentire poſſumus. Sed nihil horum, Academiæ ſeu Univerſitatis faciem umquam retulit, ſi quod hiſce nominibus nunc ſignificamus, cum Sæculis iis conferatur. Unus Magiſter unam Scholam tunc conſtituebat, & humiliorum quidem plerumque Artium. Ticini unus Dungalus, Eporediæ unus Epiſcopus, uti ex prælaudata Lotharii I. Lege conſtat, munere docendi publice fungebantur. In reliquis Civitatibus non diſpar modulus fuit. Parium ferme Scholarum ſpecimen nunc ipſa Caſtella ſervant. Ad hæc (rurſus moneo) putida nimium eſt fabula, inſtitutam fuiſſe a Theodoſio II. Bononienſem Academiam: & quale ſit Privilegium ſub ejus nomine confictum, ſupra in Diſſertatione XXXIV. *de Diplomat.* prodidi. Neque hercle exſpectarunt eruditi Bononienſes, ut hanc veritatem a me edocerentur, quum nemo inter eos probe cordatus jam exiſtat, qui quamquam in editis Libris taceat, in privatis tamen colloquiis, aut in intimis præcordiis non fateatur, ne a Carolo quidem Magno, nedum a Theodoſio, arceſſendam eſſe ſui Gymnaſii originem. Idem de Romano, Ticinenſi, Patavino, Piſano, ceteriſque conſtantiſſime pronuntiandum, quippe ad tempora longe poſteriora nativitas Academiarum apud Italos eſt contrahenda. Immo tantam vetuſtatem, ac omnium diſciplinarum complexionem tam antiquam ſibi tribuere ne Pariſienſis quidem Academia jure poteſt, vel Turonenſis, Fuldenſis, Oſnabrugenſis, & ſi qua eſt alia, quæ a multis Sæculis floreat, aut olim floruerit. Aliud enim eſt reſtituere Literas, & aperire Scholam alicujus diſciplinæ, aliud omnium Scientiarum Lycæum efformare. Liceat ſane Scholas eorum temporum appellare ſemina Academiarum longe ſerius inſtitutarum: ſed neutiquam cum iis confundendus ritus ac inſtitutio Sæculorum proxime ſuccedentium. Quo autem tempore in Italia emerſerit primo Academia Scientiarum ac Artium, & quæ hæc fuerit, nobis edicendum. Bononienſis illa fuit, quæ ut vetuſtate, ita & celebritate nominis, & copiâ Virorum illuſtrium, ceteris Italicis præferenda eſt, & quæ cum ipſis exteris de-

anti-

antiquitate ſaltem certare aliquâ ex parte poſſit. Rationem enati Bononienſis Gymnaſii ne ipſi quidem Bononienſes certo norunt, quod eos Hiſtoria & monumenta ad hanc rem opportuna deficiunt. Ego rem, quàm breviſſime potero, perſcrutabor.

Vulgatiſſima ſunt Conradi Abbatis Urſpergenſis verba, ubi de Lothario II. Auguſto circiter Annum MCXXVI. loquitur: *Eiſdem temporibus Dominus Wernerius Libros Legum, qui dudum neglecti fuerant, nec quiſquam in eis ſtuduerat, ad petitionem Mathildis Comitiſſæ renovavit: & ſecundùm quod olim a divæ recordationis Imperatore Juſtiniano compilati fuerunt, paucis fortè verbis alicubi interpoſitis, eos diſtinxit*. Proinde Sigonius in Libris de Regno Italiæ hæc ſcripſit: *Primus autem Bononiæ Irnerius Jus Civile exponere cœpit, ut Odofredus memoriæ prodidit, primuſque Gloſſas, ut vocant, in illud ſcripſit*. Tum Urſpergenſis auctoritate utitur, illum tamen corrigens, quod *Mathildis* rogatu Irnerium id muneris ſuſcepiſſe ſcripſerit, quæ multo ante Lotharii Imperium e vita migrarat. Verùm nullâ caſtigatione dignus eſt heic Urſpergenſis. Certum quippe reor, *Irnerium*, ſive *Warnerium* floruiſſe, ac Leges interpretatum fuiſſe Bononiæ tum vivente Mathildi Comitiſsâ, tum multis poſt ejus mortem annis. Conſule Ottonem Morenam in Hiſtor. Laudenſ. ad Annum MCLVIII. Tomo VI. Rer. Italicarum. Vide etiam infra in Diſſertatione LIII. *de inſtitutione Militiæ*, Placitum ab Henrico IV. habitum Gubernuli in agro Mantuano, cui interfuit *Warnerius Bononienſis Judex*, ante alios honoris cauſsâ nominatus. Vide & alterum in Diſſertatione XXXI. *de Placitis*, ubi rurſus occurrit, nondum a latere Imperatoris diviſus. Hic idem ipſe *Warnerius* fuiſſe omnino dicendus, cujus apud Urſpergenſem mentio, & quem a Populo Bononienſi arbitror miſſum ad Henricum Auguſtum aut honoris, aut negotiorum cauſsâ. Celebratum fuit Placitum illud *Anno MCXVI. die VI. Maji*, hoc eſt, paucos poſt mortem Comitiſſæ Mathildis menſes, ad cujus petitionem propterea potuit *Warnerius* interpretationem Legum aggredi in patria ſua. Atque hæc exordia videntur Academiæ Bononienſis, levia quidem primis annis, quum in uno Juris Civilis Interprete & Doctore tota primum Academiæ ſors conſtiterit, ſed quam tamen ſenſim majores auſus & incrementa ſunt ſubſequuta, more ingentium fluviorum, quorum humilis plerumque eſt origo. Doctores ipſi Bononienſes in Reſponſo ad Bartholdum Nihuſium, edito in ejus Anticritico, non alium agnovere primum Bononiæ Legum Expoſitorem, quàm Irnerium. Eorum verba ſunt: *Ab Anno Centeſimo Vigeſimo Octavo ſupra Milleſimum, Bononiæ Juris publicæ profeſſioni exordia dediſſe, priſcorum tradunt memoriæ*. Neque ſecus habet inſcriptio poſita Irnerio in Bononienſi Gymnaſio. Hoc & alii affirmarunt, quos commemorare nihil attinet, uti neque Trithemium, a quo Irnerii ſive Wernerii ætas perperam differtur ad tempora Henrici VI. Auguſti, hoc eſt, uſque ad Annum Chriſti MCXCI. Quare vides, ad quæ tempora hactenus collocatus fuerit tum Irnerius, tum Juriſprudentiæ renovatum apud Bononienſes ſtudium.

In hac & ego ſententia eram, quum Præfationem ſcripſi in Leges Langobardicas a me editas, Parte II. Tomi I. Rer. Italicar. Ibi quoque communem hactenus ſententiam amplexus

A ſui, ſtatuentem, Pandectas, ſive Digeſtorum Libros, in Italia per aliquot ante Sæcula neglectos, aut deperditos, tamdem in depopulatione Amalphis Anno MCXXXVII. ſive ut Pagius contendit, MCXXXV. a Piſanis fuiſſe repertos, quorum antiquiſſimus ac venerandus Codex Piſas tunc advectus, nunc Florentiæ adſervatur. Et ſane hucuſque traditum & creditum eſt, tantummodo circiter eadem tempora Digeſtorum ſtudium ac uſum in Scholas penetraſſe, quum antea qui Legibus Romanis in Italia vivebant, Codice quidem Juſtinianeo, ejuſque Novellis ac Inſtitutionibus, non autem Digeſtis, uterentur. Verùm D. Guido Grandius, Camaldulenſis Abbas, & publicus in Piſano Lycæo Matheſeos Profeſſor, vir tum ex
B Mathematicis, tum ex eruditione ſua ubique Clariſſimus, in Epiſtola ad Cl. V. Joſephum Averanum, Anno MDCCXXVI. Piſis editâ, & inſequenti Anno cum Additamentis recuſâ, hæc omnia in dubium revocavit, & pro ſuo quidem more judicioſe atque nervoſe. Sed & ante Grandium Donatus Antonius Aſtenſis Anno MDCCXXII. Neapoli Librum edidit, nondum mihi inſpectum, cui titulus: *Dell' uſo, e autorità della Ragion Civile nelle Provincie dell' Imperio Occidentale*, in quo contendit, falsò proditum hactenus fuiſſe, Pandectas olim Piſanos, nunc Florentinos (liceat enim ſemel, quod aliquot præclari Viri fecerunt, maſculino
C genere vocabulum hoc efferre) Piſanis ad Amalphim in prædam contigiſſe; ſtatuens, eorum uſum in Italia perduraſſe ac fuiſſe, longe antequam Pandectarum Codex Piſanus agnoſceretur. Ad hæc eximium locum in Acceſſionibus Roberti de Monte ad Chronicon Sigeberti, a Dacherio editis, animadvertit doctiſſimus Grandius, cui ſi acquieſcamus, antevertenda eſt uno ferme Sæculo Academiæ Bononienſis inſtitutio. Ita ergo ſcribit Robertus ad Annum MXXXII. de Beato Lanfranco, poſtea Cantuarienſi Epiſcopo, cujus in proxime præcedenti Diſſertatione fuit mihi ſermo: *Lanfrancus Papienſis & Garnerius ſocius ejus, repertis apud Bononiam Legibus Romanis Juſti-*
D *niani Imperatoris, operam dederunt, eas legere & aliis exponere*. Equidem, ut verum fatear, dubium, ancipitemque in iſta controverſia me ſentio, quando tantam inter Urſpergenſem ac Robertum de Monte diſcordiam intueor, quum ille ad Annum MCXXVI. ſub Lothario II. ac ſi mavis ad Annum MCII. ſub Comitiſſa Mathilde, *Irnerii*, ſive *Guarnerii*, ſeu *Warnerii* ætatem ac labores ſtatuat, alter verò ad Annum MXXXII. Etſi aliquantulum vetuſtior Robertus de Monte, quàm Abbas Urſpergenſis, uterque tamen multis poſt Lanfranci mortem annis floruit, & ſcripſit, ita ut cur uni potius quàm alteri fidem adhibeas, aut neges? Urſpergenſis autem multos e præcedentibus Hiſto-
E ricis ad manum habuit, dum ſuam contexeret Hiſtoriam. Præterea Milo Criſpinus, Cantor Beccenſis in Vita ejuſdem Beati Lanfranci Cap. I. hæc tantùm ſcribit: *In primæva ætate patre orbatus, quum ei in honorem & dignitatem ſuccedere deberet, relictâ Civitate, amore diſcendi, ad ſtudia Literarum perrexit: ubi plurimo tempore demoratus, omni ſcientiâ ſæculari perfecte imbutus rediit*. Si Lanfrancus in *primæva ætate* ad ſtudia Literarum profectus eſt, & quidem *amore diſcendi*, quei nobis a Roberto exhibetur aliorum in ſtudio Legum Magiſter? Rurſus, ſi primus inter Italos repertas apud Bononiam Leges Magiſter fuiſſet inter-

interpretatus, cur hanc ejus laudem non noviſſet, non deprædicaſſet Milo Beccenſis Monachus, atque illius æqualis? Hiſce adde, nos nuper vidiſſe *Warnerium Judicem Bononienſem* ab Henrico IV. Auguſto magni factum, qui procul dubio vivente Mathilda Comitiſſa floruit. At non plura ego de hujuſmodi controverſia. Quod tamen pæne certum reor, nequaquam ab Anno MCXXVIII. cum Doctoribus Bononienſibus deducenda eſt origo Scholæ in Civitate Bononienſi. Teſtem nempe habeo, qui id mihi perſuadeat. Is eſt Anonymus Auctor Poëmatis *Cumani*, ſive *de Bello & excidio Urbis Comenſis*, quod illuſtratum a Cl. V. Joſepho Maria Stampa Clerico Regulari Somaſchenſi, in Tomo V Rer. Italicar. evulgavi. Ibi Poëta res geſtas, eaſque a ſe viſas deſcribit; inquit enim:

- - - - - - - - - - - - - - - *Falſa tacebo*,
Quæque meis oculis vidi, potius reſerabo.

Ille ergo acta Anno MCXIX. referens, Populoſque recenſens a Mediolanenſibus accitos adversùs Comenſes, verſu 211. in hæc verba loquitur:

Docta ſuas ſecum duxit Bononia Leges.

Scribit ille rurſus ad Annum MCXXVII. verſu 1848. Bononienſium copias Mediolanenſibus ſeſe adjunxiſſe:

Docta Bononia venit & huc cum Legibus una.

Si circiter Annum MCXXX. Comenſis Poëta tam expreſſis & grandibus repetitis verbis *doctam* appellat, eamque laudat uti Juriſprudentiæ Romanæ Magiſtram *Bononiam*, hinc intelligas neceſſe eſt, jam longe antea ibi fuiſſe cœptam, immo conſtabilitam diſciplinæ Legalis Scholam, ejuſque prærogativæ famam jamdiu evulgatam fuiſſe per univerſam Italiam. Non exiguo annorum ſpatio opus fuit Bononienſibus, ut jure in ſuis Nummis inſcriberent BONONIA DOCET. Attamen jam circiter Annum MCXXX. eorum Civitas *docta* appellabatur. Itaque perſpicuum puto, amovendam eſſe a temporibus Lotharii II. Auguſti Scholæ Bononienſis originem, atque ætatem Irnerii ſive Wernerii, primi Legum in Bononienſi Civitate interpretis, recte componi cum ætate Comitiſſæ Mathildis, ipſumque etiam per complures Sæculi Undecimi annos præeſſe potuiſſe Scholæ apud Bononienſes, hoc eſt in patria ſua inſtitutæ.

Nam quod eſt ad Pandectas, etſi fama ante quadringentos annos apud Piſanos vigeat, pretioſum ac vetuſtiſſimum Codicem eos complectentem, in direptione Amalphiæ Anno MCXXXV. a Piſanorum copiis fuiſſe repertum, ac inde Piſis advectum; quippe Frater Raynerius de Gracchiis, Ordinis Prædicatorum, in ſuo Poëmate caliginoſo, quod evulgavi Tomo XI. Rer. Italicarum, diſertis verbis ejus rei mentionem fecit circiter Annum Chriſti MCCCXL. attamen fieri etiam potuit (quod contendit Cl. P. Grandius) ejuſmodi famam non ſat ſolidis fundamentis nixam fuiſſe. Ad hæc etiamſi daremus, Anno MCXXXV. incidiſſe in Piſanorum manus Pandectarum Codicem (qua de re inter prælaudatum Abbatem Grandium & Bernardum Tanuccium tunc in Accademia Piſana doctiſſimum Juris Interpretem controverſia efferbuit) minime inde conſequitur, ſtatuendum eſſe atque credendum, præcedentibus Sæculis Codices omnes & uſum Pandectarum prorſus excidiſſe, itaut Piſano illi unico debeamus totam Digeſtorum in Italia reſtitutionem. Quiſquam alius eorum Codex ſuperfuiſſe apud Italos potuit. Et revera Irnerius longe ante eum annum, ipſo Urſpergenſi teſte, Pandectas Bononiæ diſcipulis expoſuerat, & Gloſſis ornarat. Rariſſimi autem facti fuerant in Italia Digeſtorum Libri; & qui ex Juris peritis ditiores erant, totam ferme ſupellectilem Romanæ Juriſprudentiæ conſtituebant in Codice Juſtinianeo, Novellis, atque Inſtitutionibus. Sed ut intelligas, vel poſt declinationem Imperii Romani, & ante Annum MCXXXV. quo Amalphitanus Codex repertus fuiſſe traditur, alii in Italia haberentur Pandectarum Libri, en tibi exemplum, quo evincatur, Anno DCCLII. Italicos illos, qui Lege Romanâ vivebant (cujuſmodi fuere Clerici, & Monachi plerique) Digeſtorum auctoritatem adhibuiſſe in ſuis controverſiis. Hinc etiam videas, Bononienſes minime exſpectaſſe Piſanum Pandectarum Codicem Amalphitanis ereptum, uti præter tot alios Cl. V. Henricus Brencmannus in Hiſtor. Pandectar. Trajecti ad Rhenum Anno MDCCXXII. typis editâ cenſuit, quo ad illuſtrandos & explicandos Digeſtorum Libros uterentur. Fragmentum autem, quod heic ſum daturus, pars eſt Apologetici a Juriſconſulto eorum temporum concinnati pro Epiſcopo Arretino contra Senenſem, ob celebratiſſimam litem inter eos agitatam de Parœciis aliquot controverſis. Membrana mutila & principio carens, unde hoc fragmentum deſcripſi, adſervatur in nobili Archivo Capituli Canonicorum Arretii; & eſt apographum, quantum quidem mihi videbatur, ante ſexcentos, aut ſeptingentos annos exaratum. Cur verò Chartam ſpectare ad Annum Chriſti DCCLII. fidenter aſſeverem, ipſe Lector intelliget, ſi Acta ejuſdem controverſiæ ſcrutetur, quæ in Diſſertatione LXXIV. *de Parochiis* congeram, ubi Stephani II. Papæ Bulla Anno eodem data innuit *Sancti Ampſani Corpus*, violenter a Senenſi Epiſcopo aſportatum: quod idem facinus hoc ipſo Libello inſectatur anonymus Juriſconſultus, Leges *Codicis Juſtinianei*, & *Digeſtorum* adversùs Senenſem Epiſcopum intorquens. En ipſum antiquitatis venerandæ fruſtulum purum putum, quale in pergamena inveni. Niſi tot alia veterum Juris peritorum monumenta edax tempus abſumſiſſet, ſæpe etiam Digeſtorum mentio nobis occurreret

Fragmentum Libelli contra Senenſem Epiſcopum pro Arretino confecti, ubi Digeſtorum auctoritas adhibetur, Anno 752.

. . . . *ſacrilegio proximum eſt , nedum Sanctorum , verùm etiam quorumlibet hominum Sepulcrorum violationem , nemini Juris perito non eſt indubitatum ; Poteſtateſque loci , ſi hoc vendicare neglexerint , infamiâ laborare , ut in Codicis Libro Nono , Titulo de Sepulcro violato* : Si quis Sepulcrum læſurus attigerit , locorum Judices , ſi hoc vendicare neglexerint , pene nomine . . . . quam viginti Librarum auri in Sepulcrorum violatores ſtatutâ penâ damnari . *Preterea* locus ipſe in quo Sepulcrum reponitur , publicetur , *ut in eodem Titulo* . Et ſi fortè detractum aliquid de Sepulcro ad Domum ejus Villamque aſportaſſe reperiretur, Villa, ſive domus , aut edificium, quodcumque eſto , Fiſci juribus vendicetur . *Ergo Senenſis Epiſcopus non poteſt petere jura Eccleſiæ non ſuæ , preſertim cum neglexiſſet dare vindictam , & ob hoc infamiâ laborare ; cum etiam in eo , quod ratum habuit , mandaſſe intelligatur , ut in* Digeſtis *rathiabitio mandato comparatur , cum rathiabitionem etiam in maleficiis locorum habere valet . Ergo idem jubere maleficium , & rathum abere , poſtquam factum eſt . Satis autem habet ratum , qui in Eccleſia, cui preeſt, ſacrilegio rem ablatam tenet . Item in Octavo Libro Codicis legitur* : Si quis in tanta furoris pervenerit audacia , ut poſſeſſionem rerum apud Fiſcum , vel apud quoslibet homines conſtitutarum ante eventum

A judicialis arbitrii violenter invaſerit , dominus quidem conſtitutus poſſeſſionem , quam abſtulit , reſtituat poſſeſſori , & dominium ejuſdem rei amittat . Sin verò alienarum rerum poſſeſſionem invaſit, non ſolùm ea poſſidentibus reddat , verùm etiam eſtimationem earundem rerum reſtituere compellatur . *Quod autem hec Queſtio procedere debeat , Nonus Codicis Liber teſtatur Titulo ad Legem Juliam de Vi publica & privata* : Si quis ad ſe fundum & quodlibet aliud aſſerit pertinere , ac reſtitutionem ſibi competere poſſeſſionis putat: *inter cetera*: quod ſi omiſsâ appellatione vim poſſidenti intulerit , ante omnia calumnie cauſam examinari precipimus . *Liber quoque* Digeſtorum

B *concordat , ut prius de Criminali diſcetetur . Quando autem inſcriptum habet , datam fuiſſe ſententiam , ut ſacramenti pars ita ſe tueretur, & per Senenſes remanſiſſe , habetur in Quarto Libro Codicis , Titulo de rebus creditis generaliter de omnibus juramentis , inter cetera* : Si Judex appellationis præſidens bene eidem illatum jus jurandum a parte ante recuſatum pronunciaverit , res ſecundùm quod judicata eſt , permanebit .

Ad eadem tempora referenda eſt informis Charta , cujus exemplum vidi in Archivo Eſtenſi , & qualem reperi , licèt multis lacunis & erroribus Librarii intermixtam, omnium oculis ſubjicio .

Donatio complurium bonorum facta ab Eudochia Sanctimoniale Monaſterio Sanctæ Mariæ in Coſmedin, Ravennæ ſito, Anno, ut videtur, 767.

IN nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Anno Deo propitio Pontificatus Domini Johannis ſummi Pontificis & univerſalis Pape . . . . . . Deo coronato in Italia , Anno V. die Sextodecimo Menſis Novembris , Indictione V. Ravennæ . Exemplum ex autentico de Cartula Donationis, quam olim fecit Eudochia Ancilla Dei Domno Aneſtaſio Presbitero Regulæ venerabilis Monaſterii Sanctæ Mariæ in Coſmedin juris ſui in perpetuum .

In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Dei & Salvatoris noſtri , Imperante . . . . piiſſimo P. P. Auguſto Conſtantino a Deo coronato magno Imperatore , Anno . . . . Principatus ejusdem tranquillitatis Anno Vigeſimo Quarto , ſed & Leone Imperatore ejus filio Anno Quintodecimo . . . . Tercio Menſis Marcii , Indictione . . . . Ravennæ . . . . , & merita, ac etiam beatiſſima venerabilis Regulæ . . . . . . in Coſmedin , in qua nunc Deo protegente , & ibi Domino gubernante , Domnus Aneſtaſius *Presbiter & Monacus atque* Abbas *præeſſe videtur . Ego quidem in Dei nomine Eudochia ſupraſcripta Deo dicata ancilla Dei donatrix veſtra . . . . . . omni renunciatione animæ meæ atque quondam parentum meorum præſens præſentis ſalutis . . . . . . & donationis ſcripturarum ratio nos promovet, illa ſemper conſiderare atque diſponere que animarum meritis dominus*

C *ejus creaturam hominem ſolum . . . . etiam humana conditio . . . . . . in opportuno tempore divinis parere mandatis & laudibus deſervire . Ideo firmam ſpem & fiduciam habentes & apertam divinis promiſſionibus inæſtimabilem beatitudinem animæ meæ , ac pro venia delictorum meorum ; in quantum vires exigunt , & ſpontanea mea voluntate nullo penitus cogente neque compellente , vel vim inferente ; ſed noſtræ propriæ deliberationis & arbitrio do & dono, cedo, trado . . . . . prædicto Monaſterio Sanctæ ſemperque Virginis Dei Genitricis Mariæ , quæ vocatur in Coſmedin , poſſidendum , ideſt fundum Centu Colonna , qui vocatur Ronco , & fundum Viſiano , qui vocatur Teudota , & fun-*

D *dum Luciano , qui vocatur Polito , necnon & fundum Cardeto : hec omnia in integrum inter affines . . . . . . lateribus ab uno latere fundum Gazolo , ex alio latere fundum Gaibano , ſeu a tercio fundum latere limite , qui vocatur Sclarano , atque a quarto latere alio limite , qui ad Raſiola, vel omnibus ad eoſdem fundos pertinentibus . Et inſuper do & dono in ſupraſcripto venerabili loco Monaſterio Sanctæ Mariæ , quæ vocatur in Coſmedin , hoc eſt fundum Mignonis integrum , & fundum qui vocatur Quingeri , & Caplizaria , ſeu fundum Fabrigo , & fundum Cuſteduda pertinentem uſque a limitem mundum . Et inſuper dono in ſupraſcripto venera-*

nerabili Monaſterio Sanctæ Mariæ, quæ vocatur in Coſmedin, ideſt fundum Caſale Pauli, quod eſt Conio, & fundum Farnuli, & fundum Molarito, Vetuccia, & tres uncias particulares integras, quæ ſunt poſitæ in fundo, qui vocitur Gaciolo: quæ omnia michi veniunt ex ſucceſſione parentorum meorum, cum terris, vineis, campis, pratis, paſcuis, ſilvis, ſalectis, ſacionalibus, arbuſtis, arboribus, fructiferis & infructiferis, & cum omnibus ad eaſdem pertinentibus conſtituta territorio Faventino, Cornelienſe, Plebe Sancti Martini in Labluſi; vel omnia ſicut ſuperius leguntur, retento michi uſufructu quindecim dierum, quod poſſim venerabili ſupraſcripto Monaſterio Sanctæ Mariæ, quæ vocatur in Coſmedin, ut leges cenſent, & eorum . . . . . . conſtare, quod hoc eſt per Legem retinere, quod eſt tradere. Poſt vero tranſactos quindecim dies uſufructuarie pro prefato venerabili Monaſterio Sancte Marie, que vocatur in Coſmedin, congregationique ejus, ſuperius nominatas res in integrum . . . . . ſicut ſuperius legitur, mea in te decrevit voluntas, habeas, teneas, poſſideas per jus vere dominiumque tuum, congregationiſque ejus in perpetuum poſſidendum ad uſum & ſuſtentamentum . . . . . deſervierint . . . . . . ſalario, in ibidem permanendum, non vendendum, nec donandi, aut aliis largiendi, aut per commutacionem . . . . . . vel ingenium, ſed ſemper . . . . . . ſalario, in ſupraſcripto venerabili Monaſterio in perpetuum permanendum pro remedio anime mee & de quondam . . . . . . dictionem, & ad futura eterne vite eſſe participes contra quam eciam donacionem me a preſenti die . . . . . policeri permanendum . . . . non per me, neque per aliquamcumque oppoſitam perſonam . . . . procuratoris . . . . . non ad eundum Judicium, & non duplicandum . . . . . ratione contraire, quia Legibus cautum eſt, ut quod ſemel donatum vel conceſſum fuerit, & maxime in venerabilibus locis, nullo modo revocetur contra hujus donationis me a preſenti die Cartulam . . . . . legitur, jurata voce dico per divina omnia, & per ſcripta ſacra ſancta Evangelia, quæ corporaliter obſculans tango, Sedeque Sancta Apoſtolica, & Imperatorum ſalutem, atteſtatione confirmo, me contra preſcriptam donationem mea propria & ſpontanea voluntate optuli in ſupraſcripto Monaſterio numquam eſſe ventura, ſed perpetuis temporibus inleſum atque immaculatam conſervare & cuſtodire promitto, excluſo me meoſque hinc . . . . . . Legum beneficia, juris, & facti ignorantia, foris, lociſque, preſcriptione alia, Senatoque Conſulto, quod de mulieribus preſtitit, benefitio retractandi, nec non & de Religioſitati abitus, & quod de Relictis ſunt per Legem indulta donantibus.

Et hoc procurare decrevit, ut nullam habeatis licentiam vos ſupraſcriptis Aneſtaſius Presbyter, & Ergaminus, tuique ſucceſſores, vel Congregationes deſerviendum cujuſque in perpetuum in ſepe dicto Monaſterio fuerit quoquo tempore per qualecumque ingenium prenominatas fundoras cum omnibus ad eaſdem fundis pertinentibus, ſicut ſuperius legitur, ex parte vel ex tota, neque per commutationem neque per henfiteotico titulo, neque per nullo contracto a ſalario ſupraſcripto Monaſterio quicquid majoris vel minoris perſona dare aut donare, aut de jure ſupraſcripto extraneare. Sed imperpetuum ſit pro candela & alimonia Congregationis Monaſterii fruges, quas ſibi Deus annualiter preparaverit, prout fata ſum, indulgentiam peccatorum meorum, vel requiem animæ meæ. Quam vero inrevocabilem donationis Cartulam, ſicut ſuperius legitur, abſque ullo modo, vi, metu, & circumſcriptione ceſſante, Vitalliano Tabellario hujus Civitatis Ravenne noſtro . . . . . dum dictavi, & ſubter manu propria ſignum Sanctæ Crucis feci, teſtibuſque a me rogatis obtuli ſubſcribendam, & eam vobis ſupraſcripte Congregationi predi . . . . eſtis liberalibus mancipalibus alegare malueritis, liberam tribuo & concedo ex more licentiam allegandi, de quorum & de quibus omnibus bonis ſupraſcriptis ſtipullo. Imperantibus Dominorum piiſſimis Auguſtorum P. P. Auguſtorum Conſtantino Anno Quadrageſimo Octavo, Principatus ejuſdem Anno Vigeſimo Quarto, ſed & Leone ejus filio Anno Quintodecimo, die . . . . Marcii, Indictione Quinta, Ravenne.

Signum ✠ manus ſupraſcripta Eudochia donatrix noſtra, relicta quondam Baſilius preſens ad omnia ſupraſcripta, cum relecta eſt & ſubſcripſit.

Conſtantinus Tribunus numerum Lenon huic Cartule donationis de ſupraſcriptis fundis, & tres uncias factam in Aneſtaſio venerabilis Abbatis, & per eum in ſupraſcripto Monaſterio Sanctæ Mariæ in Coſmedin ab Eudochia religioſa femina, Ancilla Dei, ſupraſcripta donatrix, que me preſente ſignum ſancte Crucis fecit; & ei relecta eſt; rogatus ab eadem teſtis ſubſcripſi, & huic Cartule mei preſentia de ſupraſcripta Evangelie traditam vidi.

Ego Marinus Domeſticus bandi primi huic Cartule donationis de ſupraſcriptis fundis & tres uncias, que ſuperius legitur facta in Aneſtaſio venerabili Abbati ab Eudochia Ancilla Dei ſupraſcripta donatrix, & hanc Cartam ſupraſcripta ſancta Evangelia traditam vidi.

Ego Tophanus bandi primi Domeſticus de ſupraſcriptis fundis & tres untias, ſicut legitur, traditam vidi.

Vitalianus Tabellio hujus Civitatis Ravenne ſcriptor hujus Cartule donationis, ut ſuperius legitur, poſt roborationem teſtium utque traditam complevi & abſolvi.

✠ Johannes filius Johannis Negotiatoris, huic paginæ exempli, ut ſuperius legitur, quam vidi, & legere audivi, & pro recordatione ſcribere rogavi.

✠ Gerardus Teberti filius huic pagine exempli, ut ſuperius legitur, quam vidi &c.

✠ Georgius filius quondam Grimaldi huic paginæ exempli &c.

✠ Ego verò Caſariola, Imperialis Aule Notarius facto & ſcripto ſigno me in hoc exemplo ſubſcripſi, quoniam ipſum concordare cum veteri exemplo comperi.

✠ Ego Guido Blancus, Imperialis Aule Notarius facto & ſcripto ſigno meo in hoc exemplo &c.

✠ Ego Aimizatus, Imperialis Aule Notarius facto & ſcripto &c.

✠ Ego Smeraldus, Imperialis Aule Notarius, hujus exempli ſcriptor, ut in exemplo veteri comperi, & eum legi, nihil addens neque minuens, quod ſententiam vel ſenſum mutet, niſi in compoſitione Literarum vel Silabarum eam ſcripſi atque complevi.

In donatione iſta animadverteris, Sanctimonialem Eudochiam evictionem polliceri, renuntiando *juris & facti ignorantiæ, præſcriptioni, & Senatus Conſulto, quod de Mulieribus præſtitit* &c. Nomine *Senatus Conſulti* nihil aliud ego

ego ſignificari opinor, niſi *Vellejanum*, de quo titulus eſt Lib. XVI. Digeſtorum, l. *Et primo*. Quæ mea conjectura ſi vera eſt, rurſus habemus, Sæculo VIII. Ravennæ uſurpatam fuiſſe auctoritatem Pandectarum, ſive Digeſtorum. Nam etſi in Codice quoque Lib. IV. Titulo XXIX. Leges habeantur ſpectantes *ad Senatusconſultum Vellejanum*, attamen veri videtur ſimilius, Pandectas ipſas innui, in quibus ipſum Senatusconſultum refertur. Sed ne in Gallia quidem defiit umquam Digeſtorum ſive Pandectarum uſus, meque in eam opinionem compellit Vita Aldrici Epiſcopi Cenomannenſis, edita a Baluzio Tom. 3. Miſcellaneorum. Floruit ille Sæculo Chriſti Nono, imperante Ludovico Pio. Et quum controverſia ferveret inter ipſum Antiſtitem, & Sigiſmundum Abbatem cauſsâ Monaſterii Aniſolæ, inter Leges, quas ipſe Epiſcopus pro ſe laudavit, recenſentur *quinque Capitula de effectu ſententiarum, & finibus litium*, *Pauli ſententiarum Lib. V.* Infra etiam memorantur verba Pauli Lib. I. Sententiarum Tit, IX. Ivo quoque Carnotenſis Epiſcopus ante Amalphitanam direptionem Leges quaſdam e Digeſtis petitas laudavit. Aliis quoque hanc ipſam veritatem confirmarunt prælaudatus P. Grandius, & Clariſs. V. Virginius Valſecchius Monachus Benedictinus, & ipſe Piſani Lycæi ornamentum in Epiſtola edita *de Veteribus Piſanæ Civitatis Conſtitutionibus*; ita ut fidenter affirmare jam quiſque poſſit, non exſpectaſſe Bononienſes, ut ſupra innuimus, Piſanum Pandectarum Codicem, Amalphitanis ereptum, ad illuſtrandos Digeſtorum Libros.

Hanc ergo laudem primam ſibi procuravit Bononienſis Civitas Sæculo Undecimo, nempe Scholam Romani Juris illuſtrem aperire, qualem ceteræ antea numquam habuerant. An aliud quidquam diſcipulis illuc ea de cauſſa confluentibus tunc explicaretur, ex monumentorum inopia decernere nemo poſſit. Anonymus Poëta Novocomenſis tantummodo ob reſtauratum *Legum* ſtudium, doctam & celebrem Bononiam appellat. Et hoc quidem a Bononienſibus multa cum laude Sæculo Undecimo peractum. Sed altero Sæculo, hoc eſt, Duodecimo eadem Civitas novum decus ſibi procuravit, cujus nunc nobis ingerenda eſt mentio. Hactenus ad Juris Civilis ſcientiam propagandam incubuerat Bononienſium cura ac induſtria. E publica re poſt aliquot annos viſum eſt, excolendum quoque in Scholis proponere Jus Canonicum. Scientiam profecto Canonum Eccleſia perpetuo optavit in Sacerdotibus, ac præſertim in Epiſcopis, quum ad eorum normam & mores. & regimen Cleri, & judicia, uno verbo univerſa Eccleſiæ politia, conformanda forent. Et nulla quidem erat olim Cathedralis Eccleſia, nullum ſaltem ex inſignibus Monaſteriis, ubi non haberetur Collectio aliqua Canonum. Parum fortaſſe in reliquis Literis ac diſciplinis exculti erant Epiſcoporum & Sacerdotum præcipui; at ii ſaltem Canonum ſtudium retinere conſueverunt: quod ſane multum contulit ad ſervandam illæſam ignorantiæ temporibus Fidem orthodoxam, Traditionem, ac Diſciplinam. Ex hiſce Codicibus MStis & vetuſtis multi adhuc ſuperſunt, & plerumque unus ab altero diverſus, quod ſubinde recentiores antiquis Collectionibus nova, aut ab aliis neglecta adjungerent. Potiſſimùm verò invaluit Iſidori Mercatoris Sylloge, quæ quamquam ſpuriis mercibus abundet, attamen vix edita magno in honore præſertim apud Italos fuit. Et ad hujuſmodi quidem Canones colligendos, & aliquo etiam ordine donandos, ut antiquiores omittam, in Germania Regino Abbas, & Burchardus Wormatienſis Epiſcopus inſudarunt, uti & in Italia Anſelmus Lucenſis Epiſcopus (ſi tamen is revera auctor eſt Collectionis in Codice Romano conſcriptæ) & Deuſdedit Cardinalis circiter Annum MLXXXVII. & in Gallia felicius quàm reliqui præcedentes Ivo Carnotenſis Epiſcopus circiter Annum MC. Collectiones minorum gentium non memoro; & potius innuam, mihi olim inſpectum fuiſſe in Ambroſiana Bibliotheca MStum Codicem, cujus antiquitatem ex characterum forma metiens ego, conjiciebam ſpectare poſſe ad Sæculum XI. & fortaſſis ad X. Ibi Collectio ampla Canonum, ſed ſine Auctoris nomine, quales ferme ſunt & reliquæ. Utitur ille Collector Canonibus Conciliorum, auctoritate Sanctorum Patrum, Decretalibus ab Iſidoro Mercatore confictis, & Capitularibus Regum Francorum. Ibi duo Tractatus leguntur, alter de gravibus mortalibuſque Peccatis ac criminibus, eorumque pœnitudine & ſatisfactione. Incipit: *Quæ ſunt autem gravia & mortalia peccata* &c. Alter eſt *de materia principalium Vitiorum, eorumque origine*. Incipit: *Humani generis Creator & conditor Deus* &c. Hujus Opuſculi Auctor ſententias præſertim adfert Caſſiani, Serapionis, aliorumque Patrum. Tum: *In nomine ſanctæ Trinitatis incipit Liber Secundus ex Opuſculis vel inſtitutis Catholicorum Patrum breviter excerptus. Quibus modis cuncta per Chriſti gratiam humano generi remittuntur peccata*. Ibi leguntur *Canones Pœnitentiales*. Ibi laudatur *Fructuoſus Epiſcopus*, & *edicta Sancti Apollonii de Jejunio quartæ & ſextæ Feriæ*. Succedunt Capita centum tredecim *e Capitularibus Domni Karoli præclariſſimi Imperatoris*. Deinde *nomina Regionum continentium intra ſe Provincias centum duodecim, Italia, Gallia, Africa, Spania, Illyricus, Thracia, Aſia, Oriens, Pontus, Ægyptus, Britannia*. Infra habetur *Cap. de quatuor Synodis principalibus*. Succedit *brevis annotatio de reliquis Synodis*, quam heic evulgare conſtitui. Sed antea monebo, infra occurrere in eodem Codice Edictum Childeberti Regis cum hoc titulo: *Diſcretio Childeberti Regis Francorum viri inluſtri. Cum nos in Dei nomen omnes Kalendis Martii* &c. Plura non deſcribo, quum edita ſint Tomo I. Capitularium editionis Baluzianæ. Denique ibidem Sermo legebatur, cujus en prima verba: *Fratres Presbyteri & Sacerdotes Domini cooperatores ordinis noſtri eſtis* &c. Deprehendi, Sermonem eſſe Leonis IV. Papæ in Romana Synodo recitatum, quem habes Tom. VIII. pag 35. Conciliorum editionis Labbeanæ. Luce minime indignus, fortaſſis etiam uſui erit alicui Catalogus Conciliorum quorumdam, cujus nuper mentionem feci.

Index veterum aliquot Conciliorum Provincialium ante annos 700 ſcriptus in Codice Bibliothecæ Ambroſianæ.

PRima annotatio Anquiranæ Synodo, quæ ante Nicænam fertur fuiſſe; ſed propter auctoritatem majorem poſtponuntur, in qua Patres decem & octo ſtatuerunt Canones viginti quatuor, quorum auctor maxime Vitalis Antiochenus Epiſcopus exſtitit. In qua Patres tredecim ſtatuerunt Canones quatuordecim, quorum auctor maxime Vitalis Salaminus exſtitit. Tertia Gangrenſis, quæ poſt Nicænam legitur fuiſſe, in qua Patres ſexdecim ſtatuerunt Canones viginti propter quaſdam neceſſitates Eccleſiaſticas, maxime contra Euſtaſium, qui dicebat, quod nullus in conjugali gradu poſitus, nec ullus fidelis, qui non omnibus renunciaret, quæ poſſideret, ſpem ad Deum haberet, & multa alia ejus venenoſa, quæ enumerare longum eſt. Quarta Sardicenſis, in qua Patres ſexaginta ſtatuerunt Canones viginti & unum, quorum auctor maxime Oſius Cordubenſis Epiſcopus, & Vincentius Capuanus Epiſcopus, & Januarius Beneventanus, & Calepodius Neapolitanus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Legati exſtiterunt. Quinta Antiochena, in qua Patres triginta ſtatuerunt Canones viginti quinque, quorum auctor maxime Euſebius Paleſtinenſis Epiſcopus exſtitit. Sexta Laudicenſis, in qua Patres vigintiduo ſtatuerunt Canones quinquaginta octo, quorum auctor maxime Theodoſius Epiſcopus exſtitit. Septima Carthaginenſis, in qua Patres ducenti octodecim ſtatuerunt Canones viginti tres, quorum auctor maxime Aurelius Carthaginenſis Epiſcopus exſtitit. Etiam & Sanctus Auguſtinus Ipponenſis Epiſcopus in eadem Synodo legitur fuiſſe, temporibus Honorii Auguſti. Octava Africana ſub Theodoſio minore Auguſto, in qua Patres ducenti quatuordecim recitaverunt & firmaverunt Canones centum quinque, qui per diverſa Concilia Africanæ provinciæ, temporibus Aurelii Chartaginenſis Epiſcopi leguntur eſſe conſcripta. Nona Arelatenſis, in qua Patres ſexcenti ſtatuerunt Canones, quorum Auctores maxime Silveſter Urbis Romæ Epiſcopus, & Sanctus Marinus Arelatenſis Epiſcopus exſtiterunt, temporibus Conſtantini Auguſti, ſicut quidam aſſerunt. Decima item Arelatenſis, in qua Patres decem & novem ſtatuerunt Canones, quorum auctor maxime Cæſarius Arelatenſis Epiſcopus exſtitit. Undecima item Arelatenſis, in qua Patres decem & novem ſtatuerunt Canones. Duodecima item Arelatenſis in Vico Ortenſico, in qua Patres undecim ſtatuerunt Canones, quorum auctor maxime Sanctus Cæſarius Arelatenſis Epiſcopus exſtitit. Tertiadecima item Arelatenſis, in qua Patres decem & novem ſtatuerunt Canones, quorum auctor maxime Sapardus Arelatenſis Epiſcopus exſtitit. Quartadecima Arauſicenſis, in qua Patres ſexdecim ſtatuerunt Canones, quorum auctor maxime Hilarius Epiſcopus exſtitit. Quinctadecima Epaunenſis, in qua Patres viginti ſeptem ſtatuerunt Canones quadraginta, quorum auctor maxime Cæſarius Epiſcopus exſtitit. Sextadecima Agatenſis, in qua Patres trigintaquatuor ſtatuerunt Canones, quorum Auctor maxime Cæſarius Epiſcopus exſtitit. Decima ſeptima Aurelianenſis, in qua Patres ſeptuagintaduo ſtatuerunt Canones, quorum auctor maxime Aurelianus Arelatenſis Epiſcopus exſtitit. Decima octava item Aurelianenſis, in qua Patres triginta & unus ſtatuerunt Canones, quorum auctor maxime Melanius Redonenſis Epiſcopus exſtitit. Decimanona item Aurelianenſis, in qua Patres viginti quinque ſtatuerunt Canones, quorum auctor maxime Sanctus Albinus Andegavenſis Epiſcopus exſtitit. Vigeſima Arvernenſis, in qua Patres quindecim ſtatuerunt Canones, quorum auctor maxime Honoratus Brevitenſis Epiſcopus exſtitit. Vigeſima prima Matiſcenſis, in qua Patres viginti & unus ſtatuerunt Canones, quorum auctor maxime Priſcus Lugdunenſis Epiſcopus exſtitit. Vigeſima ſecunda item Matiſcenſis, in qua Patres ſexaginta quatuor ſtatuerunt Canones, quorum auctor idem Priſcus Lugdunenſis Epiſcopus exſtitit. Vigeſima tertia Lugdunenſis, in qua Patres quatuordecim ſtatuerunt Canones, quorum auctor maxime Philippus Viennenſis Epiſcopus exſtitit. Vigeſima quarta item Lugdunenſis, in qua Patres viginti ſtatuerunt Canones, quorum auctor maxime idem Priſcus Lugdunenſis Epiſcopus exſtitit.

Sequitur item annotatio de Decretalibus Apoſtolorum. Silveſter Papa a Petro Trigeſimus Quartus, congregatis cum conſilio Conſtantini Auguſti in Urbe Roma ducentis ſeptuaginta ſeptem Patribus, poſt Nicænam Synodum damnavit item Arrium, & ceteros Hæreticos, & conſtitutiones pleraſque Eccleſiæ neceſſarias ordinare ſtuduit. Siricius a Petro Quadrageſimus ſcripſit Decretalia capitula quindecim, propter quaſdam neceſſitates, Emeſio Tarraconenſe Epiſcopo conſulente. Innocentius a Petro Quadrageſimus Secundus ſcripſit quaſdam Epiſtolas ad Epiſcopos diverſarum Provinciarum, in quibus continentur Capitula Decretalia quinquaginta ſex. Zoſimus a Petro quadrageſimus tertius ſcripſit Epiſtolam Decretalem ad Heſtium Salonitanum Epiſcopum ſub tribus capitulis prænotatam. Cæleſtinus a Petro quadrageſimus quinctus ſcripſit Epiſtolam ad Venerium, & ceteros Galliarum Epiſcopos, in qua continentur Capitula vigintiduo. Leo a Petro quadrageſimus ſeptimus ſcripſit quaſdam Epiſtolas ad diverſarum Provinciarum Epiſcopos, in quibus continentur Capitula vigintinovem. Hilarius a Petro quadrageſimus octavus præſentibus Epiſcopis & Presbyteris quadraginta quinque, ſtatuit capitula Synodica ſex. Felix a Petro quinquageſimus, præſentibus Epiſcopis & Presbyteris octoginta & uno, capitula Canonum conſtituit viginti ſeptem pro rebaptizatis in Africa Epiſcopis, Presbyteris, & Diaconibus. Gelaſius a Petro quinquageſimus primus capitula viginti ſeptem de inſtitutis Eccleſiaſticis. Anaſtaſius a Petro quinquageſimus ſecundus capitula Decretalia octo ad Anaſtaſium Auguſtum pro diverſis Eccleſiæ cauſſis. Symmachus a Petro quinquageſimus tertius, una cum Epiſcopis, Presbyteris & Diaconibus centum triginta quinque, ſtatuit capitula Synodica quinque. Item ejuſdem in Decretali ſecundo capitula Synodica ſeptem, eadem neceſſaria, quæ cum Epiſcopis, Presbyteris, & Diaconibus centum octoginta & uno firmata ſunt. Gregorius Doctor a Petro ſeptua-

ſeptuageſimus ſextus ſcripſit capitula Synodica ſex cum Epiſcopis viginti quatuor , temporibus Mauricii Auguſti . Item ejuſdem capitula undecim valde neceſſaria , ad Auguſtinum in Britannia , ipſo requirente , ſcripta . Martinus a Petro ſeptuageſimus ſeptimus conſtituit Synodum in Urbe Roma cum Patribus centum quinque contra Cyrum & ſocios ejus hæreticos, damnans eos , qui unam Naturam & unam Opinionem in Filio Dei aſſerebant ; quam tranſcribens miſit per orthodoxos viros in Orientem & Occidentem . Gregorius II. a Petro nonageſimus primus ſcripſit Capitula ſeptemdecim, omni Eccleſiæ ſervanda cum Patribus triginta tribus , eaque ſub anathematis vinculo alligavit .

Itaque Sæculo Chriſti Duodecimo non deerant Canonum Collectiones , quæ præſto eſſent ad Eccleſiaſtica præcipue judicia inſtituenda . Attamen nulla hactenus erat, quæ, ſive ordinem, ſive ubertatem materiæ ſpectes , omnibus numeris lucubrata , atque expolita videretur . Fortè verſabatur Bononiæ circiter Annum MCXXX. in Monaſterio Sanctorum Felicis & Naboris Gratianus Monachus doctiſſimus , ex Ordine Sancti Benedicti , Cluſii in Civitate Tuſciæ natus , qui hanc ſpartam adornandam ſuſcepit . Ejus Decretum celebratiſſimum prodiiſſe traditur circiter Annum MCLI. , ac ſtatim avidiſſime in Gymnaſio Bononienſi exceptum fuit tanta cum laude Auctoris , ut is deinde *Magiſter* κατ' ἐξοχὴν appellaretur. Repete nunc , quæ ſupra vidimus de Anſelmo de Puſterla, & Olrico Vicedomino , Clericis primioribus Eccleſiæ Mediolanenſis. Cur ad Scholas Turonenſes ac Pariſienſes circiter Annum MCVIII. ii perrexere, quando Bononienſis Academiæ in dies creſcentis celebritas Italicam gentem literaturæ cupidam ad ſe alliciebat ? Sed animadvertendum eſt , in Bononienſibus Scholis primis annis locum fuiſſe Jurisprudentiæ tantum civili . At in Galliis Sæculo Chriſti Undecimo decurrente refloruerant liberales Diſciplinæ , ſed præcipue ingeniorum Italicorum curâ . Idoneum teſtem habeo Guitmundum Monachum, qui ex Gallia in Italiam profectus , Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis , & Epiſcopus Averſanus creatus dicitur ab Orderico Vitali . Fuerat ille diſcipulus B. Lanfranci Ticinenſis , Cadomenſis primum Abbatis , tum Archiepiſcopi Cantuarienſis , de quo in præcedenti Diſſertatione egimus , ac propterea illorum , quæ heic referenda cenſeo , probe conſcius . Ita ergo ille Lib. primo *de Veritate Corpor. & Sanguin.* contra Berengarium . *Tunc temporis* (ideſt circiter annum MXL.) *Liberales Artes intra Gallias pæne obſoleverant*, quum Berengarius errores ſuos venditare cœpit . Subdit , illum inani eruditione ſuperbientem , *a Domno Lanfranco in Dialectica de re ſatis parva turpiter fuiſſe confuſum ; quumque per ipſum Domnum Lanfrancum virum æque doctiſſimum Liberales Artes Deus recaleſcere atque optime reviviſcere feciſſet , Berengarius deſertum ſe a diſcipulis dolens vidit* . Ex his intelligis, Lanfrancum Dialecticam calluiſſe ; & quamvis etiam daremus, Artem hanc, immo & Phyſicæ ac Metaphyſicæ rudimenta, non uti res plane novas ab Italia per eum fuiſſe in Gallias advecta , is tamen earum diſciplinarum ſtudium amplificaſſe , & propagaſſe apud Gallos credendus eſt . Audi Malmesburienſem pag. 205. de eodem Lanfranco loquentem : *Publicas Scholas in Dialectica profeſſus eſt , ut egeſtatem Monaſterii Scholarum* (legendum puto Scholarium) *liberalitate temperaret . Exivit fama ejus in remotiſſimas Latinitatis plagas , eratque Beccum magnum & famoſum litteraturæ Gymnaſium* . Teſtis quoque eſt Willelmus Gemmeticenſis Lib. 6. Hiſtor. Normann. Beccenſis Monaſterii , & Lanfranci Magiſtri famam *brevi per orbem terrarum penetraſſe . Accurrunt Clerici , Ducum filii , nominatiſſimi Scholarum Latinitatis Magiſtri , Laici potentes , altâ nobilitate Viri* . Neque tantùm Dialecticam explicuiſſe cenſendus Beatus Lanfrancus , utpote qui , teſtante ſupra laudato Malmesburienſe , *teneriorem quidem ætatem in Sæcularibus* (ideſt ſtudiis) *detrivit, ſed in Scripturis divinis animo & ævo maturuit*. Incrementum igitur non leve ab eo quoque acceperit puto Theologiæ ſtudium in Galliis , ex quo tum ipſum , tum ejus diſcipulos , hoc eſt Alexandrum II. Romanum Pontificem , Guitmundum Cardinalem , & Averſanum Epiſcopum , Ivonem Carnotenſem Antiſtitem, alioſque Epiſcopos Theologicâ ſcientiâ claruiſſe patet , ac præcipue Sanctum Anſelmum Cantuarienſem Archiepiſcopum , patriâ & ipſum Italum . Certe Theologica ſtudia in Gallia ac magna Britannia , poſtquam illuc profectus eſt Lanfrancus , emerſerunt , aut ſplendorem priſtinum reſumere cœperunt , ita ut vel tum ex Italia in Galliam proficiſcerentur , qui eruditione divinarum rerum exacte imbui percuperent . Illuc etiam Hildebrandus, poſtea ſub nomine Gregorii VII. Papa celebratiſſimus , adoleſcens perrexit , fortaſſis ad audiendum Lanfrancum . Paulus Bernriedenſis , in ejus Vita edita Tomo III. Rer. Italicarum , Cap. X. hæc de eo habet : *Jam verò adoleſcentiam ingreſſus , profectus eſt in Franciam inſtantiâ eruditionis* . Idem quoque fecerat Alexander II. ejus prædeceſſor, qui, ut ſupra innui , ſub eodem Lanfranco ſacris literis eruditus fuit . Atque hinc intelligas , non immeritò ſcriptum fuiſſe ab Alberico Monacho Trium Fontium , in Chronico ad Annum MLX. *Philoſophiam , ideſt Sapientiam , perveniſſe ad Gallias in diebus illuſtrium virorum Lanfranci & Anſelmi*. Hiſce Albericus jungit *Berengarium , & Managaldum* , illum Hæreticum , hunc verò laudatiſſimis iis duobus Italis minime comparandum .

Quod ergo enixius in Gallia temporibus iis , quàm apud Italos , Theologiæ & Dialecticæ opera daretur, atque ibi celebriores Magiſtri haberentur (ex quibus plerique diſcipuli fuerant Lanfranci & Anſelmi Italicorum) propterea in Galliam diu confluere perrexerunt quicumque ex Italicis ad ſacrorum ſtudiorum laudem inhiabant . Quum verò circiter Annum MCVIII. teſte eodem Alberico de Tribus Fontibus ad Annum MCXV. *florerent in Francia apud Laudunum nominatiſſimus ille Magiſter Anſelmus , qui Gloſſaturam interlinearem primus exhibuit , & frater ejus Radulphus , & ipſe Magiſter Theologus & Catalaunenſis Epiſcopus* : cauſſam habes , cur Anſelmus de Puſterla & Olricus Vicedominus , ambo deinde Mediolanenſes Archiepiſcopi , ſupra a Landulpho de Sancto Paullo memorati , relictis patriis laribus in Galliam ſe contulerint . Et profectò per reliquum Sæculum Duodecimum , & per ſubſequens Decimum tertium , gloriam Theologiæ Pariſienſes Scholæ ita ſibi vendicarunt , ut Lycæum illud certatim nobiliora Italicorum ingenia peterent eruditionis cauſsâ , ibique etiam ad alios docendos adhiberentur .

Quare

Quare quum periculoſæ opiniones Gilberti Porretani, Pictavienſis Epiſcopi, Anno MCXLVI. delatæ fuiſſent ad Eugenium III. Papam, is Ottone Friſingenſi teſte Lib. primo, Cap. 46. de Geſtis Friderici I. reſpondit: *Se Gallias intraire, ibique de hoc verbo, eo quod propter Literatorum Virorum copiam ibidem manentium, opportuniorem examinandi facultatem haberet, plenius velle cognoſcere*. Sed quod beneficii Italiæ noſtræ Gallia tunc detulit, ingenti fœnore Galliæ ipſi non ſerò Italia rependit. Nam circiter Annnm MCXLI. Petrus Lombardus, patriâ Novarienſis, poſtea Pariſienſis Epiſcopus, celebrem Librum Sententiarum compoſuit, cui potiſſimùm, immo uni, locus deinde fuit non in ſolo Pariſienſi Gymnaſio, ſed in omnibus Theologorum Scholis. Ad hæc apud eoſdem Pariſienſes tum pietate, tum doctrina incomparabiles viri Italici Thomas Aquinas, & Bonaventura Balneoregienſis effulſere, qui Libris editis Theologiam, ac Philoſophiam (reliqua prætereo) ita illuſtrarunt, ut neuter eorum noſtris jam laudibus indigeat. Quibus etiam acceſſit Ægidius de Columna Romanus, ſuis lucubrationibus & ipſe clariſſimus, qui non ſecus, ac alii in Pariſienſi Academia Philoſophiam, ac Theologiam per plures annos ſumma cum laude profeſſus eſt. Denique conſtat, Galliam Sæculo eodem duodecimo accepiſſe ab Italis Juris ſaltem Canonici Libros, quum in Jurisprudentiæ ſtudio præ Gallis excellerent tunc & poſtea Italici viri. Utrumque verò Jus teſtatur Gervaſius Dorobernenſis Anglicus Scriptor ex Italia penetraſſe in magnam Britanniam. Ejus verba ſunt circiter Annum MCXLIX. *Regnante Henrico I. Leges, & Cauſidici in Angliam primo vocati ſunt, quorum primus Magiſter Vacarius. Hic in Oxenfordia Legem docuit*. Anglici autem ac Normannici Scriptores concordi calculo tradunt, hunc natione *Langobardum* fuiſſe. Idem quoque de Germania dicendum.

Quoto autem Anno primum Bononienſes in ſuum Gymnaſium invexerint univerſæ Philoſophiæ, Theologiæ, ac Medicinæ Magiſtros, ignorare me fateor. Per totum Sæculum Duodecimum quidquid monumentorum ad Bononienſe Gymnaſium ſpectans, congerere Sigonius potuit in Hiſtoriam Bononienſem, de Jurisprudentia tantùm ibi exculta fidem facit. Illud contra perſpectum habeo, primum *Gymnaſticæ, atque humaniorum Litterarum* Magiſtrum accitum fuiſſe circiter Annum MCCVIII. *Boncompagnum Florentinum*, ut pluribus oſtendi Tomo VI. Rer. Italicar. in Præfatione ad ejus Opuſculum de Obſidione

A Anconæ. Præterea ſupra laudatus Sigonius ad Annum MCCXIX. commemorat Honorii III. Papæ literas ad Epiſcopum Bononienſem datas, *ut Theologiæ ſtudium in Urbe aleret, neque Religioſos aut Juri Civili, aut Phyſicæ operam dare permitteret*: quæ indicare videntur, Theologiam quoque ac Phyſicam præter Leges in Bononienſem Academiam jamdiu antea immigraſſe. Ceterum quum Ordines Prædicatorum, & Minorum, ac deinde Eremitarum Auguſtinenſium Sæculo Tertiodecimo per omnes ſere Urbes invaluerint, familiares cœperunt eſſe per Italiam Theologiæ quoque, ac Philoſophiæ Scholæ: qua de re nihil attinet eruditum Lectorem monere. Atque hactenus B ut prima, ita & unica Bononia florentiſſimum Gymnaſium in Italia ſe habere gloriabatur, ceteris Civitatibus ejuſmodi prærogativa carentibus. Fama loci, atque inſignium Magiſtrorum, quales fuere Bulgarus, Martinus Goſſia Anconitanus, Hugo & Albericus de Porta Ravennate, Bononienſes, Lotharius & Joannes Boſſianus Cremonenſes, Hugolinus, Azzo, Accurſius, aliique (de quibus Pancirolius in Lib. de Clar. Leg. Interpret. multa commentatus eſt) eo proceſſit, ut ex univerſis Italiæ Urbibus adoleſcentes Bononiam confluerent, Jurisprudentiam inde domum reportaturi. Privilegiis ac immunitatibus etiam non paucis illuc alliciebantur. Odofredus, qui An- C no MCCLXII. Leges in ea Urbe interpretabatur, Bononienſis Academiæ celebritatem hiſce deſcribit: *Vidi ego Bononiæ ætate Domini Azonis, quum Scholares poterant vitare forum in cauſſa criminali; & aderant eo tempore ferme decem millia Scholarium*. Tanta juvenum affluentia, quorum pleriſque marſupium bene turgebat, explicari non poteſt, quanto emolumento Bononienſium rebus fuerit, quantumque incrementi ob eam cauſſam & Civitas, & Reipublicæ illius potentia Sæculo XIII præſertim ceperit. Tunc in finitimas Urbes eorum vires ſæpe ſe exonerarunt, & nihil minus cogitabant Bononienſes, quàm totam Flaminiam, ſive Romandiolam imperio ſuo adjungere. Ne D verò quiſquam ex Liberalium Artium profeſſoribus illuc ad Leges interpretandas accitis adeo invidendam Urbis felicitatem minueret, ſacramento quiſque adigebatur, nuſquam niſi Bononiæ ſe Jurisprudentiæ Scholam habiturum, neque auctorem umquam futurum, ut Bononienſis Schola minueretur, & ubi reſciret id per alios tentandum, ſe primo quoque tempore Conſulibus aut Prætori id proditurum. Exempla proferam ex ipſius Bononienſis Reipublicæ Archivo depromta.

Sacramenta a variis Legum Interpretibus præſtita , quibus conſtringebantur , ne extra Bononienſe Gymnaſium ſcientiam Juris traderent , Anno 1189.

MIlleſimo Centeſimo Octuageſimo Nono , Kalendis Decembris , Indictione VII. Conſules Bononiæ , ſcilicet Dominus Gerardus Rolandini , Jacobus Bernardi , Cazzanimicus Boccaderunco, Rambertus de Albaro, & Jacobus Alberti de Urſo , voluntate & conſenſu totius Conſilii promiſerunt Domino Lotherio Cremonenſi , *quod neque ipſi , neque aliquis ſucceſſor eorum , cogent prædictum Lotherium , aliquod ſacramentum facere , per quod magis ſit diſtrictus Communi, neque eum prohibebunt vel cogent, regere Studium in Civitate Bononiæ . Et tunc in continenti juravit prædictus Lotherius ſecundùm tenorem infraſcriptum :* Ego juro Dominus Lotherius, quod ab hoc die in antea non regam Scholas Legum in aliquo loco , niſi Bononiæ . Nec ero in conſilio, ut Studium hujus Civitatis minuatur . Et ſi ſcivero, aliquem ipſum minuere velle, Conſulibus vel Poteſtati , qui pro tempore erunt , quamcitius potero , nuntiabo , & bona fide deſtruam. Conſulibus , vel Poteſtati, qui pro tempore erunt, bona fide conſilium , & adjutorium dabo de omnibus , quæ a me petierint , & credentiam eis tenebo .

Ego Guido , Frederici Imperatoris , & nunc Communis Bononiæ Notarius , juſſu & voluntate prædictorum Conſulum , & totius Conſilii ſcripſi .

Presbyter Griffus , Ugolinus de Vado , Henrigettus Bonazuntæ , Saul , & Baruncinus de Pillano , ad legendam & auſcultandam hanc præſentem novam Chartam cum veteri interfuerunt , & hujus rei teſtes rogati fuerunt .

Ego Willielmus , *ſacri Palatii , & nunc Communis Bononiæ Notarius , ſecundùm quod vidi ſcriptum per manum Guidonis Notarii Communis Bononiæ ſcripſi & exemplavi , nec aliquid in fraudem addidi vel diminui , Anno Domini MCXCVIII. duodecimo Kalendas Auguſti , Indictione I.*

Anno 1198.

Anno Domini . Milleſimo Centeſimo Nonageſimo Octavo , Indictione I. Pridie Kalendas Novembris , in Bononia , in pontili hoſpitii Domini Uberti Bononiæ Poteſtatis , coram Domino Ugolino de Goſio Judice , Petro de Romancio , Rodaldo Rubeo , Palmerio Cauſidicis, & aliis multis , Dominus Johanninus Præceptor , *tactis ſacroſanctis Evangeliis* , juravit , quod de cetero in aliquam aliam Terram non leget Scientiam Legum Scholaribus, niſi in Bononia . Et quod non dabit operam nec conſilium nec adjutorium , quod Scholares in aliam Civitatem debeant morari , nec Studium de Bononia Legum debeat diminui : *& conſilium Poteſtati & Judicibus de Communi , vel Rectoribus , qui pro tempore fuerint , bona fide dabit , cum ab eo petierint .*

Ego Joannes Pileti Notarius Communis , & Domini Uberti Poteſtatis Bononiæ , interfui , & ſcripſi .

Anno 1198.

Anno Domini . Milleſimo Centeſimo Nonageſimo Octavo , III. Kalendas Januarii , præſentibus teſtibus , Domino Blanco videlicet , & Domino Bandino Gaetani filio , Domino Lamberto quondam Galli , Domino Rolando Soavis filio , Domino Ugolino Grotti filio , Domino Lotherio Legum perito , Domino Rogerio de Sarturano , Domino Guidone Graſſo , Martino Ajoli, Uberto de Baiſio , Marſiliotto , Guidone Accariſii , Henregetto de Cornaclino , Conſulibus Juſtitiæ , Alberto Girardigillæ , & Sellario Maſſario Communis Bononiæ , Dominus Bandinus Familiaris , *eodem modo & eodem tenore* juravit obſervare , quemadmodum Dominus Lotherius Doctor Legum obſervare juravit , *excepto quod non juravit coram Hominibus Conſilii coadunati ad ſonum campanæ , vel ad campanam ſonatam .*

Ego Willielmus , *ſacri Palatii , & nunc Communis Bononiæ Notarius , huic ſacramento interfui, & ut ſupra legitur, rogatus, ſcripſi .*

Anno 1199.

Anno Domini . Milleſimo Centeſimo Nonageſimo Nono , Indictione II. die Lunæ XI. menſis Octubris , in Bononia , in Pontili quondam Domini Bulgari , coram Domino Uberto Vicecomite Bononiæ Poteſtate , Domino Rogerio ejus Judice, Raynaldo Ferrarienſe , Lanfranco , & Johanne Servientibus Poteſtati, Dominus Guillielmus de Porta Placentinus , *ad ſancta Dei Evangelia corporaliter* juravit , quod in aliam Terram Scientiam Legum non leget Scholaribus, niſi in Bononia de cetero . Et quod non dabit operam nec conſilium nec adjutorium , quod Scholares in aliam Civitatem debeant morari , nec Studium de Bononia Legum debeat minui . *Et conſilium Poteſtati & Judicibus de Communi vel Rectoribus , qui pro tempore fuerint , bona fide dabit , cum ab eo petierint . Sequenti die in ſupraſcripta domo , coram prædictis Poteſtate & ſuo Judice Paſcipovero, Gerardo Capoano , Rodaldo Rubeo , Ugolino Simonis, & aliis,* Dominus Cazzavillanus Juris Doctor *eodem modo* juravit *in totum . Eodem die & loco , coram Poteſtate , Rogerio ejus Judice , Jacobo Lucenſi Padoano , Lanfranco , Johanne , & Andrea Servientibus Poteſtati ,* Dominus Ruffinus de Porta Placentinus juravit *eodem modo , ut Dominus Cazzavillanus , in totum , tactis ſacroſanctis Evangeliis .*

Ego Johannes Pileti , Notarius Communis , & Domini Uberti Vicecomitis Bononiæ Poteſtatis , interfui & ſcripſi .

Anno 1213.

In nomine Domini . Milleſimo Ducenteſimo Decimo Tertio , Indictione I. die VIII. exeunte Octubri , coram Domino Armanno Judice , & Domino Giberto Rubeo Judice , & Blanco Notario, & Orabona Notario , & Maranello Notario , & aliis , Dominus Guido Boncambii , & Dominus Jacobus Balduini , Cives Bononienſes , & Dominus Oddo de Landriano Mediolauenſis , omnes Legum Doctores , *ante Dominum Guazonem Judicem Domini Matthæi Bononiæ Poteſtatis* , juraverunt *ad ſancta Dei Evangelia* , quod de cetero in aliqua Terra non legent Scholaribus Scientiam Legum , niſi in Bononia , & quod non dabunt operam , ut Scholares in alia Civitate debeant commorari. Nec in hoc conſilium vel adjutorium præſtabunt , immo curabunt bona fide , quod Studium in hac Civitate augeatur . *Et quod ipſi dabunt conſilium Poteſtati , & Judicibus de Communi , & Rectoribus Bononiæ , qui pro tempore fuerint , bona fide , ſi ab eis pe-*

Actum in Palatio Communis Bononiæ.

Item IV. die, exeunte Octobri, in Palatio Communis Bononiæ, coram Domino Armanno Judice, & Domino Ambroſio Judice, & Corradino Judice, & Arpinello, & Bulgarino Procuratoribus, Dominus Benintendi Legum Doctor, Civis Bononienſis *ante præfatum Dominum Guazonem Judicem Domini Matthæi de Corrigio Bononiæ Poteſtatis*, juravit eodem modo, *ut dicti Domini. Item in Palatio Communis Bononiæ, primo die intrante Novembri, coram Simone de Maccagnanis, & Bulgarino Guidonis Guizzardi, & Lamberto de Baccellerio, & Ildebrandino Notario, & aliis*, Dominus Pontius Caſtellanus Legum Doctor juravit eodem modo, *ut prædicti Domini.*

Ego Simon, ſacri Palatii, & nunc Communis Bononiæ Notarius, omnibus prædictis interfui, & mandato dictorum Dominorum Guazonis, & Domini Matthæi Poteſtatis, prædicta juramenta ſcripſi.

Verùm impedire nequibant Bononienſes, quin ex eorum Gymnaſio identidem prodirent Diſcipuli feliciter docti, & ad ſubeundum Magiſterii munus aptiſſimi, quamquam Bononienſes iidem ad docendum in Urbe ſua retinerent aut advocarent, quos excellentiores noverant. Quamobrem tunc & aliæ Italicæ Civitates perſpicientes, quantæ utilitatis foret apud ſe habere Gymnaſium, & ne alibi quærendum ſuis Civibus eſſet, quod domi poterant obtinere: Magiſtros & ipſæ primò Jurisprudentiæ, tum reliquarum diſciplinarum ſibi procurare cœperunt. Id Sæculo Chriſti Duodecimo ab aliquibus tentatum, ſed enixius & alacrius Sæculo inſequenti Tertiodecimo. Inter primos fortaſſis id præſtitere Mutinenſes, neſcio an honeſtâ quadam æmulatione, an eo etiam conſilio ducti, quod ſatius videretur juvenes ſuos arcere a commercio Urbis, cujus potentia in dies creſcens univerſis finitimis metum non levem jam incutiebat. Jurisprudentiæ laude circiter Annum MCLXX. eminebat *Pyleus*, non Modoëtienſis, ut nonnulli tradidere, ſed, ipſo teſte, *ex patre Mutinenſi* in agro Bononienſi natus, & poſtea inter Cives Mutinenſes, ut par erat, cooptatus, Bononiæ Leges interpretabatur. Hunc inter ceteros ad ſe ſtipendio annuo centum Marcharum argenti, hoc eſt, uti Pancirolius ſupputatione facta colligit, ſummâ ferme ſexcentorum ſeptuaginta Aureorum, invitis Bononienſibus, ad ſuum Gymnaſium Mutinenſes deduxere, ubi per multos annos auditoribus ſuis Leges explicuit, Libroſque Juris per quam celebres edidit. In Chronico Parmenſi, Tomo IX. Rer. Italicar. Anno MCCXLVII. juſſu Friderici II. Auguſti *pars Imperii Mutinæ omnes Scholares de Parma, qui tunc erant Mutinæ ad ſtudendum, cepit, miſitque omnes in manibus Imperatoris.* Alios quoque eodem Sæculo Decimo tertio eximios viros Mutinenſis Reſpublica conduxit, Legum interpretes in ſui Gymnaſii ornamentum, ac præcipue circiter Annum MCCL. celebratiſſimum virum *Azonem* tunc adoleſcentem, centum ei Marchis argenti aſſignatis, ut ipſe teſtatur in Rubr. Codice de Municip. & Origin. ubi ait, ſe *in tranquillitate mentis & corporis, Mutinæ* Jurisprudentiam tradidiſſe, in Urbe videlicet, *quæ Juris alumnos ſemper diligere conſuevit.* Eo autem erat temporibus iis celebritas Gymnaſii Mutinenſis, ut frequentes etiam ex aliis Urbibus eò confluerent ſtudiorum causſâ diſcipuli. Conduxerunt etiam Mutinenſes *Albertum Galeotti Parmenſem*, *Guillielmum Durantem*, *Speculatorem* appellatum, celeberrimum inter Canonici Juris interpretes virum, & *Guidonem de Suzaria*, quem ipſe Durantes *Mutinenſem* appellat, non quod Mutinæ lucem viderit, ſed quod Civis Mutinæ creatus fuerit, atque heic Leges explicuerit. In Archivo Reipublicæ Mutinenſis adhuc ſervantur Acta MSta, quum idem Guido Civitate donatus eſt Anno MCCLX. die VI Aprilis, ut Jurisprudentiam in publicis Mutinæ Scholis traderet. Tunc ille ſeſe ſacramento obſtrinxit, dum vita ſuppeteret, Mutinæ habitaturum, *ad regendum & docendum in Legibus & facultate Legali, & Scholares, & Cives Mutinæ, & alios forenſes eum audire volentes, bona fide & ſine fraude ordinare, & continue, ut moris eſt, docere & legere in Legibus, & Legali Scientia, dum tamen a Scholaribus Civibus & Comitatinis Mutinenſibus nihil accipiat causâ docendi pro ſalario vel mercede. Et dare operam efficacem in Studio Scholarium augmentando, & Mutinæ retinendo toto tempore vitæ ſuæ.* In eum finem Mutinenſis Senatus ei ſtatim numeratas voluit bis mille & ducentas quinquaginta Libras Mutinenſium, quarum pars impendenda erat in emendis *poſſeſſionibus & terris in Diſtrictu Mutinenſi.* Monumentum ipſum ex Tabulario Mutinenſis Reipublicæ eductum addere placuit.

Pacta inter Mutinenſem Populum & Guidonem de Suzaria, publicum Mutinæ Legum Interpretem, ſtabilita Anno 1260.

IN Chriſti nomine . Anno a Nativitate ejuſdem MCCLX. Indictione III. die Dominico VI. Aprilis . Dominus Guido de Suzaria , Doctor Legum , *ſolempni ſtipulatione promiſit Fratri Venerio de Ordine Fratrum Minorum , Syndico Communis Mutinæ ad hoc ſpecialiter conſtituto , eſſe Civem Mutinæ perpetuò : & juravit facere Cittadinantiam , & ſtare & habitare cum familia ſua continue in Civitate Mutinæ , donec vixerit ,* ad regendum & docendum in Legibus & facultate Legali , *a feſto Sancti Michaëlis proximi in antea .* Et Scholares Cives Mutinæ , & alios forenſes , eum audire volentes , bona fide & ſine fraude ordinare , & continue , ut moris eſt , docere & legere in Legibus , & Legali ſcientia , niſi juſto Dei impedimentto remanſerit ; dum tamen a Scholaribus Civibus & Comitatinis Mutinæ nihil accipiat causâ docendi pro ſalario vel mercede . *Et quod dabit conſilium Poteſtati & Anzianis , qui ſunt , & qui pro tempore fuerint , quoties fuerit requiſitus ab eis , bona fide & ſine fraude , vel ab aliquo eorum in negotiis Communis Mutinæ , & pro negotiis pro Communi in Civitate Mutinæ ſine precio & remuneratione . Et dare operam efficacem in Studio Scholarium augmentando , & Mutinæ retinendo toto tempore vitæ ſuæ . Et quod nullo tempore alibi reget, niſi in Civitate Mutinæ, neque docebit , nec alibi umquam in aliquo tempore habitabit . Et quod non præſtabit patrocinium in Civitate Mutinæ , vel diſtrictu niſi pro ſuis Scholaribus forenſibus, aliquo modo vel ingenio , Et hæc omnia & ſingula ſupraſcripta & infraſcripta dictus Dominus Guido pro ſe & ejus heredibus attendere & obſervare promiſit prædicto Syndico ſtipulanti & recipienti pro Communi Mutinæ , & vice & nomine dicti Communis Mutinæ , & numquam in aliquo contra facere vel venire , ſub obligatione omnium ſuorum bonorum præſentium & futurorum , & ſub ſtipulata pœna mille Librarum Imperialium , & quæ pœna toties inſolidum committatur , & peti & exigi poſſit cum effectu , quoties contra factum fuerit in aliquo capitulo ſupraſcripto vel non obſervato . Et pœnâ commiſsâ vel non , exactâ vel non , omnia & ſinguli ſupraſcripta & infraſcripta in ſua permaneant firmitate cum obligatione pœnæ . Et hæc omnia & ſingula ſupraſcripta & infraſcripta attendere & obſervare promiſit ſine dampno & diſpendio dicti Communis . Omne vero dampnum & diſpendium, quod dictum Commune inde haberet , vel aliquo modo faceret , dicto Syndico pro ipſo Communi , & ipſi Communi reddere & reſtituere & reficere ſolempni ſtipulatione promiſit , credendo de dampno & expenſis ipſi Syndico , & cuilibet alteri perſonæ pro Communi Mutinæ , eorum nudo & ſimplici verbo , abſque onere ſacramenti , & teſtium probatione . Renuntiando prædictus Dominus Guido in omnibus & ſingulis ſupraſcriptis & infraſcriptis actioni & exceptioni doli mali, conditioni ſine cauſa , vel ex injuſta cauſa , & in factum , & alii ejus juri generali vel ſpeciali ſibi competenti ; pro quo vel cum quo ſeu cujus occaſione poſſet venire contra prædicta vel infraſcripta vel aliquod*
A *prædictorum vel infraſcriptorum , & jus competiturum per pactum & ex certa ſcientia remiſit . Promittendo nullum in contrarium opponere exceptionem . Et ſi contra prædicta vel aliquod prædictorum veniret vel non obſervaret, & aliquid fuerit conſecutus , id totum in duplum reddere & reſtituere prædicto Syndico vel alteri pro Communi Mutinæ ſolempni ſtipulatione promiſit , & ut ſua auctoritate dictum Commune Mutinæ poſſit intrare & apprehendere bona dicti Domini Guidonis , quæ habet & habiturus eſt , licentiam & poteſtatem dicto Syndico, vel alteri pro Communi Mutinæ recipienti , & ipſi Communi dedit & conceſſit . Conſtituens ſe ea bona nomine dicti Communis in precario poſſidere .*
B *Et omnia & ſingula ſupraſcripta & infraſcripta dictus Dominus Guido attendere & obſervare , tactis ſacroſanctis Scripturis corporaliter , juravit .*

Pro quibus omnibus & ſingulis ſupraſcriptis prædictus Syndicus nomine & vice dicti Communis , & pro ipſo Communi , ex licentia & auctoritate conceſſa ipſi Syndico a Poteſtate Mutinæ & Anzianis, ipſi Poteſtati, & Anzianis conceſſa per Conſilium generale Communis Mutinæ, ſolenniter ſtipulatione promiſit , dare & ſolvere dicto Domino Guidoni duo millia ducenta quinquaginta Librarum Mutinæ , *ſcilicet mille Libras Mutinæ in denariis numeratis . Quarum centum Libras Mutinæ hinc ad Ka-*
C *lendas Madii proximi, & ducentum Libras Mutinæ hinc ad medium Menſem Madii proximi , & ſeptingentas Libras Mutinæ hinc ad medium Menſem Julii proximi . De quibus mille Libris idem Dominus Guido facere poſſit quicquid de ſua proceſſerit voluntate , & in ſua vita expendere pro beneplacito voluntatis ſuæ , & in quoſcumque uſus voluerit , erogare , & ad quoſcumque ſuos heredes voluerit tranſmittere tam ex teſtamento quàm ab inteſtato ſine contradictione Communis Mutinæ , & cujuslibet ſingularis perſonæ inquietatione & moleſtatione . Et mille ducentas quinquaginta Libras Mutinæ promiſit dicto Domino Guidoni ſolempni ſtipulatione dare & ſolvere uſque ad Kalendas Septembris*
D *proxime venientis .* Quas mille ducentas quinquaginta Libras dictus Dominus Guido dare debet in poſſeſſionibus & terris in Diſtrictu Mutinæ & in Civitate , *in quibus locis magis ſibi placuerit , & ſibi expedierit , de voluntate & conſenſu dicti Syndici . Quas terras & poſſeſſiones ex dictis denariis emptas, ſive emendas, dictus Dominus Guido & ſui heredes ex teſtamento & ab inteſtato habeant & teneant & poſſideant , & faciant quicquid velint ſine contradictione Communis Mutinæ , & moleſtatione cujuslibet perſonæ , ſalvo eo quod dictus Dominus Guido non poſſit dictas Terras vendere ſeu Poſſeſſiones in vita ſua . Heredes tamen ſui, & quilibet ſui ſucceſſores ex teſtamento & ab inte-*
E *ſtato poſſint dictas terras vendere & alienare per quemcumque titulum voluerint , tam inter vivos quàm in ultima voluntate , ſine contradictione & moleſtatione Communis Mutinæ , & cujuslibet perſonæ . Poſſit etiam dictus Dominus Guido in vita ſua obligare dictas Terras & poſſeſſiones ſine inquietatione & moleſtatione Communis*

munis Mutinæ , & cujuslibet perſonæ . Promiſit inſuper ſupradictus Syndicus dicto Domino Guidoni ſtipulanti , quod de ipſis terris & poſſeſſionibus non cogetur per Commune Mutinæ nec per aliquem Officialem , nec aliquo alio ingenio ſeu modo , ſolvere Coltas , neque ratione dictarum poſſeſſionum , neque ratione perſonæ ſuæ , nec ratione aliorum bonorum , quæ ipſe Dominus Guido haberet , neque aliquas alias factiones ſubire ſeu præſtare toto tempore vitæ ſuæ . Et de prædictis omnibus & ſingulis ſupraſcriptus Syndicus promiſit dicto Domino Guidoni ſtipulanti curare & facere fieri Inſtrumentum publicum per Conſilium generale Communis Mutinæ , & promiſſionem juratam , & Statutum ad ſenſum & voluntatem dicti Domini Guidonis, ſecundùm quod melius poſſunt valere , infra tres dies , poſtquam Poteſtas fuerit requiſitus per ipſum Dominum Guidonem , ſeu per ejus Nuntium . Et hæc omnia & ſingula promiſit eidem Domino Guidoni ſtipulanti ſolemniter attendere & obſervare ſub pœna mille Librarum Imperialium ; qua ſoluta vel non ſoluta , commiſſa vel non commiſſa , omnia & ſingula ſupraſcripta in ſua permaneant firmitate , & in quolibet & pro quolibet Capitulo non obſervato pœna committatur & exigatur , & toties committatur , quoties fuerit contrafactum . Et pro iis omnibus & ſingulis ſupraſcriptis attendendis & obſervandis dictus Syndicus obligavit dicto Domino Guidoni omnia bona Communis Mutinæ , & ſe pro eo poſſidere conſtituit , & renuntiavit actioni & exceptioni doli mali , & in factum conditioni ſine cauſa , vel ex injuſta cauſa , & omni juri , & legum auxilio generali , ſpeciali , & communi , expreſſo & non expreſſo , competenti & competituro , quod Communi poſſet prodeſſe , & dicto Domino Guidoni obeſſe ; & jus competiturum expreſſe per pactum remiſit . Et ſi dictus Dominus Guido morte vel caſu fortuito non veniret ad dictum terminum in Civitate Mutinæ ad regendum , ut promiſit , promiſit dicto Syndico reſtituere omnes prædictos denarios , exceptis trecentum Libris , quæ trecentum Libræ ſint ſuæ .

Actum in Palatio veteri Communis Mutinæ ſolempniter : præſentibus , & ad hoc vocatis & rogatis teſtibus , Domino Conradino de Miliarinis , Domino Battezato de Battezatis , Domino Valentino Populi , Domino Janello Domini Gibertini de Beſollis , & Domino Bartholomæo de Campogaliano .

Ego Albertus Bozalus , Regalis Aulæ Notarius , interfui , & rogatus ſcribere ſcripſi .

Quod eſt ad Guidonis ejuſdem Libros , Pancirolium conſule . Is deinde ob egregiam ſcientiæ famam , Neapolim accitus eſt a Carolo I. Apuliæ & Siciliæ Rege : quod Ricobaldus teſtatur , ubi deſcribit infelix fatum Conradini Regis , inquiens in Pomario , Tomo IX. Rer. Italicar. pag. 137. *Diu de eo judicio acto , plurimorum erat ſententia , & maxime Guidonis de Sucaria* (ſcribe *Suzaria*) *eo tempore præſtantiſſimi Legum Doctoris , Conradum non eſſe mortis reum* . Præterea in Statuto Mutinenſis Reipublicæ manu exarato, & ſpectante ad Annum MCCCXXVII. decernitur : *Ut nullus Scholaris hujus Civitatis ſolvere cogatur dona promiſſa alicui Magiſtro Legum vel Decretorum , etiamſi promiſerit . Scholares verò forenſes , qui ſunt vel fuerint in Civitate cauſſa ſtudii , habeantur tamquam Cives , & pro Civibus quantùm ad eorum commodum & favorem* . Alterum Statutum Anno MCCCXXVIII. efformatum vidi , in quo Mutinenſes conſtituerunt invitare *unum bonum Legiſtam ſive Doctorem forenſem ad legendum Leges in ipſa Civitate , ad ſalarium centum quinquaginta Librarum Mutinenſium pro quolibet anno . Et unum Doctorem ſive Lectorem terrigenam conventatum in Artibus , ad legendum Medicinam ad ſalarium centum Librarum Mutinenſium . Et unum Lectorem forenſem ad legendum Summam Notariæ , & Inſtitutam , ad ſalarium quinquaginta Librarum Mutinenſium* . Quæ hcic *Summa Notariæ* dicitur , *Rolandina* eſt , cujus Auctorem putavit Cl. Du-Cangius Rolandinum Patavinum Hiſtoricum , ſed perperam , quum ipſam concinnarit Rolandinus Paſſagerius Bononienſis, Patavino ſynchronus . Atque ex hiſce Mutinenſium Scholis præter alios prodiit *Nicolaus Matarellus* , patriâ Mutinenſis, & Bartolo veluti ſuus præceptor ſæpe laudatus , qui non tantùm Mutinæ, ſed & Bononiæ ac Patavii ſumma cum laude Leges interpretatus, Libris etiam editis claruit , de quo legendus Vedrianus noſter in Libro de Doctoribus Mutinenſibus . Acta Mutinenſis Populi die nonâ Aprilis Anno MCCCVI. hæc ferunt : *Item ſi placet Conſilio , quod unus Ambaxator expenſis Communis , & ad ſalarium contentum in Statuto Communis Mutinæ , mittatur ad Civitatem Paduæ , & Univerſitatem Scholarium , & prout aliter fuerit neceſſarium , ex parte Communis Mutinæ , quod eis placeat precibus & amore Communis Mutinæ dare & concedere licentiam Sapienti Viro Domino Nicolao de Matarellis Profeſſori Legum , ſtandi Mutinæ per totum Menſem Aprilis ad complendum officium Defenſoris Populi Mutinenſis , in quo fuit electus* &c Sed quoniam de *Patavina Univerſitate* injecta eſt mentio , liceat dicere , ante Annum MCC. illius quidem originem perquiſitam a me fuiſſe , ſed nullo certo teſte adhuc fuiſſe repertam . Neque tamen dubito , quin & ante illum Annum literatis Viris præſtantiſſima illa Civitas abundarit ; ſed qui æmularentur Bononienſis Gymnaſii inſtitutum , nuſquam occurrunt , ita ut Sertorius Urſatus Lib. 3. Hiſtor. Patavin. & ante eum Antonius Ricobonus in Libr. de Gymnaſ. Patavin. ideo originem Academiæ illius vetuſtatis tenebris obliteratam affirmarint , quod nullum ejus veſtigium in antiquis Hiſtoriis ac Monumentis oſtendere poſſent . Ego natum Patavinum Gymnaſium poſt Annum Chriſti MCC. reor . Tradunt autem Patavinæ Hiſtoriæ quædam , a me editæ, Fridericum II. Auguſtum , quum Anno MCCXXII. infenſo foret animo in Bononienſes , jus eis Gymnaſii ademiſſe , ac Patavium tranſtuliſſe . Et ne de hac re dubitatio intercedat , vide Hiſtoriam Miſcellam Bononienſem , in qua ad Annum quoque MCCXXV. Fridericus II. Auguſtus Bononienſibus Scholis interitum afferre conatus eſt . Ad idem quoque perſuadendum inſervire poterit Diploma ejuſdem Auguſti datum Anno MCCXXVII. per quod *revocat Conſtitutionem factam de Studio & Studentibus Bononiæ* ; unde agnoſcas , antea jus Academiæ illuſtri Urbi ademtum fuiſſe , & Patavium , ac Neapolim , uti veriſimile eſt , fuiſſe translatum . Accipe Literas ipſius Friderici e Regeſto MSto vetuſtiſſimo Reipublicæ Bononienſis deſcriptas .

De remiſſione & concordia facta inter Imperatorem & Lombardos, & de Conſtitutione revocata ſuper Studio Bononienſi, Anno 1227.

FRidericus *Dei gratiâ* Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, Hieruſalem & Siciliæ Rex, *Rectoribus Civitatum Mediolani, Placentiæ, Bononiæ, Alexandriæ, Taurini, Laudi, Faventiæ, Pergami, Mantuæ, Veronæ, Paduæ, Vincentiæ, Tarviſii, Cremonæ, Marchioni Montisferrati, Comiti Gotifredo de Blandrato, aliiſque Locis, & perſonis quibuslibet de* Lombardia, *Marchia, & Romaniola, quæ nuper contra Majeſtatem noſtram & Imperium commiſerunt offenſam, fidelibus ſuis gratiam ſuam & bonam voluntatem. Cauſam offenſæ, quam nuper contra Celſitudinem noſtram, & noſtrum Imperium commiſiſtis, quia videbatur impedimentum afferre negotio Terræ Sanctæ, in providentia & diſpoſitione Domini Papæ, ac fratrum ſuorum venerabilium Cardinalium poſuimus abſolute. Eorum igitur proviſione ſuper hoc plenius intellecta, pro reverentia Jeſu Chriſti, & ipſius Terræ Sanctæ negotio, vobis univerſis & ſingulis de innata nobis clementia remittimus omnem rancorem, malevolentiam, injurias, & offenſas, omniaque banna, conſtitutiones, ſententias, & ordinamenta, quæ fecimus vel impoſuimus per nos vel per alium, aliuſve pro nobis impoſuit vobis, ſeu alicui de Civitatibus, locis, & perſonis ejuſdem, & quæcumque ex eis, vel ob ea ſecuta ſunt, penitus revocamus.* Et ſpecialiter Conſtitutionem factam de Studio & Studentibus Bononiæ: *univerſos & ſingulos, qui occaſione alicujus prædictorum læſi videntur, reſtituentes in integrum in omnibus & per omnia, ſuo ſtati atque famæ. Remittendo infamiam omnem & pœnam, quæ ſecutæ ſunt ex aliquo prædictorum: ita quod ea, quæ per eos medio tempore acta ſunt, non obſtantibus ſupradictis, robur obtineant, quod aliàs debuerant obtinere. Ad hæc Civitates, Loca, & perſonas veſtras recipimus in noſtræ gratiæ plenitudinem, & vobis reddimus firmam pacem. Reſervantes tamen nobis contra prædictum Marchionem Montisferrati omnia jura, omneſque actiones, quæ nobis competunt tam de debito, quo noſtræ Celſitudini eſt adſtrictus, quàm de Terra, quæ propter ipſum debitum nobis exſtitit obligata. Faciemus etiam reſtitui captos occaſione prædictæ offenſæ cum bonis ſuis, ac alia, quæ occaſione hujuſmodi capta ſunt vel detenta. Faciemus fieri patentes Literas ex parte legitimi filii noſtri* Henrici Romanorum Regis *illuſtris, qui pacem & remiſſionem iſtam ratam habebit & firmam, quodque remittet vobis omnem rancorem, malivolentiam, injurias, & offenſas. Ad plenam autem certitudinem hujus rei, præſentes Literas juxta ipſius Domini Papæ beneplacitum fieri juſſimus, ſigillo Majeſtatis noſtræ munitas.*

Datum Cataniæ, primo die Februarii, Quintædecimæ Indictionis.

Ego Henricus, miſeratione divinâ Bononienſis Epiſcopus, hoc exemplum ex authentico ſumtum cum originali, ſigillo Imperiali roborato, auſcultavi diligenter & vidi, unde ad perpetuam memoriam & certum teſtimonium me ſubſcripſi, & ſigillo meo ſigillari mandavi, Anno Domini MCCXXVII. die XI. intrante Junio, Indictione XV.

Sed quamvis reſtituta Bononienſibus antiqua jura fuerunt, Patavini ex jam conquiſitis minime exciderunt. Oſtendere poſſumus vividam Artium Liberalium Academiam Anno MCCLXII. in eorum Urbe. En quæ poſtremo Cap. Hiſtoriæ ſuæ habeat Rolandinus illius Urbis Hiſtoricus, editus Tomo VIII. Rer. Italicarum: *Perlectus eſt hic Liber coram infraſcriptis Doctoribus* (ſive *Rectoribus*) *& Magiſtris, præſente etiam Societate laudabili Bazalariorum* (ideſt eorum, qui *Bacilieri* appellabantur) *& Scholarium Liberalium Artium de Studio Paduano*. Tum enumerat *Regentes* eodem Anno MCCLXII. *in Padua* tres *profundos & peritos Doctores in Phyſica, & ſcientia Naturali*. Unum *in Loyca, ſex in Grammatica, & Rhetorica*. En Gymnaſium nobile jam tum Patavii. Certe non numerantur heic Theologi, Juriſtæ, ac Medici. Sed fortaſſis ad audiendam Hiſtoriam ſuam Rolandinus non omnes adhibuerit Gymnaſii Doctores. Nam cur Patavini Juriſprudentiam neglexiſſent, quam, ut vidimus, Mutinenſes jam excolebant, uti & Regienſes, & Ferrarienſes in ſuis Scholis? Ferrarienſes inquam: in eorum enim perantiquo Statuto MSto, quod Eſtenſis Bibliotheca ſervat in membranis, Anno MCCLXIV. decretum hoc vidi: *Quod omnes docentes in Scientia Legum, & Medicinæ, & in Artibus Grammaticæ, & Dialecticæ, ire ad exercitum, aut aliquam facere cavalcatam, non cogantur. Quod Statutum vendicat ſibi locum in Doctoribus continue docentibus*. Certe ineunte Sæculo XIV. Juriſprudentiæ Magiſtri minime deſiderati ſunt in Patavino Gymnaſio, cujus gloria majores in diem progreſſus habuit ad noſtra uſque tempora: idque curâ & ſtudio Sereniſſimæ Venetæ Reipublicæ, cui ſummopere cordi eſt egregios quoſque viros illic alere, & undique grandibus præmiis accire. Ita Sæculo XIII. inſtaurata eſt Academia Romana ac Neapolitana. Namque Anno MCCXXIV. uti memoriæ prodidit Richardus de Sancto Germano, Fridericus II. Imperator *pro ordinando ſtudio Neapolitano ubique per Regnum miſit literas generales*. Ita Anno MCCXLIII. *Innocentius IV. Papa conceſſit Placentinis Privilegium de Studio generali*. Nempe complures tunc Civitates certatim ſibi procurabant Scholas, & jus laureæ conferendæ, tum in juvenum ſuorum commodum, tum etiam quod e Scholarium exterorum confluxu non parum emolumenti in Civitates Literarum magiſtras, exemplo Bononiæ & Pariſiorum, fluebat. Propterea ſubſequenti Sæculo XIV. Academia Ticinenſis, Piſana, Peruſina, Senenſis, Taurinenſis (ut alias, ne nimius ſim, omittam) eruperunt, quarum majori antiquitati, ſi rite ab aliquo oſtendatur, ego nihil detractum velim. Nicolaus de Jamſilla, Tomo VIII. Rer. Italicarum, hæc alia de Frederico II. addit: *Ipſe verò Imperator Liberalium Artium, & omnis approbatæ Scientiæ Scholas in Regno ipſo conſtituit, Doctoribus ex diverſis Mundi partibus per præmiorum liberalitatem accitis* &c. Quo autem ritu olim Doctores advocarentur ad Gymnaſii munera ſubeunda, indicabit nobis Charta Patavina, quam Anno MCCXX. conſcriptam agnovi ex Prætoris nomine, tunc Patavinam Civitatem regente.

Prætoris Patavini Literæ, quibus Jacopinum de Ruffinis Parmenſem, Militem, ac Juriſconſultum invitat ad explicandum Jus Civile in Gymnaſio Patavino, Anno 1310.

Eximiæ ſapientiæ ac eloquentiæ viro*, Domino Jacopino de Ruffinis de Parma, utriuſque Militiæ tam legalis quàm cinguli Militaris *nobilitate præclaro*, Ptolomæus de Curteſiis de Cremona, Poteſtas, Anciani, Conſilium, & Commune Civitatis Paduæ, *ſalutem & optati honoris & felicitatis augmenta. Ex famæ veſtræ præconiis, quæ ſcientiæ ingentis in vobis theſauros perlucidos latere non ſinit in partibus Italiæ, ac per circumpoſitas regiones, nos permoti, & deſideranter impulſi, &* Rectores Studii Paduani *nobiſcum* cum Doctoribus & Scholaribus univerſis, *perſonam veſtram condignam, &* noſtræ Univerſitati *acceptam nuper elegimus, & electionem ipſam de more noſtro confirmavimus in noſtro Conſilio generali*, ad regendum & legendum extraordinarie in Civitate Paduæ in Jure Civili, *ſecundùm modum & formam Statuti noſtri, & conſtitutiones* Scholarium Studii Paduani, *a feſto Sancti Michaëlis proxime venturo, quod Menſe Septembris præſentis die penultima celebratur, uſque ad tres annos proxime acceſſuros*, ad ſalarium Librarum quadringentarum Denariorum Venetorum parvorum, in Groſſis argenteis *vobis dandum pro quolibet anno in duobus terminis videlicet medietatem ad Calendas Novembris, & aliam medietatem ad feſtum Purificationis Beatæ Mariæ Virginis, quod eſt die ſecundo Februarii, de pecunia noſtri Communis, ut in Statutis noſtris plenius continetur. Ideoque ſapientiam veſtram attenta prece requirimus & precamur, quatenus electionem prædictam de vobis factam honore veſtri, & amore Communis & Studii Paduani, acceptare dignemini. Nam & diſcretum virum Guillielmum Floriani, Nuntium & Syndicum noſtrum, & totius Univerſitatis noſtræ, ſufficienter inſtructum ad vos mittimus ad dictam noſtram acceptationem recipiendam, & promiſſionem veniendi, &* legendi Paduæ, *ut dictum eſt* in Legibus extraordinariè, *modis prædictis, & ad promittendum vobis, ſi acceptaveritis, Salarium ſupradictum*.

Quod eſt ad aliarum Artium, ac diſciplinarum culturam Sæculis rudibus in Italia, illud mihi præfari liceat: nimirum non ſatis liquere poſſe, quanta ab Italicorum ingeniis tunc & tentata & peracta fuerint, quod plerique ex eorum Libris aut propter incuriam majorum, atque ob inteſtina bella e Guelphorum & Gibellinorum factionibus nata, aut aliis ſupervenientibus infortuniis exciderunt. Aliquid tamen innuam. Itaque primo certum eſt mihi, non paucos ex Italis fuiſſe, qui *Trivio* tunc ſtuduerint, nonnullos etiam, qui *Quadrivio*. Quid hiſce nominibus ſignificaretur, explicat Hugutio Grammaticus, Epiſcopus Ferrarienſis, ſcribens: *Nota, quod Grammatica, Rhetorica, & Dialectica dicuntur Trivium, quâdam ſimilitudine, quaſi triplex via ad eloquentiam*. Nomine autem *Quadrivii*, uti idem Hugutio, & longe ante eum Boëthius prodidere, deſignantur *Arithmetica, Geometria, Muſica, Aſtronomia*. In Vita Sancti Meinwerci Epiſcopi Paderbonenſis, Cap. XI. hæc legimus: *Claruit hoc ſub Imado Epiſcopo, ſub quo in Patherbrunenſi Eccleſiâ publica floruerunt Studia; quando ibi Muſici fuerunt, & Dialectici enituerunt, Rhetorici, plerique Grammatici: quando Magiſtri Artium exercebant Trivium, quibus omne ſtudium erat circa Quadruvium: ubi Mathematici claruerunt, & Aſtronomici habebantur, Phyſici, atque Geometrici: viguit Horatius magnus, & Virgilius &c.* Magni olim æſtimati, qui *Trivium* in literis confecerant: pluris, qui *Quadrivium*. Laurentius Vernenſis ſive Veronenſis, Lib. 2. de bello Balear. Tomo VI. Rerum Italicarum ait:

His inerat clarus cum Conſule Guido Dodone,
Ordine Levita, Trivii ratione peritus.

Arnulphus autem Mediolanenſis in Præfatione ad Hiſtoriam, a me editam Tomo IV. ejuſdem Collectionis, inquit: *Fateor, me nunquam conſcendiſſe curules Quadrivii rotas*. Ita Petrus Damiani eo ipſo Sæculo ſcribebat ad Hugonem Abbatem Cluniacenſem Lib. 6. Epiſtol. 3. de adoleſcentulo ad eum miſſo: *Rudem imperitumque ſuſcipiens, ad propria poſtmodum cum gemina Trivii vel Quadrivii uxore remittat*. In præcedenti Diſſertatione Glabrum Radulphum audivimus Sæculo Undecimo tradentem, tunc Italicam gentem præ ceteris addictam fuiſſe *Grammaticæ*, quo nomine Eruditionis Sæcularis complexum deſignare ſolebant. Hæc non uno in loco tradebatur. Ante Annum Chriſti MCXV. a Donizone in Vita Comitiſſæ Mathildis Libro Primo, Cap. Decimo, commendatur Parma Civitas a Liberalium Artium Studio. Dubitare de hac re viſus eſt Clariſſimus Vir & Monachus, Amicus quondam meus, P. D. Gaſpar Berettus, Benedictinus, Diſſertatione Chorographica Tomo X. Rer. Italicar. pag. 121. Sed aperta ſunt Donizonis verba, ſcribentis:

Chryſopolis dudum Græcorum dicitur uſu,
Aurea ſub Linguâ ſonat hæc Urbs eſſe Latinâ,
Scilicet Urbs Parma, quia Grammatica manet alta,
Artes ac Septem ſtudioſe ſunt ibi lectæ.

Ibi traditas *Septem Artes* vide: ideſt *Trivium*, & *Quadrivium*. Certe omni *Liberali ſcientiâ peritus fuit* Petrus Damiani Ravennas, ut auctor eſt in ejus Vita Johannes Monachus diſcipulus ejus. Porro eumdem Petrum audi Opuſculo 36. Cap. 14. de ſe adoleſcente iſta tradentem: *Quum apud Parmenſe Oppidum* (Urbem infra appellat) *degerem, ibique Liberalibus Artium Studiis inſudarem, quiddam me contigit noſſe &c.* Literis autem operam dabat Petrus Damiani circiter Annum MXXV. hoc eſt, centum pæne annos ante Donizonem. Quare nil mirum, ſi Benedictus Monachus Cluſenſis Italus circiter Annum MXXVIII. (ut

(ut habetur in aculeata & ſtomachoſa Declamatione Ademari Cabanenſis editâ a Mabillonio in Appendice ad Tom. IV. Annal. Benedictinorum) glorianter ſane diceret : *In Francia eſt Sapientia , ſed parum , nam in Longobardia , ubi ego plus didici , eſt fons Sapientiæ .* Ita audax Grammaticus . Effulſit autem inter Grammaticos illius ævi *Papias* , ut verbis Trithemii utar , *natione Lombardus , vir in ſæcularibus literis eruditiſſimus , Grammaticus omnium ſuo tempore clariſſimus , Græco & Latino ſermone ad plenum inſtructus , in divinis quoque Scripturis non mediocriter exercitatus .* Tradit idem Trithemius , ſe legiſſe Librum *Epiſtolarum ejus ad diverſos* , & Librum *de ordine dicendi* , & Librum *de Linguæ Latinæ vocabulis* , hoc eſt inſigne *Gloſſarium* , ſive *Elementarium doctrinæ rudimentum* , uti illud appellat Albericus Monachus Trium Fontium in Chronico edito per Leibnitium . Paria de eo habet Jacobus Philippus Bergomenſis in Supplement. Chron. æque verò ille ac Trithemius cenſens , Scriptorem hunc floruiſſe circiter Annum Chriſti MCC. , ſed errore intolerando . Albericus enim hiſce longe antiquior ejus ætatem ſtatuit ad Annum MLIII. inquiens: *quod probatur per numerum annorum , ubi agit de ætatibus Sæculi in prima litera , & enumerando pertingit uſque ad hunc .* Gloſſarium illius a Bonino Mombritio editum Anno MCCCCXCVI. nunc autem ſupra fidem rariſſimum , magno uſui fuit celeberrimo Du-Cangio in contexendo ſuo Gloſſario Latino . Papiam excepit nuper laudatus *Hugutio Piſanus*, Epiſcopus Ferrarienſis , de quo Ricobaldus in Chronico ad Annum MCXC. agit , ſcribens , ab eo compoſitum fuiſſe *Librum Derivationum* , ſive Gloſſarium , aut Dictionarium , quod in multis Bibliothecis MStum adſervatur , & ſæpe adhibitum fuit a ſupra laudato Du-Cangio . Horum Grammaticales labores auxit Frater *Johannes de Balbis* Genuenſis , Ordinis Prædicatorum , Anno MCCLXXXVI. Libro confecto (cui titulum fecit *Catholicon*) non ſemel typis edito . Circiter eadem tempora Wadingus in Libro de Scriptor. Ordinis Minorum arbitratur , conſcriptum fuiſſe *Mammotrectum*, in quo Libro voces Bibliorum explicantur , eumque tribuit Marcheſino ex Ordine Minorum , Regii Lepidi nato . Typis excuſus eſt Anno MCCCCLXX. Moguntiæ , teſte Du-Cangio . Prima inſuper Latina Dictionaria , purgatam Latinitatem redolentia, ut ſatis conſtat , Italicis ingeniis Reſpublica Litteraria debet .

Ad Poëſeos culturam quod attinet , illud ſtatuendum eſt , nullum fuiſſe tempus , barbaris etiam in Italia regnantibus, quo non floruerint Poëtæ , non ii quidem eximii , ſed pro modulo ſuæ ætatis ferendi, ac nonnulli minime contemnendi . Suos habuit Gallia, ſuos Germania , Hiſpania , Britannia , & reliquæ Occidentis Provinciæ . Neque ſuis Italia caruit . Sæculo Octavo (ut aliquot e minus antiquis omittam) *Paullum Diaconum , & Paulinum Aquilejenſem Patriarcham* laude etiam Poëſeos effulſiſſe novimus . Sæculo Nono *Theodulfum* Italum , poſtea Epiſcopum Aurelianenſem , *Hildericum Abbatem Caſinenſem* , *Theophanium*, & *Erchempertum* , Monachos ejuſdem Cœnobii , alterum *Hildericum Philoſophum* , cujus Carmen exhibet Anonymus Salernitanus Cap. 135. Paralipomen. Parte II. Tomi II. Rerum Italicarum , & *Johannem Diaconum* Sanctæ Romanæ Eccleſiæ. Sæculo Decimo *Anonymum* Auctorem Panegyrici Berengarii Imperatoris , *Liutprandum Epiſcopum Cremonenſem* , *Laurentium Monachum Caſinenſem &c.* E ſubſequentibus Sæculis neminem excerpo , ne copiâ obruar , quorum partem non mediocrem memoratam videas a Polycarpo Leyſero in Hiſtor. Poëtar. Medii Ævi : & aliquot etiam complectitur Collectio mea Scriptorum Rerum Italicarum . Satius erit , nonnullos heic recenſere Italicæ gentis Poëtas minus notos , quorum etiam Opera pleraque jam periere . In Codice Bibliothecæ Ambroſianæ , manu ante annos quadringentos exarato, occurrit mihi prolixum Carmen , in tres partes diviſum , cui titulus *Ecloga* inter Pſeuſtin paſtorem , & Alethiam virginem , de ſacris Hiſtoriciſque rebus canentes , cujus en primi verſus :

Æthiopum terras jam fervida torruit æſtas ,
In Cancro Solis dum volvitur aureus axis .

Sunt verſus conſonis vocibus compoſiti , quorum deinde Auctorem deprehendi *Theodulum* Italicum Poëtam *Græcâ & Latinâ Linguâ eruditum* , uti eum appellat Sigebertus Cap. 134. de Scriptorib. Eccleſiaſticis, qui & hujus Libri meminit . Illius quoque mentio eſt apud Honorium Auguſtodunenſem Lib. 3. Cap. 13. Fortaſſis autem floruit Sæculo Decimo, non autem Quincto, ut Trithemius ſcripſit . Editum fuit Carmen a Goldaſto in Manuali Biblico . Subſequuntur in eodem Codice Fabulæ , ſeu Apologi metro ligati , non utique Phædri , aut Avieni ; in quibus etſi non vulgarem verſificandi facilitatem ac perſpicuitatem alicubi invenerim, multa tamen minus Latina Auctorem indicant mediæ ætatis . Sint-ne hæc edita , & num eidem Theodulo tribuenda , an alteri Poëtæ , eruditis inveſtigandum relinquo . Specimen dabo , quod nemini legere grave futurum puto , & quod Avienum minime dedecet .

DE LUPO ET AGNO.

Eſt Lupus : eſt Agnus. Sitit hic, ſitit ille. Fluentam
Limite non uno quærit uterque ſiti .
In ſummo bibit amne Lupus : bibit Agnus in imo.
Hunc timor impugnat , verba movente Lupo.
Rupiſti potumque mihi , rivoque decorem .
Agnus utrumque negat , ſe ratione tuens .
Nec tibi , nec rivo nocui : nam prona ſupinum
Neſcit iter , nec adhuc unda nitore caret .
Sic iterum tonat ore Lupus : mihi damna minaris.
Non minor, Agnus ait . Cui Lupus : immo facis.
Fecit idem pater ante tuus , ſex menſibus actis ,
Quum bene patrizes, crimine patris obi .
Agnus ad hæc : tanto non vixi tempore . Prædo
Sic tonat : an loqueris , furcifer ? huncque vorat.
Sic nocet innocuo nocuus , cauſamque nocendi
Invenit. Hi regnant qualibet Urbe Lupi.

Aliorum Poëtarum nomina , quorum potior pars ad Italiam ſpectat , exhibuit mihi alter Ambroſianæ Bibliothecæ Codex , hunc titulum præferens : *Liber virtutum , & allegationum Auctorum , fere aureus nuncupatus, compoſitus, & cumulatus per nobilem Dominum Johannem de Grapanis Civem Mediolani , qui ab Illuſtriſſimo Domino Duce Mediolani propter hujuſmodi floridi Operis onus exſtitit recompenſus non exiguâ prælibati Domini benignitate , humanitate, liberalitate , & exemtionis gratiâ , ut clarius*

patet

patet ex Literis Dominicalibus &c. Tum ſubjiciuntur *nomina Librorum, vel Auctorum, ex quibus compilatum eſt hoc compendium. Videlicet, Job Hiſtoriologus religioſus: Liber Geneſis religioſus &c.* Ego nonnullos alios delibabo, omiſſis notioribus. *Chronica de Nugis Philoſophorum: Auctor Libelli de formula honeſtæ vitæ: Maximianus Poëta: Amarius verſilogus: Verſificator fabularum Æſopi: Auctor Libelli, qui dicitur Pamphilus: Auctor Libelli, qui dicitur Facetus. Auctor Libelli, qui incipit*; Græcorum ſtudia: *Auctor doctrinæ rudium: Baldo religioſus: Gualterius de Caſtellione verſilogus: Matthæus Vindocinenſis Doctor Grammaticus: Henricus Samarienſis verſilogus Doctor Grammaticus: Gualfredus Anglicus verſilogus: Bertrandus: Jacobus Beneventanus verſilogus: Urſo Januenſis verſilogus: Vilichnius verſilogus: Richardus Judex Venuſinus verſilogus: Auctor Libelli de Moribus Medicorum: Auctor Libelli, qui incipit*, Aſtrolabi: *Bellinus Doctor Grammaticus: Montenarius Paduanus: Proverbia metrica extra ordinem Librorum vagantia. Proverbia vulgaria.* Qualis autem ejuſmodi Poëtarum guſtus foret, ut Lectori aliquod indicium ſuperſit, paucula hæc excerpſi.

Gualterius de Caſtellione Libro 4.
Alexandreidos.

- - - - - - - - - - - - - - quæ rara tyrannis
Semper ineſt, fregit pietas generoſa decorem.

Libro Primo:

O quam difficile eſt ſtudium non prodere vultu!

Editum eſt Gualterii Poëma.

Matthæus Vindocinenſis:

Venditur arbitrium, dum vivitur ex alieno
Sumtu. Pane tuo veſcere. Liber eris.

Et hæc edita puto in Hiſtoria Tobiæ Auctoris ejuſdem.

Richardus Judex Venuſinus Lib. 6. *de pertractatione nuptiarum*, Cap. 28.

Sæpius audivi, quod poſt convivia non eſt
Conſilium. Compos ſtat bene nemo ſui.
Eſt hebes ingenium, dape multâ ventre receptâ.
Non eſt perfectæ tunc rationis homo.
Turbatur cerebrum: ceſſat diſcretio mentis.
Cui ſatur eſt venter, ſpiritus alter ineſt.

Idem:

Pacem ſermo bonis gignit, & gaudia mœſtis
Cordibus infundit, triſtitiamque levat.
Ignis aquâ, verbiſque bonis extinguitur ira &c.

Hujus Richardi Poëma MStum vidi in altero Codice Bibliothecæ Ambroſianæ, quod ab hiſce verbis incipit:

Cedere ſæpe ſolet noſtro Sapientia ludo &c.
Judex Ricardus tale peregit Opus.

Auctor, qui dicitur *Pamphilus*

Occultare nequit ſua lumina maximus ignis:
Occultare poteſt nec ſua vota Venus.
Et ſua non ſemper ſequitur primordia finis.
Inceptum caſus ſæpe retardat opus.

Henricus Samarienſis Lib. 3.

Jam facies habitum mentis ſtudiumque fatetur;
Et mens quidquid agat, nuntiat illa foris.
Interni ſtatus liber eſt, & pagina vultus &c.

Auctor iſte alibi in eodem Codice appellatur *Henricus Sanvirienſis*. In Florentino agro natus, ſcripſit circiter Annum MCXCII. Carmen in Libros quatuor diviſum, cujus dimidiam partem Chriſtianus Daumius Anno MDCLXXXIV. evulgavit, tum Leyſerus integrum edidit Anno MDCCXXI. in Hiſtor. Poëtar. Medii Ævi pag. 453.

Auctor Libelli *de formula honeſtæ vitæ.*

Nam prudens falli non poteſt, fallere non vult.

Auctor *de Moribus Medicorum.*

Ignari Medici demit medicina ſalutem;
Dum prodeſſe putat, ſemper obeſſe ſolet.

Jacobus Beneventanus Cap. 50.

Ad ſe ſynceram pars vitioſa trahit.
Sic taxillorum ludum vitare memento,
Nullum jacturam ferre quod inde queas.
Ludumquemque fuge, per quem tua perdere poſſis.

In altero Codice Ambroſiano, ubi ſunt Carmina Henrici Samarienſis, legitur etiam *Magiſtri Jacobi Tractatus*, ſive Carmen. At minime ſubiit animadvertere, an idem Auctor eſſet, atque iſte Beneventanus. En priores duos verſus Carminis illius:

Uxor erat quædam cerdonis pauperis, uxor
Pulcra nimis, qua non pulcrior ulla fuit.

Auctor, qui incipit: *Aſtrolabi*:

Providet ante diem quid recte dicere poſſit
Vir ſapiens. Stultus immediata profert.
Nolo, virum doceas uxoris crimen amare.
Opprobriis aures propriis dat nemo libenter.

Baldo *Fabulâ Vigeſimâ*:

Non ultra vires diſcant præſumere viles.

Bellinus in *Speculo vitæ*:

Expertus novi, quam multos nummus honorat,
Et ſine denariis nil reputatur homo.

Montenarius:

Furari famulos dominus compellit avarus.

Auctor Libelli, qui dicitur *Facetus*,
Cap. 2.

Expendat large ſine murmure, quando decebit,
Juxta ſuum poſſe, ne ſua damna fiat.

Meminiſſe etiam juvat alterius Ambroſiani MSti Codicis, in quo habetur *Albertani Cauſidici Brixienſis Opus de doctrina dicendi & tacendi, compoſitum Anno MCCXLV. de Menſe Decembris,*

bris , ad Stephanum & Vincentium filios : Item Liber Conſolationis & Conſilii : De amore & dilectione Dei & Proximi : De forma vitæ : De Amicis , rebuſque corporalibus : De amore rerum incorporalium &c. Hæc autem argumenta pertractat ſententiis tum ſuis, tum ex ſacrarum Literarum , Scriptorumque profanorum penu congeſtis , & metro ligatis . Ibi idem Auctor appellatur *Magiſter Albertanus de Sancta Agatha* .

Atque hæc paucula accedant veluti mantiſſa ad Hiſtoriam Poëtarum Latinorum a Lilio Gregorio Gyraldo , a celeberrimo Voſſio, atque a nuper memorato Leyſero contextam . Ceterum neminem ex eruditis ignorare puto , Italicis potiſſimùm ingeniis debere nos tum Latinæ Linguæ , tum Poëſeos Latinæ reſtaurationem , Italoſque ſi non antiquitate , certe præſtantiâ Poëtarum , vulgari Italicâ Linguâ utentium, reliquis Europæ Populis præceſſiſſe. Teſtem offero, ut alios prætermittam , meam ipſam Scriptorum Rerum Italicarum Collectionem, ex qua intelliges, quam mature, hoc eſt ipſo Sæculo XIV. decurrente , Italica gens curarit , ut priſtinum colorem reciperet Latinæ Linguæ facies ; quod opus Sæculo ſubſequente complerunt . Ad Hiſtoriam quod attinet , uſque ad Sæculum a Chriſto nato Undecimum , ad eam conſcribendam pauci ex Italis ſeſe contulere , aut ſaltem pauca eorum monumenta ſuperſunt . At ipſo Sæculo Undecimo , acriuſque ſubſequentibus , ab Ingeniis Italicis pertractata eſt Hiſtoria . Cujus rei teſtem jam dedi locupletiſſimam meam *Rerum Italicarum* Collectionem, Tomis Viginti ſeptem in folio Mediolani abſolutam . In hanc rem paucula nunc addo . Commemoratum vidi a Ricobaldo Ferrarienſi Chronicon quoddam *Mileti* . Monuit autem me per literas Cl. V. Apoſtolus Zenus, Patavii exſiſtere apud Canonicos Regulares in Aſceterio Sancti Johannis de Viridario *Breviarium Mileti in Chronicis*. Conſtat illud ex tabulis Chronologicis, in quibus Anni Æræ vulgaris a Nativitate Domini progrediuntur uſque ad Annum Chriſti MCCXXVIII. addito Indictionum curſu , atque Annis Pontificum Romanorum & Auguſtorum . Præter iſtorum nomen, ſi poſtremos excipias, nihil aliud ad Hiſtoriam ſpectans ibi adnotatur . Sed profectò pleniorem Hiſtoriam Miletus reliquit , quando *Breviarium* Opuſculum illud appellatur, ac diſerte Ricobaldus nuper laudatus ex eo refert Baptiſmum Conſtantini *ultimis vitæ diebus* . Philippus Labbeus e Societate Jeſu in nova Bibliotheca MStorum Librorum commemorat Libellum *de Locis Sanctis* , cujus hæc prima verba ſunt : *Miletus ſervus Chriſti* . An ad eumdem Miletum ſpectet Opuſculum iſtud, nemo facile ſtatuat . Floruiſſe illum Anno MCCXXVIII. opinor . Porro neſcio , quei in mentem venerit doctiſſimo Voſſio Lib. 4. pag. 518. de Hiſtoric. Græcis , ubi Mileti hujus mentionem facit , eum inter Hiſtoricos Græcos recenſere . Quin Latinis literis ille ſcripſerit , nulla mihi dubitatio eſt . Viſum quoque mihi fuit in Bibliotheca Ambroſiana *Chronicon Fratris Jacobi de Aquis , Ordinis Prædicatorum* , quod inſcribitur *Imago Mundi* . Is poſtquam nonnulla delibavit e *Magiſtro Petro Pictavienſi*, a quo Chronicon conſcriptum fuiſſe tradit , exordium ſuæ narrationi facit a Cajo Caligula Imperatore , eamque proſequitur uſque ad Cæleſtinum V. Papam , & initium Bonifacii VIII. ita ut dignoſcamus , ipſum floruiſſe Anno Chri-
A ſti MCCXCVI. Ego , quod multis ineptiis ac fabulis illud Opus ſcateat , ſtiloque humili ac barbaro conſcriptum fuerit , veluti parùm utilem fœtum ſuis tenebris reliqui . Nonnulla tamen inde excerpi poſſent, ſuum uſum habitura in Italica Hiſtoria . Vide Benevenutum de Sancto Georgio in Hiſtor. Montisferrati , qui Jacobi iſtius narrationem de origine Marchionum Montisferratenſium refellit . Voſſius ſupra laudatus *Petrum Pictavienſem* floruiſſe ſcribit *circa Annum Milleſimum Trecenteſimum* . Vetuſtior plane fuerit neceſſe eſt , quando Hiſtoriâ illius eſt uſus Frater Jacobus Aquenſis, qui ſuam circiter Annum MCCXCVI. contexebat. Atque hæc obiter de Hiſtoria dicta ſint .

B Præterea tribuenda eſt Italicorum induſtriæ, ac ſtudiis , Græcæ Linguæ apud Occidentales reſtitutio . Nullum quidem ferme Sæculum occurret , quo ab Italia penitus exſuiarit præſtantiſſimæ illius Linguæ peritia , quum una Roma numquam non aluerit aliquem Græcæ doctum , aptumque ad interpretandos Græcorum Libros . Leguntur adhuc in Codicibus MStis antiquæ ejuſmodi verſiones aliquot , ac præcipue Operum Johannis Chryſoſtomi , quas & ego non ſemel præ manibus habui . Nam præter antiquiſſimas quarumdam Homiliarum ejuſdem facundiſſimi Patriarchæ interpretationes ab Aniano & Mutiano factas , *Johannes Burgundius* , Judex & Civis Piſanus circiter
C Annum MCL. vir Græcæ Linguæ ſcientiſſimus, (de quo Cl. V. Guido Grandius Abbas Camaldulenſis egit in Epiſtol. de Pandectis num. 19.) multo plures ex iis Homiliis , pariterque & alia Opuſcula Gregorii Nyſſeni , & Johannis Damaſceni , Latio donavit . Quo etiam tempore ſplenduit hoc eodem ornamento illuſtris, *Hugo Etherianus , natione Tuſcus* , uti ejus frater ac diſcipulus *Leo* , a Trithemio laudatus . Adde & antiquiores . Sigebertus in Lib. de Scriptor. Eccleſiaſtic. memorat *Leonem II.* Papam , *Paullum Diaconum* Neapolitanum , *Anaſtaſium ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Bibliothecarium , Pelagium Diaconum* , & *Petrum Subdiaconum* ejuſdem Eccleſiæ , qui Græca in La-
D tinum tranſtulere . Ita Sæculo Chriſti Nono Neapolis *Johannem Diaconum* , Sæculo Decimo Ticinenſis Urbs protulit *Liutprandum* , poſtea Epiſcopum Ticinenſem , ambos Græcæ Linguæ peritiſſimos . Sæculo autem Undecimo ſupra vidimus floruiſſe Mediolani viros Græce ac Latine doctos ; ibique pariter ineunte Sæculo Duodecimo Mediolanenſem Cathedram tenuit *Chryſolaus* , ſive *Groſulanus*, ut habet Landulphus a Sancto Paulo, *vir Græcâ & Latinâ eloquentiâ inſignis* . Sed potiſſimum Sæculo Chriſtianæ Æræ Sexto curâ Caſſiodorii , e Senatore Monachi & Abbatis , viri celeberrimi , & de re Literaria optime meriti , in Latinum converſi fuere non pauci Græcorum Li-
E bri . Auctor ille eſt in Libro de Inſtitution. Divinar. Literar. ſe elaboraſſe , ut *Epiphanius vir diſertiſſimus* in Latinam Linguam transferret Socratis , Sozomeni, ac Theodoreti Hiſtorias , & varia Didymi , & Sancti Epiphanii opera ; *Mutianus* Homilias aliquot Chryſoſtomi ; *Bellator Presbyter* Homilias Origenis &c. *Expoſitores* , inquit Caſſiodorius Cap. 9. *quantos vel invenire priſcos potuimus , vel nuper per amicos noſtros de Græca Lingua transferri , vel nova cudi fecimus*. Eo quoque urgente multa tranſtulit *Dionyſius Exiguus* . Sed quando huc venimus , liceat mihi exerere alicujus pretii notitiam , cujus participem Johannem Hudſo-
nium,

nium , virum inter magnæ Britaniæ eruditos Clariſſimum olim feci per literas , antea quam is evulgaret Opera Joſephi Hebræi . Petierat ille a me , ut quid ſentirem de inſigni Codice Ambroſianæ Bibliothecæ , ubi *Antiquitatum Judaicarum* Libri Latine redditi continentur , ad ſe perſcriberem . Codicem illum non tam veneranda vetuſtas ſumme commendat , quam Chartæ raritas ; quippe is ex papyro ſeu philyra Ægyptiaca compactus , edacitatem temporis hucuſque evaſit . Mabillonius pag. 12. Itinerar. Italic. poſtquam plurimi æſtimandum Codicem hunc pronuntiavit, hæc ſubdit: *Quem utique cum edita Rufini verſione libenter contuliſſemus , ſi eam Mediolani recuperare nobis licuiſſet* . Guilielmus Cave in Hiſtor. Literar. de Rufino ſcribens , Mabillonii conſilium fruſtratum hac in re fuiſſe vehementer dolet , atque *utinam* , ait , *quod in animo habuit , cum edita Rufini verſione contuliſſet Vir eruditiſſimus* . Rem ego , quum Mediolani agerem , olim præſtiti, hoc eſt vulgatam ſub Rufini nomine Joſephi verſionem cum eodem Codice contuli , & utramque ſimul conſentire ſtatim animadverti . In eo Codice nulla Rufini vulgo crediti interpretis mentio : quod Puteanus , Hottingerus , & alii arbitrati eſſe videntur . Primo loco ibi leguntur nonnulla Lib. VI. ac X. fragmenta , tum pleraque e Libris VII. VIII. & IX. deſumta . Nimirum vitio illius , qui folia compegit, Hiſtoriæ inverſus eſt ordo, & quædam ex Libro Octavo præpoſita ſunt Septimo , & nonnulla ex Nono præeunt Octavum . Ita verò cum vulgatis Libris MStus Codex concordat , ut vel ipſi errores utrobique occurrant . Cujuſmodi mihi videtur eſſe, quod Lib. VIII. Cap. V. viſitur , ubi *Dionis* Hiſtorici mentio eſt . Is in Græcis Codicibus Δῖος appellatur , ac proinde *Dius* reddendus fuit , non *Dion* . Fortaſſe Joſephi Interpres unum norat Dionem Caſſium celebrem Hiſtoricum , eumque illic memorari cenſuit , quum tamen Caſſius longe poſt Joſephi tempora in vivis egerit . Præter aliquam in Capitum diſtinctione differentiam, habet Ambroſianus Codex ſingulis præfixam Epitomen : quæ ſane in Græcis exemplaribus legitur , ſed in editis deſideratur .

Rufino tributam dixi ejuſmodi verſionem ; atque in ea opinione fuere Gerardus Johannes Voſſius , Mabillonius , Caveus , Du-Pinius , aliique Clariſſimi viri . Philippus verò Labbeus de Scriptorib. Eccleſ. in opinionis vulgatæ ſubſidium uſus eſt vetuſtate Codicis Ambroſiani , ita ſcribens : *Rufinus Joſephi Judaicarum Antiquitatum Libros viginti reddidit Latine , quæ excuſa habentur ſæpius: eorumque exemplar dicitur aſſervari Mediolani in Æde Sancti Ambroſii* (ita ille pro Ambroſiana Bibliotheca) *Longobardicis ſcriptum literis* . Conradus quoque Geſnerus in Biblioth de Rufino hæc habet: *Joſephum convertit in Latinum, cujus originalis eſt Mediolani in Sancti Ambroſii fano , Longobardis characteribus curioſiſſimis* . Verùm aliter ſenſiſſent docti antea Viri, ſi hac in re diligentius expendiſſent Gennadii ſilentium . Rufini lucubrationes univerſas minutiſſime deſcripſit ille in Catalogo Illuſtrium Virorum , enumerans Latio per eum donata quædam Baſilii Magni , Nazianzeni , Clementis Romani , Euſebii Cæſarienſis, Xyſti Philoſophi, Evagrii, Origenis , ac Pamphili volumina . Sed ne gry quidem de Joſephi interpretatione . Deinde nemo non agnoſcat , quantum diſſimilitudinis in ſtilo intercedat inter germana Rufini Opera, vulgatamque Joſephi verſionem . Eleganti plane ingenio præditus Rufinus in iis , quæ ſcriptis mandavit , non vulgari eloquentiæ ſtudio eſt uſus . At in Joſephi verſione non elegantiam tantum deſideres , ſed etiam Romani ſermonis caſtimoniam , quum tanta plerumque verbis & ſenſibus rubigo , ac etiam barbaries, inſit , ut interpretem facile perſentias iis ſcripſiſſe temporibus , quibus Latina Lingua cum barbaris vocibus ac gentibus communione initâ exſpirabat . Neque ejuſmodi infelicitatem ſtili ignoravit , qui Frobenianæ editioni verſionis hujus Anno MDLIV. Præfationem addidit . *Tam multa* , inquit, *occurrunt , ut mihi ſuboriatur ſuſpicio , quoſdam ſuos pannos alieno operi intertexuiſſe , aut hanc interpretationem non eſſe Rufini ; aut ſi eſt Rufini , non eſſe illius, cui certamen fuit cum Hieronymo* . Iſaacus verò Caſaubonus in Exercitatione Prima , num. 34. ad Apparat. Annal. Cardinalis Baronii , quamquam Rufino interpretationem hanc abjudicare non fuerit auſus, eamdem tamen multis in locis ad inſaniam uſque appellat ineptam . Cujus rei cauſſam hanc adfert , *quod corruptiſſimos nactus Codices , & judicio Critico deſtitutus , quidquid invenit , exprimere eſt conatus* . Sed quis jam tamdem illius verſionis Auctor ? Caſſiodorus , ſive Caſſiodorius (uti ſcribendum contendit V. Cl. Scipio Maffæus Marchio Veronenſis, qui primus illius *Complexiones* hactenus deſideratas in lucem deduxit) Caſſiodorius, inquam , de quo nuper fuit ſermo, hanc ipſam ætate ſua , hoc eſt poſt medium Sæculum Sextum ſtruendam curavit. Accipe, quid ille ſcribat in Libr. de Inſtitut. divinar. Literar. Cap. 17. *Joſephus pæne ſecundus Livius in Libris Antiquitatum Judaicarum late diffuſus eſt , quem pater Hieronymus ſcribens ad Lucinium Boeticum , propter magnitudinem prolixi operis a ſe perhibet non potuiſſe transferri . Hunc tamen ab amicis noſtris , qui eſt ſubtiliſſimus & multiplex , magno labore in Libris viginti duobus converti fecimus in Latinum* . Sed cur Libros XXII. Antiquitatum Judaicarum Senator appellet , qui XX. tantum in cunctis Codicibus numerantur, ſi quiſquam petat, reſpondeo, in hanc ſummam cadere duos quoque Libros ab ipſo Joſepho contra Appionem Grammaticum conſcriptos; nam & illi περὶ ἀρχαιότητος Ἰουδαίων , *de Antiquitate Judæorum* inſcribuntur , & cum Libris Viginti Judaicarum Antiquitatum veluti Apologia connectuntur. Addit Caſſiodorius : *Qui etiam* (Joſephus) *& alios Libros Captivitatis Judaicæ mirabili nitore conſcripſit. Quorum translationem alii Hieronymo, alii Ambroſio , alii deputant Rufino : quæ dum talibus adſcribitur, omnino dictionis eximiæ merita declarantur* . Loca hæc vidit Voſſius Lib. 2. Cap. 11. de Hiſtoric. Latinis, & tamen non ſat ſibi cavit a quodam errore , quem præterire nolim . *Satis* , inquit ille , *mirari non poſſum , jam tempore Caſſiodori dubitatum fuiſſe , utrum Rufinus , an alius vertiſſet Libros de Bello Judaico . Immo creditum eſt , translationem eorum Librorum non exſtare, ita ut Caſſiodorus eos verti curarit ab amicis* . Utique Caſſiodorii temporibus , cuinam adſcribenda foret interpretatio Latina Librorum *de Bello Judaico* , dubitatum fuit: at illam verſionem periiſſe is numquam ſomniavit , eoque minus aliam ab amicis ſuis elucubrandam ipſe curavit . Quod *de Judaicis Antiquitatibus* , Libriſque Joſephi *contra Appionem* Senator retulit , male ad Li-

bros *de Bello Judaico* Voſſius pertinere exiſtimavit. Itaque jam perſpicuum eſt, non Rufino Aquilejenſi amplius, ſed Caſſiodorii amicis, puta Epiphanio, Mutiano, ac Bellatori, tribuendam eſſe vetuſtam *Antiquitatum Judaicarum* verſionem, neque juſtam Caſaubono aliiſque cauſſam fuiſſe, cur eumdem Rufinum tam acerbe propter opus non ſuum exciperent, ac veluti ineptiſſimum ac futiliſſimum Auctorem traducerent. Ceterum quum Rufinus a nonnullis antiquitus creditus fuerit, Caſſiodorio teſte, Interpres Librorum *de Bello Judaico* (quod tamen Gennadio minime viſum eſt) hinc etiam factum, ut recentiores incaute, & prorſus ſine ullis tabulis, eum verſionis quoque *Antiquitatum Judaicarum* auctorem fuerint commenti. Atque hæc omnia nos denique monitos faciunt, Ambroſiani pretioſiſſimi Codicis ætatem, non a Rufini temporibus, ſed a Caſſiodorii, eſſe arceſſendam; quamquam ſimilitudo characterum in aliis Codicibus a me adnotata mihi perſuaſerit, ſerius quoque Codicem illum fuiſſe exaratum, & ſpectare potius ad Sæculum Vulgaris Epochæ Octavum.

Alteram quoque vetuſtiſſimam Græci Scriptoris verſionem invenire olim mihi videbar in altero Ambroſiano Codice: cujus rei Hiſtoria Literaria expoſcit, ut aliquam mentionem heic faciam. Scilicet ſeſe mihi obtulit Codex membranaceus in folio, licèt mendis alicubi ſcatens, tantæ tamen vetuſtatis, uti characterum forma prodebat, ut ante octingentos, immo & nongentos annos, exaratum opinarer. In Ambroſianam Bibliothecam e Bobienſi, curâ celeberrimi Cardinalis Friderici Borromæi, translatus fuerat. Ibi Sermones ſeu Homiliæ non paucæ legebantur, quarum Auctor in fronte Libri *Sanctus Severianus* inſcribebatur, Epiſcopus videlicet Gabalitanus, qui circiter Annum Chriſti CCCXC. ſummâ eloquentiæ laude claruit inter Græcos, ac primum amicitiâ, tum diſſidiis inter ipſum & Sanctum Johannem Chryſoſtomum famoſus evaſit. Multa de eo habet Eccleſiaſtica Hiſtoria; multa, qui de Scriptoribus Eccleſiaſticis egere. Ad ejuſmodi Sermones exſcribendos e veſtigio advolavi, editurus aliquando ad publicæ eruditionis incrementum, quum eum parentem habeant, qui Gennadio Cap 21. de Viris Illuſtribus, appellatur *in Homiliis declamator admirabilis*. Verùm in medio curſu hæſi, & mihi e manu calamus excidit, ubi ſingulos ferme Sermones illos deprehendi jam editos ſub nomine *Sancti Petri Chryſologi* Archiepiſcopi Ravennatis. Sed quis, inquies, illorum revera Auctor fuit, Chryſologus-ne, an Severianus? Ego ante omnia ſtatuendum heic cenſeo Catalogum Sermonum, in Ambroſiano Codice exſiſtentium, & Severianum Auctorem præferentium. Præcedit ibi revera Catalogus Sermonum LXXXVIII. e quibus tamen XIX. in Codice deſiderantur.

Capitula Sermonum Sancti Severiani. Ideſt:

De homine a nativitate cæco.
De Reſurrectione Domini ſecundùm Matthæum, Sermones II.
De Reſurrectione Domini ſecundùm Marcum, Sermones II.
De Reſurrectione Domini ſecundùm Lucam, Sermones II.
De Evangelio ſecundùm Joannem.
De muliere peccatrice ſecundùm Lucam, Sermones III.
De eo quod dicit: Ego ſum paſtor bonus.
De Matthæo de Avaritia.
De muliere a profluvio ſanguinis curata.
De ſervo Centurionis.
De Jejunio Quinquageſimæ.
De Jejunio & Eleemoſynis.
De laude . . . .
De Matthæo Publicano.
De Natale Eccleſiæ.
De laude Epiſcopi.
De ordinatione Epiſcopi.
De Natali Domini ſecundùm carnem, Sermones II.
De fuga Domini in Ægypto.
De Paſcha Sermo.
De Patre & duobus filiis, Sermones IV.
De Villico iniquitatis Sermones II.
De ſcandalis, quod impoſſibile ſit ut non veniant.
De Evangelio: ſi peccaverit in te frater.
De Paſcha idem.
De Arbore fici.
De Reſurrectione Domini ſecundùm Joannem, Sermones III.
De Divite & Lazaro.
De Epiphania.
De Kalendis Januarii.
De Fide, cum Præfatione, Sermones III.
De Unitate Baptiſmi.
De inlicito Baptiſmo.
De æqualitate Chriſti & Spiritus Sancti.
De Oratione Dominica expoſitio.
De Symbolo & Oratione pro Pentecoſte, Sermones XII.
De Kalendis Januariis.
De Jejunio Sermones V.
De juſſione Domini, transfretare Diſcipulos
De regione Geraſenorum.
De eo, quod Dominus dormiebat in navi.
De profluvio ſanguinis mulieris.
De infirmitate mulieris annos XVIII.
De Zacharia Sermones II.
De diverſis parabolis.
De Chriſto cum Diſcipulis aſcendente in navi.
De Apoſtolo tractatuum Sermones IX.
Sunt omnes Sermones LXXXVIII.

Sed cuinam reapſe ejuſmodi Sermones tribuendi ſunt? Ego difficile controverſiam dirimi poſſe cenſeo. Severianus antiquiſſimi Codicis auctoritatem pro ſe habet, cumque Librum celebris Bibliotheca, unde prodiit, ſatis commendat. Dedi in Diſſertatione proxime præcedenti Catalogum vetuſtiſſimum Bobienſis Bibliothecæ. Ibi inter alios recenſetur *Liber Sancti Severiani*. Eumdem puto, atque invectum in Ambroſianam Bibliothecam, de quo nunc mihi eſt ſermo. Jam verò conſtat, idque etiam monui in Præfatione ad Sermones Sancti Maximi a me evulgatos Tomo IV. Anecdotorum Latinorum, ſcilicet olim permixtos facile fuiſſe Sanctorum Patrum Sermones, dum quiſque Homiliarum Librum ſibi pararet. Hinc confuſæ Ambroſii, Auguſtini, Maximi, Chryſoſtomi, Leonis, aliorumque Homiliæ in antiquis Codicibus. Fieri pari ratione potuit, ut congerentes Petri Chryſologi Sermones, cum iis Sermones quoque commiſcerent Severiani Gabalenſis Epiſcopi Sæculo V. latinitate donatos. Et antea quidem Chryſologi editores adnotarunt ad ejus Sermones 149. & 152. eos a quibuſdam *Beato Severiano Epiſcopo* tribui. Et quamquam id immerito factum ſcribant, nulla mihi tamen dubitatio eſt, quin idem Sermo

149.

149. Severianum Auctorem habuerit. Neque obſtat Chryſologi ſtilus floridus, & horum Sermonum facies Latina, nihil nativitatis Græcæ præſeferens. Nam & Severiano non diſpar fuit ſtilus, atque ipſe quoque antithetis delectabatur, & conciſo dicendi genere. Lege eumdem Sermonem 149. impreſſum inter Opera Græca Chryſoſtomi, & inſcriptum *de Pace*, ab antiquiſſimo Auctore translatum, atque ibi comperies non abſimile dictionis & ſententiarum genus, atque ibi verſionem e Græco factam minime, ut puto, ſubodorabis. Mabillonius quoque pag. 124. Itinerarii Italici, poſtquam Ambroſiani hujus Codicis mentionem fecit, fragmentum adfert Sermonis ejuſdem Severiani in Caſinenſi Codice latentis. Ovum ovo ſimilius non utique deprehendas. Ad hæc inter Libros, quos Deſiderius inclytus Caſinenſis Abbas Monaſterio ſuo comparavit, quos in Chronico Caſinenſi Lib. 3. Cap. 63. recenſitos habemus, occurrunt *Sermones Severiani*, utique Latinâ Linguâ donati. Præterea olim non ſecus, atque temporibus noſtris, tam periti Græcorum Librorum interpretes fuere, ut nil Græcæ originis in eorum verſionibus appareret. Cujuſmodi ſane dicendus eſt *Euſthatius*, vir *diſertiſſimus*, a Caſſiodorio laudatus Cap. primo, de Inſtitut. divinar. Literar. qui opera quædam *Sancti Baſilii ita tranſtulit in Latinum, ut ingenium doctiſſimi viri facundiæ ſuæ viribus æquiparaſſe videatur*. Anianus quoque, & Mutianus Scholaſticus, Homilias non paucas Chryſoſtomi Latio donarunt Sæculo Chr. Quincto & Sexto. At contra *Chryſologus* ex unius tantùm Codicis, quamquam antiquiſſimi, auctoritate contrariâ, minime videtur ſua poſſeſſione privandus. Jamque illius Sermones collecti Ravennæ in honore erant circiter Annum Chriſti DCCXV. Nam, ut ſcribit Agnellus in Pontific. Ravenn. Tomo II. pag. 164. Rer. Italicarum, Felix Archiepiſcopus morti proximus Homilias ſuas comburendas juſſit, inquiens adſtantibus: *Habetis Libros Chryſologi Petri, quos videtis, & invenietis. Hic luculentiſſime ſcripſit. Ipſum tenete. Utimini, ut vobis placet*. Quid? quod ne ipſi quidem Ambroſiano Codici nimium fidere poſſumus, quandoquidem ibi fragmenta tria leguntur, nondum edita, quæ multo æquius Petro Chryſologo, quàm Severiano, conveniant. Ego illa in omnium commodum heic evulganda cenſui.

Fragmenta Homiliarum Severiano Gabalitano Epiſcopo tributarum in Codice Ambroſiano.

Incipit de jejunio Quinquageſimæ.

SUſcepturi ſanctum Quinquageſimæ de more jejunium, ſcire debemus, quia quod corporibus humanis nitrum præſtat, hoc jejunium confert mentibus Chriſtianis, ſenſuum ſordes mundat, delicta lavat animorum, diluit cordis crimina, maculas cordis tollit, & ad candorem caſtitatis hominem totum miro ſplendore perducit: & ſicut ver omnes tempeſtates premit & compeſcit tumultus, ſerenat faciem cœli, dat pacem terris, ac totum Mundi corpus brumali ſepultum morte vitalem vocat & ſuſcitat ad vigorem. Atque ita jejunium conflictus omnes ſedat, membris pacem reddit, ac frigore negligentiæ ſopitas atque mortuas mentes ſuccendit, atque animat toto calore virtutem. Jejunium Frater eſt humanæ gubernaculum vitæ: regit totam noſtri corporis navem, cor in altitudinem levat. Arboris abſtinentiæ funibus vela tendit, animorum remos aptat, & ſinceritatis ſinu amplo totum ſuperni Spiritus evocat & invitat impulſum, ac ſic inter iſtos Mundi fluctus & diſcrimina iſta vitæ ratem noſtræ carnis ad totam divini portus dirigit ac pervehit manſionem. Clamat Apoſtolus: Nox præceſſit, dies appropinquavit: abjiciamus opera tenebrarum, & induamus nos arma lucis, ſic ut in die honeſte ambulemus. Non in commeſſationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione, & æmulatione, ſed induite Dominum Jeſum Chriſtum, & carnis curam ne feceritis in concupiſcentiis. *Nox præceſſit, dies appropinquavit. Dies eſt vitæ forma, nox eſt imago mortis. Ad tenebras ducit illa, ad lucem reducit hæc. Sepelit ſemper illa, ſuſcitat iſta ſemper* . . . .

Incipit de laude Epiſcopi.

GRata vobis & votiva ſolemnitas ad veſtrum me conventum invitamento, Sancti Patres, gratanter adduxit, ut hic quod vobis erat ex Dei feſtivitate gratiſſimum, mihi fuerit & veſtra devotione jocundum, Sanctique Spiritus exhortante Pſalmiſta pari vobis cum gratulatione concinere indicens: Ecce quàm bonum eſt & quàm jocundum habitare Fratres in unum. *Læta dies eſt, terrena temperies, ornatior Eccleſiæ facies, ſimulque beatiſſimi Papæ gratus aſpectus. Huc ergo convenit hodie delectabilis Eccleſiæ multitudo, huc undique probata fraternitas, ut id, quod grato concipiebat auditu, frueretur aſpectu. Qui enim tam ferus eſt, aut ita religionis ingratus, ut* Gratum Pontificem non requirat, *in quem gratia nomen contulit, & meritum ſignanter expreſſit? & ita perſonam ſui decoris oſtendit, ut in publicam notionem ſpeciem produceret, quæ latebat? eſſet enim celata gratia, ſibique nota tantummodo, ſuo vocabulo ſuoque munere ſignaretur, ut anulo ſigillum cera manifeſtat impreſſum. Nec patitur abſcondere quod accepit. Et ut auri metallo inſignia formantur Auguſti, parvoque tenetur in numero, quod maximo dilatatur imperio, ſic etiam ſacra præſcitur Epiſtola, quam monetalis incudo ſignavit, & antea venetur a Judice quàm legatur. Idcirco competenter audit & dicit*: Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui, Domine. *Tamquam Legatus Unigeniti Dei, datus in ſignum teſtamenti, in lucem gentium deſtinatus. Ergo, Fratres cariſſimi, ſequamur iſtum gratiæ prævium quocumque Paſtorem, qui nos in amœnam Paradiſi regionem Pontifex electus inducat, & inter Euangelica* tonorum ligna *conſtituat, ut plantati juxta decurſus aquarum, fructu nectareo menſam noſtro demus in tempore. Habet enim Moyſi gra-*

gramina, mannam cæleſtis annonæ, nectareo rore conceptam, niveo ferculo candore digeſtam, multiplici prandium ſapore conditum. Habet itaque paſcua gratiæ ſpiritalis, Apoſtolico rigatu pollentia, panem vivum, qui de cœlo deſcendit, & calicem ſalutaris æterni. Potens eſt enim ignire frigidos eloquio Prophetarum. Potens eſt etiam temperare ferventes. Eſt ille per Dei gratiam columna & nubes: nubes inter diem, columna ignis in nocte, quæ & vitæ noſtræ præſtet umbraculum, & mortis exſtinguat horrorem. Fulget in tenebris, adſpirat in ...... unoque miniſterio præcidentes umbra non deſit in die, cum deſit in nocte: diſcutit enim tenebras, & avertit ardorem, ne quis obſcuritate cæcatus exorbitet, aut radiis adflictus intereat. Et cum ſingulis obviet, ac diverſa componat, utriſque placidus, utriſque ſit gratus gemino munere natura præſtantior aliud commutat ex alio. Nox in flamma, & dies in umbra ſuccedit, eaque procurante gratia nullum triſtitiæ caligo confundit, nullus ullo furore candeſcit, unde meritò credimus & veritatem per Jeſum Chriſtum factam & gratiam, quæ modò juſtitia, modò ratio, nonnumquam beatitudo ſæpe miſericordia nuncupatur. Gratia juſtificat impios, & vocat ea quæ non ſunt. Omnes enim peccaverunt & egent gloria Dei. Donat indignis, & uno momento latronem purificat & coronat. Eodem modo miſeretur inmeritis, & miſerationem ſuam tribuit otioſis. Abraham quippe patrem noſtrum gratia prævenit, ut crederet, heredemque fecit mundi ex ſterili, cum jam jamque pariter ſenio marcuiſſent. Ex auditu fides eſt. Fides autem per verbum Dei, ne quis aliquando glorietur in proprio, dum totum poſſideat alienum. Quid habes, *inquit Apoſtolus,* quod non accepiſti? *Commendat autem ſuam Caritatem Deus in nobis, ut amore ſervando depoſitum gratuito conſequamur imperium, & ſicut abundavit ex errore peccatum, ſuperabundet ex redemtione juſtitia. Stipendium peccati mors, ab Apoſtolo dicitur, & gratia Dei vita pronuntiatur æterna. Quid eligas, agnoviſti. Civis eſſe debes, ex barbaro deponere piraticam, ſubire militiam, tyrannicum adverſari ſtipendium. Si regalem concupiſcis annonam, cur una cervice duo juga portare contendis? Aliud tibi Diabolus, aliud Chriſtus impoſuit. Illum amarum ſemper & grave: ſuave ſemper & leve iſtum, Chriſto docente, cognoſcimus:* Jugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve eſt. *Unum ergo projice, ne ſub utroque deficias, & incerto labore diſtractus alterum patiaris infeſtum, cum nequeas alterum habere propitium, magiſque ſub jugo peccati moriaris oppreſſus, ubi fueris a gratia Salvatoris abjunctus. Ab hac ergo gratiâ quiſque diſceſſerit, ipſe ſibi præſtat ingratiam, parique modo gratus offenditur, cum ſe contumax experiatur ingratum. Nunc itaque quoniam Gratus eſt Pontifex, & grata conſecratio Sacerdotis, affectum Grato reddite, Gratumque gratificate Pontificem. Tu quoque, venerabilis Papa Grate, Deo grate, Clero grate, Fidelibus & Populis univerſis omnibus omnia factus, ama pervigil, & excita dormientes, amplectere proprios, invita extraneos, eſto creditor inopum, debitor electorum, ut ad patrem gratum grata multitudo filiorum conveniat, & a ſancto Patre Grato nullus umquam diſcedat ingratus. Explicit.*

Incipit de ordinatione Epiſcopi.

Nemo miretur, ſi ſancta Eccleſia, ſi virgo materque numeroſas ſoboles cæleſti fœcunditate diffundet, ipſa ſibi parturiat, generet, pariat ipſa rectores, quando ..... concubitus neſcia, obſcœnitatis ignara, corruptionis expers ad formam pudicitiæ, ad caſtitatis exemplum, ad Virginitatis inſigne, quæ ſolo rore cæleſti ore concepit, ore parturit, ore germina caſta componit, ore ſibi Duces format, ore ſibi Reges ipſa generat & producit, ut proprio ſubjecta pignori caritatem doceat, obedientiam monſtret, vitæ ordinem tradat, agendis rebus inſtituat diſciplinam, glorioſi operis oſtendat affectum. Subjecta, dixi, propitio pignori, quia manet libertas voluntaria ſervituti; confuſa verò dominatio quidquid eſt libertatis amittit. Meritò ergo venerabilis Eccleſia velut apes illa oris ſui teſtimonio delegit ſibi & genuit ipſa Paſtorem juniorem ceteris, ut ei juxta propheticam vocem pro patre filius naſceretur. Pro patribus tuis nati ſunt tibi filii. Conſtitues eos principes ſuper omnem terram. *Juniorem dixi non ſapientiâ, ſed ætate. Ceterum gravitate, ſcientiâ, moribus, diſciplinâ omnem exhibet ſenectutem. Et quia hodierno germini aptavimus apis exemplum, quæ producta de caſtris agmina voce movet, voce ducit ad ſedes proprias, ad locum dulciſſimi operis & quietis, jam nos tacere convenit, ut natus Paſtor ſuæ vocis in divinis eloquiis det clamorem, quatenus agmen Domini cum ſuo moveat exortu ad alvearia propria comitante Domino mox revocet, mox reportet.*
„ Qualiter autem, Fratres, cunabulis ab ipſis „ per ipſos ætatum gradus Eccleſiaſticis onus „ aſcendit officiis, quia mihi dicere longum „ eſt, ſicut dixit Euangeliſta: ætatem habet „ ipſe; pro ſe loquatur. *Explicit.*

Hæc inquam rectius Chryſologo, quàm Severiano adſcribantur. Nam *Gratus* ille *Epiſcopus*, cujus encomium heic habes, Latinum potiùs nomen quàm Græcum ſonat, ac proinde Latinum Epiſcopum Latinus Antiſtes laudaſſe videtur. In tertio quoque fragmento animadvertenda ſunt ea verba de novo Epiſcopo dicta: *Qualiter autem cunabulis ab ipſis per ipſos ætatum gradus Eccleſiaſticis onus aſcendit officiis, quia mihi dicere longum eſt, ſicut dixit Euangeliſta: Ætatem habet ipſe: pro ſe loquatur.* Atqui ſermo 165. inter Opera Chryſologi, *de conſecratione Projecti Epiſcopi Forocorneliensis*, de quo nulla dubitatio eſt, quin ſit Chryſologi, parem habet loquendi formam, nempe: *Qualiter autem cunabulis ab ipſis gradus Eccleſiaſticæ militiæ conſcenderit & officia, quia mihi dicere longum eſt, ſicut dicit Dominus* (rectius *Euangeliſta*) *ætatem habet: ipſe pro ſe loquatur.* Ergo Ambroſianus Codex ea præfert, quæ perſuadere poſſint, reliquos etiam Sermones Petro Chryſologo, non autem Severiano, eſſe tribuendos. Sed de hoc ſatis ſuperque. Illud conſtat, non ita præfracte Codicibus MStis, etiam multa vetuſtate venerandis, fidem umquam eſſe habendam, quum Libri alicujus Auctorem præferunt, ut meliori ſententiæ locus minime relinquatur. Stilus enim, & alii Codices, & argumentum Libri, Scriptoreſque ibi laudati, & res, ac tempora, quæ illic occurrunt, Critico homini perſuadere meritò poſſunt, ac interdum debent, ad alium Scriptorem pertinere Librum. Etenim quicum-

cumque veteres Codices non leviter verſat, aut Criticorum diſputationes ſolicite legit, facile intelliget, multa in Librorum quoque titulos vitia irrepſiſſe, ſive ex hominum incuria, ſive etiam ex malitia. Quod poſtremum innuiſſe me non pœnitet, luculento ſatis exemplo ad aliorum eruditionem confirmatum volo. Edidit Matthæus Raderus, vir celeberrimus e Societate Jeſu, Chronicon Paſchale, ſive Alexandrinum, Græce cum Latina Interpretatione, Anno MDCXV. Monachii. Præſto illi fuit exemplum adſervatum (ut verbis Clariſſimi Du-Cangii in Præfatione ad idem Chronicon, Pariſiis Anno MDCLXXXVIII. recuſum utar) *in Bibliotheca Auguſtana, manu Andreæ Darmarii Antiquarii deſcriptum, proinde litera recentiori, ut teſtatur Raderus, & a Sylburgio triginta ſex aureis Solaribus emtum, & Hoëſchelio donatum, ab eodem Hoëſchelio Reipublicæ deinde Auguſtanæ oblatum, ex quo Iſaacus Caſaubonus pleraque excerpſit, quæ non ſemel in Notis ad Capitolinum laudat. Iſtius porro Andreæ Darmarii, quem Græcum Mercatorem indigitat, meminit idem Caſaubonus, a quo ſe emiſſe teſtatur Librum Julii Africani de Bellico apparatu, & fragmentum Petri Alexandrini de Paſchate; unde non modò illius ætas percipitur, ſed & dubietas oritur, an is ex Romano exemplari Chronicon exſcripſerit, ſiquidem ex Græcia mercator in Gallias venerat; niſi fortè fuerit ex illis Antiquariis Vaticanæ Bibliothecæ, fere ſemper natione Græcis, qui ex illius Codice hæcce qualiſcumque ſibi tranſcripſerit.* Hæc fuſius referre placuit, ut Lector mature intelligat, Andream illum Darmarium lucrum ſibi e deſcribendis ac vendendis Libris conquiſiiſſe. Et ſane vix ulla eſt ex inſignibus Bibliothecis, in quam non irrepſerit aliquis ex illius Codicibus Græce ſcriptis. Habet ex iis aliquot Chriſtianiſſimi Regis Bibliotheca, teſte Clariſs. Montfauconio in ſua Palæographia Græca. Habet & nonnullos Ambroſiana: plures etiam Scorialenſis, & Sabaudienſis Bibliothecæ; in quibus falſi tituli Græcis Libris appoſiti ſunt, ut cariori pretio venderentur. Et certe nunc homini detrahenda perſona eſt. Scilicet is fuit Falſarius perditiſſimus, qui ferme omnibus, quibus merces ſuas caro vendidit, fucum fecit. Eſt mihi Catalogus MStus rariorum Codicum Græcorum manu ſcriptorum Bibliothecæ Regiæ Eſcurialis, quem David Colvillus Scottus, vir doctiſſimus, ante annos centum exaravit. Accipe quid ille hanc in rem habeat, atque ex illius adnotatione profice. *Petro*, inquit, *Alexandrino Epiſcopo attributa Hiſtoria Chronologica ab Adam uſque ad Heraclium juniorem, quæ tamen manu Scriptoris recentioris attribuitur Marcellino vel Hippolyto: ſed nullius tamen eſſe poteſt; nam illi omnes Heraclium præceſſere. Non eſt Georgii OEcumenii, ut ex collatione didici* &c. Poſt multa alia ſubdit: *Græce & Latine editus eſt Liber a Patre Matthæo Radero Societatis Jeſu ex Bibliothecæ Auguſtanæ Codice, quem Andreas Darmarius deſcripſerat. Sed hic ille idem ſceleſtus fuit, qui utcumque illa ex Codice deſcripſerat in Hiſpania, & titulos illos proſtituerat. Virorum peſſimus, qui nihil aliud habebat, niſi proſtituere Libros fictis titulis, quos ſummo pretio divenderet Principibus. Innumera ſcelera illius detexi & notavi; qui præter falſos titulos, quum aliquid deſcribendum erat, definito pretio integri Libri,* A *omittebat multa heic atque illic in medio opere; quum contra deſcribendum erat, ut numerarentur folia, infinita alia inſerebat, ut repleret paginas. Nec Græce ſciebat, & ne unam quidem paginam ſcribebat ſine pſeudographia. Uno verbo: ita ſceleſtus erat Andreas Darmarius Epirota, ut nihil illi credere debeamus, nec titulis ejus.* Hæc David Colvillus, quæ cautos literarum amatores efficere jam debent; neque enim ejuſmodi fumorum propolis atque impoſtoribus caruere Sæcula antiquiora, quia numquam deſiere, qui e fraudibus lucrum captarent.

Atque heic Lectorum examini titulum Codicis MSti, quem Ambroſiana Bibliotheca B olim mihi obtulit, expoſitum volo. Membranaceus erat Codex, ſignatus literâ P. & numero 154. in folio; ſed non admodum antiquus, quum vitam etiam complectatur Sancti Nicolai Magni, a Leonardo Juſtiniano conſcriptam. Ibi Opuſculum eſt cum hocce titulo: *Diſputatio Sancti Leonis Papæ contra Hæreticos*. Ad tam grande nomen continuò cor mihi ſubſultavit, ſpe ſubortâ, potuiſſe latere illic aliquid ineditum eximii & eloquentiſſimi Pontificis. Verùm hæſi animo, ubi ſingula luſtravi, e quibus hæc pauca decerpſi. *Errare Hæreticos* (hoc eſt initium fragmenti diſputationis ejuſdem Sancto Leoni Magno Papæ tributæ) *hæc maxime cauſſa facit, dum aut ignorant*, C *aut nolunt advertere, in Domino noſtro Jeſu Chriſto ſicut unam perſonam, ita duas ſubſtantias eſſe, Deum ex Deo Patre, & Hominem ex homine Matre. Et quæ de ſe ipſo Dominus ſecundùm diſpenſationem carnis aſſumtæ loquitur, deputant divinitati, ut eſt illud: Pater major me eſt* &c. Et infra legitur: *Nam nos ſicut eum Deum legimus, ita nec majorem nec minorem Deum uſquam legimus, nec credere religioſa mente debemus. Sed idem adhuc perſiſtit & dicit: Fieri non poteſt, ut non Filius minor Patre credatur, quia ex Patre eſſe dignoſcitur* &c. Tum plurima e Scripturis ſacris adfert, quibus & Filii & Spiritus Sancti divinitas confirmatur. Sub finem verò hæc habet: D *Dicere etiam Hæretici ſolent de Baptiſmo, quod in eo melius ſit illorum Baptiſma, quàm noſtrum, quia qui de illis ad nos convertuntur, non eos rebaptizamus, ſed per manus impoſitionem reconciliamus; illi verò ſi quos de noſtris ſeducere poſſunt, inconſiderанter rebaptizant. Qui interrogandi ſunt: Baptiſma iſtud, quod dant, ſuum eſſe dicunt an noſtrum? Si noſtrum eſt: quare illud . . . . præſumunt ſimiliter nos baptizando? Si illorum eſt, quare illud violant iterando? Sed nos reverentiam habemus Dominicis verbis; & quomodo ipſe juſſit: Ite* &c. *baptizamus in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Sed illos ſi . . . . . certum eſt baptizare. Nam ſi ſic baptizarent illi, quomodo* E *credunt in nomine Patris majoris, & in nomine Filii minoris, & in nomine Spiritus Sancti multo minoris: tunc demum non iterabimus Baptiſmum, ſed dabimus; quia non ſecundùm regulam, quam Dominus tradidit, baptizabunt* &c. Infra hæc addit: *Sicut panem jam ſemel coctum ſi quis mittat in aquam, & velit recommiſcere & coquere, perdit priſtinam dignitatem, & in nigredinem terramque convertitur, ſic talis efficitur quicumque in ſe permittit Baptiſmum iterari. Et ideo debet unuſquiſque ad mortem Baptiſmum ſuum Deo adjuvante ſervare, ſi vult ad Regna Cœlorum fideliter pervenire.*

nire . Nam quicumque ſe rebaptizari permittit, ipſe blaſphemat in Spiritu Sancto , dum ſe negat Chriſtianum , & per aquam & Spiritum Sanctum fuiſſe renatum : & neceſſe eſt , ut illam , quam memoravimus , divinam ſententiam comminantis excipiat : Quique blaſphemaverit in Spiritu Sancto , non ei remittetur neque in hoc Sæculo , neque in futuro . Explicit . Plura minime deſcripſi ; quamvis enim convenire plane temporibus Sancti Leonis Magni argumentum videam , quum palam tunc impeteretur ab Hæreticis divinitas Filii Dei , & Donatiſtæ nondum penitus ſublati Baptiſma iterandum crederent : attamen florentiſſimum Leonis ſtilum heic minime ſentio, ita ut titulo Codicis illius non acquieverim , & iſta potius referenda opiner ad alium aliquem e Patribus , qui Sæculo Chriſtianæ Æræ Quincto , aut ſaltem poſt Concilium I. Conſtantinopolitanum OEcumenicum floruerit. Quis verò ille fuerit, ultra inquirendum non duco . Poſſent & alia id genus exempla bene multa referri . Sed in ſemitam revocari tamdem me ſentio .

Etſi multa ſint Italicorum veterum merita in excolenda Græcorum Lingua, majora tamen fuere poſteriorum . Exploratum quippe eſt apud omnes , Sæculo Chriſti XV. ex Græcorum doctorum commercio ita profeciſſe Italicam gentem , ut per univerſum hoc Regnum Literæ Græcæ ſummo conatu , mirabilique ſucceſſu excultæ tunc fuerint : quo exemplo reliqua Europæ Regna permota , ſenſim ad hujuſmodi ſtudium ſe contulere, & conſtantius deinde retinuere . Ceteris etiam præivit Italia in conficiendis Lexicis Græcis , aut Græco-latinis : nam ante alios in hoc Opus inſudarunt Johannes Craſtonus Placentinus , Guarinus Phavorinus Camers , & alii . Neque minus de Arabicis Literis olim bene merita ſunt Italicorum ingenia. Ex quo Arabum , ſive Agarenorum , aut Saracenorum gens , Sæculo præſertim Æræ noſtræ Septimo ſeſe in Aſiam & Africam ingenti armorum felicitate effudit , potioreſque deinde Hiſpaniarum regiones Sæculo Octavo , tum Siciliam ipſam , & quædam Regni Neapolitani Oppida ac Urbes Sæculo Nono , ſuo imperio adjecit : non gloriæ minus quàm potentiæ avida , in ſtudium quoque Literarum incumbere cœpit . Itaque a Græcis , quorum innumerabilem copiam, aut finitimam, aut in regionibus occupatis ſubjectam ſibi habebat , multos Libros accepit , eoſque in Arabicam Linguam convertit ; atque adeo diſciplinas varias Sæculares ſuas fecit , videlicet Medicinam, Dialecticam, Metaphyſicam, Geometriam, Arithmeticam, quam Algebram appellabant &c. ut & inter Chriſtianos non vulgarem famam eruditionis ſibi conciliarint , & ad eorum Libros legendos , & in Latinum etiam ſermonem transferendos multi deinde Europæi convolarint . Sunt qui affirmant , Carolo ipſo Magno imperante, immo & ejus juſſu, complurium Arabicorum Librorum verſiones a Chriſtianis fuiſſe factas , eâque ratione & Ariſtotelis , & Hippocratis & Galeni, aliorumque Medicorum , inſuper & Mathematicorum , atque Aſtronomorum Libros ex Arabico converſos , verſari cœpiſſe inter manus Literatorum Chriſtum colentium . Quàm certis tabulis id ii affirment , infra ediſſeram . Interim ajo , quidquid Dialecticæ ante Annum Chriſti Milleſimum in Scholis noſtris fuit, ex Apulejo, Martiano Capella , Severino Boëthio , aliiſque Latinis deſumtum fuiſſe . Medicis etiam , quo-

A rum numquam fuit inopia , non defuere Latini Libri . Caſſiodorius enim circiter Annum Chriſti DLX. in Libro de Inſtitut. Divinar. Literar. ad ſuos Monachos Latinos ſcribit : *Legite Hippocratem , atque Galenum Latinâ Linguâ converſos , ideſt Therapeutica Galeni ad Philoſophum Glauconem deſtinata , & Anonymum quemdam , qui ex diverſis Auctoribus probatur eſſe collectus . Deinde Aurelii Cœlii de Medicina , & Hippocratis de herbis & curis , diverſoſque alios medendi Arte compoſitos , quos vobis in Bibliothecæ noſtræ finibus reconditos , Deo auxiliante , dereliqui .* Inter hoſce ne Cornelium quidem Celſum , Hippocratem ſcilicet Latinum, deſideratum fuiſſe , credere par

B eſt , ut alios præteream antiquos Medicos Latinos ab Aldo Manutio , & Henrico Stephano editos . Optandum quoque eſſet , ut hiſce adjungerentur, Latio tamen prius donati, Scriptores nonnulli Græci , de *Chirurgia* tractantes . Viſus quippe olim mihi fuit in Medicea Bibliotheca MStus Codex , complectens Chirurgiam *Hippocratis , Galeni , Oribaſii , Heliodori , Aſclepiadis, Archigenis , Dioclis , Amyntæ , Apollonii , Nymphiodori , Ruffi Epheſii , Sorani , Æginetæ , Palladii .* Non ſemel etiam ſolicitavi erudiriſſimum & Græcæ Linguæ peritum Virum Antonium Cocchium Florentinum, publicum Medicinæ Profeſſorem, ut ſpartam hanc adornaret in omnium commodum ,

C propriumque decus . An ille ſpem hac de re mihi factam impleturus ſit , tempus prodet . Latent etiam in Bibliothecis nonnulli ex Medicis Latinis Sæculorum Barbaricorum; alii quoque typis editi pugnant cum blattis , quos tamen contemnere minime decet . Unum commemorabo Guilielmum Placentinum , qui Anno Ch. 1275. Veronæ complevit Medico-Chirurgicum Opus , cui titulus *Summa conſervationis & curationis , quæ Gulielmina dicitur .* Eſt mihi impreſſus Liber Venetiis Anno Ch. 1502. Inter cetera , quæ ibi non perfunctoriè legenda ſunt , eſt Cap. XLVIII. Lib. I. Chirurgiæ cum hoc titulo *De puſtulis albis & ſciſſuris & corruptionibus , quæ fiunt in virga & circa*

D *præputium propter coitum cum Meretrice vel fœda , vel ab alia cauſſa .* En Morbi , quem Gallicum nos Itali appellamus , ſat aperta veſtigia Sæculo XIII. quamquam communis opinio originem illius referat ad finem Decimiquincti . Memini me legere in Tranſactionibus Anglicis Diſſertationem, in qua contenditur , longe antequam vulgo cenſeatur, Morbum hunc vires ſuas exercuiſſe in magna Britannia . Neque abſimilis mihi creditur is , quo laboravit Anno Ch. 1399. Nicolaus Marchio Eſtenſis Dominus Ferrariæ , Mutinæ &c. Princeps ad libidinem pronus , & tunc juvenili ætate fervens . Ut enim ſcribit ad illum Annum Jacobus de Delayto Tom. XVIII. pag. 358. Rer. Italicar.

E *Dominus Nicolaus Marchio paſſus fuit in inguine unum tuberem , ſive angum , qui fuit ita rabidæ moleſtationis , quod dubitantibus quibuſdam ex Medicis , ne foret morbus naturæ peſtilentis , de ſalute ipſius Domini accidit non modica dubitatio . Sed divinâ gratiâ redactus cum medelis ad mollificationem & ſaniem , & demum ſciſſus , nihil attulit diſpendii formidati , & idem Dominus in optimam valetudinem evaſit in brevi .* Cur vero , advenientibus Gallis Neapolim ſub finem Sæculi XV. exaſperatus adeo fuerit hic Morbus , ut ſcænas turpiſſimas, morteſque non paucis pepererit, & familiaris deinde evaſerit , rabie tamen illius in dies decre-

ſcente:

ſcente: Medicis inquirendum relinquo.

Ad Caſſiodorium redeo, qui & ipſe ſcripſit, atque ad poſteros tranſmiſit Opuſcula ſua de Dialectica, de Arithmetica, de Muſica, de Geometria, de Aſtronomia. Diſſimulare tamen nolim, Paulum I. Romanum Pontificem, circiter Annum DCCLVIII. quoſdam Libros miſiſſe ad Pippinum Francorum Regem, ut eſt in Epiſtola 25. Codicis Carolini. *Direximus*, inquit, *excellentiſſimæ præcellentiæ veſtræ & Libros, quantos reperire potuimus, ideſt Antiphonale, & Reſponſalem, inſimul Artem Dialecticam Ariſtotelis, Dionyſii Areopagitæ Libros, Geometricam, Orthographiam, Grammaticam, omnes Græco eloquio Scriptores*. Ita apud Du-Cheſnium Tom. 3. Scriptor. Francorum: quibus ex verbis intelligere poſſumus, *Ariſtotelis Dialecticam* longe maturius, quàm creditur, verſatam fuiſſe inter manus Francorum. Verùm in editione Gretſeri, ac Lambeciana (Vide Part. II. Tomi III. Rer. Italicarum) diſertis verbis legitur *Artem Grammaticam Ariſtotelis*, non verò *Dialecticam*. Neque aliter quàm *Grammaticam* præfert eximius Codex MStus Cæſareæ Bibliothecæ, unde Epiſtolæ illæ emerſere. Quare hinc nequaquam evincas, Dialecticam Ariſtotelis tunc in Latinum fuiſſe converſam, eoque minus ex Arabico. Johannes Monachus Italus, qui circiter Annum DCCCCL Vitam Oddonis Abbatis Cluniacenſis ſcripſit apud Mabillonium Sæculo Quinto Actor. Sanctor. Benedictinorum, pag 157 cum abiiſſe *Pariſius, ibique Dialecticam Sancti Auguſtini Deodato filio ſuo miſſam perlegiſſe, & Martianum in liberalibus Artibus frequenter lectitaſſe* ſub Remigio Autiſſiodorenſe Monacho. Sub nomine Dialecticæ Auguſtinianæ viri docti putant, deſignari Librum *de Decem Categoriis* olim, ſed immerito, tributum Sancto Auguſtino. En ergo qualis in uſu Dialectica foret Sæculo Chriſti X. & quis ejus argumenti Auctor *in Liberalibus Artibus* tunc traderetur diſcipulis legendus. Porro & ipſe Gerbertus, qui Anno DCCCCXCIX. ad Romanum Pontificatum aſcendit ſub Silveſtri II. nomine (ideo tunc Magus a ſtulto popello creditus, quod Mathematicas diſciplinas reliquis ignotas traderet) non aliunde quàm a Latinis antiquis Dialecticam, Geometriam, Aſtronomiam, aliaque Liberalium Artium ornamenta deſumſiſſe videtur. Scribit ille in Epiſtola 8. apud ſupra laudatum Du-Cheſnium Tom. 2. *Sperate a nobis octo Volumina Boëthii de Aſtrologia* (hoc eſt Aſtronomiâ) *præclariſſima quoque figurarum Geometriæ* &c. Petit etiam in Epiſtola 122. Libros Boëthii *Peri-hermenias*, & in Epiſtola 9. Librum Demoſthenis Philoſophi *de morbis ac remediis oculorum, qui inſcribitur Ophthalmicus*. Et in Epiſtola 130. *Manilium de Aſtrologia*. In Epiſtola quinctadecima inter additas a Du Cheſnio, *Celſum Cornelium* de Medicina agentem laudat. Neque tamen negaverim, quin iis ipſis temporibus, atque antea, quædam ex Arabum officina in Latium advecta fuerint, ſpectantia ad Medicinam, Algebram, & Aſtrologiam, ſive rectiùs Aſtronomiam, quibus Artibus potiſſimum ea gens operam dabat. Nam Gerbertus ipſe Epiſtolâ 17.

A exemplum cupit *Libelli de multiplicatione & diviſione numerorum a Joſepho Hiſpano editi*. Et Epiſtolâ 24. ad *Lupitum Barchinonenſem* ſcribens, ait: *Librum de Aſtrologia tranſlatum a te, mihi petenti dirige*. Mirum eſt, quod duo iſti Scriptores Hiſpani diligentiam effugerint Nicolai Antonii viri doctiſſimi in contexenda Bibliotheca Hiſpana vetere. Hi ad Arabum fontes bibiſſe non immerito ſunt exiſtimandi.

Ad Arabes ergo quod attinet, illud fatendum, tantummodo poſt Caroli Magni ætatem eos ad Literariam palæſtram ſe contuliſſe. Antea non addiſcendis ſive propagandis Scientiis, ſed imperii finibus amplificandis, operam dedere. Almamon præclariſſimus Caliphas Babylonis & Ægypti, qui ferme eodem tempore,
B quo Carolus Magnus vivere deſiit, hoc eſt Anno DCCCXIV. imperare cœpit, & Anno DCCCXXXIII. e rebus humanis ſublatus eſt, primus inter Arabes Literarum amorem invexit. Elmacinus in Hiſtor. Saracen. Lib. XI. Cap. 8. eum Aſtronomiæ peritiſſimum tradit, eique Abulpharagus in Hiſtor. Orient. laudem Literaturæ excultæ tribuit. Multa de eo habet Herbelotius in Bibliotheca Orientali Gallice ſcripta, pag. 545. qui & animadvertit, apud Arabes ad ea uſque tempora Scientiarum imperitos, male eum audiſſe, quod *Philoſophiam aliaſque Scientias ſpeculativas in eorum ſinum intuliſſet; atque exinde cœpiſſe eos in Aſtrono-*
C *micis ſtudiis diligentem operam collocare*. Confirmantur hæc a Cedreno, qui num. 272. pag. 548. auctor eſt, *Manumum Iſmaëlitarum Principem* (ita is Almamonem appellat) *tum aliis diſciplinis Græcis, tum præcipue Geometriæ deditum*, incredibili anxietate curaſſe, ut ad ſe adduceret Leonem Philoſophum Græcum, in Geometricis præſertim doctiſſimum. Tunc ergo Arabes delectari cœperunt Græcorum diſciplinis, earumque culturam propagare non in Syriam tantùm & Africam, ſed & in Hiſpaniam: quod tamen non illico factum, ſed ſenſim, ita ut nihil ab iis haurire Sæculo Nono, parum autem Sæculo Decimo, Chriſtianis licuerit. Verùm ſubſequente Sæculo Undecimo, Ara-
D bum Libri & frequentiores & majori in honore apud Latinos eſſe cœperunt, iique præcipue, in quibus Aſtronomia & Medicina pertractabatur. Quod Hermannus Contractus Monachus Augienſis, qui circiter Annum ML. floruit, *trium Linguarum Græcæ, Latinæ & Arabicæ peritiſſimus* fuerit, immo & *nonnulla Græcorum Philoſophorum & Arabum Aſtrologorum volumina in Latinum* tranſtulerit, Johannes quidem Trithemius ſcribit, ſed an certo Auctore, alii videant. Ego liberaliſſime id ab eo ſcriptum ſuſpicor. Atque in ea me ſententia confirmare videtur Elogium ejuſdem Hermanni ab illius æquali & familiari contextum, quod quia luce adhuc caruit, evulgandum heic
E cenſui. Legitur illud in Additamentis ad Codicem MStum Hiſtoriarum Othonis Friſingenſis in Cæſarea Vindobonenſi Bibliotheca adſervatum: cujus exemplum ad me miſit præclariſſimus & illuſtriſſimus Vir Pius Nicolaus Garellius, Auguſtiſſimo Cæſari CAROLO VI. a Conſiliis, & eidem Bibliothecæ Præfectus, nuper è vivis ereptus.

Elo-

Elogium Hermanni Contracti ab ejus familiari conſcriptum, Anno 1054.

A *Hucuſque Cronica Reginonis Abbatis , & ſecuntur Cronice Hermanni Contracti, cujus vitam & ſtudium preſenti opere incidenter placuit admiſcere .* Hermannus , *qui & Heros magnus religioni , Comitis* Wolferadi *filius, ab ineunte ætate in exteriori homine paſſione paralitica omnibus membris diſſolutorie contractus , in interiori autem ingenii vena pre cunctis ſui Sæculi viris miſerabiliter* (lege *mirabiliter*) *dilatatus, Artium omnium perplexitates , Metrorumque ſubtilitates per ſemetipſum ſuo ſenſu fere comprehendit . Totus ſemper a primis hujus ſtudio & ociis vacanter traditus, & vitam plenariâ divinarum & ſecularium Literarum peritiâ magnus effectus eſt , ut ab omnibus ad magiſterium & doctrinam ejus undique* B *confluentibus, ſtupori & admirationi haberetur. Eâ verò per omnes artium* (lege *artuum*) *compages immanitate diſſolutus erat , ne ſe loco , in quo ponebatur , abſque juvante quolibet per ſe movere , neve ſaltem ſe in aliud latus vertere poſſet; ſed in ſella quadam geſtatoria a miniſtro ſuo depoſitus vix curvatim ad agendum quidlibet ſedere poterat . In qua utilis ille & mirabilis ſancte operacionis alumpnus , quamvis ore , lingua , labiiſque diſſolutis , fractos & vix intelligibiles verborum ſonos quomodocumque tractim formavit , cum auditoribus ſuis eloquens & ſedulus doctmatiſſet * tota alacritate feſtivus, & in diſputando perniciſſimus , & ad inquiſita illorum reſpondendo morigerus minime defuit .* C *Sive aliquit novi vix digitis itidem diſſolutis ſcriptitabat , ſive ſibi vel aliis lectitabat , vel aliquibus utilitatis , aut juſte neceſſitatis ſeſe exerciciis intentiſſimus ſemper occupavit . Homo revera ſihe querela , nichil humani a ſe alienum putavit . Enimvero humillime caritatis, & caritative humilitatis executor induſtrius , mire cultor ſapientie , apparitor obedientie preſentiſſimus , caſtitatis amator , virginee incorruptionis conſervator , miſericordiæ cultor hylariſſimus integerrime Fidei Orator vere Catholicus , veritatis aſſertor & defenſor invictiſſimus , probatiſſimus Religionis Chriſtiane pedagogus , non parve vir modeſtie , ſobrietatis & continentie ,* D *ut pote qui ab infantia numquam carnes manducarit . Pſalmodie , oracioni , & divinis laudibus officialiter ſatis devotus , & ante & poſt Clericatum ſuſceptum , quem Bernardo Abbate Augienſi viro ſancto & ſapiente adhortante circa annum trigeſimum octavum ſubierat , & tocius ſancte & honeſte vite extitit adminiſtrator ortodoxus : mire benivolentie , affabilitatis , jocunditatis , & humanitatis omnivarie ſeſe morigerum & aptum exhibens : utpote omnibus omnia factus , ab omnibus amabatur . Iniquitatis autem , injuſtitie , & tocius pravitatis & malicie , vel quidquid contra Deum fit , adverſator & inpugnator indefeſſus ad uſque finem vite feliciter perduravit .*

E Compoti *igitur* rationem, regulas *& nonnulla argumenta , in quo prioribus cunctis non parum precellunt , ſatis luculenter compoſuit & ordinavit , & preter cetera de naturali Lune incenſione regulares experientiſſimos adinvenit , per quos evidentiſſime ſciatur , in qualibet hora diei ſive noctis a Sole incendatur . Ad inveniendam quoque Lune Eclipſim regulas experientiſſimus excogitavit .* Geometriam *quandam non parve profecto , quantum ad artem illam utilitatis , ſicut in hac nemo majorum tantâ ſcientiâ & ſubtilitate preditus fuit , ipſe quoque naturali ratione & ordine per numeros & figuras conſcripſit .* Cantus *item* hiſtoriales *plenarios , utpote quo muſicus peritior non erat , de Sancto Georgio , de Sanctis Gordiano & Epimacho , de Sancta Afra Martyre , de Sancto Magno Confeſſore , de Sancto* Wolfango *Epiſcopo mirâ elegantiâ & ſuavitate euphonicos preter alia hujuſmodi perplura neumatizavit. Et compoſuit* Libellum Cronicorum *ab Incarnatione Domini uſque ad Annum ſuum , videlicet Milleſimum Quinquageſimum Tercium , undecunque laborioſâ diligenciâ collegit .* Geſta *quoque* Conradi, & Heinrici Imperatorum *pulcherrime deſcripſit .* Libellum *ad hec* de Octo Viciis principalibus *jocundulum , metricâ diverſitate liricum poëtice ſatis elaboravit . In horologicis, & muſicis inſtrumentis , & mechanicis nulli par erat componendis . In his igitur , & in hujuſmodi perpluribus , que memorari non brevis eſt temporis , quantùm ad imbecillitatem ſuam , totus ſemper continuus ſtuduerat . Tandem verò cum de ergaſtulo Mundi hujus faſtidioſo ſanctam ejus animam Dei pietas dignaretur liberare , pleureticâ arreptus paſſione , decem contabeſcens dies , inceſſabiliter fere & immaniter laboravit de tali hac invaſione . Tum quadam die ſummo mane cum matutina Sinaxis celebraretur ,* Ego , quem quidem familiarem pre ceteris habebat , ad lectum egrotantis acceſſiſſem , ut an ſe aliquantulum melius habuerit , ab eo inquiſiſſem , *reſpondit* : Noli , inquam , de hoc noli interrogare , quin pocius hoc , quod tibi , in quo non parum confido , enarrem , diligenter attende . Moriar procul dubio in brevi , & non vivam , nec reconvaleſcam : ideoque tibi , meiſque omnibus unice nimis commendo peccatricem animam meam . Per totam quippe noctem hanc in extaſi quadam raptus fueram , & videbar mihi eâ memoriâ , & ſciam qua orationem ſolemus dominicam , Hortenſium Tullii Ciceronis lectitando , & mox relectitando vigilanter percurſitare , & id genus multa . Cujus nimirum inſtinctu & hortatu lectionis tanto magis mihi totus hic preſens Mundus cum ſuis omnibus , & ipſa hec vita mortalis contemptui & tedio eſt . Et e contrario tam ineffabili deſiderio & dilectioni futurus ille non tranſitorius Mundus, & eterna illa & immortalis Vita , ut quaſi nihil & inane cuncta tranſitoria hec omnino reputentur , & flocci pendantur a me . Tedet quidem me vivere . *Ego viſionis autem hujus & ſermonis non parum ſtupefactus, oraculo , & ut pro tanti amici , tanti vel taliſque Magiſtri abſceſſu oportuerat , totus fluens in lacrimis & commotus ejulatu ne me ſatis indecenter vix continui . Mox ille me , quaſi zelando , corripuit quàm ſubito in me obliquans tremebundum intuitum .* Noli , anime mi , noli ſuper me plorare , quin pocius mihi tripudiando congratulare . Accipe , queſo , tabulas meas , & quecunque adhuc ſcribenda reſtant in eis , in primis tu diligenter emenda . Deinde ſcripta eis , qui dignentur , commenda . Ipſe autem

tete

tete quotidie cogitans moriturum , prepara te ſemper toto niſu & meditatu in idipſum quia neſcis qualibet die vel horâ me tuum amiciſſimum proſequeris . *Et in hec verba ceſſavit . Dehinc in dies , ut fit , languore ſemper invaleſcente , eheu ! , ad extremum perductus eſt , & totus jam jamque ad celeſtia ſuſpenſus , poſt confeſſionem peccatorum ex toto corde puriſſimam , & communicatam devotiſſime Chriſti Euchariſtiam , pluribus , qui ad eum viſitandum confluebant , Fratribus , amicis & familiaribus in unum pſallentibus , orantibus & conflentibus , felici , quod ſolum ſemper præ omnibus exoptavit , conſumacione felix ille & incomparabilis homo Dei , Octavo Kalendas Octobris omnino feliciter expiravit , & ſuis omnibus planctum relinquens non modicum in predio ſuo apud Alleshuſen officiosè lamentabilibus exſequiis tumulatus in pace requievit . Sed hec hactenus . Ad Hiſtoriam revertamur .*

Sed ſive Hermannus Arabicam Linguam noſſet , ſive Arabicis Libris in Latinum antea converſis uteretur , is certe in Libris de menſura Aſtrolabii , & de utilitatibus Aſtrolabii a P. Pezio editis Part. 2. Tomi 3. Theſaur. Anecdotor. quidquid de Aſtronomia habet , ex Arabum lucubrationibus totum ſe fuiſſe mutuatum , prodit . Sed præcipue inter Italos eodem Sæculo decurrente , Arabum diſciplinas invexit & propagavit *Conſtantinus* natione Charthaginienſis , qui Fidem Chrſti , & Monaſticam vitam in Caſinenſi Cœnobio amplexus , illic rariſſimæ literaturæ elogio circiter Annum MLXXV. claruit . Is enim , teſtante Petro Diacono Libro 3. Cap 35. Chronic Caſinenſ. & Lib. de Vir. Illuſtrib. Caſinenſ. *Grammaticam , Dialecticam , Phyſicam , Geometriam , Arithmeticam , Mathematicam , Aſtronomiam* &c. *Phyſicamque Chaldæorum , Arabum , Perſarum , Saracenorum pleniſſime edoctus , tranſtulit de diverſis gentium Linguis Libros quamplurimos.* Enumerat inter alios Petrus Diaconus *Pantegnum , in quo expoſuit , quid Medicum ſcire oporteat , Practicam Medicinæ , Diætam ciborum , Librum febrium , quem de Arabica Lingua tranſtulit , Librum de Urina , Antidotarium , Chirurgiam*, aliosque complures , quos, brevitati conſulens , prætereo , ita ut alter *Hippocrates* ætate ſua fuerit appellatus. Multos ille diſcipulos reliquit , e quibus complures ad illuſtrandam Medicinam Salernum perquam veri ſimile eſt ſe contuliſſe . Nam eodem ipſo Sæculo XI. in illa potiſſimum Urbe Ars iſta floruit , & viris pro conditione temporum illorum magni faciendis abundavit . Cujus rei luculentus adhuc teſtis ſupereſt Liber inſcriptus *Scola Salernitana* , fortaſſis olim auctior , quàm nunc in editis conſpiciatur . Illum plerique conſcriptum a Salernitanis Medicis tradunt circiter Annum MXCIX. & dicatum Roberto Principi filio Guillielmi I. Angliæ Regis, poſt Hieroſolimam captam ſuos lares repetenti . Johannes de Mediolano Medicinam Salerni eo tempore faciens , Auctor ejus Libri a nonnullis traditur . Verùm quum plane is Liber ad *Angliæ Regem* miſſus in fronte dicatur, eorum conjecturæ accedendum potius videtur , qui Eduardo Angliæ Regi ante Annum Chriſti MLXVI. opus hoc a Salernitanis deſtinatum opinantur . A vero minime abhorret , Regem illum exquiſiiſſe conſilia a Medicis iis *de conſervanda valetudine* ; celebris enim erat fama Scholæ illius longe antea inſtitutæ , ita ut vel ab exteris regionibus eo confluerent, aut

A eruditionis acquirendæ , aut valetudinis recuperandæ cauſsâ præſtantes nobilitate viri . Hugo Flaviniacenſis in Chronic. Verdun. Part. primâ , in fine hæc ſcribit : *Huic* , ſcilicet Verdunenſi Epiſcopo , *ſucceſſit Adalbero filius Comitis Godefridi , Avus Ducis Godefridi , qui accepta uxore Bonifacii* (Marchionis & Ducis Tuſciæ, ideſt Beatrice) *poſtea factus eſt Marchio . Is* (Adalbero) *Salernum eodem Anno benedictionis ſuæ , curationis gratia profectus , reverſus in Italia obiit . Vixit in Epiſcopatu tribus annis ; & ſucceſſit Heimo Anno DCCCCLXXXVIII.* Ergo ante huc Annum Medicos Salernitanos ſingularis fama ſcientiæ commendabat ; ac proinde , ad gloriam Medicinæ ſibi B comparandam minime exſpectavit Italia , ut principes Arabum Scriptorum prodirent , e quorum ſcriptis proficeret . Nam uti norunt Eruditi , Avicennas Anno MXXXVI. finem vivendi fecit, annos natus quinquaginta ſeptem, & Averroës Anno MCXCVIII. adhuc in vivis erat . Ordericum etiam Vitalem audi Lib. 3. Eccleſiaſtic. Hiſtor. ad Annum MLIX. ita loquentem : *Robertus Mala-Corona ab infantia literis affatim ſtuduit , & Galliæ , Italiæque Scholas , ſecretarum indaginem rerum , inſigniter attigit . Nam ut in Grammatica & Dialectica , in Aſtronomia quoque nobiliter eruditus eſt , & Muſica . Phyſicæ quoque ſcientiam tam copioſe habuit , ut in Urbe Pſalernitana* (ideſt C Salernitana) *ubi Maximæ Medicorum Scholæ ab antiquo tempore habentur , neminem in Medicinali Arte , præter quamdam ſapientem matronam , ſibi parem inveniret .* En ab idoneo teſte egregium Salernitanæ Scholæ elogium , ſimulque Italiæ, in qua vides, multiplices Scholas Sæculo XI. viguiſſe , ac tanti nominis , ut ad ſe exteros quoque incitarent . Ac propterea Salernum *fontem Phyſicæ* appellavit Ægidius Corbolienſis , qui circiter Annum MCLXXX. floruit . Ejus verſiculus in Libro de Virtut. Medicam. eſt hujuſmodi :

Fons Phyſicæ , pugil eucraſiæ , cultrix Medicinæ

D Itaque Arabicæ eruditionis fama percrebreſcens , acrius quàm antea Sæculo Chriſti Duodecimo Literarum amatores Chriſtianos excitavit , ad conquirendos , ac in Latinum ſermonem transferendos eorum Libros . Quo in ſtudio liceat mihi præ ceteris commendare *Gerardum Cremonenſem* , Medicum & Aſtronomum ea tempeſtate percelebrem , & adhuc multæ apud Eruditos exiſtimationis, cui quamplurima debemus tum Aſtronomiæ tum Medicinæ Opera ex Arabico in Latinum converſa . Illum quantis potuit viribus eripere Italiæ conatus eſt Nicolaus Antonius, Bibliothecæ Hiſpanæ veteris Auctor , vir ſane erudititiſſimus , & veritatis alioquin amantiſſimus , Part. 2. pag. 263. E ejuſdem Bibliothecæ . Ad ejuſmodi opinionem nobis propinandam hiſce argumentis ille eſt uſus. Conſtare , Gerardum Toleti vacaſſe verſionibus ſuis . Haberi *Carmonam* Bæticæ Provinciæ in Hiſpania Urbem, atque huic tribuendum Gerardum ; nempe Scriptoribus Cremona Italica Urbs nota, Hiſpanica verò ignota, æquivocationi & errori locum dederit . Et revera *Gerardum Carmonenſem* appellari in editione Operum Avicennæ , Baſileæ procuratâ Anno MDLVI. Alios quoque recentes Scriptores reperiri, qui *Gerardum de Carmona* nominarunt . Sed baſilice fallitur Nicolaus Antonius, & quicumque ante eum ſibi effinxere Gerardum noſtrum

ſtrum Hiſpanum, eâ dumtaxat ratione ducti, quod is Toleti fuerit verſatus. Poſſem & ego opponere editiones alias antiquiores, & longe plures Auctores, Gerardo *Cremonam* patriam tribuentes. At minime tempus teram inutili hac eruditione. Is ideo de *Carmona* a nonnullis appellatus eſt, quod *Cremona* rudibus Sæculis vulgo diceretur *Carmona* & *Chermona*, uti in MStis Codicibus non ſemel vidi, & Johannes Villanius in ſua Hiſtoria prodidit. Ad antiquos Codices MStos Antonium Nicolaum appello. Ex his multos ego inſpexi, præſertim in Ambroſiana Bibliotheca, ubi is perpetuo nuncupatur *Magiſter Gerardus Cremonenſis*. Sed quod controverſiam e veſtigio dirimit, ante quadringentos annos Franciſcus Pippinus, Ordinis Prædicatorum, cujus Chronicon e Bibliotheca Eſtenſi eductum publici juris feci Tomo IX. Rer. Italicar. quid de Gerardo ſentiendum nobis ſit, diſertiſſime expoſuit. Florebat ille circiter Annum MCCCXV. uti etiam oſtendi in Præfatione ad Bernardum Theſaurarium, Tomo VII. ejuſdem Collectionis. Illius autem verba non tam ad proſternendam opinionem Nicolai Antonii idonea ſunt, quàm ad emendanda ea, quæ doctiſſimus & amiciſſimus vir Franciſcus Ariſius Tomo primo Cremonæ Literatæ de Gerardo noſtro literis mandavit, quum is ſibi perſuaſerit, Gerardum floruiſſe *Sæculo Quintodecimo*, qui reapſe vixit Sæculo Æræ noſtræ Duodecimo. Accipe rurſus verba Pippini ex ejus Chronici Lib. primo, Cap. *16.* a me evulgata pag. *600.* Tomi IX. Rer. Italicarum.

De Magiſtro Gerardo Cremonenſi, & ſcriptis ejus.

GErardus Lombardus, natione Cremonenſis, magnus Linguæ translator Arabicæ, *imperante Friderico, Anno ſcilicet Domini MCLXXXVII. qui fuit Imperii ejuſdem Friderici XXXIV. vitâ defungitur, ſeptuaginta tres annos natus habens. Hic tam in Dialectica, quàm Geometria, & tam in Philoſophia, quàm Phyſica, & nonnullis aliis Scientiis multa tranſtulit. Qui licèt famæ gloriam ſpreverit, favorabiles laudes, & novas Sæculi pompas fugerit, nomenque ſuum nubes & inania captando noluerit dilatari, fructus tamen operum ejus per Sæcula redolens, probitatem ipſius enunciat atque declarat. Is etiam quum bonis floreret temporalibus, bonorum tamen affluentia vel abſentia ejus animum nec extulit, nec depreſſit: ſed viriliter duplicem occurſum fortunæ patiens, ſemper in eodem ſtatu conſtantiæ permanebat. Carnis deſideriis inimicando, ſolis ſpiritualibus adhærebat. Cunctis etiam præſentibus atque futuris prodeſſe laborabat, non immemor illius Ptholomæi*: Quum fini appropinquas, bonum cum augmento operare. *Et quum ab ipſis infantiæ cunabulis in gremiis Philoſophiæ educatus eſſet, & ad cujuslibet Artis notitiam ſecundùm Latinorum ſtudium perveniſſet, amore tamen Almageſti, quem apud Latinos minime reperiit, Toletum perrexit, ubi Libros cujuslibet facultatis in Arabico cernens, & Latinorum penuriæ de ipſis, quam noverat, miſerans, amore transferendi, Linguam edidicit Arabicam: & ſic de utroque, de ſcientia videlicet & idiomate confiſus, de quamplurium facultatum Libris quoſcumque voluit elegantiores Latinitati, tamquam dilectæ heredi planius atque intelligibilius, quo ei pollere fuit, uſque ad finem vitæ tranſmitte-*

A *re non ceſſavit. Inter cetera, quæ tranſtulit, habentur* in Arte tam Phyſicæ, quàm aliarum facultatum, Libri Septuaginta ſex, *inter quos Avicennæ & Almageſti, Ptholomæi translatio ſolemnis habetur. Sepultus eſt Cremonæ in Monaſterio Sanctæ Luciæ, ubi ſuorum Librorum Bibliothecam reliquit, ejus præclari ingenii ſpecimen ſempiternum.*

In Ambroſiana quoque Bibliotheca vidi Collectanea ſcripta a *Thadæo de Parma ſuper Theoricam Planetarum Girardi Cremonenſis*. En ergo quæ & quot præſtiterint Sæculo XII. Italicorum ingenia. Sed majora etiam ſubſequente Sæculo XIII. ad Literarum incrementum moliti ſunt Itali, & curâ præcipue Friderici II. Auguſti Siciliæ Regis. Quippe ipſo præcipiente, Ariſtotelis Opera partim e Græco, partim ex Arabico ſermone in Latinum translata fuere per *Viros lectos, & in utriuſque Linguæ prolatione peritos*, uti fidem facit Petrus de Vineis Lib. 3. Epiſtol. *67.* Obiter heic liceat mihi animadvertere, a ſua eruditione ac diligentiâ defeciſſe Laurentium Pignorium, qui in Notis ad Albertini Muſſati Hiſtoriam Auguſtam, Tomo X. pag. 405. Rer. Italicarum, tradit, *Petrum de Vineis origine Patavinum* fuiſſe. Mirari ſubit, cur ejuſmodi originem neutiquam noviſſe videatur Rolandinus Pignorii conterraneus, cujus Opera Hiſtorica Tomo VIII. Rer. Italicarum, a me rurſus edita fuere. Floruit ille iis ipſis temporibus, quibus Petrus de Vineis. Audi ipſum Lib. 4. Cap. 9. Chronici ſui deſcribentem acta a Friderico II. Auguſto Patavii Anno MCCXXXIX. *Petro de Vinea Apulo ejus Judice, pro ipſo Domino ſapienter locuto, inter Dominum Imperatorem & Paduanum Populum fœderavit quodammodo multam benevolentiam & amorem.* Neque Petrus de Vineis, ut nonnulli tradidere, apud Germanos, ſed Capuæ primam lucem vidit. Quoto autem Anno Fridericus II. verſionem hanc Operum Ariſtotelis faciendam curarit, nempe num Anno MCCXX. an prius, aut ſerius, exploratum minime habeo. Illud quidem ſtatuendum eſt, circiter ea tempora in Occidentem perductos illius Philoſophi Libros, ingenti animorum commotione Pariſiis fuiſſe exceptos, immo etiam proſcriptos, quod inde venenum hauſiſſe crederetur Almaricus Hæreticus. Rigordus de geſtis Philippi Regis Francorum apud Du-Cheſnium, Tomo V. Scriptor. Francicor. hæc tradit ad Annum MCCIX. *In diebus illis legebantur Pariſius Libelli quidam, ab Ariſtotele, ut dicebatur, compoſiti, qui docebant Metaphyſicam, delati De Novo a Conſtantinopoli, & a Græco in Latinum translati.* Uti vides, Libri illi *de novo*, hoc eſt nuper, de Græcia Pariſios delati, in Latinum ſermonem fuerant converſi. Non ergo ex Arabum penu Ariſtoteles in Chriſtianorum Occidentalium Scholas primùm invectus eſt, ſed e Græcia. Fridericus verò II. quidquid ad eum Philoſophum pertinebat, cum ex Græcis, tum ex Arabicis Codicibus, coacervavit, & Latinis commune fecit. Neque reticebo, adſervari in Ambroſiana Bibliotheca MStum Codicem Ariſtoteli tributum, cujus exordium profero. *Domino ſuo excellentiſſimo, & in cultu veræ Religionis ſtrenuiſſimo, Domino Guidoni verè de Valentia, Civitatis Tripolis glorioſo Pontifici, Philippus ſuorum minimus Clericorum, ſe ipſum, & fidele devotionis obſequium. Quantum Luna* &c. Infra in hæc verba loquitur: *Quum igitur vobiſcum eſſem apud Antiochiam,*

chiam , repertâ hac pretioſiſſima Philoſophiæ margarita, placuit veſtræ dominationi, ut transferretur de Lingua Arabica in Latinam. Porro veſtro mandato cupiens humiliter obedire, & voluntati veſtræ , ſicut teneor , deſervire , hunc Librum , quo carebant Latini , eo quod apud pauciſſimos Arabes reperitur, tranſtuli cum magno labore & lucido ſermone , de Arabico in Latinum &c. *quem Librum peritiſſimus princeps Philoſophorum Ariſtoteles compoſuit ad petitionem Regis Alexandri* . Ibi primo loco occurrit Prologus cujuſdam Johannis , qui e Græco in Arabicum converterat eumdem Librum . Inter cetera ita ille ſcribit : *Deus omnipotens cuſtodiat Regnum veſtrum* &c. *Ego ſuus ſerviens exſequutus ſum mandatum mihi injunctum , & dedi operam ad inquirendum Librum Moralium in regimine , qui nominatur Secretum Secretorum , quem edidit Princeps Philoſophorum Ariſtoteles filius Nichomachi Alexandro filio Philippi Regis Græcorum* &c. In primo Libro agitur de *Virtutibus* : in altero de *Medicina* : in tertio de *Aſtronomicis* . Non inutilis mihi viſus eſt Liber ille , eumque ex Ariſtotelis Operibus excerptum fuiſſe quiſque facile intelligat. Quo tempore floruerit iſte Tripolitanus Pontifex , uti & Italus-ne fuerit , an Gallus , Philippus ille interpres, aliorum erit inquirere. Mihi monuiſſe ſat fuerit , translationem iſtam ante Annum MCCL. fuiſſe confectam .

Atque utinam plura majores noſtri ex Arabicis Bibliothecis ad nos derivaſſent . Neque enim negandum , quin multa habeat , & plura etiam olim habuerit gens illa , quæ ad Hiſtoriam veterem , & Geographiam Orientis , & Africæ , & Hiſpaniæ dignoſcendam plurimum conducerent. Latiſſime dominati ſunt Agareni, ſive Saraceni , eorumque imperium & Lingua nobis eripuit complurium Provinciarum & Regnorum Hiſtoriam , præter alia eruditionis documenta minime contemnenda : ii quippe non infelici ſucceſſu diſciplinas Sæculares diu excoluerunt. Herbelotius in Bibliotheca Orientali ingentem copiam Arabicorum Scriptorum ac Librorum laudat . Sed & *De la Croix* in Præfatione ad Vitam Tamerlani laudat *Bibliothecam Orientalem* compoſitam ab *Hadi-Calfa* , Cadì , ſeu Judice Conſtantinopolitano , Arabice ſcriptam voluminibus duobus in folio . Hanc ille ab Herbelotiana longe diverſam arbitratur . Ego quoque in Præfatione ad Hiſtoriam Saracenico Siculam, Parte II. Tomi I. Rerum Italicarum , aliquot Hiſtorias Arabice ſcriptas indicavi , in Ambroſiana Bibliotheca adſervatas . Alias nunc adjungere juvat , quas in eodem celebri loco animadverti . Nimirum illic mihi occurrit Arabicus Codex , in quo luculenta habetur *Chronologia* , ſeu *Hiſtoria Judæorum & Romanorum* . In altero habetur *Phutuhl Bahanza* , *Hiſtoria Bahanzenſis regionis* , quæ eſt pars Ægypti . In alio Codice *Mazis Malechi Opera Aſtronomica* . Item *Ibnu Abiltſalat , de operatione Aſtrolabii* . Item *Iſmahel Mardini compendium Arithmeticæ* , quam Artem ſane Arabes illuſtrarunt , & nos Sæculo

A XII. ab eis , uti omnes norunt , prætereaque cifras, ſeu notas numericas accepiſſe credimus, quibus nunc in hominum commercio utimur , quamquam eis originem diverſam alii tribuant. Item *Ibnu Jonas , de exitu a Linea Meridionali* . Habentur in alio Codice *Dialogi Theologici* , *Aſtrologici* , *Meteorologici*, *Philoſophici*, *& Militares* . Item *Soliman Arabi de ſeparatione Animæ a Corpore* rhythmo ac ſtilo Arabico . Item *Bane Hali* , *geſta militaria* eodem rhythmo ac ſtilo . Item *Moyſes Alcabi* , *Parabolæ & Allegoriæ* . Sunt & ibi quædam *Panegyricæ Orationes* Beatæ Virginis , Chriſti Domini , Sancti Georgii &c. In alio Codice legitur *Hiſtoria varia* , cui multa de rebus Naturalibus immiſcentur , Auctore *Hufus Amſiu* .
B In alio habetur *Kitabul Muahodhi* , vel *Hethebari* , *de præcipuis Orientis rebus* . In alio *Sarubl Lameha Philnahui* , *de Eloquentia Arabum* . Moralibus quoque Libris abundant Arabes , Grammaticis , Poëticis , Philoſophicis , Medicis &c. e quibus non paucos in eadem Bibliotheca vidi . Alios etiam Bibliotheca habet Inſtituti Aſtronomici Bononienſis , dono ei datos a Clariſſimo olim viro Comite Aloyſio Ferdinando Marſilio. Præ ceteris autem illic adſervatur *Catalogus Librorum* Auctore *Afid ſupremo Iſmaëliticæ Religionis Antiſtite*, in tres Tomos diviſus, ubi recenſentur tituli omnium Librorum & Auctorum Ordine Alphabetico, qui
C a primis Ægiræ annis uſque ad Sæculum proxime præteritum per totum Orientem Idiomate Arabico , Perſico , & Turcico , in lucem prodierunt . Quot opes literariæ genti illi nunc ſint , ex his facile intelligemus . Nos Arabum ſive Saracenorum nomine vix audito, gentem execramur ; immo immundam, crudelem, infidam, indoctam nobis continuo fingimus . Aliter ſenſere Majores noſtri , dum vacui affectibus eſſent . Eorum Literaturam quiſque ſuſpiciebat . Anonymus autem Italus in Breviar. Italic. Hiſtor. Cap. 3. Tomo XVI. Rer Italicarum hæc ſcripſit : *In Legalitate Sarraceni , & in Juſtitia omnes alias Mundi ſuperant Nationes* . Sed quando diebus noſtris Typogra-
D phiæ laudatiſſimam Artem Turcæ quoque amplexi ſunt, quam tantopere antea exhorrebant, & Chriſtianis eruditis in ſuas Bibliothecas acceſſum dare cœperunt , ſperandum eſt , non modicum lucis in Eruditionem deinceps eſſe emanaturum. Interea memorare juvat fragmentum Libri Geographici a me deprehenſum, cujus utinam mihi integer eſſet Liber , ut ejus adornari poſſet integra editio : illius quippe Auctor fuit *Abilfada* , ſeu *Abulfada* , a Ricciolio , Voſſio , aliiſque multâ cum laude memoratus . Opus magni faciendum , & quod a ſe ſexcentis Coronatis emtum Guilielmus Poſtellus teſtatur in Coſmographicæ diſciplinæ Compendio , edito Baſileæ Anno MDLXI.
E Male me de Lectoribus meriturum non puto , ſi ejuſdem fragmenti partem heic interſeram (neque enim editum invenire potui) unde liquebit , qualis Arabici illius Scriptoris ſcopus fuerit .

Caput primum Geographiæ a Sultano ac Rege Abulſada, circiter Annum Chriſti 1350. aut citius compoſitæ, ex Arabico in Latinum ſermonem translatæ.

DEſcriptio univerſi Orbis, *auctore* Domino Sultano *ſapiente, juſto, bono, perfecto &c. propagatore Muhamedicæ perſuaſionis, & Idololatriæ everſore*, Abilfada Iſmaële, *cujus Deus Regnum protegat, filio Regis Abulchuſſem filii Sultani, & Regis Abilfetach Muhamedis, filii Sultani Regiſque Almanſoris, protectoris Regis Abilmaali Muhamedis, filii Abilchatibi Sultani Regiſque Homari, filii Sſabiſſah, hoc eſt Regis Regum, filii Jobi, quos Deus conſervet in ſua miſericordia.*

Ad laudem Dei Optimi Maximi. Quum ego inciderim in varios Scriptores, qui de regionibus, & Orbis terrarum finibus, uti de montibus, maribus, & ceteris ejuſmodi ſcripſere, nullum revera inveni, qui mihi abſolute placuerit in hoc tractatione. Inter illos autem, in quos incidi in hac diſciplinæ forma, eſt Ben Geucalius, *qui prolixum* Opus *ſcripſit, in quo fines, dimenſioneſque ſunt incompoſitæ; præterquamquod in eo vera nominum prolatio deſideratur, nec longitudines aut latitudines regionum, locorumque attingit. Unde vehemens naſcitur obſcuritas, & in nominibus, & in proprietatibus, plagiſve. Cum hac autem obſcuritate ſeu ignoratione nullus adipiſci poteſt in illo fructus perfectus.* Liber *quidem nobilis illius* El Adarſini, *quem aliqui* Darſinium *vocant, alii* Dariſſi, *quem de Regnis & Provinciis compoſuit. Similiter* Opus Aben Chardadhbei *& una & ſeorſim accepere a Ben Geucalio ab ipſa Latinitatis penuria uſque ad diſcuſſionem nominum, & longitudines & latitudines.* Zangat *autem, & Auctores, qui de longitudine & latitudine tractarunt, longe quidem abſunt a veritate nominum, & a diſtantia Provinciarum. Opus autem conducibile in diſcutiendis nominibus, & eorum prolatione, punctorumve poſitione refertur ad* Semaanium. *Muſtaratus autem ad* Jacutium Elhemujum. Liber *præterea* Diſpunctionum, *ſeu* Mezil, *vel* Artiab, *& qui ſimili ſunt nuncupatione: pariter* Liber El Perſſal; *qui utrique referuntur ad* Abil Meged Iſmaël *filium dilecti Deo Moſſulenſis. Sunt quidem iſta inſtituta ad expreſſionem nominum ſine intentione erga latitudines & longitudines, & cum multa ignoratione diſtantiarum, eo quod ignoretur fixus locus talis regionis provinciæve, nec exprimatur, an ſit erga aliquem locum Orientalis, Occidua, Meridiana, aut Septentrionalis. Quibus omnibus appenſis ſategimus ſupplere in hoc* Compendio, *quod deeſt in Auctoribus prædictis: præterquamquod nuncupabimus limites in omnibus regionibus, & earum prominentiis. Nam ſi alioqui hæc res non quadret cum ſuis finibus, revera omnes Libri editi in hoc genere diſciplinæ parum admodum proderunt. Et quidem certe regio Sinarum cum ſua amplitudine & multitudine Civium non pervenit ad nos de fama, niſi tenui admodum rumore; nec eſt ſatis diſcuſſum, quod innotuit, ſimiliter eſt India. Quod enim ad nos pervenit de ejus fama, eſt adhuc perturbatum, nec ſatis diſcuſſum. Pariter Bulgaria, & Regio Cercaſſorum, Ruſſia, Serbia, Valachia, & ut in ſumma dicam, tota Francorum regio, quatenus exſtenditur a ſinu Conſtantinopoleos uſque mare Oceanum Occiduum, in qua provincia ſunt regiones & Regna, multa, lataque admodum. Quum enim nomina illarum partium ſint nobis ignota, ſimiliter & diſpoſitiones locorum, non eſt quod de illis poſſimus niſi tenui admodum memoriâ tractare. Simili modo & de Nigrorum, ſeu Æthiopum regionibus ad Meridianam plagam poſitis, ubi ſunt regiones genteſque variæ & multæ: ut ſunt Zangei, Nubiani, Gipſii, Tachrorii, & Zeilighi, & alii hujuſmodi. De illis enim vix tenuis ad nos pervenit memoria. Potior enim pars illorum, qui Itineraria regionum & Regnorum ſcripſere non ſategit, niſi ut exacte tractaret regiones dogmati Muſſulmanorum affines, initiataſque; nec tamen ſatis diligenter ea circumſcripſere, eo quod conſtat per verbum, quod non ſcitur totum, non prætermittitur totum; quod melius eſt cognoſcere quædam, quàm ignorare univerſa. Congeſſimus itaque in hoc Compendio, quod in aliis numeroſis habetur Voluminibus, eo modo ut opus eſt, quod Deus faxit. Innixi autem ſumus doctrinæ tractationis* Iben Gazele in Libro Tacuini, *hoc eſt* Diſpunctionis corporum, *& ad illius inſtar revocavimus Coſmographiam, tractantes Librum hunc Tacuinum regionum, ſicut ille rem Medicam tractans, inſcripſit Opus ſuum Tacuinum Corporum. Sed antequam Orbem nobis cognitum in tabulas cognoſcere aggrediar, opus eſt de Terra, & ſeptem Climatibus, variiſque maris partibus &c.*

Neque incultam Geographiam reliquere majores noſtri vel ipſis Sæculis rudibus; exploratum quippe eſt Eruditis viris, ad hanc illuſtrandam ſe olim contuliſſe *Anonymum Ravennatem*, cujus Librum Porcheronius, ac deinde Gronovius ætate noſtrâ tenebris ereptum evulgarunt. Is floruiſſe cenſetur Sæculo Chriſtianæ Æræ VII. aut VIII. & fortaſſis idem ille eſt ac *Guido Ravennas*, uti jam monui in Notis ad Ermoldum Nigellum, Part. II. Tomi II. Rer. Italicar. pag. 61. In hanc rem conſule quæ Cl. V. Don Gaſpar Berettus, ſæpius alias mihi laudatus, diſſeruit in Præliminari Diſſertatione ad Tomum X. Rerum Italicarum. Profecto Anonymus iſte ante Annum MCLXVIII. floruiſſe cenſendus eſt, quum nullam Alexandriæ Civitatis in Liguria conditæ mentionem faciat. Neque ſegnes in Aſtronomicis excolendis fuere Itali poſt Annum a Chriſto nato Milleſimum. Sub Henrico inter Auguſtos Tertio circiter Annum MLXXV. Aſtronomiam, ut ſupra innui, illuſtravit *Conſtantinus Monachus* Caſinenſis: eodemque Sæculo floruit, teſte Trithemio, & Jacobo Philippo Bergomate, *Campanus natione Lombardus, Philoſophus & Aſtronomus, omnium opinione ſuo tempore celeberrimus*, qui Librum *de compoſitione Quadrantis, & alia quoque in Aſtronomia compoſuit*. Elementa quoque *Euclidis*, aliaque Geometrica ex Arabico convertit. In Codice Ambroſianæ Bibliothecæ Tractatum vidi *de Aſtrolabio, Auctore Meſſalak*, nempe Scriptore Arabe, qui circiter Annum Chriſti DCCCLX. ſcripſiſſe traditur, in Latinum neſcio quo inter-

interprete , ſane pervetuſto , converſum . Ibi quoque legebatur *Magiſtri Roberti Aſtenſis Liber de Officio Aſtrolabii*. Item *Liber Albategnii*, ſeu *Mahometis filii Sebir* , *filii Cenini* , *de motibus Stellarum* , *& earum obſervationibus*. Et ſane multùm Arabum genti debemus , quod Aſtronomiæ ſtudia amplificarint obſervationibus propriis ; ſed & ii multa debuerunt Græcis , quorum vetuſtiores Libros ingenioſâ ſedulitate expilarunt . Ego non paucos Græcos Scriptores de Aſtronomia enumerare poſſem , quos MStos , & ex iis nonnullos adhuc luce carentes , vidi in Ambroſiana Bibliotheca , atque in Eſtenſi . Verùm juvat unum Codicem Ambroſianum memorare , in quo habetur Θέωνος Ἀλεξανδρέως εἰς τοὺς προχείρους κανόνας ἐξήγησις , ideſt *Theonis Alexandrini in manuales Canones Explicatio* . Incipit : Ἡ μὲν λογικωτέρα ἔφοδος &c. Sequitur in eodem Codice Κλαυδίου Πτολεμαίου σαφήνεια, καὶ διάταξις τῶν προχείρων κανόνων τῆς Ἀστρονομίας , καὶ ὥσπερ χρηστέον αὐτοῖς , μέθοδος ἐναργὴς , hoc eſt , *Claudii Ptolemæi explanatio & deſcriptio manualium Canonum Aſtronomiæ , & quomodo ipſis utendum ſit , methodus dilucida* . Incipit : Ἡ μὲν σύστασις , ὦ Σύρε &c. Additur ibidem Κλαυδίου τοῦ Πτολεμαίου ὑποθέσεων τῶν πλανωμένων, hoc eſt , *Claudii Ptolomæi de Hypotheſibus Planetarum* , jam editus a Johanne Brainbrigde , Londini Anno MDCXX. Exhibet deinde idem Codex *Canonem Regum* , eodem Ptolomæo Auctore , a Dodwello editum inter Diſſertationes Cyprianicas . Subſequitur *Canon illuſtrium Urbium* : tum alter *Menſium & Dierum Ægyptiacarum* : ac ſubinde alii Canones Aſtronomici : deinde adnectitur Ἰωάννου Γραμματικοῦ Ἀλεξανδρέως τοῦ Φιλοπόνου περὶ χρήσεως τοῦ Ἀστρολάβου , hoc eſt , *Johannis Granmatici Alexandrini , cognomento Philloponi , de uſu* , ſeu *utilitate Aſtrolabii* . Succedit alterum Opuſculum , cui titulus *altera Methodus Aſtrolabii* : ac deinde *Canon Imperatorum Romanorum ac Byzantinorum* , qui deſinit in Theophilum , Michaëlem cum ejus matre , Michaëlem ſolum , Baſilidem , ac Leonem . Tum adduntur *Canones Conſulares*, a Dodwello editi , ac Theoni Alexandrino tributi . Denique ibi leguntur alii *Canones Aſtronomici* . Codex diligentiſſime ſcriptus ſaltem ante annos quadringentos ; literæ minio aliiſque ornamentis diſtinctæ . Heic hominem videas , qui genu flexo, per tubum oblongum decuſſatum, & incumbentem haſtæ rectæ , Lunam & Stellas contemplatur . Similem Ptolemæi imaginem ſe vidiſſe teſtatus fuerat Clariſs. Mabillonius in vetuſto Codice , ita ut ſuſpicioni locus factus fuerit , aliquem teleſcopii uſum fuiſſe antiquis Aſtronomis . Sed & Johannes Baptiſta Porta in Libro de Magia Naturali, Anno MDXLIX. non abſimilis tubi mentionem fecit; diciturque fuiſſe Ptolemæo Euergeti teleſcopium in Pharo Alexandriæ , cujus ope naves longiſſime diſſitas proſpiciebat . Verùm Vignolius Marvillius, Henricus Vagetius , & Johannes Albertus Fabricius V. Cl. Tom. 4. pag. 466. Bibliothecæ Græcæ , ſibi , neque immeritò , perſuaſerunt , ejuſmodi veterum tubos vitro deſtitutos fuiſſe, atque in eum tantummodo finem adhibitos, ut oculi intentius , & ſine aliorum objectorum incurſu , radios cæleſtium corporum exciperent . Ita apud Ditmarum Lib. 6. Chronici , Gerbertus , qui poſtea Romanam Cathedram ſub Silveſtri II. nominè tenuit , horologium feciſſe dicitur , *conſideratâ per Fiſtulam quadam ſtellâ nautarum duce* .

Negare tamen nolim , quin adeo arcta Literatorum Chriſti fidelium cum Arabum libris familiaritas , eos quoque interdum deflexerit ad inania ſtudia , quibus delectati ſunt Saracenorum plerique . Loquor de *Aſtrologia* Judiciaria , ſive divinatione futurorum ex aſtrorum poſitione : ad cujus ſtudium , antea non ignotum , neque inſuetum , Arabes acrius incitarunt Europæorum ingenia . Artem hanc ingenti conatu olim Afri, Græci, Romani excoluere , plurimiſque Libris idem argumentum ſunt perſequuti . Spartiano teſte in Vero , genituræ ex aſtris deducendæ *plerique Aſtrorum peritiſſimi fuere* . Sed & illi habuere Græcos duces , immo potius Chaldæos atque Ægyptios : adhuc enim ſuperſunt *Apoteleſmatica Manethonis* Ægyptii , Scriptoris ſane vetuſtiſſimi jam edita . Habetur apud A. Gellium Lib 14. Cap. primo , Diſputatio Phavorini *adverſus eos , qui Chaldæi appellantur , & ex cœtu motibuſque Siderum & Stellarum , fata ſe hominum dicturos pollicentur* . Multos e Græcis Auctoribus levi hac & illuſoria Arte delectatis recenſet nuper laudatus Fabricius Lib 3. Cap. 20 utiliſſimi Operis Bibliothecæ Græcæ . Vide Legationem Liutprandi Cremonenſis Epiſcopi Tomo II Rer. Italicarum . Quantopere tunc Græci hiſce delectarentur , ibi habes . Veteres etiam Latini nobis dedere Manilium , & Julium Firmicum huic ſtudio addictiſſimos . Hadrianus Auguſtus , Spartiano teſte , *Matheſin ſic ſcire ſibi viſus eſt , ut Calendis Januariis ſcripſerit , quid ei toto anno poſſit evenire* . Plura alia exempla ſuppeditat Hiſtoria Romana . Quare vel ipſe antiquiſſimus Tertullianus in Lib. de Idololatria , in Mathematicos exardet , ac præcipue in Chriſti fideles , eorum fabulis ac ſomniis fidem habentes . Vide & Apollinarem Sidonium Lib. 8. Epiſtol. 11. qui Afros ineptæ hujus Artis ſuo etiam ævo Magiſtros deſcribit . Tempore quoque Ludovici Pii circiter Annum DCCCXXXVIII. Auctor Vitæ illius , ſub nomine *Aſtronomi* notus , ſe non alienum ab ejuſmodi ſtudiis prodit . Ita eiſdem temporibus, hoc eſt Anno DCCCXXV. Adelmus Caſtrenſis Abbas ab Aſtrologorum deliriis converſus eſt ad contemplandam Euangelii veritatem . Clariſs. Mabillonius in Annalib. Benedictin. ad eum Annum hos de eo verſus refert :

Quæ ventura forent, tentavit prodere Adelmus,
Aſtrorum vanis luſus imaginibus &c.

Itaque ubi poſt Sæculum Chriſti Decimum Occidentales Populi Arabicas literas in uſum ſuum convertere didicerunt , tunc multo plures eſſe cœperunt , quos Aſtrologiæ amor enormis invaſit . Et quidni , quum tot ac tanta polliceretur Ars iſta , præſtigiis alioqui non paucis ac nugis ad ſaturitatem referta ? Johannes Sariſberienſis Lib. 2. Cap. 19. ſatis oſtendit , quot illa amatores atque patronos haberet Sæculo Chriſti Duodecimo . Sed potiſſimùm ſubſequente Tertiodecimo in inſaniam evaſit ejuſmodi ſtudium ; nam Principes ipſi viri non ſolùm faciles præbebant aures ejuſmodi futurorum propolis , ſed eos etiam cariſſimos habuere , & nihil magni momenti aggredi audebant , quin Aſtrologorum ſententiam ante popoſciſſent . Id genus hominibus quantum fideret Fridericus II. Auguſtus , complures Hiſtorici teſtantur , ſed præſertim Sabas Malaſpina Tomo VIII. Rer. Italicarum, qui Cap. 2. Hiſtor. hæc habet :

habet : *Aſtrologos , & Nigromanticos adeo venerabatur , & Aruſpices , quod eorum divinationibus & auſpiciis Frederici velociſſima cogitatio ad ſimilitudinem venti vagabatur* . Adſervatur adhuc in Ambroſiana Bibliotheca manu exaratus *Liber particularis Michaëlis Scoti Aſtrologi Domini Frederici Romanorum Imperatoris & ſemper Auguſti , quem ſecundo loco breviter compilavit ad ejus preces* . Ibi Aſtronomica , Phyſica , & Phyſio-gnomonica pertractantur . Erat & ejuſmodi Liber ad manus doctiſſimi Du-Cangii , qui non ſemel ejus auctoritate eſt uſus . Et quamquam fallax hoc hominum genus ſæpe ſibi credulos falleret, ſtabat nihilo ſecius eorum exiſtimatio , neque minuebatur ſpes in iis collocata , propterea quod interdum (caſu potius atque calliditate , quàm verâ arte , ut opinari fas eſt) occulta aut futura detexiſſe ſeu prævidiſſe credebantur . Auctor eſt Antonius Godius in Chronico Vicentino, Fridericum eumdem Auguſtum , quum Anno MCCXXXVI. e Vicentia capta recedere vellet, ſimulque *experiri quemdam ſuum Aſtrologum*, præcepiſſe, *ut, qua egreſſurus eſſet viâ, eidem ediceret . Aſtrologus facto Brevi & clauſo , in manibus Imperatoris tradito , oravit , ut eo non aperto , qua parte vellet , Civitate exiret . Qui per quamdam fracturam muri Civitatis , quam novam fecit , Civitatem exivit , apertoque Brevi invenit ſcriptum* : PER PORTAM NOVAM EXIBIT REX. *Exinde verò Imperator Aſtrologum habuit majori honore & reverentiâ ſibi carum*: Scilicet perſpicax Aſtrologus conſideravit , Imperatorem, ut ſibi illuderet , quæſiturum inſuetam exeundi formam ex Urbe , & ſagaciſſime Portam Novam eidem prædixit . Quod ridendum , in prœliis, in obſidionibus , aliiſque arduis negotiis , contrariæ factionis homines ſidera conſulebant atque ſolicitabant ; & quiſque Aſtrologorum ſuis omina ſortemque felicem prædicebat . Hugo Falcandus Tomo VII. pag. 295. Rer. Italicarum narrans , obſeſſum in Oppido Boteria Rogerium Sclavum a Guillielmo I. Siciliæ Rege circiter Annum Chriſti MCLXI. hæc habet: *Rex quum ſciret , Tancredum fratris ſui filium Aſtrologicis rationibus dies tam obſeſſis quàm obſidentibus utiles prævidere , ipſe quoque cum Aſtrologis ſuis eoſdem dies diligentius attendebat , indicans familiaribus ſuis diem, quo deſcenſuros eos præviderat , ut adversùs repentinas eorum eruptiones exercitum præmunirent* . Ita Manfredus Siciliæ Rex, nuper memorati Friderici II. filius, Matthæo Spinello teſte in Ephemeridibus a me editis Tomo VII. Rer. Italicarum , quum Civitatis Manfredoniæ fundamenta Anno MCCLVI. ponere vellet , *miſit in Siciliam & Lombardiam , ut inde accerſeret duos Aſtrologos ; is enim incredibile eſt , quantam fidem haberet Aſtrorum poſituris . Atque hoc fecit , ut captarent felix momentum primi lapidis in fundamenta jaciendi* .

Eccelinus quoque Veronæ , Patavii, ac aliarum Urbium crudeliſſimus Tyrannus , ejuſdem Friderici æqualis (teſte Monacho Patavino ad Annum MCCLIX. Tomo VIII. Rer. Italicarum) in ſua Curia habuit plures Aſtronomos magnifice honoratos : *Magiſtrum ſcilicet Salionem Canonicum Paduanum , & Riprandinum Veronenſem , Guidonem de Bonato Aſtronomum Forlivenſem , Paulum etiam Saracenum cum barba prolixa , qui de Baldach venit , a remotis videlicet finibus Orientis : qui tam origine quàm aſpectu & actu eſſe alter Balaam ariolus meritò videbatur* . Rolandinus dum in Chronic. Lib. 12. Cap. 2. Eccelinum ab Aſtrologis ſuis deceptum fuiſſe prodit , ita *punctum electionis* ab iis captum refellit , ut apertiſſime oſtendat, ſe quoque non vulgare ſtudium poſuiſſe in Aſtrologicis. Et quamvis fateatur, ſe nequaquam iis fidere , attamen addit , *neminem eſſe redarguendum, qui pro poſſe de omni Scientia ſtudeat.* Vide etiam Annales Forolivienſes a me in Collectione Rer. Italicar. Tom. XXII. evulgatos , ubi multa *de Guidone Bonato* ſupra memorato enarrantur , quibus habeat fidem qui velit . Eruditis quoque perſpectum eſt , typis æneis Aſtrologica ipſius Guidonis Opera excuſa proſtare . Johannes Villanius eum appellat *Ricopritore di tetti , che ſi facea Strolago* . Sæculis verò ſubſequentibus non minori adhuc in uſu , ne dicam honore , fuit Judiciariæ Aſtrologiæ ſtudium, tum apud Italos, tum apud reliquos Occidentales Chriſtianos . Immo nullo umquam Sæculo deſipere homines deſierunt , artem cupientes , & pertinaciſſime ſcrutantes prænoſcendi futura , toties illuſi , & numquam confuſi . Ejuſmodi ſtudium , etſi nunc non multos habeat ſectatores , nonnullos tamen habet , plures præterea habiturum, niſi Eccleſiaſtica tela Populum a fallaciſſima hac Arte deterrerent atque averterent . Benevenutus de Imola , qui Sæculo floruit , quo furioſius in hujus Artis ſtudio Itali inſaniverunt , hæc ſcribebat circiter Annum MCCCLXXXVIII. in Commentario ad Dantis Comœdiam , cujus Excerpta ad calcem Tomi primi evulgavi . *Nota quod iſtis Divinatoribus* (inquit ille ad Cant. XX. Inferni) *poteſt recte dici illud, quod dixit Vetula Thaleti Philoſopho primo Aſtrologo. Quum enim iſte Thales perveniſſet ad montem , quem volebat aſcendere ad ſpeculationem ſiderum, & petiiſſet ab una vetula de vicinia , ut duceret ipſum , ille a caſu cecidit in foſſum. Et dolens & clamans petebat auxilium a vetula. Illa ridens dixit* : „ Ah miſer , infelix ! quo„ modo videbis vias ſiderum cæli , quum non „ videas terram , quam ſub pedibus habes ? „ *Et heic nota , quod fructus hujus lectionis eſt , quod Lector diſcat expenſis iſtorum , non inquirere vane futura , & dicere multa mendacia cum perditione animæ , & irriſione ſui . Unde bene Petrus de Ebano Paduanus , vir ſingularis excellentiæ , veniens ad mortem dixit amicis , Magiſtris , & Scholaribus , & Medicis circumſtantibus , quod dederat operam præcipuam diebus ſuis tribus Scientiis nobilibus : quarum una fecerat eum ſubtilem : & hæc erat Philoſophia ; Secunda eum divitem : ſcilicet Medicina ; Tertia verò mendacem , ſcilicet Aſtrologia . Dicam ergo una cum Averroë : Aſtrologia noſtri temporis nulla eſt . Sed ſtatim dicit Aſtrologus .* „ Averroës non ſcivit Aſtrologiam. Sed Aſtra „ non mentiuntur . „ *Cui ego reſpondebo . Des mihi illum , qui bene ſciverit , quia numquam diebus vitæ meæ aliquem vidi , quum tamen habuerim notitiam & familiaritatem multorum. Certe fateor , quod Aſtra non mentiuntur. Sed Aſtrologi bene mentiuntur de Aſtris &c. Et nota , quod Virgilius ſecure poterat arguere Dantem de iſto errore : quia multo plus ipſe deditus fuit huic vanitati Divinationis , ſicut patet maxime in Libro Georgicorum . Ideo cognoſcebat ſe ſæpe fuiſſe mentitum &c. Ita in propoſito non debes habere compaſſionem erga iſtos , qui ultra facultatem naturæ humanæ , in tanta caligine rerum poſiti, voluerunt aſcendere cælum viventes, & uſurpare ſibi divinum offi-*

officium inquirendo futura illi ſoli cognita . Et verè in uno maxime non merentur compaſſionem, quia ſunt obſtinatiſſimi hominum in propoſito ſuo , ſicut ego vidi in multis . Nam quanto plus mentiuntur , tanto plus dicunt , ſe dicere verum . Sicut ego novi unum , qui deluſus & confuſus per ſuam Aſtrologiam , immo potius Diabologiam , dum increparetur familiariter ab amico , adhuc pertinaciſſime contradicebat, commendans continuo dulcedinem hujus Artis. Sed neque deſiderati ſunt olim alii , qui Aſtrologorum Artem , ac inanem futurorum prædictionem flocci facerent . Inter ceteros Caſtruccius Lucenſium Dux , vir grandis animi atque ingenii , teſte Nicolao Tegrino in ejus Vita , Tomo XI. Rer. Italicarum , *Mathematicos , & qui futura prænuntiant , genus hominum potentibus infidum , & ſperantibus fallax , ſemper ſprevit : exiſtimans , quæ fato manent, quamvis ſignificata , non vitari , quum nulla vis humana nec virtus meruiſſe umquam potuerit , ut quod præſcripſit fatalis ordo, non fiat. Prodigia nuntiata, monſtruoſos partus, & iis ſimilia irridebat , ſuperſtitiones aniles appellans. Dierum obſervationes* (ideſt Ægyptiacorum) *ad hoſtium infelicitatem , aut ad ſuam , quum ſit incertum , an referantur, & alteri felicitatem evenire neceſſe ſit, contemnebat* . Sapientior ſane Caſtruccius fuit , quamvis illiteratus , quàm multi eorum temporum literis etiam ac diſciplinis exculti : quum exploratum ſit, tunc non paucos e Religioſis viris futilibus hiſce ſtudiis operam dediſſe , ſimulque fidem adjunxiſſe . Vide Johannem Villanium præ ceteris, qui Lib. 6. Cap. 81. Hiſtoriar. atque aliis in locis , tradit , laboraſſe ejuſmodi morbo interdum primores in Clero , & nonnulla ab eis multo ante tempore prænuntiata .

Præter *Aſtrologorum* ſomnia , invaluerunt etiam poſt Sæculum a Chriſto nato Undecimum , aut ſerius , commenta *Prophetiarum* , quibus non tantùm rude vulgus , ſed & qui literis operam dabant , fidem mirâ facilitate adhibebant . Tunc enim quæcumque mirabiliora videbantur , eo ardentius excipiebantur, atque a Literatis viris gemmarum ad inſtar in Libros a ſe compoſitos inſerebantur . Ergo natæ temporibus iis Prophetiæ *Merlini* , de cujus nativitate ac vitâ admirandæ , ſed ineptiſſimæ fabulæ traditæ ſunt, neque in dubium a quoquam tunc revocatæ . Emerſerunt etiam Prophetiæ de futuris *Romanis Pontificibus*, per typos quoſdam & imagines configuratæ , quas etiam Bibliotheca Eſtenſis manu exaratas, ſuiſque coloribus diſtincte depictas adſervat. Eas ego protuliſſem , niſi antea publici juris factas noviſſem . Huc ſpectant & illæ, quæ circumferebantur falſo attributæ *Joachimo Abbati*, uti & ſimiles confictæ ſub nomine *Sancti Malachiæ* Archiepiſcopi in Hibernia ; itemque aliæ , fata ventura Urbium ac Populorum , ſi ſuperis placet , prædicentes . Ineptiis hiſce paſcebatur tunc hominum curioſitas ; atque in hanc rem omittenda non ſunt , quæ habet Auctor ſynchronus Memorialis Poteſtatum Regienſium , Tomo VIII. Rer. Italicarum. Hæc ſunt ejus verba ad Annum MCCLXXXII. *His diebus erat in Civitate Parmenſi quidam pauper homo operans de opere cerdonico ; faciebat enim ſubtellares . Erat illiteratus , ſed illuminatum valde intellectum habebat in tantùm , ut intelligeret ſcripturas illorum , qui de futuris prædixerunt , ſcilicet Abbatis Joachim , Merlini , Methodii , & Sibillæ , Iſaïæ , Jeremiæ , Oſeæ , Danielis , & Apocalypſis , nec non & Michaëlis Scoti . Et multa audita fuerunt ab eo , quæ poſtea evenerunt , videlicet , quod Papa Nicolaus in menſe Auguſti mori debebat , & quod Papa Martinus erat futurus , & multa alia , quæ exſpectamus videre , ſi fuerit vita comes* . Auctor eſt verò Conradus Halberſtadenſis in Chronico , circiter Annum MCCL. erupiſſe *Joachimi Abbatis* nuper memorati Prophetias, eaſque a Cardinali Portuenſi in Germaniam miſſas. Proſtant complures editiones , complures etiam interpretationes adulterinæ hujus mercis . Prophetias autem Sancto Malachiæ affictas primus in lucem eduxit Arnoldus Wion Benedictinus Belga in Libro , cui titulus *Lignum Vitæ* : eaſque etiam interpretatus fuiſſe dicitur Alphonſus Ciaconius ; earumque editiones Thomas Meſſinghamus , Gabriel Bucell nus , Henricus Engelgrave , & alii deinde multiplicarunt, quaſi novos hoſce Sibyllinos Libros tamquam e cælo demiſſos curandum foret, ut quiſque ad manus haberet , ac nemo non excoleret . Verùm Anno MDCLXXXIX. Franciſcus Meneſtrerius Vir Clariſs. e Societate Jeſu , edito Opuſculo Pariſiis ejuſmodi Prophetias Malachiæ falſo adſcriptas cenſorio ſtilo egregie inſectatus eſt , ita ut ſi antea nullus emunctæ naris figmentis hiſce fidem adjungebat , nunc vel ipſi popello ſat lucis ſuppeditatum fuerit ad ipſa abjicienda vel deridenda . Paulus quoque Scaliger , ſive Scalichius , Paſchalinus Regiſelmus , Theophraſtus Paracelſus , phantaſticus plane Scriptor , & Johannes Adraſder in impoſturis Joachimo tributis extricandis oleum ſuum inſumſere . Proſtant etiam typis traditæ Pariſiis Anno Chriſti 1513. inanes aliæ prædictiones ejuſmodi ſub nomine *Hermæ*, *Uguettini*, *Fratris Roberti Ordin. Præd. Hildegardis* , *Eliſabeth* , & *Mechtildis* , levium ingeniorum pabulum, quas tantummodo innuiſſe juvat. Nam ne ego quidem tempus meum utiliter impenderem , ſi ultra in prodendis ejuſmodi commentis progrederer . Attamen quia noſtris temporibus ſimplices quidam occurrunt , qui in eiſdem impoſturis Pontifices identidem eligendos ridendo ſtudio ſcrutantur , alia quoque addere juvat . Scilicet in Eſtenſi Bibliotheca eſt mihi ad manus Codex MStus *Fratris Theophori de Cuſentia Presbyteri & Eremitæ* , qui *Revelationes a Deo factas devotiſſimo & Deo caro Joachimo exponit* . Poſtremus Pontificum , quem prædixiſſe dicitur Abbas Joachimus , eſt *Urbanus VI.* ſub quo nimirum teterrimum Schiſma exordium cepit Anno Chriſti MCCCLXXVIII. continuatum deinde per complures annos cum ingenti laceratione Catholicæ Eccleſiæ . Subſequuntur *deſcriptiones Prophetiarum venerabilis & Deo devoti Anſelmi Epiſcopi Marſicaniæ*, quem Italiæ Sacræ Auctor ignoravit, & plane confictum opinari licet . Conſiſtunt explicationes figurarum , præſignantium , ſi ſuperis placet , futuros Pontifices , in *Gabriele Condulmerio* , qui Papa renuntiatus *Eugenii IV.* nomen aſſumſit Anno MCCCCXXXI. Reliquæ octo ſubſequentes figuræ explicatione carent. Atque hæc ſane mihi perſuadent , cadente Sæculo XIII. , aut ineunte Sæculo XIV. ſub nomine Joachimi emerſiſſe eaſdem Pſeudo Prophetias , quas ad ea uſque tempora explicare leve negotium fuit , quum fabricatæ fuerint , non Joachimi ætate , ſed poſtquam extiterant in vivis Pontifices , de quibus Prophetiæ tanto tempore antea , ut fingebatur , promulgatæ , loquun-

quuntur. Certe Frater Franciſcus Pippinus Ordinis Prædicatorum, qui circiter Annum Chriſti MCCCXIV. Chronicon ſuum ſcribebat, a me editum Tomo IX. Rer. Italicarum, hiſce commentis fidem habens, electionem ſummorum Pontificum eiſdem confirmabat. Aliæ deinde figuræ prioribus, ut opinor, additæ fuerunt, ſedente *Eugenio IV.* ac tributæ *Anſelmo* nuper memorato. Quod fraudem apertiſſime prodit, Pſeudo-Prophetiæ poſt mortem Pontificum fabricatæ, egregie eorum mores exprimunt, ipſorumque vitam deſignant; nihil enim facilius, quàm prædicere quæ jam A contigerunt. At quæ de venturis Pontificibus inexplicatæ ſuperſunt, atque aptandæ forent Nicolao V. Calliſto III. Pio II. aliiſque nondum electis aut natis, diſſident omnino ab eorum moribus, ita ut nihil ibi ſimile reperias. Quare in malam crucem abeant impoſtores ejuſmodi, quibus qui fidem adhibeat, prorſus deſipiat. Sed ut ſpeciem habeas figmentorum nuper memorati *Theophori Cuſentini*, nonnulla ex eo delibare placet, quæ riſum moveant juſto cuilibet humanarum rerum judici, atque hiſtoriarum perito.

Specimen interpretationum Theophori Cuſentini Eremitæ in Pſeudo-Prophetias Joachimi Abbatis & Anſelmi Epiſcopi.

IN *nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, & Genitricis ejus, ac totius Cæleſtis Curiæ. Amen. Incipit* Libellus Fratris Theophori Presbyteri & Eremitæ, *ſecundùm auctoritatem Sanctorum Prophetarum, & verarum Chronicarum, de ſtatu, cognitione, ac fine præſentis Schiſmatis, & tribulationum futurarum, maxime tempore futuri Regis Aquilonis, vocantis ſe* Federicum Imperatorem Tertium, *uſque ad tempora futuri Papæ, vocati Angelici Paſtoris, &* Caroli Regis Franciæ *futuri Imperatoris poſt Federicum ſupradictum. Item de ſummis Pontificibus Romanæ Eccleſiæ, ac de ſtatu univerſalis Eccleſiæ, & tempore dicti Angelici Paſtoris, uſque ad tempus ultimi Antichriſti. Item a tempore & per tempus dicti ultimi Antichriſti, & poſt mortem dicti Antichriſti uſque ad extremum Dei judicium & finem Mundi. Univerſis & ſingulis fidelibus Chriſtianis Eccleſiaſticis & Secularibus, humilis* Frater Theophorus de Cuſentia, *pauper* Presbyter & Eremita prope Thebas, *humiliari ſub divinæ potentia majeſtatis, & ipſius gratiam & gloriam. Quum triſtis & dolens de malis* præſentis Schiſmatis *occaſione occurrentibus, & veriſimiliter occurſuris, manſuetiſſimum Dominum cum magna jejuniorum & lacrymarum copia ſæpius humiliter exoraſſem, quænam inſtantis Schiſmatis cauſſæ, & quis in ipſo Schiſmate aſſerentium ſe ſummos Pontifices, verus Pontifex, & quis Pſeudo-Pontifex exiſteret, ipſiuſque Schiſmatis qualis & quotus finis, & quomodo finito Schiſmate Dei Eccleſia, maxime cum Principibus Secularibus regeretur; ipſe Dominus mihi ſervo ſuo oſtendere dignaretur: Anno a Nativitate Domini prædicti MCCCLXXXVI. circa auroram diei Reſurrectionis præfati Domini noſtri Jeſu Chriſti, mihi dormienti levi ſomno, & quaſi ex hoc ſtupenti, viſum exſtitit videre Angelum Domini, virginei vultus, & altitudinis duorum cubitorum, ornatum duabus alis valde nitentibus, Albâ latâ, ac talari veſte amictum, mihique dulciter alloquentem hæc verba:* Dominus exaudivit preces tuas dicens, quod ſervis ſuis dilectis Cyrillo Presbytero & Eremitæ in Monte Carmelo, Joachim Abbati, & multis aliis ſervis ſuis præſens Schiſma futurum, & ejus Schiſmatis cauſſa, & quis eſſet ortho-Pontifex, & quis pſeudo-Pontifex, finiſque ipſius, & poſt ipſum Schiſma futurum Eccleſiæ regimen per Spiritum Sanctum B & Angelum; jamdiu eſt quod indicavit & aperuit. Quæras igitur prædictorum Libros & Scripturas, & tunc tuæ erit ſatisfactum voluntati. Et quod in ipſis Libris & Scriptis reperies, ſcribe, & aliis pro tua & ipſorum ſalute indica & revela. *Quibus dictis & auditis, Angelus illico diſparuit. Ego autem timidus a ſomno ſurgens, vocavi ſocium meum cariſſimum* Euſebium Vercellenſem, *cui omnia ſupradicta patefeci. Cujus conſilio ipſe & ego cum maxima diligentia in Civitate Thebarum in Coſentia, ubi ortus eſt præfatus Joachim ſanctus Propheta, & in aliis locis vicinis ipſis Civitatibus, prædictorum virorum Libros quæſivimus, & tamdem invenimus ſupradicti Cyrilli Librum,* C *qui incipit:* Dominus totius *&c. Cujus Libri verba Angelus Domini in duabus tabulis argenteis continentia futura magna negotia, incipiendo ab Anno Nativitatis Domini MCCXLIV. ipſi Cyrillo nuntiavit & dedit. Item reperimus Libros omnes præfati magni Prophetæ Joachim, & maxime ipſius ſingulares Libros, miſſos* Henrico de Suavia Imperatori Sexto, *ac alium ſingularem Librum ipſius intitulatum:* Liber de flore de Summis Pontificibus ab Innocentio IV. *uſque ad* Antichriſtum. *Qui incipit:* Tempore colubri leenæ filii *&c. Item invenimus unum ſingularem Librum intitulatum:* Heic incipit revelatio, quæ Horoſcopo intitulatur, extracta de Hebræo in Latinum a Dandolo Illondenſi, de Summis Pontificibus futuris a D Nicolao III. uſque ad Angelum Paſtorem: *Quæ incipit:* Etenim omnipotens Opifex *&c. Item invenimus quemdam parvum Librum intitulatum:* Hæc eſt revelatio MCCCLIV. de ſummis Pontificibus. *Qui incipit:* Genus nequam *&c. Item invenimus quamdam revelationem factam per Spiritum beato Franciſco de præſenti Schiſmate. Quæ incipit:* Socii beati Franciſci. Veh Mundo in centum annis *&c. Item invenimus multas alias Prophetias & Viſiones Sanctorum, & maxime quaſdam ſingulares, quarum una incipit:* In vigilia namque Aſcenſionis *&c. Alia autem incipit:* Scitote quoniam *&c. Item invenimus Librum continentem* Vates E Ambroſii. *MCCLIV. Sybillæ Erithreæ* de Babylonia, *Sybillæ Tiburtinæ, ac Sybillæ Elleſpontiæ* de Præſagiis futurorum. *Item reperimus* extractiones Prophetarum *continentes, quæ ventura ſunt, & debent de Anno Nativitatis Domini MCC. uſque ad finem Antichriſti magni.*

gni . Item invenimus Chronicon Cuſentini Antiſtitis , *ac* Fratris Tolomæi de Luca , *& multas alias Chronicas , ſcribentes omnia geſta Eccleſiæ , & ſpecialiter Schiſmatum , & intruſionum Romanæ Eccleſiæ infraſcriptorum a Nativitate Domini uſque ad tempora ſanctæ memoriæ* Domini Johannis Papæ XXII. *incluſive, qui aſſumtus eſt ad Papatum Anno Nativitatis Domini MCCCXVI. vel circa .*

Quibus omnibus & ſingulis per me Fratrem Theophorum vigilantiſſimo ſtudio perlectis , & orationibus ac lacrymis Domino ſæpe effuſis , ut veritatem prædictorum mihi oſtendere dignaretur , valde gaviſus fui , tamquam clarificatus de ſupradictis , quæ ſcire deſideraveram diu . Namque clare cognovi præſens Schiſma , ejuſque cauſſas , per Spiritum Sanctum jam centum quadraginta annis elapſis , præfatis Joachim , Cyrillo , & aliis ſupradictis ſanctis Viris fuiſſe prædicta & demonſtrata . Quorum Prophetarum & Sanctorum virorum verba inſeram bonâ fide in præſenti Libello , nihil de meo ponens , obediamque in hoc mandato Angelico , qui mihi revelavit , ut inventa in prædictis Scripturis , aliis revelarem . In omnibus tamen & per omnia me ſubjicio correctioni ſanctæ matris Eccleſiæ , proteſtans quod non ſum Propheta , nec Prophetæ filius , nec Ananiæ ſimilis , qui in ſpiritu Dei a ſe multa evenire prædixit , nec ſimilis ſuperbo Sedeciæ , qui impoſitis ſibi ferreis cornibus , Regi Joſaphat in ſpiritu mendacii dixit : His cornibus ventilabis Syriam . *Nam ſolus ſum ſacræ Scripturæ ſcrutator , exemplo Micheæ , vera ſed non grata Mundo nuntians . Attamen Reges Juda & Iſraël longe conſultius mala nuntiantem vel prophetizantem audiſſent , quàm falſiloquos , ut placerent , ſemper proſpera nuntiantes . Altiſſimum humiliter exoro , quod verba Prophetarum , deſcripta in præſenti Libello , ſata ſint in bono agro , & non in lapidibus , quia ſecundùm Almeonem ,* qui ſeminat in lapidibus , non recipit fructum . *Dicit enim Joachim* in Libro Concordiæ , *quod neceſſe eſt tranſituris per viam & loca periculoſa & dubia , non ſolùm agnoſcere ſed præſcire , ne fortè tunc quærant arma , quum venitur ad bellum , & quid agendum ſit , neſciant , aut quid vitandum , ſtupore aut formidine deprehenſi : quamquam homines libenter non audiant Mundi excidium nuntiantes , ſed libenter de futuris excidiis diſputant ſecundùm Joachim . In hoc autem Libello magis & libentius innitor verbis præfati Cyrilli , quia verba ipſius Cyrilli in dicto Libro non fuerunt verba hominis ſed Dei . Item dicti Cyrilli verba inceperunt prædicere futura ab Anno MCCLIV. vel circa , ut patet in primo dicti Libri Capitulo . A quo tempore citra non fuit niſi hoc Schiſma ſecundùm omnes Chronicas ; licèt* per Petrum de Corbaria Ordinis Minorum fuerit aliqua turbatio , *quæ tamen per Chroniſtas non ponitur inter Schiſmata propter brevitatem temporis ipſius . Item in hoc Libello innitor in Prophetiis Joachim ſcriptis ad ſupradictum Imperatorem Henricum VI. , & in Prophetiis ipſius Joachim ſcriptis aliis Principibus . Et hoc duabus rationibus . Primo quia Joachim ad Henricum prædictum ſcripſit magis clare ; & habebat ſecum* Fratrem Rayneriùm de Pontio , *virum ſanctum & habentem ſpiritum veræ prophetiæ , ut ipſe Joachim ponit ſuper expoſitionem* Vatum Merlini *& Erithreæ . Item Joachim , tamquam ſubjectus in temporalibus , motus ipſius Henrici rogationibus ſæpius , plus laboravit . Item dictus Joachim niſus eſt dicere & prædicere ipſi Henrico ea , quæ futura eſſent , incipiendo ab Anno Domini MCXCVII. uſque ad finem Seculi , quo tempore dictus Henricus regnabat , ut ipſe Joachim teſtatur ad ipſum Henricum ſuper Libris Erithreæ , Apocalypſis , & Hieremiæ . A quo tempore nullum Schiſma fuit , niſi præſens . Ultimum enim Schiſma fuit ſedatum tempore* Federici Barbaroſſæ , *patris dicti Henrici . Cujus Schiſmatis victor fuit* Alexander Papa III. *natus Senenſis , qui mortuus eſt Anno MCLXXXII. vel circa . Revertens ad propoſitum dico , quod diligentiſſime cribratis intentionibus & Libris Prophetarum , & ſacræ Scripturæ , effectus Operis & futurorum ſumma eſt ſecundùm Joachim ſuper Johannem ad Henricum Imperatorem ſuper verbis :* Templum ædificabitur juxta ordinem . *Ac* & *ibi* : Fundabo in ſaphyris ; quod cœleſtis tamquam optimus agricola , & a longa peregrinatione reverſus , conſiderans ejus vineam ſibi conjunctam , ab eo fuiſſe optimis plantis inſertam , fortiſſimo muro cinctam , juſtiſſimiſque cuſtodibus commendatam , prædictis cuſtodibus , ſuccedentium culpâ , dolo & negligentiâ repleri ſpinis , tribulis & vepribus , & dictum murum collapſum , & ejus lapidibus putrefactis , ipſam vineam totaliter reformare diſpoſuit . Et prædictæ vineæ negligentes & doloſos cuſtodes mutare in juſtos & pervigiles cuſtodes , ipſis tamen cuſtodibus & pervigilibus , temporalibus & ſuperfluis bonis ablatis ; ſibique honeſto victu ſolùm relicto , prout primi cuſtodes vineæ habuerunt . Attamen præfatis doloſis negligentibus cuſtodibus juxta demerita eorum perſonaliter & in omnibus graviſſime punitis , ac ſpinas & tribulos & vepres evellere , & fructiferas & odoriferas plantas in ipſa vinea inſerere , ejuſque murum , abjectis lapidibus putrefactis , renovare lapidibus pretioſis , videlicet ſaphyris , jaſpidibus , præſatus Agricola infallibiliter ordinavit . *Anno Nativitatis Domini MCCCLXXVIII. Sathan ſeduxit Clerum , Imperatorem , Reges , & Principes , & alias gentes ad Schiſmata & bella . Anno Nativitatis Domini MCCCLXXV. ſolutus fuit Sathan , ut ſeducere poſſet gentes in Mundo .* Et quum conſummati fuerint mille anni *&c.* (*)

(*) Theophorus heic in unum congeſtos ex Apocalypſi deſcribit verſiculos , Duodecimum nempe Cap. 12. Tertiumdecimum & ſeq. Cap. 9. Primum & duodecimum Cap. 16. Tertiumdecimum & ſeq. Capitis 16. Decimum nonum & ſeq. Capitis 19.

Heic incipit narrari, ſicut præſens Schiſma erat futurum in Eccleſia Dei, juſto Dei judicio propter peccata Cleri & Populi Chriſtiani, & quod Schiſma erat pronoſticatum a Spiritu Sancto, & a multis Prophetis jamdiu.

NUnc verò revertor ad materiam noſtram Schiſmatis, *& dico, quod verba, quibus Spiritus Sanctus per Angelum primò prædixit, & indicavit Cyrillo præſens Schiſma omnino eſſe futurum in Eccleſia Dei, ſunt in ſex Capitulis Libri Cyrilli, qui incipit*: Deinceps *&c. & finit*: Hæc ſi multum ſtabit, quoque luparcos diade rutilante, ut tibi effundant electrum. Eapropter rudes migma mandent vi rodere & blaces blicie alludebunt tunc celibes & blaſcones lugere cum Roboam, & blenones mixtos dortonibus ridere cum Jeroboam. *Hæc Spiritus Sanctus. Super quibus verbis dicit Gloſſa Joachim*: Si multum vermis in caput arietis propellatur, qui ſcabens, vel ſcalpens vel rodens cellulam in qualibet eorum cogit parare arietem. Si multum quoque ſtabit, luparcos, ideſt, ſtultitia vel ſuaſio Sathanæ inſtigabit ſummos miniſtros, ſeu Cardinales Eccleſiæ, qui luparci, quaſi lupos arcentes a gregibus, eſſe debent, aſſiſtere. *Gloſſa ſuper verbo*, ut effundant electrum, *dicit, electrum eſſe autem quædam ſpecies metallica ex auro & argento confecta. Verùm hinc nihil aliud poſſum intelligere, niſi unum Romanum Pontificem eligendum. Et videtur præcedens litera hoc reſonare, ſcilicet* diade rutilante, & migma vi rodere. *Dias quidem, ideſt duo, quæ diviſionem ſignificat: migma quoque mixtura eſt, aliquorum mixtionem ſignificans, quam rudentes mandent vi rodere, ideſt in præſepio Eccleſiæ. Ex hoc intelligo, ſimplices utrique Pontifici annuere, ideſt ab utroque ſpiritu alia acceptare, ignorantes, quis potior eorumdem effunderetur. Quodque aurum Ortho-Pontifex, & argentum Pſeudo-Pontifex. Et quidem falſitas comparatur argento propter poroſitatem & vacuitatem, ſimulque frigiditatem ipſius. Siquidem quum falſitas ſit vacua veritate, Spiritus Sancti fervore non poteſt fervere. Super verbo* tunc celibes *dicit Gloſſa Joachim*: Scimus quidem Roboam filium Salomonis verum Regem Iſraël extitiſſe. Jeroboam verò Regem Pſeudo-Iſraël; quamquam toleraverat ipſum Deus ob Populi ſui delictum, de quo habemus tertio Regum volumine. Sic fieri oportet in proximo, ut celibes & blaſcones, ideſt pudici, verique cubicularii Romanæ Eccleſiæ ſequantur Roboam, ideſt Ortho Pontificem, ſecundùm Canonicas ſanctiones electum. Et blenones & dortones, ideſt luxurioſi & comeſtores ſequantur Jeroboam, ideſt Pſeudo-Pontificem reprobum & nefarium. Abſit autem, ut diebus, quos vixero, tantam confuſionem intuear. *Hæc Joachim in Gloſſa. Alia autem verba Spiritus Sancti porrecta dicto Cyrillo, præſens Schiſma eſſe omnino futurum in Eccleſia Dei ſignificantia, ſunt in Capitulo Septimo dicti Libri Cyrilli, quod incipit* Hunc, *& finit* Hæc. Ex hoc autem conflicto Schiſmate de cridis diadiſque non pauci ex etho virginis rapientur a Sathana. *Hæc Spiritus Sanctus. Super quibus verbis Gloſſa Joachim ſic dicit*: Ex hoc heic noſce exoriri Schiſma in Eccleſia Dei Romana, ut multi decepti a Sathana, faventes utrique Pontifici, rapientur ex etho virginis, ideſt ex

A gremio fidei matris Eccleſiæ, & in errorem ducentur, ut de futuris nihil aut prave credant. *Hæc Joachim. Item quod omnino futurum eſſet præſens Schiſma in Eccleſia Dei, probant multi Prophetæ, ut Merlinus, Sybillæ, & ſpecialiter Erithrea, Rabanus, Dandulus, ut infra clare patebit in proceſſu hujus Libelli. Etiam in Extractionibus Prophetiarum, tractantium de temporibus modernis, ſic reperi, ut infra*: Futurum quidem eſt, ut Pſeudo-Papa fultus & adjutus reipublicæ favore, & quaſi alter Rex, impudens facie, nec propriis viribus prævalens, immo ſupra quàm dici poteſt omnia devaſtans, contra Petrum concitet Neronem.

B

Tum pergit narrare perſonatus hic Scriptor cauſſas Schiſmatis, hoc eſt, *peccata totius Cleri, pronoſticata a Spiritu Sancto & Prophetis, propter quæ ipſi perdent bona temporalia, & diverſimode affligentur juſto Dei judicio, & propter quæ etiam præſens Schiſma eſt in Eccleſia Dei*. Deinde agit *de peccatis & vitiis Mendicantium Religioſorum, propter quæ ipſi Religioſi & eorum Ordines, juſto Dei judicio, deſtrui & auferri debent. Item de ſancta & nova Religione fienda & ordinanda virtute Spiritus Sancti, quæ præcedet omnes antiquas Religiones ſanctitate, bonitate, & fide*. Hoc autem futurum ait ſub *Friderico III. Imperatore* futuro. C Omnia hæc jam tempus oſtendit veritate carere, ac putidiſſima eſſe mendacia. Multa deinde habet de Federico iſto Tertio, & de *Angelico Paſtore, qui coronabit Carolum Regem Franciæ Imperatorem coronâ ſpineâ, reſpuentem coronam auream ob reverentiam Chriſti*. Denique pluribus agit *de magno ultimo Antichriſto, qui tempore tertii Paſtoris poſt Angelicum Paſtorem apparere debet*. Jamque ſecundùm illius calculos Antichriſtus veniſſet: quæ tamen tempus invictiſſime mendacii jamdudum arguit. Talia olim impudentium aut ſtultorum hominum ingenium imperterrite venditabat. Atque heic in memoriam meam redit, eodem Sæculo XV. hoc eſt Anno MCCCCXLI. die D XV. Auguſti, Placentiæ, ut habent Annales Placentini Antonii de Ripalta, a me editi Tomo XX. Rer. Italicarum, *Fratrem Johannem Baptiſtam Ordinis Eremitarum Sancti Auguſtini Placentiæ in Eccleſia Sancti Laurentii prædicaſſe Antichriſtum jam natum in Babylonia, & jam eſſe triennium, & ibi auditam fuiſſe vocem eminus per ducentum millia clamantem: Nunc finis eſt. Et hujus rei literas eſſe Mediolani, Januæ, & Venetiarum*. O Sæcula imposturis expoſita, & impoſtoribus obnoxia! Subdit Ripalta: *Die verò XVI. dicti Menſis, Reverendus D. Frater Alexius Ordinis Minorum, ſacræ Theologiæ Doctor, Dei gratiâ Epiſcopus Placentinus, in Platea majoris Eccleſiæ* E *Placentiæ coram omni Populo prædicavit, ſe non credere Antichriſtum natum, nec ullo modo verum iſtud eſſe, multas aſſignando rationes pariter & auctoritates*. Sed barbaricis Sæculis ſæpe ſonabat in delirantium ſciolorum ore fama Antichriſti jam nati, jamque adulti: atque

in

in ipſa Urbe Placentiæ, eodem Ripalta teſte,
rurſus Anno MCCCCLVII. *Frater Johannes
Baptiſta Ordinis Prædicatorum, ferens barbam
longam, & nudiſſimis pedibus proficiſcens, prædicavit
finem Mundi adeſſe, & falſum Papam
creari debere, & Antichriſtum regnaturum:
quod tamen fuit falſum*. Meliora nunc, Deo
juvante, ſapimus, & ejuſmodi ridendas Prophetias
prorſus dimiſimus phantaſticis quibuſdam
hominibus extra Eccleſiæ Catholicæ caſtra
militantibus, qualis ævo noſtro fuit Calviniſta
Jurieu. Ceterum ex *Theophori Cuſentini* ſomniis
hactenus delineatis nihil aliud excerpere
viſum mihi fuit, tum quia cordatos viros novi
ab id genus nugis abhorrere, tum etiam quod
nonnulla contineant, quæ a delicatulis Cenſorum
quorumdam ſtomachis vereor ut placide
concoquerentur, ac propterea ſuis in tenebris
relinquere ſatius duxi.

Neque minus avide levia præcedentium Sæculorum
ingenia convolarunt ad alteram Artem
(ejus amatorum pace dixero) artem delirandi,
artem non diteſcendi, ſed in pauperiem
ruendi, quæ nempe Metallorum tranſmutationem
& auri conficiendi, aut lapidis Philoſophici
inveniendi methodum, ſi ſuperis placet,
ſectatoribus ſuis ampliſſime pollicebatur. Veram
Chemiam a falſa, ſive ab Alchemia diſtinctam
heic volo. Noſtris & heic præceſſerunt
Arabes; neſcio an præceſſerint & Græcis.
Syllogen quippe Græcorum de hoc argumento
olim legebam ego in MSto Codice Ambroſianæ
Bibliothecæ. Ibi primo occurrebant *Stephani
OEcumenici Philoſophi* Tractatus quidam περὶ
τῆς θείας τέχνης, *de divina Arte*, cjuſque energia:
uti & compendium τῆς ἱερᾶς τέχνης, *ſacræ
Artis*. Is hæc ſcripſiſſe dicitur *ad Heraclium
Regem*. Sequitur *Heliodori Philoſophi ad Theodoſium
Regem*, ſive Imperatorem, περὶ τῆς τῶν
φιλοσόφων μυστικῆς τέχνης, *de myſtica Arte Philoſophorum*.
Jambici ſunt. Deinde leguntur *Theophraſti
Philoſophi* de eadem *divina Arte* Jambici.
Tum *Hierothei Philoſophi* de ipſa *divina
& ſacra Arte*. Accedunt *Archelai Philoſophi*
Jambici in idem argumentum, ac de ipſo quoque
Tractatus *Pelagii Philoſophi*, & alter *Oſtani
Philoſophi* ad Petaſium. Sequuntur *Democriti*
Phyſica & Myſtica, & de *Azemi* confectione.
Poſtea *Syneſii Philoſophi ad Dioſcorum
in Librum Democriti Scholia*. Succedit anepigraphi
Philoſophi περὶ θείου ὕδατος τῆς λευκώσεως,
de divina Aqua albedinis; ac deinde ejuſdem
Opuſculum *de Auro conficiendo*. Huic adnectitur
Ζωσίμου τοῦ θείου περὶ ἀρετῆς *Zoſimi divini de
virtute*. Tum *Chriſtiani* (hoc tantùm illi nomen,
aut titulus) Opuſculum *de divina Aqua*.
Sequitur *Salomonis Labyrinthus*. Tum *de temperando
ferro, conficiendo chryſtallo*, aliiſque
naturæ arcanis. Denique alia multa ſuccedunt
commixta, quæ tum *Chriſtiano* nuper memorato
tribuuntur, tum *Zoſimo*, cujus Opuſculum
de organis & caminis commemoratur; demum
Agathodæmoni, hoc eſt Mercurio. Ibi
legitur œconomia *asbeſti & magnetis*; ibi Vocabularium
per ordinem alphabeticum dictionum
in *Chryſopeja* occurrentium: ibi methodus
temperandi ferri, conſcripta ſub *Principe Philippo*.
Hæc omnia Græce ſcripta. Codex olim
fuit Franciſci Patricii viri Clariſſimi. Magna
nomina hiſce Libris præpoſita vides, at fere
omnia, ut meritò non ſuſpicari, ſed arbitrari
licet, adulterina, atque longe ſerius confiſta.
In Catalogo MSto Bibliothecæ Regiæ Scorialenſis,
quem apud me ſervo, teſtatur David

A Colvillus, ſe illic vidiſſe *Tractatus Græcos de
Alchemia innumeros adeſpotos*. Ita incautis nimiumque
credulis retia antiqui nebulones olim
tendebant. Neque ſecus egerunt eorum ſimul
atque Arabum diſcipuli Chriſtiani Europæi.
Habemus & nos Chemicorum volumina Latina,
falsò tributa *Alberto Magno*, *Sancto Thomæ
Aquinati*, *Arnaldo Villanovano*, *Ariſtoteli*,
Platoni, *Alphonſo Regi Caſtellæ*, ac aliis
quamplurimis minoris nominis, quorum Tractatuum,
ſive nugarum farraginem complectitur
Theatrum Chemicum Zetzneri, in ſex Tomos
ſpiſſi characteris diffuſum. Neque negandum,
quin Sæculo XIII. inani huic ſtudio ſe
devovere ultra modum cœperint ingenia phan-
B taſtica, & falli aut fallere cupientia. In hanc
rem ſat fuerit conſulere opera *Raymundi Lulli*,
qui eo Sæculo tum in aliis ſcientiis, tum heic,
multa ſuaviſſime ſomniavit, atque imitatores
non paucos aut æmulos ſibi conciliavit. Nonnullos
hujus Codices MStos adſervat Eſtenſis
Bibliotheca, ſi tamen ipſum habent Auctorem.
Manu quoque exaratum vidi *Magiſtri Johannis
de Repetiſſa ſacræ Theologiæ Profeſſoris Librum
de conſideratione quintæ Eſſentiæ*, *qui
nuncupatur quinta Eſſentia rerum*, *tradendus
pauperibus*. Fuit hic Scriptor Ordinis Minorum,
& vixit circiter Annum MCCXL. Quantopere
poſtea invaluerit, & adhuc in honore
& uſu ſit apud non paucos pernicioſa hæc dul-
C cium deſideriorum officina, non eſt hujus loci
inquirere, aut meminiſſe.

Illud potiùs animadvertam, ante paucos annos
floruiſſe (idque Eruditis jamdiu notum)
in maxima Galliarum Urbe virum tum variâ
Eruditione, tum editis Libris clariſſimum,
quem admiranda opinio invaſiſſe fertur (ipſo
tamen pernegante) videlicet, ſi ſacras Scripturas
excipias, Tullium, Vergilium, ac Plinium,
reliquos antiquitatis Libros figmenta fuiſſe Monachorum,
qui Sæculis barbaricis otium ac ſolitudinem
non aliâ ratione demulcere ſe poſſe
rati, ſeſe exercebant in conficiendis Libris,
hos veterum Latinorum nomine inſcribentes,
ut aut majorem iis famam compararent, aut
D cariori pretio divenderent. Non is certe ſum,
qui hanc opinionem homine ſanæ mentis & Catholico
indignam, utpote quæ Septiciſmum,
immo & Pyrrhoniſmum invehit, & per latus
Religioni ſanctiſſimæ vulnera non una infert,
refellere velim. Jamdiu illam ſapientes viri
confutarunt, atque exploſerunt; ipſeque Scriptor
ab ea ſe alienum publicâ proteſtatione
profeſſus fuit. Literariæ Hiſtoriæ, Librorumque
veterum aliquantulum peritus, novit ſane,
aliqua nos habere confiſta ab antiquis; ſed ſimul
intelligit, fieri numquam potuiſſe (præſertim
quod eſt ad Hiſtorica) ut tot homines
ad tot effingenda conſpirarint. Et ſi quis etiam
conſpiraſſet, vires omnino ei defuturas fuiſſe
E ad mentiendas bono aliquo colore antiquorum
res geſtas, & per tempora diſtribuendas, niſi
Hiſtoricos præcedentes præ oculis habuiſſet.
Quamquam iis etiam habitis apti numquam
fuiſſent rudi eâ tempeſtate Scriptores ejuſmodi
ad ſermonem, ſtilum, ritus, ac mores veterum
Latinorum tam recte imitandos, ut detegendæ
fraudis nulla nobis reliqua eſſet ratio.
Monſtra hæc ſunt in unius dumtaxat hominis
læsâ aut infirmâ imaginatione nata. Sed is potiſſimùm
ſentiat, quantùm hæc pugnent contra
rerum naturam, qui probe teneat, quot ineptiis,
& quàm rudi ſtilo abundarint majores
noſtri, dum ignorantiæ tempora fluebant, &
quàm

quàm longè fuerint a ſtilo, ab eruditione, vigore, omnibuſque (uno verbo dicam) antiquorum nervis atque ornamentis. Occurrebat mihi in Ambroſiana Bibliotheca poſt Salluſtii Libros de Bello Jugurthino, Anonimi cujuſdam *Hiſtoria de bellis civilibus inter Cæſarem & Pompejum*. En prima Opuſculi verba; *Cum hyemis tempore Cæſar apud Francigenas, alio nomine Belgas appellatos, detineretur, & ejus eſſet diſpoſitionis eos Francigenas, liberos & Franchos, & in pace confirmare & manutenere &c.* Viden' infeliciſſimum ſtilum, barbarie undique redundantem? Sentis-ne eruditionem cum ipſis temporibus, de quibus agitur, incaute pugnantem? Hiſce verbis deſcribenda ſuſceperat veterum acta Scriptor hic miſellus, ſuæ tempeſtatis vulnera tam aperte prodens. Eodem ſtilo is pergit uſque ad Pompeji mortem, reliquis in MSto Codice deſideratis. Ante quadringentos annos ille Codex mihi viſus eſt exaratus. Hinc habes, quid poſſent obſcurorum temporum ingenia. Quod ſi non deſunt confictæ veterum Epiſtolæ, ſpuria Martyrum Acta, Diplomata deploratæ fidei, atque aliæ ejuſmodi impoſturæ, quibus nulla ætas caruit: attamen pleraque ex adulterinis hujuſmodi fœtibus ſecum detulere aliquas, eaſque apertas, falſitatis notas, quas rudia quidem Sæcula minime animadvertebant, ſed poſtrema hæc Sæ- A cula, reſtituto ſanioris Critices uſu, recte perſpiciunt. Atque heic fateor, me ancipitem diu olim ſteti ſſe, num inter Hiſtorias a ſciolo aliquo ſerius fictas recenſendum eſſet Opuſculum, cujus fragmenta mihi occurrerunt inter Ambroſianæ Bibliothecæ Codices MStos cum hoc titulo: *Itinerarium Alexandri Magni ad Conſtantium Imperatorem*. Vetuſtiſſimus erat ſimulque pervetuſtis Characteribus exaratus ille Codex, ſed a Librario tam fœde identidem corruptus, ut quis ſenſus verbis ineſſet, ſæpe aſſequi vel meditando nequirem. Ego ſpecimen illius Lectori exhibere decrevi, eumque judicem ſtatuere hujuſmodi operis. Prius tamen diffiteri nolo, me dum juvenis hæc de- B ſcriberem, locis nonnullis ex ingenio meo, ut aliquis eſſet ſenſus, verba commodaſſe, aliaque a me fuiſſe emendata: cujus licentiæ, dum hæc ſcribo, me pœnitet. Alia tamen loca, qualia erant, vitiata reliqui, ut inde eluceret inconcinna narrationis imago. Sed æqui bonique faciat humaniſſimus Lector, ſi quod nunc poſſum, quamquam non ſatis, ut vellem accurate, exibeo. In Notis ad Capitolinum meminit Salmaſius Vitæ Alexandri Magni conſcriptæ ab incerto Auctore, qui ſub Conſtantio vixit. An hoc ipſum Opuſculum ille indicet, ignoro.

Fragmentum Itinerarii Alexandri Magni ab Anonymo perſcripti ad Conſtantium Imperatorem.

Dextrum omen tibi, & magiſterio futurorum, Domine Conſtanti, bonis melior Imperator, me patraturum putabam, ſi tibi orſo feliciter jam, accinctoque ad Perſicam expeditionem, Itinerarium Principum eodem tempore glorioſorum Alexandri ſcilicet Magni, Trajanique conſcriptum offerrem. Et ſane libens & cum amore labori ſuccubui. Regentium enim proſpera in partem ſubditos vocant, & ab horum cordibus exprimunt gratulationis gaudiorumque officia. Ac licèt, ſi quid in iis aut prætererim, aut implicate retulerim, culpam ſciam in me etiam redundaturam; quoniam tamen quiſque mortalium jure naturæ in eo ſe plus diligit, a quo ipſe defenditur, opus ſuſcepi tributum venerationis futurum: Sed enim quamvis factorum egregiorum ſit inops lingua teſtis ignobilis, ego tamen audacter onus ſubeo, non meis quidem fretus, verùm externi ingenii viribus. Nec de loquacium numero vilibus uſus Auctoribus, ſed quos fidei amiciſſimos vetus cenſura pronunciat, quoſque iſtic, quâ potui, tibi circumciſâ curioſitate collegi, adhibito ſane verborum cultu reſtrictius quàm voti communis utilitas, aut privatæ jactantiæ gloria petebat. Itinerarium denique pro Breviario ſupraſcripſi, caſtigans operis ejus etiam nomine facultatem, ſcilicet ut virtutibus tuis, animoque laudem ſitienti irritamentum foret in causâ olim pari ſcire obſecutam rationi fortunam. Præſertim cum illinc tu res Martias auſpicère, ubi quemque fidentiorem merita Imperii ſublimarunt. Utinam illic triumphorum tuorum ſtipendiis imbuare, ubi quiſque felicior pro geſtis apicem poſuit, ſcilicet, ut dum hereditaria virtute magnos conatus paternis maturitatibus admoliris, inclytorum quammaxime C *Principum merita ſupervadas, quouſque protinus te te in omni hac parilitate nec conſilii pœniteat, nec pudeat verò fortunæ. Quamquam majora longe felicioraque profecto, ſint vobis exempla de maximis Conſtantinis Patre vel Fratre, certe quæ priora ſunt tempora, etiamſi meritis ſecunda tu feceris, ipſos illis, ſi quis functus eſt ſenſus, voto acceſſuros exiſtimo. Tibi enim in Perſas hereditarium munus eſt, ut qui Romana tamdiu arma tremuerunt, per te tamdem ad noſtratium nomen recepti, interque provincias noſtras Civitate Romana donati, diſcant eſſe beneficio viventium liberi, qui omnes illic faſtibus regiis mancipati milites quidem bello, ſed ſervi pace cenſentur. Igitur ſi Terentius* D *Varro Gneo Pompejo olim per Hiſpanias militaturo Librum illum Ephemeridos ſub nomine laboravit, ut res externas eidem greſſuro aperiret, ne is Oceani pericula peteret, utque omnes reliquos motus aëreos præſcientiæ fide declinaret: cur ego tibi rem noſtræ ſalutis adgreſſo non ut ex bona flamma virtutum hanc facem præferam? quantùm enim ingenio minor, tantùm hoc voto Varrone ſum potior, ut vel inde quamquam corporis liber, animi tamen vobis militem viribus, dum perennibus votis regionem illam peto, quam veteres viam fortitudini ſtraverunt, quæque tibi nunc pro omnium ſalute carpenda eſt. Neque enim ego heic elegantiam ſermonis affecto, cui de commodo uſus ipſius laboratur, quum ſit felicitas major in tali opere* E *verſari potuiſſe, quod proſit, quàm compoſuiſſe quod placeat, ut quo apertior fuerit dicti ſimplicitas, eo etiam fidei plus & luminis habeat enarratio. Quippe quoniam in tabulis veritas palma rapuerit eloquentiæ, quæ ubi arte protegitur, Scriptor pro auctore laudatur. Sed mihi heic & materiæ*

teriæ parilitas blanda eſt & germanitas ſpei de te ſcripturo tum Alexandri tum Trajani gloriis potiora promittit, quibus cum tibi ſane commune eſt, fatalem hinc belli lineam tangere. Ætas autem alterius penes te eſt, alterius verò conſilium, ſi non ætatem vincis. Quippe Alexandro illi interim ſic æquabere: Magnus ille cognomine, tu verò Maximi filius, eádem ferè natus in terrâ, eódem atque inde ducis exercitum, numero militum par, ſed melior examine; eamdem ulturus injuriam, ſed diſparis contumeliæ. Ex quo jure ſane ſit præſumendum, quod æquali omine militans, pari potiare fortunâ. Hactenus ſocius exemplo, ceterùm pro merito felicior, ſiquidem Deo præſidi acceptiora ſunt vota, quæ jus & modeſtia concepit, quàm quæ efferis moribus inconſulta arrogantia rapit. Ille ſibi ſoli viciſſe gloriatur, factuſque eſt in amicos ſævior quo felicior, fructu victoriæ tumidus, & ob id tumultuatus. Saluti verò Romanæ tu militans, ad illius Imperium parili ætate contendis, cujus te gloriæ immortalitas comitabitur. Sed ne tibi tantis ac talibus occupato plura obloquar, hinc exordium faciam.

*Alexander natus Olympiade generis Æacidarum patre ambiguus fuit. A Jove enim Ammone, ut fama tulit, aut a Philippo Heraclide prodiit. Sed ubi Philippo ſucceſſit, eumque ultus eſt, Pauſaniâ cæſo cum tribus filiis, quod hi præſidentem Ægenſi theatro Philippum interemiſſent, protinus Imperio Macedoniæ potitus, omnique in jus ſuum cum arcibus regiis Peloponeſo quæſitâ, conſenſu cunctorum in Perſas ducere exercitum meruit, ſolis id modo Lacedemoniis renuentibus. Eorum tamen animos gloriæ meliorumque ſpes & alienæ ambitionis terror vicit, quoniam imperium ſola res eſt, cujus pretium periculis æſtimatur. Cum his igitur Alexander ætatis anno viceſimo, ut ſe tanto apparatui idoneum faceret, legit militem voluntarium, ac ſibi voto competentem, non numero uberi, verùm viribus alacritatiſque uſibus animatiſſimum. Etenim ut id eſſet commodius, ſeſe in exemplo ponebat. quippe ipſe viſu arguto, naribuſque ſubaquilinis fuit, fronte omni nuda, plerumque quamvis pinguius fimbriata de exercitio ob vehementiam equitandi, cujus id arbitrio dabat, ex quo reclivem comam jacere ſibi in contrarium fecerat. Idque decentius militi arbitrabatur, quàm ſi deflueret. Statura juvenis mediocris, membris exſuccior, ſed quæ nullas ferventi moras adferret, quod plus uſui quàm contemtui lenocinaretur. Crebrioribus quippe muſculis tuberaſcens, miris nervorum cœtibus intendebatur, pernix curſu quò vellet, vehemens impetu quò raperetur. Nimius tormento jaculandi configere quem deſtinaſſet peritus, fervens irruere quò auderet, conſtans excipere, quò confideret, eminus certus, cominus violentus, eques improvidus turbiduſque, pedes interritus pervicaxque. Sed quid ego tibi Alexandrum dicam? Tu te videto, nam nec blandiri propoſui, & nolo videri auribus gratioſus, ubi oculus judicium ferre de omnibus poteſt. Is igitur Magnus ſibi Peloponeſum, Urbeſque ſubditas multâ benevolentiâ pigneratus eſt, Thracas quoque animo variantes impigre ſubegit ab Orbelo monte, qui imminet Philippis Urbe Philippæa Hæmo uſque ad Iſtri oſtia. Exinde cum mari dextro perque Euxinum militans Meoti tranſmiſsâ jam remeans quum in Gothos irruiſſet, eos quoque ſuperat bello. Die eádem regreſſus ad ſuos, tum Dahas, Mæſoſque, & Illyrios, Dalmataſque omnes juſtis prœliis ſuperat, componitque, & Thebas Bœotias diruit tumultuatas. Itaque iter in Aſiam auſpicanti nunciatur Orphei muſici ſtatuam plurimùm ſudaviſſe, idque laboris fore ingentis, ſed tamen laudes ejus certiſſime prænunciari. His magis incenſus verbis Helleſpontum proficiſcitur; mandat imperii Macedonici, ac Peloponeſi Antipatro procurationem ſub ſui nomine; nec plus ſuorum quàm peditum decem, equitumque quinque millibus comitatus proficiſcitur. Agmen verò ceterum, & auxilia aliarum gentium claſſe vehebantur, belli uſibus divite, quæ Amphipoli in Strymone incoris * erat. Eo uſque a matre deductus acuitur ad gloriam, ita nobilitas & in feminis periculis eſt amica. Igitur ipſe per Abderam, Maroniamque, tum Hebrum & Melanam amnes, Claſſis verò circuitu omni vigeſimo die Seſton utrique adpulere, Abidumque tranſmittunt, & Diis Heroibus, qui regionem incolunt, litant. Ubique haſtâ humi fixâ omen ſibi quiſque facit Aſiæ bello quærendæ, quam Perſa miles eâ tempeſtate poſſidebat. Exin præmittit Parmenionem & Attalum duces, qui Satrapas ſeptem, omnem Aſiam prætendentes irritamentis a ſeſe diducerent, ſpargerentque, quoniam primo conflictu de ſumma belli decernere Alexander declinabat. Sed enim Satrapæ notam ignaviæ declinantes, quam in ſe ſcirent a Rege ſupplicio puniendam, ubi de Alexandri adventu comperere, apud flumen Granicum congreges locant caſtra, quod is Granicus a Dacis confiniis repens præcipitio montano deſcendens, ruenſque impetu ſonoro, agmen navale arcebat, in quo ſperato ſegnius venerat eminùs Macedo. Res verò erat barbaris ceu ſecura, Græcis ardua, amnem tantæ latitudinis, & torrentis profundi abruptis utrimque ripis adversùm aciem evadere, quæ multiplici numero gregatim ſparſis obſiſteret. Nihilominus ubi ſuos quoque Alexander velut ex pari obviaturos ſub luce compoſuit, pauliſper moratus itidem, ut digeſta acies erat, æquali fronte vadum evincere incitat. Ita rem belli aggreditur, audaciâ ne majori an fortunâ ſuâ haud pronuncies: exemploque præſentium vires adauget. Jamque alveus tot millibus obtentus armatis incertâ fortunâ omnium animos detinebat, quum ad ripas tamdem quidam feruntur. Ubi emerſiſſent, mutuo adminiculabundi ſociorum ſaluti proſpicere, mox ſcutum levare, tela imminentium fundere, prærupta litoris complanare, trudere infeſtantes. Tum quicumque evaſerat prior, vim cavere irruentium, ſequentum ora tueri, & ordines ſtruere laborabat. Satis enim conſtat, heic quoque laudis palmam penes Regem fuiſſe. Dirigens quippe Alexander ante omnes cornu dextrum, ſcandenſque obviam litoris partem, cum in ſeſe duces hoſtium exciviſſet, ferventius bello uſus hoſtilibus turmis terrorem incuſſit. Namque ubi ei haſta perfracta eſt, dum circumſpectat ſuos, dumque ſibi porrigi aliam petit, irruenti Mithridati, qui gener Dario Regi erat, telum, quod accepit, intorſit. Quo protinus ſtrato, & jam tunc in hæc intento a tergo ſupervolat Spyridates, libraveratque jam lanceam brachium bellantis Alexandri petiturus. Sed & iſte interfectus, vetituſque facere, quod minabatur. Eis cæſis aditus bellantibus datus, & virtutis exemplum reliquis inſequentibus. Hæc denique fuit mora tranſeuntibus. Tum prœlium liberis dextris inſtructum, omneſque ad internecionem hoſtes compulſi fuiſſent, niſi pauci, qui ſtudio fugæ arma præ onere abjecerant, in victorum manus incidiſſent capti, quorum plerique Athenienſes Perſis pretio mili-*

militabant. Hos quidem ferro vinctos ad Macedoniæ rura transferri jubet, reliquos humo tradi; prædæ pleraque jactans gloriæ matri tranſmittit.

Igitur hac belli fortunâ in confidentiam conſequentium eruditus, Lydiæ, reliquaſque recepit Aſiæ Civitates, Perſis navale bellum fruſtra tentantibus, quoniam terreſtribus undique ſumtibus aut præſidiis arcebantur. Fuit tamen Alexandro etiam Halicarnaſſi anceps bellum, Urbemque obſidione vix cepit & diruit. Propiciatus hinc poſt Reginæ, cui mox reddidit. Regnum ejus Urbis, ab eâque filium ſe dici dignantiſſime pactus eſt. Exin Lyciam ac Phrygiam ſuas facit: quumque ageret Phaſelide, audit Alexander Æropi filium adversùs ſe hortatu Darii res velle novare; promiſſis additis, ut ſi is Magnum Alexandrum oppreſſiſſet, Regno ejus uteretur. Miſſa ad illum inſuper auri talenta mille, & militia Perſarum. Non ignota hæc Alexandro, cui aliunde ſuſpicio erat, inter Philippi interfectores aut conſcios Æropum fuiſſe, atque ejus heredes callidam occultare dementiam. Et eſt creditu facile, quod conſcientia opinatur ad ſui meritum. Pergens itaque Alexander Pamphiliæ fines protinus tranſit. Hinc Aſpendiis conditione imperatâ ſolicitatis, quum eos juſſis minime obſequentes audiſſet, regreſſus eos tranſeundo captivavit. Tum itinere mutato Piſidiam una cum exercitu repedans, reniti auſam invitamque obſequiis a Galaſſo expugnant Urbem monte munitam, perque Sagarim Phrygiæ amnem ad Euxinum venit, ubi de Macedonia coacti milites tum pedites tum equites eidem ſunt additi viribus magis quàm numero potentes. Quibus peractis protinus per Bithyniam, Galatiam, & Cappadociam, ſuperato Tauro Tarſum Ciliciæ venit. Arſames Satrapa magnâ cum militum manu bellum patratus, & in Cilicia potens ferebatur. Adversùs illos Alexander, ut ei mos erat, armis gravis, peditem ſuum pedes ipſe in acie comitabatur. Sed ex adverſo ii fugerant, qui prius arma corripuerant. Arſames ipſe ſuorum conſilium ſecutus eſt. Ubi verò Rex Tarſum invehitur, ſudore & pulvere opertus, Cignum amnem videt Urbis ejus media pervadere, cœtu avium coronatum, mundum facie, acutum frigore. Delectatus elemento tali, ſeu potius æſtu victus, ac deſiderans frigoris, aut etiam ut fortitudinem ſuam intuentium civium theatro jactaret, ſaltu pontem fluminis ſcandit, inque amnem ſeſe tranſlatus alacri ſaltu præcipitat, omnemque latitudinem natat. Verùm minores animo corporis vires fuere, calens quippe ac vaporatus æſtu, fluminis frigore in intima penetrante, rigentes nervos ita contraxit, ut ipſis vitalibus vi frigoris ebriatis ſpe bonâ medici laberentur, ni amore in eum diligentiores fuiſſent. Et tum quidem fertur illud ſpecimen exſtitiſſe Alexandri virtutum ad amicitiam admirabile. Philippus medicus alvo ejus incitandæ potum parabat. Id Parmenion æmulus Philippo venenum noxium dicens, literis Regem uti poculo lethali prohibebat. Quas ubi Alexander hauſturus excurrit, chartam medico legendam præbens, illico ipſe poculum ſtringit, unaque vitium morbi & calumniæ diluit, docuitque amicitias probatas ſecundam non recipere deliberationem. Poſtquam id magnæ curæ Alexandro fuit, Ciliciam quoque ab hoſtibus purgare inſtituit. Jamque Mallon Urbem appulerat Ciliciæ non ignobilem, cum Darius ei adnunciatur cum omni apparatu belli biduum abeſſe. Quæ res Macedonas itinere præverſos tantum in belli ardorem ſpe præſumtæ victoriæ levat, ut ipſo biduo gravarentur morâ & tœdio. Ad Iſſum denique uterque concurrunt, aciemque anguſtis loci faucibus ſtruunt. Atque heic ſane operæ pretium foret, ſi modò ſuſcepta opera pateretur, referre in milites utrimque regalia incitamenta, ut hinc Græcis ultionis neceſſitas dicta ſit, & ſui dignitas, & præjudicia fortunæ; at contra Perſis adrogantia ventilata, ſummam, ubi fuerint, vitam illic relinquendam, ubi victoria ſequeretur. Quum verò Alexander Hammonis numine &c.

Doleo nunc, me cetera non deſcripſiſſe. Verùm ultra non ſum progreſſus, quippe fortaſſe nihil mihi tunc viſus eſt Libellus complecti, quod jam a Curtio, Arriano, aliiſque Scriptoribus, & quidem fuſius, in Vita Alexandri Magni, literis conſignatum non haberemus. Præterea ne ipſe quidem Libellus multum procedebat in geſtis illius enarrandis, & potiſſima forſitan paginarum pars in Codice deſiderabatur. Ceterum Anno Chriſti CCCLX. Conſtantius Auguſtus expeditionem Perſicam ſuſcepit, ſed morte præoccupatus complere non potuit. Heic autem & ſtili vigor, & Præfationis ſeries indicare videntur Scriptorem non alienum revera ab ætate Conſtantii Auguſti, & Latinum potiùs quàm Græcum. Videas etiam ab eo laudari *Librum illum Ephemeridos nomine, quem Terentius Varro Gneo Pompejo olim per Hiſpanias militaturo laboravit*, pro *elaboravit*. Varroniani hujus Operis apud quemquam alium mentionem nondum offendi. Proinde in eam conjecturam abii, non eſſe forſan hoc Opuſculum impoſturam Sæculorum ſubſequentium; immo nobis dolendum, excidiſſe jam, neque in Ambroſiano Codice legi, quæ ad Trajani itinera ſpectabant: hæc enim in primis Hiſtoriæ intererat nobis ſervata fuiſſe. Leguntur etiam in Codice MSto membranaceo Bibliothecæ Eſtenſis *Geſta Alexandri Magni*, ab impoſtore quodam ante complura Sæcula, uti videtur, conſcripta. Ibi multæ illius Epiſtolæ ad *Didimum Bragmanorum Didaſcalum*, *ad Candacem Reginam*, *ad Taliſtridam Reginam* &c. Aliæ *Darii*, *Porri Regum* &c. Subſequuntur *Geſta Julii Cæſaris*, & ipſa a ſciolo quopiam barbaricis temporibus digeſta, multiſque fabulis mixta atque fucata. Liceat addere, nondum mihi fuiſſe perſuaſum, *Phalaridis*, *Hippocratis*, *Diogenis*, aliorumque vetuſtiſſimorum hominum *Epiſtolas*, e quibus pleraſque Cujacius, vir Clariſs. evulgavit, certiſſimos eſſe illorum Auctorum fœtus, quorum nomen præſeferunt. Vereor ego, ne olim tam magnificis nominibus quiſquam illuſerit literario Orbi, aut ne exercitationis cauſsâ confictæ in Scholis literæ pro veris tamdem & venditatæ & exceptæ fuerint. Ita poſteriorum Sæculorum figmenta puto *Epiſtolas magni Turci a Laudivio Equite Hieroſolymitano* editas, quæ in altero Eſtenſis Bibliothecæ Codice Anno MCCCCLXXV. exaratæ occurrunt poſt Phalaridis Epiſtolas. Subſequitur in hoc eodem Codice *Quinctii Curtii viri clariſſimi Epiſtolarum Liber*. Hæc omnia ſuppoſiticia, ſimulque ridenda. Neque omittendæ Romanenſes Fabulæ, vetuſtis quoque Sæculis magni factæ, & ab otii amatoribus ſtudioſiſſime perquiſitæ, de quibus eruditiſſimum Tractatum noſtris temporibus edidit Clariſſimus Huetius. Immanis ejuſmodi Fabularum eſt antiquitas, eaſque Galli præcipue, Angli, & Hiſpani magnâ animi contentione excoluerunt, quum vulgus,

gus , ac muliebre in primis genus , hiſce dulcibus admirandiſque figmentis delectarentur . Cenſet de Marca in Hiſtor. Marcæ Hiſpanicæ Lib. 3. Cap. 6. *fabuloſarum Hiſtoriarum originem deberi in Occidente ingeniis Hiſpanicis, quæ eas componere olim amabant ad uſum hiſtrionum in theatris . Ex hoc fonte* , addit ille , *prodiit liber de Vita Karoli Magni editus ſub nomine Tilpini Archiepiſcopi Remenſis , ut inde ei conciliaretur auctoritas* . Et profecto Rodericus Toletanus Lib. 4. Rer. Hiſpanicar. Cap. X. quamquam plures & ipſe fabulas venditet , nihilominus ait : *Nonnulli hiſtrionum fabulis inhærentes , ferunt Carolum Civitates plurimas , Caſtra , & Oppida in Hiſpaniis acquiſiſſe* &c. Temperantiora verò in ejuſmodi ſtudio inani fuiſſe Italicorum ingenia , mihi perſuadeo , quum raros hanc in rem fœtus ab eorum calamo profectos Bibliothecæ nobis offerant . Immo Guilielmus Ventura Hiſtoricus in Chronico Aſtenſi, dum poſtremas tabulas Anno MCCCX. conderet , inter alia monita liberis ſuis relicta, hoc etiam protulit Tomo XI. pag. 228. Rer. Italicarum : *Fabulas ſcriptas in Libris , qui Romanzi vocantur , vitare debeant , quos ſemper odio habui* . Attamen ut oſtendam , ne illos quidem abhorruiſſe olim ab iſtis Fabulis , exerere juvat fragmentum non contemnendum , non ad eruditionem , ſed ad voluptatem Lectoris , ficta minime averſantis , fortaſſe non inu-

A tile . Jam quidquid Chronici Novalicienſis Monaſterii congeſſiſſe potui , conjeci in Corpus Rer. Italicar. Part. II. Tomi II. pag. 700. Monuit me poſtea nobilis vir , & antiquitatum ſtudioſiſſimus, Comes de Robilant , Taurinenſis , ſe incidiſſe in vetuſtiſſimas membranas , mutilas tamen, e quibus illud ipſum Chronicon deſcriptum ante fuerat . Illic deſiderari quidem multa , quæ ego deperdita dolueram : ſupereſſe nihilominus paucula , mihi nondum viſa , quæ pro ſua humanitate etiam offerebat . Ad excipiendum hoc munus me ſane impigrum non præbui. Dixeram in Præfatione ad idem Chronicon , ejus Auctorem fabulis mirum in modum fuiſſe deditum . Acceptis novis hiſce

B fragmentis, luculentius in eadem ſententia ſum confirmatus . Is autem in Waltharii Monachi geſtis recenſendis ante oculos habuiſſe videtur Fabulam quampiam Romanenſem , Sæculo fortaſſe Decimo a Chriſto nato conſcriptam , & metro illigatam : nam quæ fabuloſa de ipſo narrat , aut ex integris verſibus , aut ex hemiſtichiis pleraque conſtant . *Metricanorum* ipſe non uno in loco laudat , ideſt Poëtam , a quo is verſus illos fuerat mutuatus . Ea autem , qualiacumque ſint , apponere juvat , tum ut quæcumque de Novalicienſi Chronico ſuperſunt, in omnium manibus verſentur , tum etiam , ut Lector habeat ſpecimen Romanenſis Fabulæ tamdiu in Italia confectæ.

Fragmenta Chronici Novalicienſis, inter quæ Fabula de Waltharii Monachi primis geſtis Heroicis , Sæculo , ut videtur , Decimo conſcripta occurrit .

. . . . (a) *plenus miraculis claruit . Hic nullum theſaurum in ipſo fabricavit vel adunavit loco , quemadmodum hodie cernitur in ipſis vaſis aureis & argenteis, vel Libris ab ipſo compoſitis . Eodem autem tempore veniens quidam Monachus in ipſa Abbatia ad Abbatem Eldheradum, virum omnia ſanctiſſimum , qui habitabat in vallem Bramitinenſem, ubi hodie dicitur Monaſterium . Habentur nam quædam in eo balnea calida, muro & calce olim compoſita, & quatuor Eccleſiæ ab eiſdem Monachis ædificatæ : una in honore Sanctæ Dei Genitricis : alia namque in honore beati Petri : tertia verò in honore Sancti Andreæ : & quarta in honore beati Martini glorioſi Confeſſoris. Vallis ipſa venationibus & piſcationibus apta, ſed a ſerpentibus oppido infeſta. Hujuſmodi verò Monachi, ut ſupra dixi, quum veniſſent ad Abbatem Eldheradum , inſinuaverunt illi omnem moleſtiam illarum ſerpentium, dicentes*: Domine , *inquiunt*, nequimus ultra manere in eodem loco, ubi hactenus habitavimus , propter multitudinem ſerpentium inibi manentium . *Qui ait illis*: Nolite timere ; ſed revertimini, & terram illam more ſolito operamini. Ego enim ocius ſubſequar vos. *Illis autem regredientibus, ſecutus eſt eos Abbas ille venerabilis cum aliquantis Fratribus , ubi quum perveniſſent ad prædictum Vicum, oratione factâ, in circuitu ipſius Vici cum ferula, quam manu geſtabat , cœpit ire, ac multitudinem ſerpentium congregans, adunavit eas in loco quodam modicum cavato . Ibique præcipiens eis in nomine Domini*

C *cunctis diebus manere, dicens etiam*: Si contigerit vobis uſquam progredi, præcipio vobis in nomine Domini, nemini hominum noceatis . *Quæ uſque in hodiernum diem obediunt cunctæ Abbatem illum. Sed quum a magno æſtu contingit eas calefieri, videntur aliquantulum peragrare per Vicum, & per domos intrare, & ad ignem uſque progredi; aliquando inter duos jacentes in lecto inveniuntur, aliquando verò in cunabulo cum puero cubare abſque ullo nocumento. Eſt autem locus ille, ubi prædictæ manent ſerpentes, modicus ; qui manent in petrarum foraminibus ; & eſt locus ipſe ſitus juxta Aguzanc fluvium .*

D Explicit Liber Primus.

Incipiunt Capitula Libri Secundi. (b)

ERat (c) *autem Vallis ipſa valde decora , hominibus copioſa & perluſtrata Eccleſiis . . . . in orationibus, ubi tantus Monachorum orabat exercitus ; in qua nonnullæ erant Eccleſiæ, in quibus dum prædicti manebant Monachi ſeni vel duodeni , quos cibo & veſtimento adornare accurabant. Et in ipſo Monaſterio Cœnobitæ ipſi prædicti ſunt, qui plures in communem habitant , ut beatus Hieronymus ad Virginem . . . . dicit . Prima apud eos erat confœderatio prædictis majoribus , & quidquid*

E *dixiſſent , facere . . . . centurias . . . . . . haberent . Manebant igitur prædicti ſeparatis & ſejunctis cellulis , uſque ad horam plenam ter-*

(a) E Libri Primi , qui jam integer excidit , Capite poſtremo pauca hæc ſuperſunt .

(b) Liber Secundus jam editus eſt , exceptis ſubſequentibus fragmentis .

(c) Hæc ſunt addenda ad Caput Primum Libri Secundi .

tertiam, ſecundùm inſtitutum illis erat. Ibique Pſalmis, Hymnis, orationibus unuſquiſque vacabat. Nemo pergebat &c. (d)

„ *Aſt* (e) *adoleſcentes propriis conſpectibus ambos*
„ *Semper ineſſe jubet, ſed & artibus imbuit illos:*
„ *Præſertimque jocis belli ſub tempore habentis,*
„ *Qui ſimul ingenio creſcentis mentis & ævo,*
„ *Robore vincebant fortes animoque Sophiſtas,*
„ *Donec jam cunctos ſuperarent fortiter Hunnos.*
„ *Militiæ primos tunc Attila fecerat illos.*

Sed non immeritò: quoniam ſi quando moveret bella per inſignes regionum illarum, iſti ex pugna victoriâ micabant. Ideoque Princeps ille quidam dilexerat illos. Virgo etiam, quæ cum ipſis ducta fuerat captiva, Deo ſibi præſtante, Reginæ placavit vultum, & ipſa auxit illi amorem. Nobilis ergo moribus & operibus abundans ſapientiæ, & ad ultimum verò fit ipſa Regis & Reginæ theſauris cuſtodia cunctis, & modicum deeſſe quin regnet & ipſa;

„ *Nam quidquid voluit de rebus fecit & actis.*

Gybicus interea Rex Francorum defungitur, & Regno illo Cundharius ei ſucceſſit filius, ſtatimque fœdera Pannoniarum diſſolvit, atque cenſum illi deinceps negavit. At verò Haganus exul agnitâ proprii Domini morte, illico fugam parat. Ex cujus diſceſſu Rex cum Reginâ multum dolentes, Waltharium *retinere nitentes, ne fortè ſimili exitu illum amitterent, rogare illum cœperunt, ut filiam alicujus Regis Satrapis Pannoniarum ſumeret ſibi uxorem, & ipſe ampliaret illi rura domoſque. Quibus* Waltharius *talia reſpondit verba:* Si nuptam, *inquit*, accipiam, ſecundùm Domini præceptum, in primis vinciar curis & amore puellæ,

„ Ædificare domos, cultumque intendere ruris

Nil ergo, mi Senior, tam dulce mihi, quam ſemper tibi ineſſe fidelis; teque, optime, deprecor, Pater, per propriam vitam, atque per invictam gentem Pannoniarum,

„ Ut non ulterius me cogas ſumere tædas.

Quum hæc dixiſſet, ſermones ſtatim deſerit omnes. Sicque Rex deceptus, ſperans Waltharium *recedere numquam. Moxque Satrapæ illi certiſſima venerat fama de quadam gente quondam ab Hunnis devicta, ſuper ſe iterum hoſtiliter ruente. Tunc ad* Waltharium *convertitur actio rerum;*

„ *Quos mox militiam percenſuit ordine totam;*
„ *Et bellatorum confortat corda ſuorum.*
„ *Nec mora. Conſurgit ſequiturque exercitus*
„ *omnis.*

Et ecce locum conſpexerat pugnæ, & numeratam per latos aciem campos; jamque congreſſus uterque infra teli jactum

„ *Conſtiterat cuneus. Tunc utique clamor ad auras*
„ *Tollitur, horrendâ confundit claſſica voce:*
„ *Continuoque haſtæ volitant hinc indeque denſæ,*
„ *Fraxinus & cornua ludum miſcebat in unum,*

A „ *Fulminis inque modum cuſpis vibrata micabat.*
„ *Fulmineos premunt enſes, clypeoſque revolvunt.*

Inde concurrit acies, & per modum pugnam reſtaurant, ibique pectora equorum partim rumpuntur pectoribus; ſternuntur & quaſdam partes virorum duro umbone.

„ Waltharius *tamen in medio furit agmine bello,*
„ *Obvia quæque metens armis, hac limite pergens.*
„ *Nunc ubi conſpiciunt hoſtes tantas dare ſtrages,*
„ *Ac ſi præſentem metuebant cernere mortem,*
„ *Et quemcumque locum, ſeu dextram ſive ſiniſtrâ*
„ Waltharius *peteret, cuncti mox terga dederunt.*

B *Quumque ex victoria coronatus lauro* Waltharius *cum Hunnis reverteretur, mox Palatini Miniſtri arcis ipſius læti occurrerunt, equitemque tenebant, donec vir inclytus ex alta deſcenderet ſellâ. Quemque demum fortè requirunt, ſi bene res vergant. Qui modicum illis narrans intraverat aulam. Erat enim oppido lapſus, Regiſque cubile petebat. Illicque in ingreſſu Hilgundem ſolam offendit reſidentem; cui poſt amabilem amplexionem atque dulcia oſcula dixit:*

„ Ocius huc potum ferto, quia feſſus anhelo.
„ *Illa mero tallum complevit mox pretioſum,*

C *atque* Walthario *ad bibendum obtulit: quem ſignans recepit, virgineamque manum propriâ conſtrinxit. At illa reticens vultum intendit in eum. Quumque* Waltharius *bibiſſet, vacuum vas reddidit illi. Ambo enim noverant de ſe ſponſalia facta.*

„ *Provocat & tali caram ſermone ...... velli.*
„ Exilium pariter patimur jam tempore tanto.

Non ignoramus enim quod noſtri quondam parentes

„ Inter ſe noſtrâ de re fecere futurâ.

D *Quæ quum diu talia & alia hujuſmodi audiſſet virgo verba, cogitabat, hoc illi per ironiam dicere. Sed paululum quum conticuiſſet, talia illi fatur:*

„ Quid linguâ ſimulas? quid ab imo pectore
„ damnas?
„ Ore mihi fingis toto, quod corde refutas;

tamquam ſi ſit tibi magnus pudor ducere nuptam

„ *Vir ſapiens contra reſpondit, & intulit iſta:*
„ Abſit, quod memoras. Dextrorſum] porrige
„ ſenſum.

E Scis enim numquam, me ſimulatâ mente locutum. Adeſt heic nullus, exceptis nobis duobus. Amodo namque eſto mente ſolicita, quæ extrinſecus es Regis Reginæque theſauris cuſtoda.

„ In primis galeam Regis, tunicamque trilicem
„ Affer, loricam fabrorum inſigne ferentem.
„ Diripe bina, dehinc mediocria ſcrinia tolle.
„ His armillarum tantùm da Pannonicarum,
do-

(d) ut in editis.
(e) En Romanenſis Fabulæ verſus. Hi vero cum reliquis, quæ in hoc fragmento prolixiori ſuperſunt, addendi ſunt ad Caput Nonum Secundi Libri.

donec vix releves unum ad pectoris onus.

„ Inde quater binum mihi fac de more co-
„ thurnum.
„ Inſuper a fabris hamos clam poſce retortos.
„ Noſtra viatica ſint piſces, ſimul atque volucres.
„ Ipſe ego piſcator, ſed auceps eſſe cohortor.
„ Hæc intra hebdomadem caute per ſingula
„ comple.

Audiſti, quod habere vianti neceſſe eſt.

„ Poſtquam ſeptenos Phœbus remeaverit orbes,

convivia læta parabo Regi ac Reginæ, Satrapis, Ducibus, famuliſque; atque omni ingenio potus ſæpius illinire ſtudebo, ita ut nullus ſuperius ſit, qui ſciat, vel recognoſcat, cur vel ob quam cauſam factum ſit tale convivium. Te tamen præmoneo, mediocriter vino utere, ut vix ſitim extinguas ad menſam. Reliqui verò quum ſurrexerint, tu illico ad nota recurre opuſcula. At ubi potus violentia ſuperaverit cunctos,

„ Tunc ſimul Occiduas properemus quærere
„ partes.

Virgo verò dicta viri valde memor præcepta complevit. Et ecce præfinita dies epularum venit, & ipſe

„ *Waltharius magnis inſtruxit ſumtibus eſcas.*

Luxuria denique in mediâ reſidebat menſâ. Rex itaque ingreditur aulam velis undique ſeptam. Heroës itaque ſolito ſalutans, quem magnanimitas duxerat ad ſolium, quem byſſus compoſuit & oſtrum.

„ *Conſedit, laterique Duces hinc indeque binos*
„ *Aſſidere iubet, reliquos locat ipſe Miniſter.*

Centenos ſimul accubitus, & diverſas dapes libans conviva redundat. His ſublatis aliæ referuntur edendæ,

„ *Et pigmentatas crateres Bacchus adornat.*
„ *Waltharius cunctos ad vinum hortatur &*
„ *eſcam.*

Poſtquam depulſa fames, atque ſublata menſa, Waltharius jam dictus Dominum lætanter adorſus, dixit: In hoc rogito gratiam veſtram, ut clareſcat in primis, atque vos reliquos lætificetis:

„ *Qui ſimul in verbo nappam dedit arte pa-*
„ *ratam,*

geſta referentem prior . . . . ordinem ſculturæ ipſius, quam Rex accipiens uno hauſtu vacuaverat. Et confeſtim jubet reliquos omnes tali bibitione incitari. Tunc citiſſime accurrunt pincernæ atque recurrunt: pocula plena dabant, & inania ſuſcipiebant.

„ *Ebrietas fervens totâ dominatur in aulâ*
„ *Balbutit madido facundia fuſa palato.*

Seniores fortes videres plantis titubare:

„ *Taliter in ſeram perduxit Bacchica noctem*

A *Nam in re volentes Waltharius munere retraxit, donec perfeſſi ſomno, potuque gravati, per porticibus ſternuntur humo tenus omnes paſſim. Etiamſi tota Civitas igne fuiſſet ſuccenſa, & ipſa flammivoma ſuper ipſos craſſari videretur, ſcilicet minitans mortem, nullus remanſiſſet, qui ſcire potuiſſet cauſam. Tamdem dilectam vocat ad ſe mox mulierem, præcipiens cauſas quantocius deferre paratas. Et ipſe de ſtabulis duxit meliorem equorum, quem ob virtutem Leonem vocitaverat ipſe.*

„ *Stat ſonipes ac frena ferox ſpumantia mandit.*

Poſtquam enim hunc caballum ligamentis ſolito B *circumdederat, ecce ſcrinia plena gazæ, quibus utrique ſuſpendit lateri, atque itinere longo modicella ponit cibaria,*

„ *Loraque virgineæ mandat fluitantia dextræ.*

Ipſeque veſtitus lorica more gigantis, atque capiti impoſuit ſuo rubras cum caſſide criſtas, ingenteſque complectitur aureis ocreis, & lævum femur ancipiti præcinxerat enſe,

„ *Atque alio dextrum pro ritu Pannoniarum.*
„ *His tamen ex una tantùm dat vulnera partem.*
„ *Tunc haſtam dextrâ rapiens, clypeumque ſini-*
„ *ſtrâ,*

C *cœperat inviſâ terrâ trepidus decedere.*

„ *Femina duxit equum, nonnulla talenta ge-*
„ *rentem.*

Ipſa verò in manibus virgam tenet ſimul colurnam, in qua piſcator hamum tranſponit in undam. Nam idem vir maxime gravatus erat undique telis: ob hoc ſuſpectam habuit cuncto ſibi tempore pugnam. Sed quum prima lumina Phœbus rubens terris oſtendit,

„ *In ſilvis latitare ſtudent, & opaca requirunt.*

D *Ergo tantùm timor pectora muliebria pulſabat, ut ad cunctos ſuſurros auræ vel venti hæreret, formidans colliſos racemos ſive volucres.*

„ *Vicis diffugiunt, ſpatioſa novalia linquunt,*
„ *Montibus intonſis curſus ambage recurvos.*
„ *Aſt Urbis Populus ſomno, vinoque ſolutus.*
„ *Sed poſtquam ſurgunt, ductorem quóque re-*
„ *quirunt,*
„ *Ut grates faciant, ac feſtâ laude ſalutent.*

Attila nempe utraque manu caput amplexatus; egrediturque thalamo ipſe Rex. Waltharium dolendo advocat, ut proprium quæreret fortè dolorem. Cui reſpondent ipſi Miniſtri, ſe non potuiſſe invenire virum; ſed tamen Princeps ſperat, eumdem Waltharium in ſomno quietum recubare, tentum hactenus, ac occultum locum ſibi delegiſſe ſopori. Oſpirin *verò Regina (hoc illi nomen erat) poſtquam cognovit Hildegunde abeſſe, nec veſtem deferre juxta ſuetum morem, triſtior Satrapæ immenſis ſtrepens clamoribus dixit*

„ O deteſtandas, quas heri ſumſimus eſcas!
„ O vinum, quod Pannonias deſtruxerat omnes!
„ Quod domino Regi jam dudum præſcia dixi,
„ Approbat iſte dies, quem nos ſuperare ne-
„ quimus.

Heu! hodie imperii noſtri cecidiſſe columna noſcitur. En robur procubuit, & inclyta virtus!

„ Waltharius lux Pannoniæ diſceſſerat inde.
„ Hildegunde mihi caram deduxit alumnam!

Jam Princeps efferâ nimiâ ſuccenditur irâ. Mutant priorem lætitiam mœrentia corda. Sic inteſtinis Rex fluctuatur undique curis, atque ipſo quippe die faſtidit omnino potum & eſcam, nec placidam curam membris potuit dare quietem. At ubi nox ſupervenit atra, decidit in lectum, ubi nec lumina clauſit, vertiturque frequenter de latere in latere, tamquam ſi jaculis transfixus eſſet acutis. Indeque ſurgens diſcurrit in Urbem,

„ *Atque thorum veniens, ſimul attigit atque*
„ *reliquit.*
„ *Taliter inſomnem conſumſerat Attila noctem.*

At profugi comites per amica ſilentia euntes. Tunc Rex notum fecerat, ut ſi quis Waltharium illi vinctum afferret, mox illum auro veſtiret ſæpe recocto. Sed nullus in tam magna regione fuit inventus Tyrannus, Dux, ſive Comes, ſeu Miles, ſive Miniſter, qui quamvis proprias oſtendere cuperet vires, Waltharium aliquando iratum præſumſerit armis inſequi. Nota ſiquidem virtus ejus facta fuerat prope omnibus habitatoribus. Qui Waltharius, ut dixi, fugiens, noctibus ivit, atque die ſaltus requirens & arbuſta denſa; heic verò arte accerſitâ pariter volucres arte capit:

„ *Nunc fallens viſco, nunc fiſſo denique ligno.*

Similiter in flumina immittens hamum, rapiebat ſub gurgitibus prædam.

„ *Sicque famis peſtem pepulit tolerando laborem.*

Namque toto tempore fugæ ſe virginis uſu continuit vir Waltharius, laudabilis heros.

Et ecce quadraginta dies Sol per Mundum circumflexerat, ex quo Pannoniâ fuerat digreſſus ab Urbe. Ergo ea die, quo numerum clauſerat iſtum, venit ad fluvium jam veſpere mediante, cui nomen eſt Rhenus, quâ curſus tendit ad Urbem nomine Warmatiam Regali ſede nitentem.

„ *Illic pro naulo piſces dedit antea captos;*

quumque eſſet trans poſitus, graditur properanter anhelus. Orta verò dies: pariter exurgens præfatam venit in Urbem, ubi Regali coquo, reliquorum certe magiſtro, detulerat piſces, quos vir ille viator dederat. Hos verò dum pigmentis condiſſet & appoſuiſſet Regi Cundhario, miratus fatur ab alto: Ergo iſtiuſmodi piſces Francia numquam oſtendit. Dic mihi quantocius, quinam homo detulit illos? *Et ipſe reſpondens narrat, quod nauta dediſſet. Tunc Princeps hominem juſſit accerſire eumdem.*

„ *Et quum veniſſet, de re quæſitus eâdem,*
„ *Talia dicta dedit, cauſamque ex ordine pandit.*

Veſpere enim per terram reſidebam ego litore Rheni. Conſpexi: & ecce viatorem vidi feſtinanter venire, tamquam pugnare per membra paratum: qua re etenim penitus fuerat,

A Rex inclyte, cinctus; gerebat namque ſcutum gradiens, & haſtam coruſcam. Viro certe forti ſimilis fuit. Et quamvis ingens aſportaret onus, greſſum tamen extulerat acrem. Hunc incredibilis formæ puella decorata nitore aſſequebatur, ipſaque caballum per lora rexit robuſtum, bina quidem ſcrinia non parva ferentem dorſo. Quæ ſcrinia, dum cervicem ſcrupes crurum ſuperba glomerare cupiebat, dabant ſonitum, quaſi quis gemmis illiſerit aurum. Hic miles mihi præſentes pro munere dederat piſces. *Quumque hoc Haggano audiſſet verbum (reſidebat quippe ad menſam) cujus in medium promſit de pectore verbum:* Congaudete mihi, quæſo, quia utilia novi.

B „ Waltharius collega meus remeavit ab Hunnis.

Cundharius vero Princeps atque ſuperbus ex hac oratione vociferatur, & omnis mox ei aula reclamat: Congaudete mihi, jubeo, quia gazam, quam Gybicus Rex pater meus tranſmiſit Attilæ Regi Hunnorum

„ Hanc mihi cuncta potens huc in mea Regna
„ remiſit.

Qui quum dixiſſet talia, menſam pede percutit, & exiliens ducere equum jubet, & ſellam componere illico ſculptam, atque de omni plebe
C *duodecim elegit viros, vitâ inſignes, & animis probatos, inter quos ſimul ire Haganone jubebat, quos Hagano memor antiquæ fidei & prioris ſortis, nitebatur tranſvertere rebus. Rex tamen econtra inſtat & clamat:* Ne tardate: veſtra præcingite corpora ferris. *Instructi itaque milites telis (nam juſſio Regis urgebat) exibant portis, ut Waltharium caperent, ſed omnimodis Hagano prohibere ſtudebat. At infelix Rex cœpto itinere reſpicere non vult. Interea vir inclytus atque magnanimus Waltharius de flumine pergens venerat in Silvam ab antiquis temporibus vocitatam; nam nemus eſt ingens & ſpatioſum, atque repleta ferarum plurima habens. Ibi ſuetum canibus reſonare tubiſque. In*
D *ipſa itaque ſunt binæ montes in ſeceſſu ipſius atque propinqui, in quorum medio quamvis anguſtum ſit ſpatium, tamen ſpecus exſtat amœnum. Mox juvenis, ut vidit,* huc, *inquit,* eamus. *Nam poſtquam fugiens Avarorum armis diſceſſerat, non aliter ſomni requiem guſtaverat idem, quam ſuper innixus clypeo; vix clauſerat oculos. Tum demum bellica deponens arma, dixit virgini, in cujus gremium fuerat fuſus:* Circumſpice caute, Hildegunda, & nebulam ſi tolli videris atram, tactu blando me ſurgere commone. Etiamſi magnam conſpexeris ire catervam, ne ſubitò me excutias a ſomno, mi cara, caveto; ſed inſtantem cunctam circa explora regionem. *Hæc ait: ſtatim*
E *oculos conclauſerat ipſe deſiderantes frui jamdiu ſatis optata requie.*

„ *Aſt ubi Cundharius veſtigia pulvere vidit,*
„ *Cornipedem rapidum ſævis calcaribus urget.*
„ Accelerate, viri: jam nunc capietis eumdem.
„ Numquam hodie effugiet; furata talenta
„ relinquet.

Illico inclytus Hagano contra mox reddidit iſta: Unum tantùm verbum dico tibi, Regum fortiſſime. Si toties tu Waltharium pugnaſſe videres, quoties ego novâ cæde furentem, numquam tam facile ſpoliandum fortè putares.
Vidi

Vidi Pannonicas acies, quum bella egerent contra Aquilonares ſeu Auſtrales regiones:

„ Illic Waltharius propriâ virtute coruſcus,
„ Hoſtibus inviſus, ſociis mirandus obibat.
„ Quiſquis ei congreſſus erat, mox tartara vidit.
„ O Rex, & Comites, experto credite, quantùm
„ In clypeum ſurgat, quam bene torqueat haſtam.

Sed dum Cundharius, maleſanâ mente gravatus, nequaquam flecti poſſet, caſtris properabant. At Hiltgund de vertice montis procul aſpiciens pulverem ſublatum, venientes ſenſit, ipſum

„ *Waltharium placido tactu vigilare monebat.*
„ *Eminus illa refert, quaſdam volitare phalanges.*

Ipſe verò oculos tonſos ſomno, glaucomate purgans,

„ *Paulatim rigidos ferro veſtiverat artus.*

Quumque paululùm properaſſent, mulier coruſcantes ut vidit haſtas, ſtupefacta nimis, Hunnos hinc, *inquit*, habemus: *& illico in terram cadens effatur talia triſtis*: Obſecro, mi Senior, mea colla ſecentur, utque tuo non merui thalamo ſociari, nullius jam ulterius patiar conſortia carnis. *Cui Waltharius*:

„ Abſit, quod rogitas. Mentis depone pavo-
„ rem.

Ipſe Dominus, qui me de variis ſæpe eduxerat periculis,

„ Is valet heic hoſtes, credo, confundere no-
„ ſtros.

Hæc ait, oculoſque adtollens effatur ad ipſam: Non adſunt heic Avares, ſed Franci nebulones, cultores regionis.

„ *Aſpicit & gnoſcens adjunxit talia ridens*:

En galeam Haganonis: meus collega veteranus, atque ſocius. *Hoc Herus introitus ſtationis adibat, inferius ſtanti prædicens ſic mulieri*: Coram hac portâ verbum modò jacta ſuperbum: hinc nullus rediens Francus, qui ſuæ valeat nuntiare uxori, qui tantum præſumſerit tollere gazæ. *Nec dum ſermonem compleverat, & ecce humo tenus corruit, & veniam petiit, quod talia dixit. Poſtquam autem ſurrexit, contemplans cautius dixerat*: Horum, quos video, nullum timeo. Haganone remoto. Nam ille meos per prœlia ſcit mores atque didicit, tenet & hic etiam ſat callidus artem, quem ſi fortè valentem dum intercepero ſolum, ex aliis namque formido nulla.

„ *Aſt ubi Waltharium tali ſtatione receptum*

conſpexit Hagano Satrapæ mox iſta ſuperbo ſuggerit verba:

„ O Rex, mi Senior, deſiſte laceſſere bello
„ Hunc hominem. Pergant primo qui cuncta
„ requirant,

(f) Heic ſequitur Caput Decimum Libri Secundi editum.

(g) Deſideratur in editis Synopſis ſequentium Capitulorum.

A & gentem, & patriam, nomenque, & locum relictum; vel ſi fortè petat pacem ſine ſanguine. *Qui licèt invitus dicto Haganoni acquieviſſet, miſit illico mandans Waltharium reddere pecuniam, quam deferebat. Ad quod Waltharius talia fertur dediſſe verba*: Ego Patri ſuo eam non tuli, neque ſibi; ſed ſi voluerit eam capere, vi defendo eam effundens alterius ſanguinem. *Quumque hæc denuntiata eſſent Cundhario, protinus miſit, qui eum oppugnarent; vir autem ille fortis ut erat, viriliter ſe ab ipſis modicum defendens, illico interfecit. Rex autem, ut vidit, & ipſe protinus feroci animo ſuper eum vertitur. Waltharius verò nihil formidans, ſed magis ut ſupra viriliter*

B *inſtabat prœlio. Cepit autem & ex illis Waltharius victoriam, occiſis cunctis præter Regem & Haganonem. Qui quum eum nullatenus ſuperare poſſent, ſimulaverant fugam. Sperans ergo Waltharius eos inde diſcedere, reverſus in ſtatione, acceptâque omni ſuppellectili ſua, & ipſe mox cum Hildegunda aſcenſis equis cœpit iter agere. Quumque Waltharius egreſſus eſſet ab antro quinque vel octo ſtadia, tunc læti poſt terga ipſius recurrentes memorati viri, quaſi victum eum jam extra rupem cogitabant. Contra quos illico Waltharius, quaſi leo inſurgens, armis pertectus fortiter debellabat bellantibus ſibi. Qui diu multumque invicem pugnantes, ac præ nimia laſſitudine & ſiti deficientes, jam non valebant virorum fortiſſimum*

C *ſuperare. Et ecce reſpicientes viderunt a ſagma Waltharii vaſculum vini dependere.* (f)

Expliciunt Capitula Libri Quarti.

Incipit Liber Quintus. (g)

DE *quodam Monacho, qui ei unâ die alapham dedit.*
De alio Monacho, Stabilis nomine.
De Abbate Gotofredo, qui longe poſt mortem ſuam cuidam Fratri fugienti apparuit.
De latrone, qui in vico Novalicienſis furtum faciebat.

D *De lupo, qui ex eâdem Villa puerum deportavit, & minime comedit.*
De vaccario ejuſdem Eccleſiæ, qualiter eum beatus Petrus liberavit a ſerpente.
De luctu & planctu Dæmonum.
De Diabolo, qui in ſimilitudinem joculatoris cuidam Fratri apparuit.
De quodam Sancto, qui in ſimilitudinem Paſtoris ferulam geſtabat, & ibi cuidam Fratri apparuit.
De Manſionario ejuſdem Eccleſiæ.
Circa hæc tempora &c. (h)


Carolus (i) *Dei gratiâ* Rex Francorum & Longobardorum, *ac* Patricius Romanorum, *omnibus Epiſcopis, Abbatibus, Ducibus, Comitibus, Domeſticis, Vicariis, Centenariis, vel*

E *omnes Miſſos noſtros diſcurrentes, præſentibus & futuris. Hoc nobis ad ſtabilitatem Regni noſtri maxime credimus pertinere, ſi illa beneficia, quæ anteceſſores noſtri ad loca Sanctorum conceſſerunt, per noſtram auctoritatem confirmamus. Ideoque vir venerabilis* Frodoinus Abbas *clementiæ Regni noſtri ſuggeſſit, eo quod inclyti anteceſſores Reges, vel Dominus &* Genitor noſter *bonæ memoriæ* Pipinus *quondam* Rex, *inte-*

(h) Sequitur in editis pag. 730.

(i) Hæc addenda ſunt ad Caput Vigeſimum Libri Tertii.

integram . . . . ad Monaſterium Novalicis in Valle Sigoſina , quod eſt in honore beatorum Apoſtolorum Petri & Andreæ . vel ceterorum Sanctorum conſtructum , conceſſiſſent , ut nullus Judex publicus in rebus atque facultatibus ejuſdem Eccleſiæ ad cauſas audiendum , vel freda exigendum , nec manſiones , aut paratas faciendum , neque fidejuſſores ad homines ingenuos , aut ſervientes tollendum , nec nullas retributiones , (k) *quæ partibus Fiſci debebantur, requirendum inibi judicari . . . . . poteſtis , ingredere quoquo tempore non deberet. Unde & ipſas emunitates nobis in præſenti oſtendidit relegendas , per quas ipſum beneficium uſque nunc tempore conſervatum eſſe cognovimus. Sed per firmitatis ſtudium petiit Celſitudini noſtræ, ut hoc circa ipſo Abbate, ejuſque poſt eum ſuccedentibus confirmare deberemus . Cujus petitionem noluimus denegare . Sed ita in omnibus præſtitiſſe & confirmaſſe cognoſcite . Præcipientes enim, ut ſicut conſtat ab Anteceſſoribus Regibus , vel Domni Genitoris noſtri fuiſſe indultum , inſpectas ipſas emunitates, de omnibus rebus ipſius Eccleſiæ infra Regna Deo propitio noſtra Franciæ, Italiæ, in quibuslibet pagis & territoriis , ſub emunitatis nomine cum omnibus rebus conceſſis valeant poſſidere & dominare , & nulla requiſitione , nec ullum impedimentum a Judicibus publicis tam noſtro tempore , quàm & ſuccedentium Regum exinde habere non pertimeſcant . Sed ut diximus ſub integra emunitate abſque introitu Judicum in Dei nomine reſedeant . Et ut hæc auctoritas firmior habeatur vel diuturnis temporibus conſervetur , manu propria ſubter eam decrevimus roborare , & de annulo noſtro juſſimus ſigillare .*

Signum  *Caroli glorioſiſſimi Regis.*

Wigbaldus *ad vicem Radoni recognovi .*

Data X. Kalendas Junias, Anno XI. & V. (l)

Atque hactenus fragmenta Chronici Novalicienſis . Peto nunc veniam , ſi figmentis hiſce ſubnecto, non figmentum quidem, ſed dubium monumentum , videlicet Synodum Syriacam , nemini, ut reor , hactenus viſam , quam immortalis memoriæ Fridericus Cardinalis Borromæus Archiepiſcopus Mediolanenſis e Syrorum Lingua in Latinum ſermonem convertendam curavit , atque in Ambroſianam Bibliothecam a ſe inſtitutam intulit , unde illam ego hauſi . Atque utinam Synodus iſta , uti venerandam prima facie antiquitatem præfert , ita germanus & revera vetuſtiſſimus fœtus dicenda foret. Verùm hoc præſtare nequeo , metuens , ne Cardinali doctiſſimo luſum luſerit Syrus aliquis ſpe lucri ex hujuſmodi merce conceptâ. Habita hæc dicitur *Anno Undecimo Jeſdarged filii Saporis Regis* , videlicet Perſarum . qui Meſopotamiæ , aliiſve Syriæ partibus tunc dominabatur . Auctor eſt Theophanes in Chronico, eodem Anno, quo Arcadius Theodoſii Magni filius patri in Imperio ſucceſſit , hoc eſt Anno Chriſti CCCXCV. delatum quoque fuiſſe *Iſdegardi* Regnum Perſarum . Quum ergo Annus ejus Undecimus in Annum Chriſti CCCCV. incidat , eo ipſo celebrata fuerit hæc Synodus, dum tamen ab illa abſit omnis fraudis ſuſpicio. Et ſane ſub eodem Iſdegarde Rege floruit *Maruthas Epiſcopus Meſopotamiæ, vir eximiâ pietate præditus* . Illum ejuſmodi elogio ornat Socrates , Hiſtor. Eccleſiaſt. Lib. 7. Cap 8. qui & narrat , ejus ſanctis moribus & hortamentis Regem adeo fuiſſe commotum , *ut Maruthæ permiſerit , ubicumque vellet , Eccleſias ædificare . Exinde apud Perſas Chriſtiana Religio latius propagata eſt*. Parum etiam abfuiſſe tradit, quin Chriſto ſuum nomen Iſdegardes dederit : quod & Theophanes confirmat . Hæc ergo recte collineant in Regem & tempus , quo coacta dicitur Synodus iſta . Ad iſta accedant , quæ Illuſtriſſimus & Clariſſimus vir Joſeph Simonius Aſſemanus ante paucos annos in Tomo primo *Bibliothecæ Orientalis* adnotavit , dum Sancti Maruthæ Acta illuſtraret . Is nempe Chronicon Syriacum laudat , a Dionyſio Patriarcha Jacobitarum compoſitum, in quo Sanctus ille Epiſcopus floruiſſe traditur Anno Chriſtianæ Æræ CCCCXIV. diciturque duobus Conciliis in Regno Perſarum celebratis præfuiſſe , e quibus primum habitum fuit , imperante Arcadio Auguſto , alterum imperante Theodoſio juniore Auguſto . Quare confluunt & iſta ad perſuadendum nobis, revera celebratam fuiſſe Synodum a Sancto Marutha , cujus Acta fortaſſis uſque ad nos ſervata fuerint . Verùm dum ego , quæ ſe mihi obtulere , publici juris facio, primo perpendatur velim , an *Rex Jeſdarged* recte *Saporis Regis filius* appellatus fuerit . Deinde num ejuſmodi Concilium facile putandum ſit in Symbolo pronuntiaſſe , ſe amplecti *Sanctum Paracletum vivum de Patre & Filio* . Quum enim in fine adnotatum fuerit , Synodum iſtam fuiſſe habitam *poſt Synodum CL.* ideſt Epiſcoporum , in Concilio Conſtantinopolitano OEcumenico Primo congregatorum Anno Chriſti CCCLXXXI. Symbolum tunc efformatum tantummodo habet, Spiritum Sanctum *a Patre* procedere . Num & *a Filio* proceſſerit , diu poſtea agitata fuit acriter quæſtio inter Latinos & Græcos . Quare heic ſuſpicionem juſtam aut confictı , aut interpolati Concilii ingerit hujuſmodi ſententia. Canone etiam Octavo, ſi *Cuchari* appellatione Romanus Pontifex venit, uti Interpres in poſtrema adnotatione contendit : perpendendum eſt, an affectatione prorſus careat , quod ibi ſcriptum eſt. Quamquam fortaſſe referri hæc poſſint ad Antiochenum Patriarcham . Reliqua omitto , ut & ſuus Lectori erudito ſit locus in exigendo ad lapidem Lydium Opuſculo iſto .

(k) *fortè* redhibitiones.

(l) Reliqua, ut in editis.

Syno-

Synodus Syriaca habita Anno Chriſti 405. atque in Latinam Linguam tranſlata.

Canones aliqui & ordinationes, quæ poſitæ fuere a Synodo Epiſcoporum facta in Soloc & Cataiſphon Civitatibus poteſtatis Regni Perſarum, in legatione Sancti Maruthæ Epiſcopi Miphractenſis *ad* Jeſdarged Regem, Anno Undecimo *ipſius Jeſdarged* filii Saporis Regis.

Convenere Epiſcopi quadraginta in Soloc & Cataiſphon, & erant ipſorum præcipui Iſaac *Catholicus &* Archiepiſcopus ipſius Soloc & Cataiſphon, *&* Marutha ejus frater. *Et conſedere in Eccleſia magna ipſius Soloc & Cataiſphon Menſe Februarii, tertiâ feriâ. Et quum legiſſent Epiſtolam miſſam ad eos ab Occidente ab Epiſcopis in terra Romanorum, & conſcripti erant Canones, qui poſiti fuere in Occidente, poſuerunt ipſi Canones hos, qui ſcripti ſunt infra.*

I. *In omnibus Eccleſiis prius Oratio & precatio & obſecratio & ſupplicatio offeratur coram Deo vivo & ſancto pro Regibus, & Principibus, ut habitationem tranquillam & quietam habitemus cum tota ſanctitate & juſtitia, & ipſi non excogitent cogitationem ſuperbam & aſperam adversùs Populum Dei.*

Symbolum poſitum ab ipſis Epiſcopis iſtis Perſis.

II. *Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, qui per Filium ſuum fecit Cœlum & Terram, & per ipſum condita ſunt ſecula ſuperius & inferius, & inſuper fecit reſurrectionem & gaudium toti creaturæ. Et per ipſum Filium ſuum Unigenitum, qui natus eſt de ipſo de ſubſtantia Patris ſui, Deus de Deo, lumen de lumine, Deus verus de Deo vero, natus & non factus: qui eſt Filius naturæ Patris ſui; qui propter nos homines, qui per ipſum creati ſumus, & propter noſtram ſalutem deſcendit, & induit corpus humanum, & factus eſt Homo, & paſſus, & reſurrexit tertia die, & aſcendit in Cœlum, & ſedit ad dexteram Patris ſui, & venturus judicare vivos & mortuos. Et confitemur in Spiritum vivum &* Sanctum Paracletum vivum de Patre & Filio, *in una Trinitate, in una ſubſtantia, in una voluntate, amplexantes Fidem CCCXVIII. Epiſcoporum habitam in Nicæna Civitate. Quæ eſt profeſſio noſtra, & Fides noſtra hæc, quam accepimus a Patribus noſtris Sanctis, definitio poſita a Synodo ſancta.*

III. *Quicumque Epiſcopus fiat ab uno Epiſcopo, aut a duobus, deponatur factus & faciens. Itaque quum fit Epiſcopus, conveniant Epiſcopi in Civitatem illam, pro qua inquiritur Epiſcopus, & conſilio & cogitatione Communitatis rogitent, & exquirant de viro, qui habeat curam pauperum, & recipiat hoſpites, & reficiat anguſtiato, & cibet orphano, & viduas, & pecuniam ſuam ad uſuram non det, & ſubornationem non admittat, & in facies in judiciis non accipiat, & a gula & dilectione ventris elonget ſe, & ſit verbo & ſapientia & doctrina Scripturæ die nocteque exercens ſe, & in eo intellectus & prudentia dirigendi omia convenientia Eccleſiæ, quæ requiruntur ad regem Chriſti. Unde congregati Epiſcopi cum facultate & cum Epiſtola ipſius Metropolitani*
A *& Archiepiſcopi in Populo & Eccleſia ejus, quod fit ante altare ſanctum tempore, quo offertur Sacrificium, imponatur Euangelium ſanctum ſuper caput ejus, & extendant dexteram ſuper eum omnes æqualiter. Et qui eſt inter eos caput & Senior ceteris congregatis, ille ipſe recitet ordinationem. Et poſtea accedat Epiſcopus, qui eſt ordinatus, & præficiatur a Metropolitano magno Catholico Solec & Cataiſphon, ferens ſecum Epiſtolam ab Epiſcopis illis, qui eum ordinarunt. Qui verò auſus fuerit & nobis & Epiſcopis alium fecerit aut in vita aut in morte juxta definitionem iſtam poſitam a Synodo magna ac ſancta, factus & factor a toto Clero Eccleſiæ ſine miſericordia rejiciatur.*

B IV. *Circa Eunuchos verò ſecundùm quod ordinatum eſt in Synodo, ita & nos ſervamus, quia omnis vir, qui voluntate propria abſcindit ſe, & naturam ſuæ conditionis lædit, hic in Eccleſia non admittitur. Quod ſi in ſua pueritia a dominis ſuis violenter aut a barbaris abſciſſus fuerit, aut in infirmitate deciſus eſt a Medicis, admittitur in Clerum Eccleſiæ, id quod permittit ei Canon Eccleſiæ.*

V. *Circa habitatrices, ſicut juſſum eſt a Synodo, omnes nos facimus, quia deinceps omnis vir Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aut Subdiaconus, aut Clericus, cujus habitatio cum feminis fuerit, & honeſte & ſancte ſeorſim, ut decet ordinem miniſterii Eccleſiæ, non*
C *fuerit monaſtice viri cum viris ſeorſum, & feminæ cum feminis ſeorſim, hic in miniſterio Eccleſiæ nobiſcum non recipitur.*

VI. *Circa lucra obſcœna & conventiones, & uſuræ, de quibus mandatum eſt in Synodo ne fiant, omnes nos alacriter ſervamus, quia deinceps omnis vir, qui in miniſterio Eccleſiæ noſtræ eſt in aliquo graduum Clericatum, & uſuris & conventionibus utitur, alienus Eccleſiæ noſtræ, miniſterioque noſtro eſt, & commixtionem nobiſcum non habet.*

VII. *Circa auguria, & incantamentum, & opera aliena iniquitatis & peccati, hæc, quæ competunt Paganiſmo, & ligationes, & veneficium, & totus cultus Dæmonum, hæc omnia*
D *anathemate & maledictionibus ab omnibus Eccleſiis, & filiis Fidei noſtræ negentur; & qui inventus fuerit in aliquo iſtorum, ſine miſericordia ejiciatur a tota Eccleſia Chriſti, & uſque in æternum miſericordia non ſit ſuper eum.*

VIII. *Canon verò iſte injunctus in Synodo, ut bis in anno quolibet congregentur Epiſcopi in Synodo ad invicem, ut per eorum congregationem omnis diſſenſio & calumniæ ceſſent; rogatu magno præcipuos Synodi rogamus & perſuademus, ut in duos annos, ideſt ſecundo quoque anno ſemel congregentur, ſedente Rege in Soloc & Cataiſphon, & ſcribente ad nos Dominus Metropolitanus magnus, & Archiepiſcopus, qui ſedet ſuper thronum* Cucharum, *alacriter con-*
E *gregamur, & ad adorationem, & honorem Paternitatis ejus convenimus, & quidquid juſſerit nobis in verbo Dei ſine mora exſequimur, & legem, quam in Chriſto Domino noſtro imponit nobis, recipimus, & cum tremore & amore ejus voluntati conſentimus.*

IX. *Quoad domum verò, in qua ſunt recipiendi hoſpites & pauperes, ut in omnibus Eccleſiis noſtris ſit deſtinata, conſentimus ac perſuaſi*

ſuaſi ſumus, ut oporteat per epiſtolam recipiantur ab Epiſcopo ad Epiſcopum ejus ſocium, aut a Presbytero ad ſibi ſimilem.

X. *Ac ne accedant Presbyteri & Diacones & Subdiacones ad refectorium pauperum, ſed ſit notum cœnaculum Clericorum & portiones inde non ſit licitum eis ſumere, ne fortè dedecus & injuria adversùs libertatem Eccleſiæ contingant, omnes nos conſenſimus, & conſentimus.*

XI. *In loco quoque diſcumbendi . . . . . . in cœnaculis non eſt in . . . . . . lugentium neque in nuptiis. Quicumque eſt in Eccleſia & Presbyteris aut & Diaconibus, aut & Subdiaconis, aut filiis ſtatus, aut conſecratis, aut cuſtodibus januæ conſentimus, ut nullo modo liceat eis diſcumbere.*

XII. *Utque in omni die Dominico legatur Euangelium cum aliis Libris, & verbum ediſſeratur uſque ad tertiam horam, & ad quartam horam, & tunc Sacrificium offeratur, omnes nos conveniens eſſe definimus.*

XIII. *Quoniam autem multa, quæ ſunt ſermone illo Canonum Synodi Sanctæ illius Nicænæ, recepimus, adjudicamus, ut quilibet vir aut Epiſcopus Metropolitanus, qui præeſt tribus aut quatuor aut quinque Epiſcopis, aut etiam pluribus forte, ſcribat ipſos Canones iſtos, & coram oculis ſuis ſint ſemper, & ſecundùm eos conſtituant Epiſcopi omne negotium, & ſecundùm eos ſtatuant convenientia pro Poteſtatibus ſuis; poſt verò pauca ipſorum actuum Synodi Epiſcoporum Perſarum.*

XIV. *Seditio quoque Chorepiſcopi multi, qui efficiebantur in una regione, ſeu Diœceſi, deinceps non fiat, neque ſint plures, ſed unus Chorepiſcopus ſit uni Epiſcopo, & ſufficiat ei, & ubi ſunt plures, interea abſolvantur.*

XV. *Et ſingulis Epiſcopis in Civitatibus ſuis unus Archidiaconus ſit deſtinatus eis, qui & rationalis ac prudens & ſapiens eſt in ſermone ac doctrina; ſitque ei cura circa pauperes, & ſolicitus hoſpitum, & verſatus in miniſterio Eccleſiæ, ad corrigendum & ordinandum omnia convenientia.*

XVI. *Et die Dominico ſuper cathedram concionem Diaconi præſente Epiſcopo, ipſe prædicet Euangelium, ipſe legat, & de omni opere requiſito ad miniſterium Eccleſiæ ipſe jubeat, & brachium & lingua & honorans Epiſcopo ipſe ſit, & voluntate occulta Epiſcopi per eum fiat palam, & Presbyteros ſuper ſedilia ipſa ſedere curet, & in capite Diaconorum ipſe ſedeat ſecundùm ordinem, quo ſederit Epiſcopus ſuper thronum.*

XVII. *Item Miniſtros hos, qui vocantur Exorciſtæ, ſuper januas tempore miniſterii ipſe conſtituat, & Libros Lectoribus ipſe injungat & tradantur, & Presbyteris & Diaconis & Subdiaconis ipſe diſtribuat Hebdomadam, ut conferat Baptiſma & inſerviat Altari, & caveant templo & ejus orationibus & rebus. In omnibus Eccleſiis, in quibus ſunt Epiſcopi, ita faciant.*

XVIII. *Qui hebdomadas recipiunt, & bonis Eccleſiæ cibentur, & eorum cubile ſit in domo illa denominata in omni loco nomine miniſtrorum, & omnis Eccleſia & Civitas pro ſua magnitudine diſtribuantur in ea homines hebdomadis. Circa verò proventus & reditus, qui ſequeſtrantur, & dantur viro illi, qui factus eſt Major-domus fidelis Eccleſiæ, hæc lex ſit, ut claves diſpenſationis & adminiſtrationis ſuper Altare ponantur, & qui futurus eſt Major-domus, ab Altari recipiat ea, & quum deponit adminiſtrationem, aut ipſe ejus Epiſcopus vult eum abſolvere ab hoc negotio, ſuper Altare ponat ipſas claves, & ut meretur retributionem ſuam a Domino Altaris, ſive bene ſive male recipiet.*

XIX. *Quicumque verò vir Presbyter, qui in Civitate eſt, & ægrotans non ægrotat, & ſuper ſedilia cum ſuis collegis tempore orationis non reſidet, & tempore concionis coram Altari non ſtat, deponatur a miniſterio.*

XX. *Archidiaconus autem dicito viro Presbytero: offerat Sacrificium, quoties abeſt Epiſcopus. Quum verò Epiſcopus adeſt, Epiſcopus habet auctoritatem jubendi, ut vult, Diaconi quoque ita. Omnis vir Diaconus, qui in Civitate eſt, & ægrotans non ægrotat, & tempore orationis non reperitur in Eccleſia, & in ordine Diaconorum in Populo non ſtat etiam, quum ab Archidiacono jubetur accipere ſtolam, & aſcendere ad ſedile le . . . . . . & accipere Librum, & legere, & ubi legerit, rurſus relinquere miniſterium ſuum, & vagari, ſubeat pœnitentiam ſibi convenientem; quin neque in Diaconio liceat ei relinquere Populum tempore orationis, & ſedere intus, niſi fortè ægrotans ægrotat: ſed cum ſociis ſuis in ordine ſtet, & tempore ſacrificii coram Altari ſtet, donec abſolvatur tempus. Adversùs Diaconem hæc convenientia ſpernentem, auctoritatem habet ipſe Archidiaconus, ut judicium ſecundùm jus ſuum ulciſcatur contra eum.*

XXI. *Subdiaconorum quoque eàdem ſimilitudine ſinguli, qui tempore miniſterii non reperiuntur in Eccleſia, niſi ægrotent, aut diſcedant aliquo, & in Choro Pſalmis non ſtant, & ad januas Templi tempore miniſterii non cavent, rejiciantur extra, ne indulgentia iſta ſeu mollities plurimos corrumpat.*

XXII. *Archidiaconi autem erit hæc omnia convenientia rogare, ac inquirere ſingulos. Et ſine ejus conſilio nemini Presbyterorum, aut Diaconorum, aut Subdiaconorum, aut Clericorum liceat adire rus, aut ad aliquem alium locum, ſed ut diligenter & ſplendide decet ipſum Archidiaconum miniſtrare in Eccleſia Chriſti, & eſſe exemplum bonum multis.*

XXIII. *Quoniam ipſe eſt lucerna Eccleſiæ & lumen coram Epiſcopo, verbo ac doctrina ſua neque apprehendatur mos iſte vetus, neque ſit amplius præſente ſcilicet Presbytero ſeniore non offert Sacrificium ille junior ipſo. Ob hanc cauſſam omnes ſeniores dimittunt, & exeunt, quippe qui locum dantes illis junioribus; nam coram Epiſcopo, ſi ab eo jubeatur, licet illi juniori ceteris in annis offerre. Quod ſi coram Epiſcopo celebrat, & coram ſociis ſuis ſenioribus ſe celebrat ſolum autem abſente Epiſcopo, quicumque Presbyter celebrans majoris eſt honoris, ſive ſenior ſit, ſive junior. Ergo omnibus Presbyteris & Diaconis non licet eis deſerere Altare, & diſcedere, quamvis conveniens ſit exhibere honorem ſibi invicem ſecundùm verbum ipſius Apoſtoli jubentis, ut honore quis ſocium ſuum veluti ſe dignum magis, reputet.*

XXIV. *Circa morem quoque iſtum contemnendum, qui ſubintravit confuſe & non competenter, ut qui parvuli ſunt, doctrinamque Scripturæ non intelligunt, facile & leviter dextera Sacerdotis eis imponebatur ſine diſcretione & examine, deinceps definitio iſta ſit juxta præceptum Synodi, quia ſuper minorem, triginta annos natum, dextera Presbyteratus non imponatur.*

XXV.

A XXV. *Item non liceat Epiſcopo ordinare Presbyteros, Diaconoſque in locis ſimplicibus, niſi in Eccleſia ante Altare.*

XXVI. *Qui verò ignarus eſt in doctrina, niſi David totum* (ideſt, *Pſalterium*) *& ore ſuo recitet, neque Subdiaconus fiat. Sed admoneatur, ne fiat, donec totum David & ore ſuo addiſcens, recitet. Ob hanc enim licentiam erit obtenebratio in Eccleſia. Quod ſi contigerit, & acceperit quis, prius non eruditus, dexteram Presbyteratus aut Diaconatus, rurſus colligat ſe, addiſcat & conſideret doctrinam, ne dormitent Miniſtri Chriſti, & ſint idiotæ in verbo ac doctrina ſua.*

Poſt verò alia, & ipſis geſtis:

B XXVII. *Omnis verò Epiſcopus in ſua Diœceſi & Civitate poteſtatem habet ipſe ordinandi Presbyteros & Diaconos & Diſcipulos, & ædificandi Eccleſias, & augendi omnia bona, quæ voluerit, ut ſit exemplum bonum. Epiſcopus verò ille Metropolitanus, qui præficitur ipſis Epiſcopis fratribus ſuis, ſicut eſt honorandus in ipſis Epiſcopis ſecundùm gradum ſuum, ita convenit, ut ad eum pertineat ſcribere cedulam, & monere Catholicum circa quodlibet negotium, quod contigerit inter ipſos Epiſcopos ſibi proximos, & ſub ejus manu ſunt. Et ipſe moneat fratres ſuos de eo, quod ſcribitur ſibi a Catholico, & ab ipſomet ſcito Catholicus quodlibet negotium ortum inter illos; quod ſi contigerit,* C *& ſit querela aliqua inter Epiſcopum & Epiſcopum, aut inter Presbyterum aut Diaconum, & ſuum Epiſcopum, ſive ob convenientiam miniſterii, ſive quod ipſe Epiſcopus fortè non ſe gerit ſecundum caritatem benigne & humiliter, interſit eis Epiſcopus Metropolitanus, qui præeſt eis, juxta quod ſcriptum eſt in Canone Synodi magnæ. Quod ſi fortius ſit ipſo Metropolitano negotium quodcumque, & non valeat pacifice abſolvere illud, ſcribens moneat Catholicum, & liberetur a contritione,* (ideſt, *faſtidio*). *Et ipſe Catholicus ſcribat, & ſecundum ſapientiam ſuam jubeat & abſolvat negotia. Epiſcopo verò illi metropolitare non liceat, ut quaſi vi* D *dominanter aggrediatur negotia Diœceſis alicujus Epiſcoporum, quibus præeſt, & inquirere vi res. Sed manens loco ſuo ipſemet Metropolitanus ſcribat ad ipſum Epiſcopum illius Diœceſis circa illud ſcandalum, quod audit, ſi obtemperat ei. Sin autem moneat Catholicum, uti ſupra ſcriptum eſt. Quod ſi voluerit ipſe Epiſcopus Diœceſis in commemoratione Martyrum, poſtulet ab ipſo Metropolitano, qui præeſt ſibi, & invitet eum in Diœceſim ſuam. Hoc ejus erit Epiſcopi, quicumque ſit, ut ſi velit complacere, quibus præeſt, habet auctoritatem ipſe Metropolitanus convocare ipſos ceteros Epiſcopos, & conſtituere Epiſcopum illum, quem voluerit ipſa Civitas. Poſtquam verò ordinavit eum, tranſ-* E *mittat eum cum Epiſtola ad Catholicum & perficietur ab ipſo. Extra verò iſta non habet auctoritatem Epiſcopo Metropolitano ſupra Epiſcopos illos, qui ſub ejus manu, neque hoc poteſt, ut gula & magnitudine ventris inquirat eos accipiendi & dandi.*

Expliciunt Canones poſiti a Synodo Epiſcoporum Perſarum, velut ex virtute Canonum illorum Synodi magnæ Nicænæ. Una & hac parte fluminis, & alia & illinc Cataiſphon & Solec vocant eam, ſed una eſt. Tempus horum Canonum, Perſarum eſt tempus illud, quod eſt poſt Synodum CL.

Anonymi Interpretis Adnotationes
in hanc Synodum.

Circa hanc Synodum nota primo, Lector, quod licèt tanta fuerit, ac ſit Latinorum induſtria, transferendo ſcilicet in Latinum ſermonem aliarum nationum doctrinas, ut ipſis ſolis ingenii ſagacitatem omnibus numeris abſolutam meritò adſcribere nobis liceat: eos tamen hactenus quamplurima ſcitu digniſſima apud nos Chaldæo-Syros & Arabes latent doctorum opera, quinimmo fere omnia.

Nota ſecundo, Catholicum iſtum, cujus mentionem ſæpe numero hæc Synodus facit, eſſe Armenorum Patriarcham. Sic enim uſque in præſentem diem eum vocant ipſi Armeni. Itaque hæc Synodus habita fuit inter Epiſcopos Armenos, Catholicos tamen, atque Eccleſiæ Romanæ tunc temporis obedientes, ut patet in Proœmio hujus Synodi.

Nota denique tertio, Metropolitanum illum Cucharum, *cujus in Octavo Canone fit mentio, eſſe* Pontificem Romanum, *tum quia hæc præpoſitio* [illegible] *apud nos Syros eum ſignificat, qui majorem ſe habet neminem. Qui quidem, ſi Secularis eſt, Imperatorem agnoſcimus, ſin autem Eccleſiaſticus, Pontificem Romanum intelligimus. Quamobrem quum in hoc Canone fiat ejus mentio, non ut Secularis ſed ut Eccleſiaſtici, non alius quàm Pontifex Romanus eſſe poteſt: præſertim quum hoc ipſum colligatur ex ipſomet modo loquendi Canonis. Hoc autem notaverim, tenens, Auctores hujus Synodi fuiſſe Catholicos ante Schiſmatis tempora.*

Porro in Philoſophicis, Theologicis, atque Aſceticis, quantum utilium, quantum quoque inanium rerum, Ingenia Italorum, dum barbarica Sæcula fluerent, nobis dederint, nihil eſt quod ego commemorem, in vaſto præſertim campo, quem integrum percurrere non leve negotium foret. Illud tantummodo innuam, diſputatum hactenus acerrime fuiſſe, & adhuc diſputari de Auctore aurei Opuſculi *de Imitatione Chriſti*, quem Galli *Johanni Gerſonio* tribuunt Cancellario Pariſienſis Facultatis, Germani ſuo *Thomæ de Kempis* Canonico Regulari, Itali verò *Johanni Gerſen* Benedictino, iis antiquiori, quem Vercellenſem Abbatem fuiſſe opinantur. Ad iſtam controverſiam minime delatos vidi duos ejuſdem Opuſculi Codices MStos, quos Venetiis adſervant Monachi Benedictini in inſigni Cœnobio Sancti Georgii, atque egomet ſub oculis habui. Primus membranaceus eſt, in cujus calce hæc ſcripta ſunt: *Finito die XII. Menſis Decembris MCCCCLV.* In operimento ligneo Codicis legitur epigraphe, in membrana cooperta vitro, ſive *Speculari* cruſtâ. Nos *Talco* appellamus, vocem a Germanis mutuati. Eodem tempore, quo ſcriptus Codex, videtur enata & illa Epigraphe, cujus verba ſunt: *Johannes Gerſen de Imitatione Chriſti*. Alter Codex Chartaceus eſt, ſed pervetuſtus. Titulus alienâ manu, ſed antiquâ, additus hæc habet: *Johannis Gerſen de Imitatione Chriſti*. In fine legitur:

Poſſidet Arzagâ Librum de ſtirpe Johannes,
Cui juvenile caput Infula ſacra tegit.
Eſt ſibi Donatus genitor, genitrixque Johanna:
Ejus ſunt fratres B. ſimul & Stephanus.

Fru-

Fruſtra hactenus quæſivi, quis fuerit iſte *Johannes Arzaga*, & cujus Urbis *Epiſcopus* fuerit. Felicius inquirent Eruditi Mediolanenſes, apud quos nobilem fuiſſe olim Arzagam gentem novi. Ætate ſaltem Johannis hujus, fortaſſe tamen & antea, exaratus ille Codex fuerit.

Sed quando ſupra vidimus, ne barbaricis quidem temporibus omnino excidiſſe ſtudia *Arithmeticæ*, *Geometriæ*, & *Aſtronomiæ*, repeto nunc, præcipue ſub finem Sæculi Decimi, Geometricis operam dediſſe ſæpe mihi laudatum Gerbertum Monachum, patriâ Aurelianenſem, qui Romanus Pontifex ſub Silveſtri II. nomine Anno Chriſti DCCCCXCIX. electus, magnum nomen, magnam quoque invidiam ſibi comparavit, & Scholas in Italia reſtaurandas curavit, uti in præcedenti Diſſertatione monui. Hæc ejus ſtudia, præcipueque Geometricæ figuræ, ab ipſo uſurpatæ, oculos & mentem indoctæ gentis adeo præſtrinxere, ut is pro Mago & præſtigiatore tunc haberetur, & injurioſa fabula ad poſteros etiam manarit. Exſtat adhuc ejus Tractatus *de Abaco*, ſive *de Arithmetica* in Ottoboniana Bibliotheca MStus, & Epiſtola *de Geometrica quæſtione* ad Adalboldum, uti & Tractatus *de Geometria*: quæ duo poſtrema Opuſcula evulgavit V. Cl. P. Pezius Monachus Benedictinus Tomi 3. Part. 2. Theſaur. Anecdotorum. Sed & ipſum *rei Agrariæ*, ſeu menſuræ agrorum ſtudioſiſſimum fuiſſe, prodibit Wilelmus Goëſius in eleganti editione Scriptorum ejuſdem rei Agrariæ, Amſtelodami Anno MDCLXXIV. procuratâ. Nam in Notis pag. 142. quærens, an *Julius Frontinus* auctor fuerit fragmenti cujuſdam agrarii, id ſibi minime videri fatetur, tum propter inelegantiam operis, aliaſque ob cauſſas, tum etiam, ut ait, *quod hæc in MStis adſcribi videam partim M. Junio Nypſo, partim etiam, ut eſt in MSto, Domno Gerberto Papæ & Philoſopho*. Tum pag 156. earumdem Notarum, Libellum *de Coloniis*, a Rigaltio & Holſtenio eidem *Frontino* adſcriptum, ne ipſum quidem tanto viro tribuendum cenſet, ejuſque argumenta ſententiam hanc mihi omnino perſuadent. Liceat mihi in rem iſtam prodere, adſervari in Eſtenſi Bibliotheca Libellum, recentiori manu exaratum, & nonnulla complectentem fragmenta ejuſdem rei Agrariæ: quæ omnia ſub titulo unius *Marci Junii Nypſi de Menſuris* veniunt. Undique vitiis ſcatere, quæ Goëſius evulgavit, jam norunt Eruditi. Ultra etiam modum depravata ſunt, quæ in Eſtenſi Codice leguntur. Quum enim imperiti amanuenſes neque voces neque materiam intelligerent Artis Agrimenſoriæ, paſſim impingebant, ac monſtra ad poſteros tranſmiſere. Attamen ex quo animadverti, inter ipſa ſphalmata aliquid occurrere, unde Goëſianæ editioni aut præſidium aut emendationem obvenire poſſe ſum opinatus, quædam ex ea farragine excerpta inferre huc ſtatui, nihil moratus textûs vitia, quæ detergenda vix quiſquam ſibi ſumat. Eruditis viris fortaſſis & iſta alicui uſui eſſe poterunt.

M. JUNII NYPSI
DE MENSURIS.

NOtum (a) *eſt omnibus, Celſe, pænes te ſtudiorum noſtrorum manere ſummam. Ideoque primum ſedulitatis meæ impendium judicio tuo offerre propoſui. Nam conſequi inter æquales quemdam locum, depoſitâ æmulatione, magis conatibus noſtris profuturum credidi, quàm inter eos, qui in hac parte plurimum poſſunt. Itaque quo cultior quorumdam ſit notitia apud te, omnia perlaturus Liber iſte feſtinat, & apud te tyrocinii rudimenta deponens, tecum conferet quidquid a me inter ipſam armorum exercitationem accipere potuit. Nam ſi meretur publicam converſationem, ut ſufferat univerſorum oculos, a te potiſſimùm incipiat. Quod ſi illi parum diligenter adhibitam curam eſſe credideris, ut in aliquam ceſſare videamur partem, non exiguum laboris mei conſequar fructum, quod te monente malignorum lucrifecerim exiſtimationem. Quæſo itaque, ſi monere non eſt improbum, habeam apud te quamdam excuſationem, quod non potuerit eo tempore conſummari, quo genus hoc, ferventibus ſtudiis noſtris, diſputatum eſt. Omnium enim, ut puto, liberalium ſtudiorum ars ampla materia eſt, cui ne quid deſit, & in hac modica re ſi quid deſit, ingenti animo veri Judicis cuſtodiendum eſt. Clara ſacratiſſimi Imperatoris noſtri expeditio me in ipſa ſcribendi feſtinatione præpediit. Nam dum armorum magis excreor curis, totum hoc negocium velut oblitus intermiſeram, nec quidquam aliud, quàm belli gloriam cogitabam. At poſtquam primum hoſticam terram intravimus, ſtatim Celſi noſtri opera menſurarum rationem exigere cœpit. Erant dandi interveniendi certo itineris ſpatio duo rigores, quibus in tutelam commendandi ingens majorum aſſurgeret moles. Mox interventu operis decisâ parte, ferramenti uſus explicuit. Nam quod ad notitiam pontium pertinet, & fluminum latitudinem diſcernere, etiamſi hoſti infeſtare ex proxima ripa poterimus; expugnandorum deinde montium altitudines ut ſcirem, hos venerabiles Diis oratio monſtrabit, quam ego in omnibus temporibus optabam. At poſtquam magnorum habitum experientia religioſius excolere cœpit, ad conſummandum hunc Librum, velut ad vota reddenda properavit. Poſtquam ergo maximus Imperator victoriam Dacicam proxime reſeravit, ſtatim ad Septentrionalem plagæ annuam vicem tranſire permiſit: ego ad ſtudium meum tamquam ad ocium ſum reverſus, & multa velut ſcripta folia & ſparſa, in ordinem artis laturus, recollegi. Fœdum enim mihi videbatur, ſi genera angulorum interrogatus, reſponderem multum. Ideoque rerum ad profeſſionem noſtram pertinentium, in quantum potui, occupatus, ſpecies, qualitates, conditiones, modum, & numerum perſequens, ſatis ampla mediocritatis meæ opinio obſervabitur, ſi illa viri tant auctoritate ſtudentibus profutura judicaveritis.*

Ergo


(a) Vide Goëſium pag. 28.

Ergo ne quid nos præteriiſſe videamur (b) *Coloniæ omnes Maritimæ appellantur. Exiſtimo, vel quod mare in his deducitur litoribus; vel (quod pluribus placet) Maritimas appellant, ideo quod ab Alpibus in mare decurrunt. A tribus lateribus intuendum eſt. A Sicilia uſque ad Galliam: contrarius rurſus; pars verò, quæ ad mare attingit Macedoniæ & Galatiæ Epyros partem ſpectant. Ergo in his litoribus Romani Colonos miſerunt Dacos . . . . . Colonos dari Municipiis, vel ad ſupplendum Civium numerum, qui ſubinde movebantur. Præterea legem tulit, ne quis in Italia amplius quàm ducenta jugera poſſideret. Intelligebat enim, majorem minuere modum, ſi ſubinde poſſiderent, quod ab ipſo poſſidente coli non poſſet. Et ſicut Populus Romanus omnium gentium potiti ſunt agros, & ex hoſte captos victori Populo Romano partiti ſunt, alios vendiderunt, ut Sabinorum ager, qui dicitur Quæſtuarius, eum actis limitibus diviſerunt, & denique quibuſdam arctibus laterculis quinquagena jugera incluſerunt.* A *Omnium* (c) *enim Menſurarum appellationes conferamus. Nam Menſuræ notantur, ita & de qua loquimur, appellatur; & quidquid pondere, aut capacitate, aut animo finitur, æque longitudine Menſura appellatur. Quid ergo Menſura ſit, de qua quæritur, tractemus. Menſura eſt quamplurium & inter ſe æqualium intervallorum. Menſura finitur, ut Pes: per Pedem Decempeda: per Decempedam Actus: per Paſſum Stadium: per Stadium Milliarium, & ſimilia. Menſurarum appellationes, quibus utimur, ſunt duodecim. Digitus, Uncia, Palmus, Sexta, Pes, Cubitus, Gradus, Paſſus, Decempeda, Actus, Stadium, Milliarium. Minima pars earum Menſurarum eſt Digitus. Si quid infra Digitum metiamur, partibus reſpondemus, ut dimidiam aut tertiam partem Digiti. Uncia habet Digitum unum, & tertiam partem Digiti. Palmus habet Digitos ſex, Uncias tres. Sexta, quæ tamen Sextans appellatur, habet Palmos tres, Uncias novem, Digitos duodecim. Unciæ quadraginta quatuor. Digiti ducenti* B *quinquaginta ſex. In Pede quadrato ſemipedes octo, Palmi quadraginta quatuor, Unciæ mille ſexcentum viginti octo, Digiti quatuor mille quinquaginta ſex. Qui habet omnem iſtam menſuram agrorum, diligentius & fideliter exquirenda ſunt. Ideoque monemus, ut quiſque ſuos fines teneat, non alios laceſſat; nam ideo limes agrorum poſitus eſt,*


- - - - - - - - litem ut diſcerneret arvis.

Nam ante Jovem limites non parebant, qui dividerent agros. Vicinorum autem exempla ſumite, unde poſſitis inculpabiles proferre ſententias. Nam ideo ager pedibus menſuratur, ut veritas declaretur.


Nomina Lapidum finalium. (d)




Orthogoneus Rectus rectum angulum mittit.




Iſocelos.




Exceultellatus lateribus.




Iſopleurus Rectus ſubter conſtitutus.



Exculinus, ſive Exagoneus.




Rumbus, ſive Trapezus.




Iſocelos.




Pentagonus.




Septagonus.



Terminus Græcâ literâ ſcriptus.



Circulatus perramus metæ acutatæ ſimilis.




Complactus Rumbus Ampligoneus.

(b) Hactenus Frontini verba apud eumdem Goeſium.
(c) Sequitur Frontini textus apud Goeſium
(d) Vide Goeſium pag. 212.




Terminus Auguſtalis .




Terminus Curſorius .




Sepultura finalis .




Terminas lineatus .




Solus Trigonus illa jactat .




Exagonus .




Sinagonus .




Terminus in ſummo acutus .




Perramus metæ præciſæ ſimilis .




Emicirculus quadratus .




Terminus in ſummo acutus .




Terminus Trifinius.



Terminus in laterculum conſtitutus .




Terminus rotundus .




Terminus quadrifinius .




Spatula curſoria .




Spatula curſoria .



Terminus, qui angulum ſubjacet .



Terminus lineatus .




Terminus inverſum poſitus.




Arcifinium.


Lapides finales in diverſas regiones ſecundùm poſitionem locorum.




Terminus gammatus.




Noverca.




Tivortinus.



Vareverrimus.




Auguſtalis.




Terminus lineatus.



Symmatus.



Emicirculus.



Triideus.

L*Imites Orientis dicuntur Decimani.*
Limites Septentrionales dicuntur Cardines.
Limites Maximorum & Decimanorum.
Limites Actuarii.
Limites Intercifivi.
Limites Linearii.
Limites Sextani.
Limites Nonani.
Limites, qui curſum Solis ſequuti ſunt.
Limites Præfecturales.
Limites Montani.
Limites, qui angulum ſubjacent.
Limites Uſtrevales.
Limites Undecimani.
Limites Solitri.
Limites Græci.
Limites Regulares.
Limites Subjuncivi.
Limites Quinciani.
Limites Scutellati.

A *Limites Temporales.*
Limites, qui curſum Lunæ ſecuti ſunt.
Limites Diagonales.
Limites Depotenſales.
Limites Gallici.
Limites Decimani.
Limites Coronici.
Limites Perpetui.
Limites Paſſivi.
Limites, qui per antica & poſtica dividuntur

Nomina agrorum. (e)

A*Ger Centuriatus.*
B *Ager Dextratus.*
Ager Citratus.
Ager Tritagonus.
Ager Normalis.
Ager Triumviralis.


(e) Idem Goeſius pag. 26.

Ager Neronianus podimatus.
Ager Cæſarianus aſſignatus.
Ager Nigrius in quinquagenos.
Ager Meridianus in vigintiquinque.
Ager commutatus ex beneficio Auguſti.
Ager aſſignatus.
Ager ſucciſivus.
Ager feneſtratus.
Ager Ultratus.
Ager Teſſellatus.
Ager Epiponicus.
Ager ſolitrius Sylvanus.

Advocatio. (f) *Præſtandum eſt, quamquam diverſa ſint, & longe inter ſe diſcernere debeant. Prudentiam tamen eamdem artifices habere debent, qui judicaturi ſunt, & qui advocant, ut præſtatores. In judicando autem menſorem, bonum virum & juſtum agere. Diverſorum fides quærenda eſt. Neque ullâ ambitione aut ſordibus moveri. Servare opinionem metris & moribus. Omnis enim artificis veritas cuſtodienda eſt, excluſis illis ſimilitudinibus, quæ falſa pro veris ſubjiciunt. Quidam enim per imprudentiam, quidam per avaritiam peccant. Totum hoc judicandi hominem artificem exigent egregium. Erit enim æquiſſimum & in advocationem & in controverſiam, de eâdem fide concordare menſoribus. Sed hoc poſſeſſores æquo animo ferre non poſſunt. Nam dum his veritas expoſita fuerit, adversùs ſinceritatem Artis facere coguntur. Multa ſunt in profeſſione, quæ generaliter pro veris ſubjiciuntur, & quædam quæ ſpecialiter, conjecturaliter etiam, metiri Artifices coguntur.*

Agri menſuræ. (g)

VEJUS *Civitas, priuſquam oppugnaretur, ager ejus limitibus eſt aſſignatus ex Lege* A *Julia. Poſtea defectis his ad urbanam Civitatem aſſociandam cenſuerat Divus Auguſtus. Nam variis temporibus, & adeundis in partibus, breves agri ſunt aſſignati, cujus ratio item datur circa Oppidum ejus. Sunt enim naturæ locorum, quæ vicem limitum ſervant, ſed non per multa millia paſſuum concurrunt. Et termini ſiti ſunt pro parte Silicenei, alii Tyburtini. Tyburtini verò diſtant a ſe in pedes CCXL. in pedes CCCXL. in pedes CCCCXX. in pedes DCC. in pedes DCCC. in pedes DXL. in pedes DCLX. Silicinei verò diſtant a ſe in pedes CCXL. CCCLX. CCCCLXX. DLXXX. DCXL. DCCXXV. Quod ſi ſpiſſiores ſunt, riparum curſus ſervatur, earum tamen, quæ non per* B *multa millia pedum concurrunt. Et ne eas ripas ſequendas ſperares, quæ intra corpus agri naſcuntur, & unaquæque in ſua ſpatia decidunt, lex Militum eas proclamavit. Et ne id aliquando ſequamini, quod major poteſtas limitum, recturarum, ripæve non confirmat. Sed ſi converſationis causâ eas partes inter ſe cuſtodiendas cenſuerunt, non recturæ imputandum eſt, ſed concurrenti definitioni fides adhibenda eſt. Quidquid enim viarum, riparum, cavearum, multorum agrorum, ſeparandorumve permeantium curſus ſervatur. Pars verò camporum, & ſilvæ regionis Campaniæ, vel Aureliæ, ante a Divo Auguſto veteranenſibus data fuit. In qua regione limites Maritimi appellantur,* C *ubi non ſunt termini lapidei, ſed lignei ſacrificales, qui ab exordio ſunt conſtituti. Nam poſtea juſſu Imperatoris Adriani vice numero limitum termini ſunt poſiti, qui ab uno incipiunt ſcripturæ numerum continere, ut puta: Terminus I. & Terminus II. Terminus III Terminus IV. Terminus V. uſque ad numerum ſuum, vel concluſionem angulorum agri aſſignati.*



Quorum menſura licèt diverſa ſit, ſed tamen diſtant a ſe in pedes CL. in pedes CC. in pedes CCC. in pedes CCCLX. in pedes CCCCLXXX. in pedes D. Nam pars agri, quæ circa portum eſt Tyberis, in jugeribus eſt aſſignata, atque oppidanis eſt tradita, & pro extimo ubertatis profeſſionem acceperunt. Media autem pars inter Romam & Portum, aptis quidem menſuris eſt aſſignata ſtipitibus oleaginis adfixis, numeri ad ſingulos angulos ſunt aſſignati. Quorum palorum loco poſtea lapides Græcales ad ſuum nu- D *merum, pedumque conſtituti ſunt. Poſtea variis locis deficientibus veteranis, juſſu Imperatoris Cæſaris Trajani, agris termini lapidei ſunt aſſignati. Qui termini accipiunt menſuram per Gamma. Diſtant a ſe in pedes CC. DCC. DCCCXL. MXX. MCC. MCCCXL. MDC. MDCC. MDCCC. MDCCCC. Ejus enim terræ formam in tabula ænea ab Imperatore Trajano juſſum eſt ſcribi, quod limitibus normalibus maritimis eſt aſſignatum. Quinimmo & ſupra Hoſtis, quod eſt juxta portum, in quo terræ omnis ager juge-*


(f) Vide Goeſium pag. 128.

(g) Rurſus vide hunc eumdem pag. 129.

jugerationis malum collectum, ſicut & in ceteris, nominatur.

Colonia Junonia a Triumviris aſſignata eſt, in qua limites interciſivi ſunt directi. Sed numero pedatura limites ſunt conſtituti in locis quibuſdam riviſinales & cavæ, quæ ex pactione ſunt aſſignatæ. Termini autem ſunt Silicinei pro parte, & diſtant a ſe in pedes CCCXL. CCCCXX. CCCCLXXXX. & DC. Ceteri normales rivorum curſus ſervant.

A *Colonia Nepeſis eâ lege ſervatur, qua & ager Faliſcorum. Colonia oppidanis eſt deducta. Ante, limites contra Orientem recturas deducebantur. Poſtea ex omni latere ſunt extenuati. Licèt omnes agri ad modum jugerationis ſunt aſſignati, tamen propter naturam locorum ſicuti artifices agrum cenſuerunt, fecerunt gaminatos riparum & coronarum natura ſaxi aſſignati.*



Sunt & termini mixti, quos pro parte lapideos poſuerunt, alios ligneos, qui Sacrificales appellantur, qui diſtant a ſe in pedes CCCC, in pedes DCCC. in pedes M. Ceteros normales. Longitudo per rivorum curſus ſervatur.

B *Ager Armetillus lege Imperatoris Auguſti eſt aſſignatus. Veteranis eſt quidem adjudicatus, & æſtimo ubertatis legem ſunt conſecuti, ubi termini junguntur tam limitum, quàm recturarum circa ipſum Oppidum. Sed extra tertium milliarium lex Cæſariana operata eſt in abſoluto. Termini ſunt aſſignati, qui diſtant a ſe in pedes MCC. alii a ſe in pedes MCCCCLX.*

Colonia Spelatina lege aliâ eſt aſſignata in modum jugerationis, terminis longis lapides ſemiſſales, qui diſtant a ſe in pedes CCLI. CCCCXX. ſemis II. III. eâ lege menſuram ſervari a noſtris juſſum eſt,

C *Ager Tyberinus in Centuriis eſt aſſignatus. Poſtea juſſu Imperatoris in ſexagenos quinos, prout occupavit, miſit. Plebe deficiente, aliis paucioribus eſt aſſignatus, terminis pleroſpicis, & in qua obſervatione rationem tantùm oſtendunt, quantùm recturam limitum.*

Colonia Ferenticenſis lege Semproniâ eſt aſſignata. Sed quod ante limitibus centuriatis fuerat aſſignata, poſtea deficientibus veteranis juxta fidem poſſeſſionis eſt recenſita. Sed numeris uncialibus termini ſunt conſtituti, ideſt Silicinei, craſſi, longi, qui diſtant a ſe in pedes MCCCC. alii ab aliis. Duo longe iidem diſtant a ſe per DC. Ceteri, prout natura locorum invenit, poſiti ſunt.

D *Colomia Orientium Lege Auguſti &c.* (h)

Colonia Govis ab Auguſto deduci juſſa eſt, nam ager in abſoluto tenebatur. Poſtea a Tiberio Cæſare jugerationis modum ſervandi causâ lapidum immens . . . . . . Reipublicæ loca deſignavit. Nam inter privatos gregibus terminos poſuit, qui diſtant a ſe parvo intervallo. Facile reperiuntur. Sunt & per recturas foſſæ interjectæ, quæ communi ratione Gaviorum in jugeribus limitibus interciſivis ſunt aſſignata; ubi cultura ceterum in abſoluto eſt, & relictum

in montibus & ſuccicivis; quod Reges conſueverunt. Nam & inter multa loca hereditaria accepit ejus Populus agrum, qui fundo ſuo ter vel quater vicenus ſitus eſt in jugeribus, & jure ordinario poſſidetur, ſicut Interamne Flaminiæ, & Interamne Paleſtina Picenſi.

Caſinum, muro ductum, a Lege Triumvirali in jugeribus eſt aſſignatum &c.

Aquinum, muro ductum, Colonia Lege Triumvirali deducta. Iter Populo debetur pedibus LXXX. Ager ejus perennis militibus eſt aſſignatus.

Nuceria, (i) *muro ducta Colonia &c.*

Atella, muro ducta Colonia. Nero Claudius deduxit &c.

Setia (k) *in Municipium Coloniæ, vel familiæ Imperatoris Veſpaſiani juſſu acceperunt. Poſtea in laciniis ager ejus eſt aſſignatus. Iter Populo debetur.*

Cora (l) *Oppidum Imperator Hadrianus cenſuit &c.*

Beneventum, Colonia muro ducta, Concordia dicta. Deduxit Nero Claudius Cæſar &c.

Bovianum, Oppidum Lege Juliâ milites deduxerunt Coloniam. Iter Populo debetur per pedes X. &c.

Boville Lege Syllana eſt circumductum &c.

Capua, muro ducta, Colonia Julia Felix, juſſu Imperatoris Auguſti a XX. viris eſt aſſignata. Iter Populo debetur pedibus C. Ager ejus Lege Syllanâ fuerat aſſignatus. A Cæſare Auguſto in jugeribus militibus dividi juſſum eſt pro merito. (m)

Calatia, Oppidum &c.

Claudium, Oppidum &c. poſtea menſuratus, limitibus eſt cenſitus.

Cumæ, muro ducta, Colonia &c.

Cales, (n) *Municipium muro ductum &c.*

Inmonium, Oppidum Lege Syllanâ eſt munitum &c, (o)

Calatium, Oppidum Lege Gracchanâ eſt munitum &c. (p)

Divinium, Municipium &c.

Forum Populi (q) *Oppidum &c.*

Bolaterra Colonia Lege Triumvirali &c.


E *Capis*

(h) Vide reliqua apud Goëſium.
(i) *Nurſia* habet Goëſius.
(k) Goëſius habet *Ætium*. Setia Urbs Volſcorum in Latio, nunc *Sezza*. Sed infra eadem rurſus occurrit.
(l) Goëſius corrupte habet *Tamirum*. Adhuc Oppidum retinet nomen *Cori* in Campania Romana.
(m) De Colonia iſta multa attulit V. Cl. Alexius Symmachus Mazochius Canonicus Capuanus in erudito Commentario Campani Amphitheatri.
(n) Goëſius habet *Gallis*,
(o) Goëſius habet *Lemonium*. Utrumque nomen corruptum videtur. *Emonam*, ſive *Æmaniam*, aut *Anonium*, in finibus Italiæ, huc adſciſcenda non puto. Neque *Humanam* ſive *Numanam* olim Urbem. Anonymus Ravennas memorat *Lamanium*, & *Laninunium*, Italiæ Civitates. Sed & iſta nomina vitiata ſuſpicor.
(p) Goëſius habet *Catium*.
(q) Idem Goëſius habet *Forum Livii*.


Capis Colonia &c.
Fabrateria, muro ducta &c.
Fundi, Oppidum muro ductum. Iter Populo non debetur. Ager ejus ſub Auguſto veteranis eſt aſſignatus. Cultura ceterum in ejus jure & in publico reſidet. A
Hivum, (r) Oppidum Lege Sullanâ munitum &c.
Surrentum, Oppidum &c.
Sueſa, quæ & Arunca dicitur, muro ducta &c.
Signia, muro ducta &c.
Teanum, quod eſt Sidicinum, Colonia.
Trebula, Municipium &c.
Tereventum, Oppidum &c.
Veletre, Oppidum &c.

Menſuræ rationabilium agrorum.


Ager eſt Arcifinius &c. (ſ)
De Succiſivis controverſia &c. (t)
De locis publicis ſive Populi Romani, ſive Coloniarum, Municipiorumve, controverſia eſt &c. ut ex proximo in Monte Mutelli.




Nam & Coloniarum & Municipiorum ſimilis eſt conditio, quoties Reipublicæ data aſſi- B *gnataque fuerint, ab aliis obtinebuntur, ut ſucciſiva conceſſa.*



De locis relictis & extracluſis controverſia eſt in agris aſſignatis. Relicta autem loca ſunt, quæ ſive locorum iniquitate, ſive arbitrio con- C *ditoris relicta, limites non acceperunt. Hæc ſunt juris ſucciſivorum.*



Extracluſa loca ſunt, quæ juris ſucciſivorum, quæ ultra limites, & ultra finitimas lineas erunt. Finitima autem linea menſuralis eſt, quæ aut aliqua obſervatione, aut aliquo termi- D *norum ordine ſervatur. Multis enim locis aſſignationes agrorum & immunitas ſuperfuit, ſicut & Luſitaniæ finibus Auguſtanorum.*



De


(r) Corrupta vox. Goeſius habet *Gavis*. Sed ſupra *Gavis* ſe nobis exhibuit.
(ſ) Vide prælaudatum Goeſium pag. 38. (t) Vide eumdem pag. 42.

De locis ſacris & religioſis controverſiæ plurimæ naſcuntur, quæ jure ordinario finiuntur, ſi de locorum modo agitur, ut de locorum pu- A *blicorum in montibus, aut ædium, quibus ſecundùm inſtrumentum finis reſtituendus eſt.*



Similiter (u) *locorum religioſorum, quibus ſecundùm cautionem modus eſt reſtituendus, quatuor ſigna ea, quæ poſuiſti in limitem, aliis corniculis tenebis alium limitem; & ſic menſuras agis, ut ſcias primam, an in limitis lapidibus Centuriæ ſigna ſint. Lege ſcripturam lapidum. Si in uno rigore ſunt, decimanum adſcriptum habes, ut, puta, decimanus primus, aut ſecundus aut tertius, vel quantuſcumque in aliis lapidibus fuerit ſcriptus. Duo lapides in lineam decimani: contra alios alii. Si verò in cardine linea fuerit, ſimiliter in ambobus lapidibus unus cardo ſcriptus erit. Item zaconem lapidis, ſi fuerit, ſic deprehendis; ut, puta, primum lapidem, quem inſpexeris, ſi ſcriptus eſt decimanus quintus, cardo XII. & alius decimanus ſextus, cardo XIV. Apparet per hos duos lapides, quia non cardo, nec decimanus eſt, illos in zaconem eſſe.*

B *Varationem in agris diviſis ſic reponimus, ut puta lapidem a lapide pedes XX. Semperque præcedens XX. quoniam ſolum eſt, ſumo partem XX. Item varationis modus fit, id eſt ſi repoſitionem facies, ut per actus ſingulos pedes, quos varaſti, repones, ſi eumdem limitem agere neceſſe fuerit. Sed ſi ultra agros eum prodideris extra pedes XX. adhuc unum actum renormabis pedes XXI. & ſignum ad perpendiculum pones. Deinde in aliis pedibus inſequentibus CXX. ſimiliter & ſignum ponis. Deinde apprehenſis ſignis duobus & lapide, recto limite ibis ſimiliter. Si verò ire volueris a lapide, a quo exieris, detrahis in actibus varationis pedes quantum adjeceris, ſi in priorem eas, hoc non* C *ſolum obſervare debes, ſed in pedes LX. vel LXXX. plus minus, pro ut ratio poſtulaverit, facere debebis.*




Aliâ ratione, ut quodcumque &c.

Quod ſi monti ordinato ſemina naſcuntur, omnia ſecundùm loci naturam habentur, cum non idem, hoc eſt totidem amborum ordines capiunt, quot partes ejus in campo limes recte cultellabitur.

Limitum prima origo, ſicut Varro &c. (x)


Decimanorum (y) *numerus in Septemtrionem ſi creſcet, erit pars dextrata. Sic ſcies te in* D *dextrato & in citrato eſſe. Edimus ſemper partem ſolidam limitis, ut ad ſolidam varationem habeamus. Ut nunc limites CCCLXXIV. Sumo partem XL. ubique convenerit, fit XXXI. Item XVII. fit . . . . . . hoc in portionem limitis & varationis, ſive in priore repoſitione faciemus, & retractabimus, ut ſciamus, quantum ad ſingulis repoſitiones aut adjicere, ſi in priore ibimus, aut demere, ſi retro revertimur.*




In

(u) Vide Goëſium pag. 287. (x) Et pag. 215. (y) Et pag. 298.

In agris diviſis ſolent lapides in Centuriis non parere ; ſed ſunt termini, qui inter limites conſortales finem faciunt . Aream prehendas in limite . Interponis & comprehendis lapidem , qui A *eſt in angulo Centuriæ , & tractabis , quomodo latitudinem ad longitudinem . Quod tibi fuerit, tractabis ſimiliter , & hi potius . . . . . . areæ ponis . . . . . . & comprehenſis .*



Aut lapis in angulo fuerit , & in alio angulo alius quaſi qui perſpiciatur in Zacono . Similiter duo lapides . Et quia in Centuriis paria latera ſunt latitudinis , ſimiliter & quacumque B *volveris , verſuram facies normaliter . Et totidem quot inveneris cultellabis , comprehenſis limitibus in extremitatibus formarum .*



In agris diviſis ex Julio Frontino Siculo ſucciſiva fiunt , in quibus Trigoni Trapizea pentagona ſunt . Et nihil aliud niſi modus jugerum aſſignatorum , & nomen ſcriptum eſt , rectorum angulorum ratione conſtringi . Itaque maxime providere debemus , quod ſub ferramento quidquid occurrerit , tranſeamus . Adhibere deinde metiendi diligentiam , quis potius actus incenſiti imitationis effectum lateris longitudinem æque & ferramentum primum , ut & omnia indomito perpenſo dirigere . Cujus ex omnibus corniculis expenſa ponderibus inter ſe compara fila xenuere vitas ; ita perſpicere , dum hæc proxima conſumtio alterius viſum ſola metiatur : tunc ductare metas , & eaſdem tranſpoſito inter extremas metas ferramento reprehendere eodem momento , quo tenebantur , & cœptum rigorem ad interverſuram aut finem perducere . Omnibus autem interverſuris tetrantis locum perpendiculis oſtendat . Cujuſcumque loci menſura agenda fuerit , eum circuire ante omnia oportet , & ut ad omnes angulos ſigna ponere , qui normaliter ex rigore aguntur . Poſito deinde & perpenſo ferramento , rigorem ob ſecundo maximo lateri ductare , & collocatis creptis alteram partem rigoris mittere . Qui cum ad extremum pervenerit , parari . . . . . primi rigoris , exeat , & ſeu in rigore ductando , quædam dubitando . Incurrunt valles , loca fragoſa , arbores , quæ propter moras aut fructus ſuccidi non poſſunt . Nam ædificia & maceriæ , petræ , aut montes, & his ſimilia ; & hæc quacumque ratione optime poterit, menſuram accipere debent . Si fuerit ergo Vallis , quæ in conſpectu agentis exſuperet , per ipſam metis ad ferramentum appoſitis erit deſcendendum . Cujus rigoris incenſum , ut ſe in contrario æquemus , affictâ ante lineâ , capitulum perticæ æqualiter & perpendiculum C *cultellare debemus , & perpenſum rigorem extendere lineam, in qua cultum locum perpendiculus aſſignat . Nam quoties cultellamus ſine linea , conſpectum iterum ſæpe excedimus , & feſtinantes ex eo loco iterum rigorem conſpicimus : tunc in illâ perticarum quamvis exiguâ converſione non minus fit diſtendi . Quod ſi jacentia quamvis , compreſſiore autem valle , & ultra quàm proſpici potuerit , evadendi difficultatis causâ , ſic tranſire, ut ulteriorem partem ductare minus metas tres . Quibus impreſſis , tranſpoſito ferramento recipere priores oporteat : & perpenſo cæli rigore , quantum res exegerit , perducere debemus .*

Si in agri (z) *quadratura tibi ductanti occurrerit flumen, quod neceſſe ſit varari , ſic facies .* D *Rigor , qui impegerit in fluvio , exinde verſuram facies : & in qua parte veneris , tetrantem pones . Deinde transfers ferramentum in eo rigore , quem ductaveris , qui in flumen impegerat . Deinde transfers ferramentum , & comprehenſo eo rigore , quem ductaſti , verſuram facies in partem dextram . Deinde exigis medium illum in duas partes , & ibi ſignum ponis . Deinde figes perpenſum ferramentum ad ſignum , quod divident duæ partes , quas diviſiſti . Et fixo ferramento , & perpenſo , comprehenſo rigore ab umbilico ſoli , emiſſum perpendiculum quum ſuper ſignum ceciderit , percutis croma , donec comprehendis ſignum , quod po-* E *ſueras trans flumen . Quum diligenter comprehenderis , tranſis ex alia parte , & manente croma , ductabis rigorem . Ubi ſe conſecuta fuerit norma tua cum eo rigore , quem ductaveris , ſignum ponis , & exigis ad numerum ad ſignum tetrantis . Sed quia linea , quam ſecutus eras, media duo trigona oſtendit &c.*

(z) Vide Goëſium pag. 285.

EXCERPTA
E CHARTIS
ARCHIVI
PISANI ARCHIEPISCOPII

Ab Anno Chriſti DCCXX. uſque ad Annum MCXCIX

NUNC PRIMUM EDITA.

IN EXCERPTA
E CHARTIS
ARCHIVI PISANI ARCHIEPISCOPII
PRAEFATIO.

QUantum infra Graecam & Romanam jaceat Eruditio barbaricorum Saeculorum, jam alibi animadverti. Quod ergo praeſtiterunt hactenus viri de re Literaria bene meriti, in pluteis Bibliothecarum Libros & Opuſcula MSta, in Archivis Diplomata & Chartas expiſcati ſunt; haec enim una ratio ſupereſt, qua tenebricoſis iis temporibus aliquid lucis adferri poſſit. Eorum veſtigiis & ego inſtiti pro viribus tum in Opere iſto, tum in Collectione Rerum Italicarum. Juvat nunc proferre ſyllogen Chartarum, quas ex inſigni Archivo Archiepiſcopii Piſani excerpendas duxi. Laudandum vero in primis eſt mihi nobile conſilium Illuſtriſs. ac Reverendiſs. viri *Franciſci Froſini* Archiepiſcopi Piſani & Primatis, quod ante aliquot annos ejuſdem Archivi Chartas deſcribendas, & in unum volumen compingendas curaverit. Illius exemplum utinam & aliae Eccleſiae, ipſaque Monaſteria, quibus eſt veterum Monumentorum copia, imitarentur. Quod ejuſmodi Regeſto uti mihi quoque licuerit, tribuendum eſt eximiae humanitati Illuſtriſs. ac Reverendiſs. ejus in Archiepiſcopatu Piſano Succeſſoris, *Franciſci* videlicet ex antiquiſſima & generoſa *Comitum Guidonum* ſtirpe progeniti. Ut enim ille eſt bonarum Literarum amantiſſimus, atque erga earum cultores probe animatus, vix a me rogatus, quod exoptabam liberaliſſime conceſſit. Inde igitur quae alicujus uſus ad Eruditionem barbarici aevi eſſe poſſe ſum arbitratus, ea ſelegi, reliquis dimiſſis. Neque enim quaecumque Chartae veteres temporum edacitatem evaſerunt, luce omnes dignae ſunt. Ejuſmodi honor ac beneficium, ſi quid video, illis tantum deferendum eſt, quae opem conferre poſſunt ad ſtatuendam Chronologiam Imperatorum, Regum, aliorumque Principum, aut Romanorum Pontificum, atque Epiſcoporum; tum quae Magnates antiquorum temporum, aut illuſtria Monaſteria nobis oſtendunt, aut aliquid non vulgare ad veterum ritus dignoſcendos, ad Hiſtoriam, ad Geographiam, aliaſque Artes illuſtrandas complectuntur. Oneri forent, non eruditioni, quae nihil horum praeferunt, leves nempe donationes, emphyteuticae conceſſiones, aliaque ejuſmodi acta a plebejis hominibus nullâ memoriâ dignis profecta. Poſtrema haec una tantum grandis antiquitas commendare nobis poteſt, qualia fere ſunt conſcripta ante Annum Chriſti Octingenteſimum.

Multum ſane debemus Ferdinando Ughellio, quod ingenti labore ac ſtudio Italiam Sacram primus nobis dederit, eamque tot antiquis Monumentis refertam, e quibus barbaricorum temporum Eruditio plurimum lucis accepit. Multum quoque debemus doctiſſimo Coleto, qui non ſolum novam inſignis illius Operis editionem Venetiis inſtruxit, ſed etiam auctario magni faciendo, & compluribus etiam emendationibus locupletiorem nobis exhibuit. Quod tamen non ſemel dixi, heic repetam. Videlicet optandum eſſe, ut quiſquam laboris impatiens, & cui commodum ſit per univerſam exſpatiari Italiam, ſingulas rurſus adeat Eccleſias, & earum ſuperſtites Chartas diligentius conſulat: qua ratione aut nova Italia ſacra effingi, aut ſaltem vetus expurgari, augerique, & compleri poterit. Hoc in Gallia ſacra praeſtiterunt, aut adhuc praeſtant Clariſſimi PP. Benedictini e Congregatione S. Mauri. Nempe in Ughellii Opere quam plurima offendas Diplomata, aliaque vetuſtatis documenta, non eâ, quae par erat, diligentiae menſurâ deſcripta. Hiſce adhibenda foret medica manus. Alicubi etiam confuſa eſt Epiſcoporum ſeries, & Chronologia; Epiſcopi quoque ſuppoſiticii additi; nullaque ratio habita fuit aliorum monumentorum, quibus tamen tempus pepercit. Exemplo erunt, quae nunc ex Archiepiſcopali Piſarum Archivo depromta publici juris facio. Ex iis intelliges, quam parum accurate digeſtus fuerit ab Ughellio veterum ejus Epiſcoporum catalogus. Quo quidem in argumento jampridem verſatus fuit

Clariſſimus vir P. D. Guido Grandius , Camaldulenſis Abbas , illuſtre non ſolum Piſanae Academiae , ſed & univerſae Italiae ornamentum , in Epiſtolâ *de Pandectis* Anno 1727. editâ . Sed haec eadem , ipſis Chartis productis , confirmata , aut luculentius illuſtrata in poſterum habebis . Quod tantummodo Lectorem monitum volo : qui omnia publica Acta praelaudati Archivi Piſani e membranis deſcripſit , ſuo quidem munere ſatis laudabiliter functus fuit , & fideliter quaecumque intellexit , exaravit . At quia non omnium eſt probe aſſequi breviatas antiquorum voces , & barbarica verba & phraſes , quae in iis occurrunt : complures ipſe lacunas in exemplo ſuo reliquit , quas complere mihi longe poſito non licuit . Quum tamen ex iis nulla ſit , quae argumentum Chartae vitiet , aut tenebris conſpergat : nullam mihi moleſtiàm ejuſmodi defectus attulit , nullam inde Lectoribus obventuram ſpero .

EXCERPTA

EXCERPTA
E CHARTIS
ARCHIVI PISANI ARCHIEPISCOPII.

Charta venditionis factæ a Sundualdo Piſano honorabili viro. Anno Ch. 720.

IN nomine Domini Dei noſtris Jeſum Chriſti. Regnante Domno noſtro Liutprand Rege, Anno Hoctavo (1), *ſup die Quartam Kalendis Februari, per Inditione Tertia. Conſtant, me Sunduald, vir honorabilis, hac dies arvitrium bone mee voluntatis . . . . eniente, neque aliquis me ſuadente, niſi bono animus meus vindediſſe, & vindedi, tradediſſe, & tradedi tivi Filicauſi, medietatem de Caſa meas infra Civitatem cum gronda* (2) *ſua livera, tam ſolamentum, quam ligname fine grondas, ipſa medietatem de caſis cum petras, que inibi eſſe vidi . . . . . tibi Filicauſi venondavit, atque tradedit, de quibus pretium petivi. En in preſenti accepit auris Solidos nove tantummodo, ſicut inter nobis bono animus in placetum convinit, & conſtant me in omnibus eſſe ſuppletus, & nihil mihi in amplius pretium reddevire videris ſet omnia mihi cumpletus pariaſti. Unde atmodo tu ſupraſcripto Filicauſo ipſa medietatem de caſa cum ſolamento haveas, teneas, poſſedeas tu, tuiſque, vel heredibus tui in perpetua temporibus vindici atque defendas, & quidquid exinde agere, facere volueritis vendendo, donandi, ut potens firmiſſimus domino in tua . . . . . emturi ſit poteſtatem ipſa medietatem de*

A *caſa vel ſolamento quia tivi venondavit atque tradedi. Et quod non credimus, nec fieri potens, ut ſi contra hanc cartula venditionem a me facta ire, venire temptavero ego per me Sunduald, aut heredibus meus, & menime potuero defendere aut anſtare ipſa ſupraſcripta medietatem de Caſis de quacunque homine ſit tivi emturis, componimus pine nomine auri Soledos Denarios dece octo, quod eſt dupla bona conditionem, & cartula venditionis in ſua permaneat firmitatem. Unde pro monimine & cautila præſentis futuri temporibus anc cartula venditionis Anſolf Notarium ſcrivere rogavit.*

Actum Piſa, per Inditione ſupraſcripta feliciter..

B *Signum manus* ✠ *Sunduald Vir Honorabilis, qui hanc cartula ſcrivere rogavit.*

Signum manus ✠ *Pertualdi V. D. teſtis.*

Signum manus ✠ *Audolfi V. D. teſtis.*

Signum manus ✠ *Veoglantis V. D. teſtis.*

Signum ✠ *manus Colitulo V. H. teſtis.*

Signum ✠ *manus Gundualdi V. D. teſtis.*

Signum ✠ *manus Reparato V. S. Clericus teſtis.*

Ego Anſolf Notarius rogatus & petetus ab Sunduald, qui hanc cartula ſcripſit & deplevit.

Charta venditionis factæ a Candido Clerico, teſte Johanne Epiſcopo Piſano. Anno 730.

IN nomine Domini Dei Jeſu Chriſti. Regnante Domno noſtro Liutprand vir excellentiſ. . . . . . . ejus, Octavo decimo, menſe Januario, Indictione Tertiadecima. Candido venerabilis Clirico, filius condam . . . . . . doloni anc dies arvitriom & benigna voluntatem vendidiſſe, & vindedi, tradidi tivi Larino, terrula mea in locum, qui dicitor . . . . . . minus modiorum tris, prope via publica, & caput de . . . . . . & infra ipſa terrula eſt uno pero, tivi venondavi de . . . . . . & infra ipſa terrula eſt de p. . . . . . petivi, & in preſenti accepit auris ſoled. . . . . . . cano nomero quindecim tantum, ſicut in . . . . . placitum convine, & conſta me in omnibus . . . . . . tus; & nihil mihi in amplius pretium reddevire vide . . . . mihi cumpletus pariaſti, unde a modo tu denom. . . . . terrula in predictum locum aveas, teneas, poſſe . . . . . . vel heredibus tui in perpetui temporibus vind. . . . . das, & quidquid exinde agere facere volueris . . . . . miſſimos do-

C *mino in tua . . . . . emturi ſit poteſt. . . . . terrula. Et quod non credimus nec fieri p. . . . . . Cartula venditionis a me facta, vel tradi. . . . . temptavero ego per me Candido, aut heredibus . . . . . . potuero, te aut tuos heredis ipſa terrula qualivit homine ſit tivi emturis co. . . . . . auris Soldos trentas, quod eſt in duplus pr. . . in ſua manere firmitate. Quam Cartul. . . . . . Anſolf Notarium ſcrivere rogavi, ubi prope . . . . . ſignum ſancte Crucis feci & teſtibus . . . .*

Actum Piſa per Indictione ſupraſcripta feliciter.

Signum ✠ *manus Candido venerabilis Cliricus, qui i. . . . . . . ſcrivere rogavit.*

D ✠ *Ego Joannis* (3) *Epiſcopus in hanc Cartula manu mea . . . . .*

✠ *Ego Andreas Diaconu in anc Cartula venditionis . . . . .*

✠ *Ego Benedictus . . . . . . Notarius Domno Gregorio & Lodocio huic . . . . nis rogatus ab*

(1) Hinc certum habes, Liutprandum Langobardorum Regem initium Regno ſuo dediſſe Anno Ch. 712.

(2) Pars prominens tectorum, ſive tegularum. *Subgrundes* habet Varro de Re Ruſtica.

(3) Ughellius Tom. III. Ital. Sac. ad Annum Ch. *dream*. Tum ab Anno 743. uſque ad 747. floruiſſe *Johannem* Epiſcopum ait. Habemus heic *Johannem* in eâdem Cathedra ſedentem Anno Ch. 730. *Maximus* Epiſcopus Piſanus Anno 715. occurrit in Charta heic edita Diſſert. LXXIV.

ab Candito venerabilis Clerico teſtis ſubſcripſi . . . . . . quindice Sol. . . . . .

Ego Albari ad Candidu rogatus propria manu mea ſubſcripſi .

A Signum ✠ manus Anſprand venerabilis Diaconus filius quondam Tr. . . . . .

Ego Anſolf Notarius poſt tradita deplevit . . . .

Charta venditionis factæ a Rodoino Piſano viro honeſto Anno 730.

IN nomine Domini Dei noſtri Jeſu Chriſti . Regnante Domno noſtro Liutprand vir excellentiſſimus , Rege , Anno feliciſſimi regni ejus Octavo decimo Menſe Februario , Indictione Tertiadecima . Conſta , me Rodoin vir honeſtus , filius quondam Baroncioni , & quia manifeſtum eſt eo quod ante as annibus venondavi tivi Dondoni aliquanta terrula in locum , qui dicitor ad Stabla Marcucci , uno capite tenente in terra Chiſoni , & alium capite tenente in terra Ciulloni . De uno latere corre (1) Via publica , & de alium latere eſt terrula Piſinnuli , plus menus modiorum dua , & Scaffilo . Item & alia petia in locum Tautina prope terra Haudimari , plus menus modiorum . . . . . . Et petia una ad uncio Beliſarida , Uraturio prope terrula Haudimari & Cocciani , ſiſtariorum quindecim . Item & portionem meam de terrula in caput de terra Barroncioni, & t. . . . . cualdi , quarta portionem de ipſo Campo tivi Dondoni venondavi , & modò viſo petiſti me , ut tivi exinde cartula venditionis & mittere devere . Ita met factum eſt . Unde pretium petivi , & in preſente accepi pro ſcripta terrule auri Soledus Stellatus nobus . . . . . ano nomero quindecim & tremiſſe tantum , ſicut inter nobis bono animus in placitum convinet . Et conſta , me in omnibus eſſe ſuppletus , & nihil mihi in amplius pretium reddevire videris , ſet omnia mihi cumpletus pariaſti ; unde ammodo tu denominato Dondulo ipſa predicta terrule , ſicut ſu- B perius legitor , aveas , teneas , poſſideas , tui , tuiſque vel heredibus in perpetui temporibus vindici ac defendas . Et quidquid exinde agere , facere volueri ut potens firmiſſimo domino in tua , qui emturi , ſit poteſtatem ipſa terrula , qualiter ſuperius legitor . Et quod non credimus , nec fieri potens , ut ſi contra hanc cartula venditionis a me facta vel tradita , ire venire temptavero , ego per me Rodoin , aut heredibus meis , & non potuero defendere te aut tuos heredis ipſa ſupraſcripta terrula , qualiter ſuperius nominata da qualivit homine , ſit tivi emturis compoſituri pine nomine auri Soledos trentas , & duas tremiſſis , quod eſt in duplus : preſens cartula venditionis in ſua maneat C firmitate . Unde pro monimine ec cartula preſentis futuris temporibus , hanc cartulam venditionis Anſolf Notarium ſcrivere rogavit .

Actum Piſa per Indictionem ſupraſcripta feliciter .

Signum ✠ manus Rodoin v. h. qui hanc cartula ſcrivere rogavit ,

Signum ✠ manus Pertuald v. d. filius quondam Fridimundi , teſtis .

Signum ✠ manus Gairemond v. d. idem filius Fridimundi , teſtis .

Signum ✠ manus Cauſeradi germano Pertuald , v. d. teſtis .

Ego Anſolf Notarius rogitum & petetum ab a Rodoin poſt tradita vel ſigna teſtius ſcripſit deplevit .

Charta venditionis factæ a Pinculo & Macciulo viris honeſtis Piſanis Mauricioni Canevario Regis Liutprandi. Anno 730.

IN nomine Domini . Regnante Domno noſtro Liutprand vir excellentiſſimo Rege , Anno Nono decimo Menſe Julio (2) , Indictione Tertiadecima . Conſtat , nos Pinculu & Macciulu viri honeſti , germanis filiis quondam Alchis , hac die prona & benigna noſtra voluntatem , nullus aliquis nos ſuadentes , neque hoccaiſione querentes , vindediſſemus & vindedimus, tradediſſemus atque tradedimus tivi Mauricciuni , Canavario (3) Domni noſtri Regi , ſorte de terra noſtra, quem avire viſi ſumus de Fiuvadia in loco Arena ſa . . . . aliis coli verti noſtri , uno caput tenente in foſſa , & alio in palude prope terra Stavili . Unde recipimus a te prepredictus Mauriccius pretium placitum & definitum auri Soledos ſex & tremiſſe, ſicut novis bono animo in placitum convinet ; cunſtat nos ex homnebus eſſe ſupletus . In tale vero tenure promettemus nos, qui ſupra vendituri , ut D ſi qualive tempore forſitans ipſa terrola portionem noſtra in integro publicum requeſierit , & ad deviſionem revinerit cuicũque in alio homine, & novis in alio locum ad vicem ſorte redditam fuerit , ſi volueris tu Mauricius ipſa terra , nos tivi ſine aliqua mora ipſa terra reddamus . Et ſi minime voluerimus tivi ipſam portionem noſtra reddere , aut ſi nos qui ſupra Pinculus & Macciulus , aut herides noſtris de ea , que ſuperius legitur . . . . Mauriciuni, aut ad heridebus tuis qualive moleſtia generare pre . . . . rimus , aut a qualive homine vobis minime defenſare potuerimus , cunponamus tivi pine nomine Soledos duodecim & duo tremmiſſi , & nec ſic valeamus noſtra diſrumpi venditione, E ſet preſentis & futuris temporibus in tua vel heredibus tuis permaneat poteſtatem . Quam verò venditionis noſtre cartula Roduald Notario ſcrivere rogavimus .

Actum

(1) En Italicæ Linguæ ſpecimen.
(2) Ergo inter Februarium & Julium Anni 712. Liutprandus Regnum iniit.
(3) Inter officia Domus Regiæ & hoc enumerandum eſt . Hac de re dedi Diſſertationem T. I. Antiquit. Italic. *Canavarius* Cellæ vinariæ Præfectus. Vox apud nos perdurat.

Actum Piſa per Inditionem ſuprascriptam feliciter.

Signum ✠ manus Pinciuluni v. d. vendituri, & conſerbaturi.

Signum ✠ manus Macciuluni v. d. germano ejus, vendituri.

Signum ✠ manus Barbentius v. d. filius quondam Gunduln, teſtis.

Signum ✠ manus Cunipert v. d. filius Pittuni, teſtis.

Signum ✠ manus Ermuluni v. d. filius quondam Arnicauſi, teſtis.

✠ Ego Rodualt Notarius hanc cartula ſcripſi, Soledos dante vidi, & poſt tradita explivi.

Donatio ſacta Eccleſiæ S. Mariæ de Caſſina a Raculo. Anno 750.

IN nomine Domini Dei noſtri Jeſu Chriſti, regnante Domno noſtro Aiſtolfo vir excellentiſſimo Rege, Hanno Regnis ejus Primo, Menſe Junio, die ſexta ante Calendas Julias. per inditione Tertia. Ideo ego Racolo v. d. filio quondam Tachiperti vocitator Vicobruci, & manifeſto ſum mihi eo cod ante os anno mihi offerrere viſus fuit cum homnis res meam dequamto avire viſo ſum ad Eccleſia Dei, & beatiſſime Sancte Marie de Caſſina. Et menime exinde cartula ad ipſo ſuprascripto loco emiſit . . . . Vero conſideravit Dei omnipotentis temore & mercede anime mea, ut per hanc cartula ſuprascripta res mea in ipſo ſuprascripto loco una meco offero, unde modo Deus & tivi predicta Eccleſia Sancte Marie cartula exinde emitto, ut aveas, poſſedeas ipſa ſuprascripta Eccleſia omnis res meam, vel ejus Coſtodes, tam Caſa avitationis me cum homnia & in homnibus, de quanto mihi de jura parentorum meorum evinet, & in perpetui mea foturis temporibus ipſa meam offerſionem firma & iſtavilis permanead. Et non ego, non eredes meus, nec nullus. J. ſita perſonam aveas loquendi facundia alique de ſuprascripta res meam ad ipſo ſuprascripto loco, vel ejus Coſtodis retollendo. Set, ut dixit, iſtavile permanead in ipſo ſuprascripto loco homnia, ſicut ſuperius legitor; ut mihi aput Domino, vel ejuſque Sancti exinde magna mercis adcriſcad, & in foturo ſeculo bona invenias retributionem, vel ejus Coſtodientis die noctuque Deus deprecare pro redemtionis anime meam non ceſſit. Ecce ut meus bono fuit deſiderio, per hanc cartula confirmavit, unde pro monimine & cautelat han cartula in ipſa Eccleſia emiſit, & Teofrid Notarius iſcrivere rogavit.

Actum Piſa per Inditione ſuprascripta feliciter.

Signum ✠ manus Racoli v. d. qui han cartula iſcrivere rogavit.

Signum ✠ manus Birrica filio quondam Urſi, teſtis.

Signum ✠ manus Teofrid filio Lautperti, teſtis.

Signum ✠ manus Siſiperti filio quondam Aunefrid, teſtis.

Signum ✠ manus Lamperti filio quondam Teuperti, teſtis.

Ego Teofrid Notario rogito ad Racolo hanc cartula iſcripſit, & poſt teſtium rovorati ſupplevit & dedit,

Collatio Eccleſiæ S. Mamiliani in loco Collinæ, ſacta ab Andrea Epiſcopo Piſano. Anno 757.

IN nomine Domini Dei noſtri Jeſu Chriſti, guvernante Domno Ratchis (1) famulu Chriſti Jeſu, Principem gentis Languvardorum, Anno Primo, Menſe Februario, per Inditione Decima. Magnum donationis eſt titulus, uvi cauſa largitatis congrue poteſt agnuſci. Ita Domnus Epiſcopus Andreas ſancte Piſane Eccleſie . . . . . unuſquis conſiderans ſervienti ſuo fideli famulo alico beneficii munus impenditur, ut beneficii ſui aliqua remunerationi ſue miſericordia conſequatur, idio omnipotens Dominus ſuo fideli famulo, juſtoque diſpenſatori adfatus eſt, dicens: Euge, ſerve bone & fidelis. Quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam, intra in gaudio Domini tui. Itcirco auctore Deo ego ſuperius nominatus Andreas Epiſcopus, conſiderans tuo Atoni obſequium, & fidelem ſervitium, confero adque cedo tivi, cui ſupra, Atoni Eccleſiam Sancti Mamiliani, ſita in loco Collinem, quam mihi da Rotpertu quondam Presbiter cum Monaſterio, vel campis, pratis, ſilvis, vineis, pomiferis, paſcuis, padulibus, vel aquarum fontibus, ſeu & in loco, qui dicitur Pinnule quidquid ad ipſa Eccleſia; vel ad ipſum Presbiterum pertenuit, vel nunc preſenti tempore habere vel poſſidere videtur, ut diximus, movilia & immovilia, familia, ſeque moventia, in tua Atoni giure dominioque con-

(1) Nodum heic exhibeo. Uti Pagius animadvertit, aliaque a me edita monumenta produnt, Liutprandus Rex Anno Ch. 744. e vivis abiit. Eodem Anno Ratchis, dejecto Hildebrando, Regnum iniit. Quid ergo eſt quod Ratchis *Annum Primum* ſignat Anno 742. quem *Indictio Decima* innuit? Quod peregrinum eſt, non is Rex appellatur, ſed *Princeps gentis Langobardorum gubernans*. Num is Tuſciæ Præfectus annos regiminis ſui numerare cœpit? At negligendum nomen Regis non erat. Hac etiam ex Charta Ughellius deduxit, ut arbitror, *Andream* Epiſcopum Piſanum Anno Ch. 742. ſedentem. In eam ergo ſententiam deſcendi, indicari heic non Annum 742. ſed quidem 757. quo tempore uti Anaſtaſius Bibliothecarius memoriæ prodidit in Vita Stephani II. Papæ, *Ratchis* Monaſticæ profeſſionis pertæſus, ad Regnum antea depoſitum rurſus adſumendum advolavit, exercitumque contra Deſiderium conflavit. Charta hæc prodit, ambitioſum hunc Monachum jam Tuſciâ Provinciâ potitum, numeraſſe *primum Annum* Regiminis a ſe ſuſcepti: quod antea ignotum fuit. Quare *Andreas* Piſanus Epiſcopus ab Anno Ch. 742. transferendus eſt ad Annum 757.

concedo, habendi, dominandi, poſſidendi, ordinandi omnibus diebus vite tue, livere & inconcuſſe firmiter valeas poſſidere, & nullo umquam in tempore tivi aliquis homo aliqua poſſet exinde inferre moleſtia. Nepotis autem ipſius quondam Rotperti Presbiteri, qui nunc ividem abitare videntur, eorum nomina ſunt Rutperga & Romias, Monacas ambas, dum advivere meruerent, liceat earum ambabus cum ſis ſuas ividem vivere & abitare. Poſt obitum earum vertatur omnia ad ipſa Eccleſia & Atoni, vel quem ivi ipſe conſtitueret. Poſtea virò poſt deceſſo Atoni, vel quem Ato ordinaveret, ideo poſtea revertatur ad poteſtatem Sancte Marie Matris Eccleſie, vel Epiſcopo, qui pro tempore in Civitatem Piſanam fuerit ordinatus. Onde amodo tempore abeas noſtrum firmitatis donum cum Dei gratia, & ſancte ejus Genetricis Marie, ſeeurus cum gaudio valeas poſſidere. Quam viro donationis, ſeo firmitatis noſtre cartula, Alpertu Notario ſancte Eccleſie noſtre ſcrivere juſſimus.

A Actum Piſas, per Indictione ſupraſcripta feliciter.

✠ Ego Andreas Epiſcopus in hanc cartula donationis a me facta manu mea propria ſubſcripſi.

✠ Ego Aunemund Archipresbiter ex juſſio Domno Andreas Epiſcopus in anc cartula manus mea ſubſcripſi.

✠ Ego Alvart Presbiter ex juſſio Domno Andre Epiſcopus in hanc cartula manu mea ſubſcripſi.

✠ Ego Ilmipertus Diaconus ex juſſionibus Domni Andre Epiſcopus manu mea ſubſcripſi.

✠ Ego Auſuru Diacono ex juſſione Domno Andreas Epiſcopus manu mea ſubſcripſi.

B ✠ Ego Barunta Presbiter ex juſſione Domni Andree Epiſcopus manu mea ſubſcripſi.

✠ Ego Alpertu Notarius ex juſſione Domni venerabilis Andrea Epiſcopo hac cartula donationis ſcripſi, & poſt manu ipſius propria ſcripta, & a teſtibus rovorata, & manibus ſui tradita ſupplevi & dedi.

Oblatio ſuarum rerum, facta Eccleſiæ S. Petri ad ſeptem Pinos a Liutperto. Anno 763.

IN nomine Dei noſtri Jeſu Chriſti. Regnante Domno noſtro Deſiderio, & Adelchis filio ejus, Regibus, Anno Regni eorum in Dei nomine Septimo & Quarto, menſe die Calenda Martia, Indictione Prima. Liutpertu v. d. filio quondam Andoloni dixit: dum me in infirmitate egritudinis fortiſſima eſſe cognoviſſe, adque ad filio, vel filia diſtituto, pro ut namque Dei compulſatione ſuper me venientem, ut pro meis delicta cogitare, qualiter mei facinoribus redimere, ut mihi Domino pondere peccata relaxare, & in foturo Seculo illa invenire retributione, quam Deo dare promiſe diligentibus ſivi: ex cujus conpuntione rememorato ſum ego jam nominato Liutpertu, ita tractavit in omnibus mea bona voluntate, qualiter me ad aula Sanctorum Dei cum homnia offerire, ſicut nunc preſente die me una cum omnis paupertatis ſupſtantiola mea quitquit avire aut poſſedire mihi pertinente ubique viſo ſum, do, dono, cedo, & hoffero me Deo & tivi Eccleſia Sanctorum Dei, & beatiſſimi Sancti Petri ad ſeptem Pinos, ubi Alateo Arcidiacono præeſſe videtur, ita ut in ipſius ſancti & venerabilis Eccleſia admodo ſia poteſtatem & defenſionem, ut dixit, omnia & in omnibus res meas, antepoſito homeni, quod mihi reſervavi ad livertando, ſeo & notrimenta & otenſilia, quot pro anima mea expenſando mihi reſervavit una cum Alateo Arcidiacono, aut Sacerdote predicte Eccleſie. Et ſi me mors occupaverit, & ego ipſo non adimpliro ita, in ipſorum Sacerdotis ſia dominio hec adimplendo, quod ſupra promiſi, & quot in Dei ponitur poteſtate, & mihi Domino de infirmitate iſta ad vita reduxerit, ita decerno, ut pro unoC quomquem anno dare diveas in Eccleſia ipſa luminaria Solido uno puro. Uſufructum de ipſas res, & filio, aut filia de conjuge mea Alderada abucro, & ipſi ſic perſolva in ipſa Eccleſia, ſicut ego dare promiſi. Et ſi ipſa conjuge me ſuper me vixere, & lecto coſtodierit, avea medietate ipſo oſufructum. Pos deceſſo . . . . ipſius mulieri opſervata ſicut ſupra omnia & in omnibus revertatur in ipſius Eccleſie, ve de ejus Coſtodis poteſtatem & dominio, ſicut ſupra legitur, & ad mi ſemel conceſſa & offerta eſt. Et numquam ego Liutpertu, nec meus eredis nec per nulla ſuppoſita perſona anc mea donationis oſferta poſſit diſrumpere, nec alio tenore ſe removere, ac judicare; & compona in ipſa Sancta D Eccleſia duplus de co agitur, preſens anc mea offerta in ſuo manea rovore, Sacerdote vis . . . . Eccleſie qualiter pro anima mea de pondera peccata mea Deo deprecare avead Domino . . . . re. Unde qualiter mihi complacuit anc Cartula fieri eligi, & Teufrit Notarium iſcrivere rogavit.

Actum Piſa per Inditione ſupraſcripta feliciter.

Signum ✠ manus Liutpertu, qui an Cartula fieri rogavit.

Signum ✠ manus Beati filio quondam Baruncio, teſtis.

Signum ✠ manus Gumpuli filio quondam Cuniperti, teſtis.

E *Signum ✠ manus Urſi filio Beati, teſtis.*

Signum ✠ manus Cuntefridi aurifici, teſtis.

Ego Teuſrit Notarius an Cartula poſt tradita ſupplevit.

Dona-

Donatio facta Eccleſiæ S. Margharitæ ab Audiperto Piſano. Anno 765.

IN Chriſti nomine, Regnante piiſſimo Domno noſtro Deſiderio, viro excellente Rege, & Domno noſtro Adelchis Rege, Anno pietati Regni eorum Octavo & Sexto, Menſe Januario, Indictione Tertia. Audipertu, qui & Argentio vocatur, filio quondam Audualdi, propter ſalute dixi, quia dum in hoc Seculo vivit homo, oportet illi cogitare, qualiter malorum noſtrum pondera ſubleventur, & ea que noviſcum portare non poſſumus, piis expendamus operivus, ut aliquas portiunchula beatitudinis ſit novis profutura. Et ideo ego, qui ſupra Argentio, Dei omnipotenti conſideratum ſum miſericordia, & pro redemtione, & mercide anime me, do, dono, cedo, trado, & offero tivi Deo, & ad Eccleſia Sancte Margarite, ſita hic intra Civitate noſtra Piſana, quam nunc Aluarto Arcipresbiter a fundamentis edificavit, ideſt portione de res mea in loco Colline, que vocitatur Urſiano; hoc eſt, Caſa maſſaricia, qui regitur per Liutpertu, una cum terris, vineis, ſilvis, movile & immovile, adque ſe ipſe moventivus, omnia & in omnivus, quidquid ipſi Liutpertu manu ſua avire invenitur: vel omnia ad ſupraſcripta Caſa pertinente, ut dixi, quidquid ivi avire viſu ſum, omnia in predicta Eccleſia Dei & Sancte Margarite amodo traſacto jure contradavi, avendi, poſſedendi poſteris quevis Aluart Arcipresbiter .... ipſis dominandi, aut quidquid ex eis

A *facere, judicare volueritis, in veſtra ſit poteſtate. Et ſi quis ego ſupraſcripto Argentio, aut meus heredes contra hanc cartula ire, venire in aliquo ex eis moleſtare vovis aut ſubtragere queſieſſemus per nos, aut per qualivit hominem, duplam meliorata rem componere promitto ego Argentio, aut meus heredes in ſupraſcripta Eccleſia, aut ad Cuſtodivus ejus, & preſens pagina omnino tempore in ſua permaneat firmitate. Quam verò in predicta Eccleſia benigna mea voluntate pro anima mea de ſupraſcripta res fiere eligi, & Maccio Notario ſcrivere rogavi.*

Actum Piſas per Inditionem ſupraſcripta feliciter.

B *Signum ✠ manus Argentio, qui hanc cartula donationis pro anima ſua fieri rogavit.*

Signum ✠ manus Pertingo filio quondam Pertinandi, teſtis.

Signum ✠ manus Tiunti filio Gundi, teſtis.

Signum ✠ manus Grinpo filio quondam Teuſperti, teſtis.

Signum ✠ manus Mauri germano Grinpi, teſtis.

Ego Diatianus filiu quondam Leoniani rogatus ad Argentiu in hanc cartula manu mea ſubſcripſi.

Ego Maccio Notarius poſt tradita complevi & dedi.

Codicilli Dommolini pergentis in Exercitum, quibus liberalem ſe præbet erga Auſtricundam Sororem. Anno 769.

IN Chriſti nomine. Regnante piiſſimo Domno noſtro Deſiderio & Adelchis Regibus, anno fil ciſſimo regni eorum Tertiodecimo, & Decimi, Menſe Julio, Inditione Septima. Ego Dommolino filio quondam ...... quoniam incerti ſumus omnis de Dei judicio, non iſcimus qualiter novis finis mortis occhurra, & ideo diſpoſitum ſum iter in exercito (1), *& tivi Auſtricunda dulciſſima Sorore germana mea in domo mea in capillo* (2) *avire videor, elegiſti tivi monaſticho voto Deo deſervire, petiſti me, ut tivi largito cedere de res tua fachultate, quam tivi chonquiſiſti, pro anima tua dare. Unde chonſideratus ſum ſuperna retributione, & tuam ...... uam mihi poſtulaſti, do, & cedo tivi licentia, adque per hanc cartula mea largit .... ſechundo ediſti pagina in te chonfirmo & chonſtituo tivi avire Diſpenſatorem Ufrit Presbiterum Eccleſia Sancti Petri ſita, que vocitatur ad Septem Pinos, aut poſteros ejus. Et ſi poſt tranſito meo tu dulciſſima Sorore mea remanſerit, volo, decerno u ...... a chum ipſo, ſicut tua fieri voluntate & licentia aveatis omnis res tuas, quas tivi chonparaſti aut chonquiſiſti, movilia & inmovilia vendere, & cartula venditionis emittere pina ſuper eredes meus chonligare ipſa res moleſtavere ad emtoribus, aut ad loca veneravilia, aut chui de ipſa res in integro, aut quomodo volueri dare, ſuptragi queſieri, dupla meliorata chomponatur, ſicut tivi placuerit animo dandi pro anima tua una*

C *cum ſupraſcripto Diſpenſatores, aut poſteros ejus, quot dederit omni tempore pro mea largitate firmiter chonſtituo permanire. Et ſi quis aliquis de eredis proberedibus meis poſt meus deceſſor quoquo tempore chontra anc cartula largitatis diſpenſationis ire, venire, moleſtare, diſrumpi, aut moleſtare tentaverit, conponiturus eſſe inveniatur tivi ſupraſcripto Diſpenſatores, aut ad poſteros tuos dupla meliorata remde quot agitur. Et preſens cartula in ſua permaneat firmitate, ſicut Maccio Notario iſcrivere rogavi.*

Actum Piſa per Inditione ſupraſcripta feliciter.

Signum ✠ manus Dommolini, qui an cartula fiere rogavit.

D *Signum ✠ manus Rotperti filio quondam Rodualdi, teſtis.*

Signum ✠ manus Anſari filio quondam Anſualdi, teſtis.

Signum ✠ manus Auriboni filio quondam Aufrit, teſtis.

Signum ✠ manus Maurunte filio quondam Filicenti, teſtis.

Signum ✠ manus Gumfrit filio quondam Guntifrit, teſtis.

Ego Maccio Notarius poſt teſtium complevi & dedi.

Ego Anſpertu Notarius an cartula ſine fraudem exemplavi.

E

(1) Alterum exemplum in hoc Opere dedi hominis ituri ad exercitum, qui Teſtamento peracto ſuis conſuluit rebus.

(2) Ideſt virgo; intonſæ quippe virgines eo tempore erant ad nuptarum diſcrimen. Vide Leges Langobardicas.

Oppignoratio ſundi pro debito, facta Giſelperto a Barundolo. Anno 777.

IN Chriſti nomine. Regnante piiſſimo Domno noſtro Carulu viro excellente (1) Rege, Anno Regni ejus in .... Tertio, Menſe Auguſtu, Inditione Quintadecima. Conſta me Barundulu ...... & quia manifeſtu ſum, eo quod divito ſum, dare tibi Giſilperto filio ...... tuos, & medio boni novi ſonantis expendivilis Lucan (2) ...... Unde tivi modo ipſo divito perſolva, proinde tivi manus mea em ...... heredes, ego aut meus heredes in affiduciato poſui terram in loco ...... in fluvio Auſare, & alio capo tenente in terra mea, uno lato tenente .... & alio lato tenente in terra Aufrid. Hec terra, ſicut ſuperius legitur, una cum omnia ad ea pertinen ...... tivi in affiduciato dedi & tradavi. Dato enim conſtitutu ſupradicti Soledi ad redendo in Sancti Stefani poſt iſti alii proxime venientem, &.dum uſque ipſo divito nos auveremus, pro nullo ingenio non aveamus licentia vindere nec alienare, & ſi vindidero aut alienavero ego aut meus heredes, tu Giſilpertu, aut tuos heredes licentia aveatis ipſa terras prindere vin ...... avire & denominare in extromento vinditionis. Unde promitto ego qui ſupra Barundulus, aut meus heredes tivi Giſilperti, aut ad tuos heredes, ut ſi ſupraſcripti Soledi ipſo capital, ſicut ſuperius legitur, in ſupraſcripto conſtitutu non dederemus & non rededeeremus, & vos parati fuiſſetis recipere hic in Piſa ad caſa avitationis ve-
A *ſtre, nos ivi parati non avveremus, & non redederemus ipſo capital (3) in integro, licentia aveatis tu aut tuos heredes ſupradicta terra avire & dominare in veſtra poteſtate, tanquam ſi ea vovis da omnem hominem defendere non potueremus, alia tanta terras ab extimationem ferquide tale tivi, aut ad tuos heredes ego aut meus heredes reſtaurare deveamus. Et ſi infra quarta die reſtaurare neclixeremus, conpono repromitto ego Barundulu, aut meus heredes tivi Giſelperti, aut ad tuos heredes ipſa terra in duplum. Et ſi in ſupraſcripto conſtitutu redere potueremus poſt divito ſolutu, & fruge recolitu, hanc cartula aput me, aut aput meus heredes revertatur. Unde tivi hanc cartulam*
B *Iſtaipertum Notarium iſcrivere rogavi.*

Actum Piſa per ſupraſcripta Inditione feliciter.

Signum ✠ manus Barunduli, qui hanc cartulam fieri rogavit.

Signum ✠ manus Domnuli filio quondam Perticauſi, teſtis.

Signum ✠ manus Riperti filio quondam Tripaldi, teſtis.

Signum ✠ manus Rodicauſi filio quondam Roxperti, teſtis.

Signum ✠ manus Petri filio Deardi, teſtis.

✠ Ego Iſtaipertu Notarius pos tradita complevi & dedi.

Donatio Curtis Raſinianæ, facta a Perprando Ololiæ Filiæ ſuæ. Anno 783.

IN Dei nomine. Regnante Donno noſtro Carulu Regi Francorum & Langubardorum, Anno Regni ejus in Langubardia Decimo, & Donno noſtro Pipinu Rege filio ejus, Anno Regni ejus Tertio, Menſe Julius, Inditione Sexta feliciter. Manifeſtu eſt mihi Perprandu, filio bone memorie Av lperti, quia per hanc cartula donare & tradere videor tibi Ololia Filia mea, ideſt Curte mea, quam avire viſus ſum in loco Raſiniano, unacum terris, vineis, ſilvis, pratis, paſcuis, cultu vel incultu, movilia vel inmovilia omnia & in omnibus, ſeo ſemoventibus, ſive cum maſſariciis Caſas ad eas pertinente, ſive Aldionibus vel Aldiane, mihi pertinentibus ad jam dicta Curte in predicto loco Raſiniano, ſeo notrimina menoris vel majoris; excepto ſala mea in ipſo loco, ubi dicitor ad Monte una cum Sundrio de vinea ante ſe, ſeo & ipſo Oliveto, in ipſo Monte, ſeo & Caſagio meo in ipſo loco Raſiniano, ubi dicitor ad Suvera, ſeo & vinea, ubi dicitor prope Sancto Johanne, excepto Appula muliere Ermuli Cavallarii meo, una cum infantuli ſui; excepto Caſagio meo, qui dicitor da Formicianu, & prato tras monte; & excepto omnia in ipſo loco, quantu mihi Ad Liutprandu obvine. Ipſa omnia, excepta tua res, vel homenes, in mea reſerbo eſſe poteſtate faciendi de as quem voluero.
C *Nam alia omnia res ipſa in jam dicto loco Raſiniano, que ſuperius legitor ...... caſe ſeo homines Aldionibus vel Aldiane, ſicut mihi ſunt pertinenti, tibi qui ſupra Ololia dulciſſima Filia mea, mulier Auſtriſunſi, donare & tradere viſu ſum in integrum, ut in tua vel de heredibus tuis ſit poteſtate, excepto, ut dixi, quem ſuperius exceptavi. Sic tu me in eo ordine tibi iſta omnia res, ſeo homenis donavi & tradedi, ut dum ego advivere meruero, ut in mea ſit poteſtate uſufructandi, & poſt virò meo deceſſo jam dicta .... omnia, quas tibi ſuperius donavi, in tua, ut dixi, vel de heredibus tuis ſit poteſtate. Et adcepi a te launichildi legibus meis Langubardorum, ſicut Edicti contenit au-*
D *ctorita, uno pario manicias. Et neque ad me neque ad meis heredibus hec mea cartula donationis poſt meo deceſſo poſſit derumpi, ſet omni in tempore poſt meo deceſſo firma & iſtavile divea permanire. Et ſi quicunque de heredibus meis tibi jam dicta Ololia, vel ad tuis heredis, ſi intentionare ...... quiſierit jam dicta Curte, vel ipſe alia caſa, ſeo omnia ad eas pertinente, quas tibi ſuperius donavi, per qualibe ingenio, & as vobis ad omni homine defenſare non potuero, ut ſit connonituri ipſi heredis meis tibi, vel ad tuis heredis ...... ipſe Caſe, & res, vel homenis, omnia in duplum, in ferquide*

(1) Rectius *Excellentiſſimo*, ut in aliis ejus ævi Chartis.

(2) Habes heic Solidos *Lucenſes*, nam vel ſub Regibus Langobardis jure Monetæ ſive cudendi Nummos, fruebatur Civitas Lucenſis, eaque una in Tuſcia.

(3) Animad[ver]te antiquitatem Italicæ vocis *Capita*

de locum ſu extimatione qualis tunc fuerit . Et Teudipert iſcrivere rogavi .

Actum in Cantinianu .

✠ *Ego Perprand in anc donationis a me facta manus mea ſubſcripſi .*

Signum ✠ *manus Tachiperti , filio bone memorie Ratcauſi de Piſa .*

Signum ✠ *manus Anſelmi filio quondam Auriperti , teſtis .*

Signum ✠ *manus Riculi filio quondam Aſprandi , teſtis .*

Signum ✠ *manus Auriprandi filio quondam Auperti , teſtis .*

Signum ✠ *manus Lucci filio bone memorie Cauſeradi , teſtis .*

✠ *Ego Teudipert poſt tradita conplevi & dedi .*

Placitum Reghinardi Epiſcopi Piſani, in quo decernitur, quoſdam homines Servos eſſe Piſanæ Eccleſiæ. Anno 796.

IN Chriſti nomine. Regnante piiſſimo Domno noſtro Carulo , viro excellente (1), *Rege Francorum & Langubardorum, hac Patricius Romanorum , quod Langubardia cepi Anno Vigiſimo ſecundo , & Domno noſtro Pippino Rege Langubardorum filio ejus Anno Regni ejus Sextodecimo, Quinto die intrante Menſe Junio, Inditione Quarta . In Dei nomine dum reſediſſe Reghinardus* (2) . . . . . . *nomine vocatus Epiſcopus ſancte Eccleſie Piſane Civitatis , & nos inſimul Petrus Diaconus , Fiducia Clericus loci poſite* (3) *ſupraſcripte Eccleſie hujus Piſane Civitatis , atque & Dondo idem Scabino de Piſa, ubi aderant nobiſcum Thomas Diaconus , Otus Presbiter , Chunifrid Presbiter , Roſchiſi Presbiter , Johannis Clericus , Hildipertus Subdiaconus , Grimpo Clericus , Sanitas Notarius , Sachipertu Clericus , Petro Clericus , Bauchera Vaſſus Domni Regi , Uvillardo Gar . . . . Iſtabili , Mincpas , Gumpertus filius quondam Urſi , Teodingo , Pertualdo , Amulo , Allo , Gumprando , & Uvalprando germanis , Grauſo Clericus , Suliprando , Nandifrid , Lautpertu , & alios plures . Venerant ibi ante nos Arnulfus Vicedominus , nec non & Sotprandulu , Aſpertulu Clericus, & Perticauſulu germanas perſonas , altergationem habentes . Dicebat Arnulfus Vicedominus contra jam nominatos Sotprandulo , Aſpertulu Clerico & Perticauſulu :* Pro quas re perſonas veſtras queritis ſubtrahere de ſervitio Sancte Marie ? Quia quidam Anſcauſulu genitor veſtrorum Servo fuit Sancte Marie domoi Epiſcopalis Civitatis Piſana . *Hac contra reſpondebat ſopraſcripti Sotprandulus , Aſpertulus Clericus , & Perticauſulu:* Non faciat Deus , quod genitor noſter Servus fuiſſet Sancte Marie , nec nos de perſonas noſtras Servi eſſe devemus , niſi tantum de ipſa caſa Sancte Marie hic fecimus ſervitio pro liveris homenis. *Tunc qui ſupra Petrus Diaconus , Fiducia Clericus , ſeo Dondo Scabini pertractantis nos una cum ſupraſcripti Auditores , judicabimus , & vvadiam dare fecimus Arnulfus Vicedomini conſignare per teſtimonia , qualiter Aſcauſulu pater Sotpranduli , Aſpertuli Clerici , & Perticauſuli, Servus fuiſſet Sancte Marie , & ante nos eorum fidijuſſore poſuet . Et dum prefatus Arnulfus ivi preſentem teſtimonia ante nos preſentaſſet , & nos eos ſingulatim & diligenter ſub Dei timore inquiſivimus . In primis Tiontii dixit :* I ſcio , Aſcauſulu pater iſtorum Sotpranduli , Aſpertuli Clerici , & Perticauſuli infra trigintas annos eſſet Servus Sancte Marie: & quando Rincualdo battedit ipſum Anſcauſulu , ad parte Sancte Marie pro Servo conpoſuet . *Gumprando filius quondam Grauſperti ſimiliter dixit . Atrulus germanus ejus ſimiliter dixit . Audilaſci Presbitero dixit :* Scio Sicualdo Presbitero eſſe Vicedomoi Sancte Marie , & prindere Aſcauſulu pater illorum Sotpranduli , Aſpertuli Clerici , & Perticauſuli , & bitebant eum pro Servo . Et infra trigintas annos Servo fuit Sancte Marie de perſona ſua. *Pos teſtimonium vero redduto ipſe teſtimonia unuſquiſque ipſorum germanis per Dei Euangelia juratus dixerunt ante nos ;* ſicut teſtimonium rededimus , ſic fuit certa veritate . *Et inſuper Arnulfus Vicedomoi ante nos omnes Sotpranduli, Aſpertuli Clerici, & Perticauſuli juratus dixit per ſanctum Dei Euangelia :* Sicut teſtimonias iſtas ad parte Sancte Marie teſtimonium reddiderunt , ſic fuit certa veritate . *Poſt ec interrogabimus nos Petrus Diaconus , Fiducia Clericus , & Dondo Scabini jam dictos Sotprandulo , Aſpertulu Clericus , & Perticauſulu , ut ſi poterit aduniare livertate ſua aut per cartulam , aut per teſtimonia , vel poſſeſſionem juxta Lege . Quidem ipſi dixerunt, quod ſua livertate adprovare poterit . Et taliter ipſi Arnulfi de conſignationem vvadiam dare fecimus. Tunc ibi preſentem Sotprandulo, Aſpertulu Clerico, & Perticauſulo poſt vvadiam data manifeſtaberunt in judicio ante nos omnes , quia* neque per teſtimonia, neque per cartulam , nec per poſſeſſionem juxta Lege , nulla conſignationem , ſicut vvadiam dedimus de perſone noſtre , qualiter liveri fuiſſemus , facere non potemus , nec livertate noſtra aduniare non potemus , quia Servi ſumus de perſone noſtre Sancte Marie Domus Epiſcopalis Piſane Civitatis . *Unde nos, qui ſupra Petrus Diaconus , Fiducia Clericus , & Dondo Iſcabini judicavimus , ſicut Arnulfu Vicedomoi per teſtimonia conſignabit, & per ſagramentum firmaverunt . Et ſecundum ipſorum manifeſtationem judicabimus , ut Sotprandulo , Aſpertulu Clericus , & Perticauſulu omni tempore deſervire in caſa Sancte Marie de perſonas ſua pro Servi omnibus diebus vite ſue . Et fenita eſt inter eis cauſatio. Et hunc notitia judicati Iſtaipertu Notario ſcrivere ammonuemus.*

Actum Piſas per Inditionem ſupraſcriptam feliciter .

✠ *Ego Petrus Diaconus in unc judicatu ad nos factu , manus mea ſubſcripſi .*

✠ *Ego Fiducia Clericus in hoc judicato ad nos factum , manus mea ſubſcripſi .*

Signum ✠ *manus Dondi Lociſſi , qui hunc notitia judicati pariter fieri ammonuet .*

✠ *Ego Thomas Diaconus in oc judicio interfui .*

(1) In membrana , ut puto , legitur *Excellent.* ideſt *Exeellentiſſimo* .

(2) Diligentiam Ughellii effugerat Epiſcopus iſte , Piſanæ Eccleſiæ Faſtis propterea addendus.

(3) Pro *Locopoſiti* , ideſt Vicarii , De *Loci Servatoribus* in hoc Opere egi Diſſert. X. Sed hi *Locopoſiti Eccleſia Piſana* dicuntur.

✠ *Ego Otus Presbiter in ohc judicio interfui.*
✠ *Ego Cunifridi Presbiter in hoc judicio interfui.*
✠ *Ego Roſchiſi Presbiter in hoc judicio interfui.*
✠ *Ego Johannes Clericus filius Alperti in oc judicium interfui.*
✠ *Ego Sanitas Notarius in hoc judicio interfui, & manu mea ſubſcripſi.*
✠ *Ego Nonpertu Subdiaconus in hoc judicio interfui.*
✠ *Ego Grimpo Clericus in hoc judiciu interfui.*
✠ *Ego Rachipertus Clericus in unc judici interfuit.*
Signum ✠ *manus Gumperti filio quondam*

A

Urſi in hoc judicio interfuit.
✠ *Ego Teudintus in hoc judicio interfui.*
Signum ✠ *manus Amuli filio quondam Pertuinghi in hoc judicio interfui.*
Signum ✠ *manus Alli filio Alduli in hoc judicio interfuit.*
✠ *Ego Grauſus Clericus filio Dondi in oc judicio interfuit.*
✠ *Petrus Clericus filio quondam Fauſrighi in oc judicio interfuit.*
✠ *Ego Suilprando filio quondam Tiuſulli in oc judiciu interfui.*
Signum ✠ *Uualprandi filio quondam Auruli in oc judicio interfui.*
Ego Staipertu Notarius poſt rovoratam ſupplevi.

Locatio terrarum facta a Platone Epiſcopo Piſano. Anno 801.

IN Dei nomine. Regnante Domno noſtro Karolus Imperator Auguſtus, Anno Imperii ejus poſtquam Italia ingreſſus es, Anno Primo, Pridie Kalendas Magias, Indictione Nona. Placuit & convenit in . . . . Plato (1) *per miſericordia Dei ujus ſancte Piſane Eccleſie Epiſcopus, nec non & Teupaldus, & Vit. . . . . auchiſi eſt qui ſupra Teupaldus, & Vitali germani, & noſtris heredibus noſtris laborare & exercere debeamus caſis & rebus pertinentes Sancte Marie, quod eſt Plebe Baptiſmalis . . . . Caſſina. Caſa vero ipſa in loco Cociliana, quam recta fuit per Lupualdo & Petro . . . . . per nos ipſi recta eſſe videtur. Hec predictis Caſa & omnibus rebus ad eam pertinen. . . . . . . borare & excolere facere debeamus, ita ut melioretur & non pejuretur, & per omne . . . . . & fruge, ſeo & per fructum arboribus nos vobis per omnes annos ad parte Epiſcopatui veſtro ad ipſa Curte veſtra in Caſſina vobis vel ad loco poſito veſtro, qui in ipſa Curte . . . . . ordi. . . . . . cenſum dare & perſolvere debeamus, ideſt de argentum denarios duodecim de bo. . . . . . . expendibiles, & ille homines, qui in ipſa Ca. . . . . . reſedentes fuerit, nos vobis a mandato veſ. . . . . . debeamus in Civitate Piſa & ad ipſa Curte veſtra Domnicata in Caſſina ad juſtitia . . . . . . cio veſtro audiendum & conplendum. Unde promitto ego Teupaldus & Vitali una cum . . . . . vobis jam dicto Plato Epiſcopo, & ad Subceſſores tuos, ſi nos jam dicta Caſa, & rebus ad eam perte. . .*

B

. . . . re, aut poſtponere preſumſerimus, aut ſi per nos peguratas fuerit, & nos vobis ad parte Epiſco. . . . . . . nia per ſingulos annos non perſolverimus & non adimpleverimus, qualiter ſuperius legitur, componamus vobis pene . . . . . . quinquaginta. Item & repromitto ego qui ſupra Plato Epiſcopus, una cum Subceſſores meos vobis jam . . . . . tris heredibus, ſi vos nobis ad parte Epiſcopato noſtro omnia per ſingulos annos ſic perſolveritis . . . . . ritis, ſicut ſuperius promiſiſtis nos vobis de jam dicta Caſa, & rebus ad eam pertenentes fora expellere . . . . nare, aut amplius vobis ſuper impoſita fuere preſumſerimus, ſimiliter componamus Soledos quinquaginta . . . . taliter inter nos convenit. Et duo libelli prope uno tinore Johanne Notario ſcribere rogavimus.

C

Actum Piſa.

✠ *Ego Teupaldus in unc libello a nos facto manu mea ſubſcripſi.*
Signum ✠ *manu Vitali germano ſupraſcripti Teupaldi, qui unc libellum ſcribere rogavi.*
✠ *Ego Agiprando ſubſcripſi.*
✠ *Ego Petru Scabino ſubſcripſi.*
✠ *Ego Johannis rogatus a ſupraſcriptis germanis me teſte ſubſcripſi.*
✠ *Ego Johanni rogatus a ſupraſcriptis me teſte ſubſcripſi.*
Signum ✠ *manu Leefridi filio quondam Ricoli, teſtis.*
✠ *Ego Johannes Notarius & Scabinus poſt tradito complevi.*

D

(1) Epiſcopum hunc Ughellius exhibet nobis ab Anno 821. uſque ad 826. in Cathedra Piſana ſedentem. Habemus hcic ipſum eidem Eccleſiæ præfectum Anno Ch. 801. Quare expungendus ex ejuſdem Ughellii Catalogo *Johannes Secundus*, quamquam is dicatur ab Anno 804. uſque ad Annum 820. in multis inſtrumentis ſubſcriptus. Chartas ſub Carolo Magno ſcriptas minime diſtinxit Ughellius a ſcriptis ſub Carolo Calvo, & Craſſo Auguſtis.

Locatio terrarum facta ab Adalperto Presbytero. Anno 804.

IN nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Regnante Domno noſtro Carolo sereniſſimo Auguſto a Deo coronato, magno & pacifico Imperatore Romano, gubernante Imperio ...... miſericordiam Dei Rege Francorum & Langubardorum, Anno Regni ejus, a quo Langubardia cepit, Deo propitio, Trigiſimo ..... ejus Domno noſtro Pippino Rege ..... Lungubardorum, Anno Regni ejus in Dei nomine Vigiſimo tertio, menſe ...... ario, Indictione Duodecima. Placuit atque convenit inter nos ..... tus Presbiter Eccleſie Sancti ..... ri, que vocatur ad ſeptem Pinos ...... & Sichiprandus .... Teuperti, ut ego ...... ndus Clericus reſedere & avitare deveam ..... ere & colo ...... ipſius Eccleſie Sancti Petri ..... in ipſa Caſa & ...... ad ipſa ſupraſcripta Dei Eccleſia ...... per offerſionis .... meme .... evenit & ipſa Caſa ..... ego bene lavorare & excolere deveam, ut melioretur & non pejoretur, & per omnem .... ego qui ſupra Sichipra .... aut meus heredes tibi ſupraſcripto Adelpertus Presbitero, vel ad poſteros tuos ad partem predicte .... e de ipſa Caſa & Colonia (1) vobis redditum facere debeamus uno Soledo argento per omnem natale Sancti Petri, & a mandato veſtro venire deveamus, juſtitia faciendo. Et ſi hec, quod ſuperius legitur per ſingulos annos non perſolvero,

A & non adimplevero ego, qui ſupra Sichiprandus Clericus, aut meus heredes tibi ſupraſcripto Adelpertus Presbitero, vel ad poſteros tuos ad partem prefate Eccleſie, aut ſi ipſa ſupraſcripta Caſa & Colonia dimittere vel poſtponere preſumpſerimus, aut ſi aput nos pejorata fuerit, componamus vobis pene nomine Solidos centum. Item & ego Adalpertus Presbiter repromitto tibi ſupraſcripto Sichiprando Clerico, ut ſi ego vel poſteros meos tibi vel tuos heredes de ipſa predicta Caſa & Colonia vobis foram expellere vel minare queſierimus, aut ſi vobis ſuperimpoſita fecerimus, ſimiliter vobis componamus Solidos centum. Unde inter nobis due Cartule uno tenore Anſelmo Notario ſcrivere rogavimus.

B Actum Piſa.

Signum ✠ manus Sichiprandi Clerici, qui hanc Cartula ſcrivere rogavit.

✠ Ego Petrus Clericus filio quondam Fuvingi, rogatus ad Sichiprandu Clerico, me teſte ſubſcripſi.

✠ Ego Ilnerandu filio quondam Deusdedi, rogatus at Sichiprandu Clerico, me teſte ſubſcripſi.

Signum ✠ manus Cocie filio quondam Nandulfi, teſtis.

✠ Ego Anſelmo Notarius poſt tradita complevi.

Charta venditionis, factæ Adelperto a Gumperto & Landolo. Anno 816.

REgnante Domno noſtro Lodohit Rex, & magnus Imperius in Italia Anno Tertio, & Domnus Bernardus (2) Rex Langubardorum in Italia Anno Quinto, menſe Janoario, Indictione Nona. Conſtat Lando, & Gumpaldo germanis filiis quondam Gumperto, Landolo filio quondam Theopaldo, vindimus & tradamus vobis Adelperti v. d. enturis tris petias de terra infra Caſale. Prima petia in l. . ... dece & ſepte in traverſo de uno capo pertegas duas, de alio uno pedis octo, & lato un. ...... ri, de alio lato heredes Theopaldi, capo via, alio capo Canifridi. Secunda petia in .... in traverſo pertigas dua in ambas capus ex lato Domnini, alio Galdenari ca. .... alio capo Theopaldi heredis. Tertia petia in longo pertigas ſidicenta ad pertigas ..... de pedis duodice menſuratam, & lato Dullioli, de alio Baſilica Sancti Johanni, alio heredes Theopaldi. Quarta petia cum vitis in dullio, avent in longo pertigas quatuordice in traverſo, de uno capo pedis dece, de alio capo Martini, alio Theopaldi. Secunda petia cum vitis in long. . ... gas nove in traverſo, de uno capo duas pedis, cinque de alio capo duas pedis ſex ..... lato Domnini, de alio lato Caponoruni, de alio capo vindeturis. Tertia petia cum vitis ad Albarelli in longo pertecas tris & pedis quatuor ex traverſo in uno capo perteca una, de alio ſimiliter ad perteca legitima ex lato Domni Regis, alio lato Brittolani Capo Regis, alio ſimi-

C liter Regis ſibi quis alius ſunt adfinis. Quarta petia cum vitis pro nomero vitis ſex prope emturi recepimus nus ſupraſcriptis vindeturis ad te emtur pro ſupraſcriptas res una cum ſuperius & in inferioribus rebus recipimus Dinarius ſexſanta fenitum pretium. Unde modo promittimus nus ſupraſcriptis vindeturis, & noſtros heredes vobis enturis, & ad veſtris heredibus ſupraſcriptas res ab omni homine defenſare, ſit minimen potuerimus, aut remobere preſumſerimus, tunc componamus dublas res melioratas in conſimile loco.

Acta Cartol .....

Signum ✠ manus Landoni vindeturis, qui fierit rogavet.

D Signum ✠ manus Gumpaldo vindeturis, qui fierit rogavet.

Signum ✠ manus Theopaldo filio bone memorie Vuinpaldi, teſtis.

Signum ✠ manus Gille filio quondam Uneſperto, teſtis.

Signum ✠ manus Johanni filio bone memorie Garipaldi, teſtis.

Signum ✠ manus Ariperti filio bone memorie Ritperti, teſtis.

Signum ✠ manus Martello filio bone memorie Theodaldi, teſtis.

✠ Ego Urſo filio Munichini rogatus ad ſupra utrit vindeturi, me teſtis ſubſcripſi.

✠ Iſcripſi Gogavoin Notarium complevit & dedit.

E

Loca-

(1) Ideſt prædium. A Colono nata hæc vox, cujus exempla complura habes apud Du-Cangium in Gloſs. Lat.

(2) Epocha Bernardi Italiæ Regis heic deſumta videtur ab Anno Ch. 811. aut ab exordio ſubſequentis.

Locatio agrorum facta a Platone Epiſcopo Piſano. Anno 819.

IN nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Regnante Donno noſtro Lodoico Sereniſſimo Auguſto , a Deo coronato , magno & pacifico Imperatore , Anno Sexto , decimo menſe Madii , Indictione Duodecima . Placuit & convenit inter nos Platus gratia Dei ſancte Piſane Eccleſie Epiſcopus , *nec non Deodatus Presbiter , qui ſuper nomine abet Avocatus , filius quondam Oſperti , ut ego Deodatus Presbiter redere & tibi dare debeam in Caſa & rebus pertinentibus Eccleſie veſtre Sancti Martini in loco & finibus Septimo ; Eccleſia vero ipſa , ſeo Caſis & rebus , quibus antea , rectas ſunt , per quondam Majorino Presbitero , & uſque modo per me ipſo rectas eſſe videntur . Ipſa vero Caſa, & rebus , quibus memorato Majorino Presbitero ad manum ſuam habuit , & ego laborare & gubernare debeamus , melioretur & non pejoretur , & in ipſa Dei Eccleſia ſit incenſum & luminaria , ſeo officium die , noctuque , juſta poſſivilittate mea facere & adimplere debeam . Et ipſa jam dicta Eccleſia , ſeo Caſa & rebus per omnes annos in menſe Martio , tibi vel ad poſteros tuos , aut a Miſſo , vel Loco . . . . to veſtro , cenſum vobis dare & perſolvere debeam a Piſa Curte veſtra in Caſcina de argentum Denarios ſexaginta boni expendibiles, & a mandato veſtro venire debeam ad juſtitia faciendum, & judicio veſtro audiendum & complendum . Unde promitto ego , qui ſupra Deodatus Presbiter tibi Plato Epiſcopo & ad poſteros tuos , ſi* A *ec , que ſuperius legitur , mea promiſſione per ſingulos annos vobis tal. . . . . parte Sancte Marie Epiſcopatui veſtri non perſolvero , & non ad . . . . . . ſicut ſupra promiſi, ut ſi jam dicta Eccleſia , ſeo Caſa , & rebus dimittere , aut poſtponere preſumpſero , aut ſi apud me pejorata fuerint , ſim vobis componiturus pena nomine Solidos centum . Item & ego Platus Epiſcopus promitto tibi ſupraſcripto Deodato Presbitero , ſi ego aut poſteros meos te de jam dicta Hecclesia , vel de Caſa , & rebus ad eam pertinentibus, de quibus memorato Majorino Presbitero ad manu ſua habuit , foras expellere , vel menuare queſierimus, aut ſuperimponere tibi facere preſumpſerimus , ſimiliter tibi componere* B *Solidos centum , quia taliter inter nos convenimus , duo libelli juxta uno tinore Roſſelmum ſcribere rogavimus .*

Actum Piſa .

✠ *Ego Deodatus Presbiter in hoc libellum a me facto , manus mea ſcripſi .*

✠ *Ego Nandifredi filio Dodi rogato a Deodato Presbitero teſtis ſcripſi .*

✠ *Ego . . . . tus a Deodato Presbitero me teſte ſubſcripſi .*

. . . .

Ego Roſſelmus Notarius . . . .

Ego Raynerius Notarius Apoſtolicæ Sedis autenticum hujus vidi , & . . . . hunc exemplar tracta eſt , & exemplavi .

Locatio terrarum facta a Platone Epiſcopo Piſano. Anno 823.

IN nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Regnante Domno noſtro Hludovvico Sereniſſimo Auguſto a Deo coronato , magno & pacifico Imperatore , Anno Octabo , menſe Martio , Indictione Prima . Placuit & convenit inter nos Plato (1) *gratia Dei , ſancte Piſane Eccleſie Epiſcopus, nec non Ildeprandus qui ſupra nomen Ildo vocatur , ſeo Lamprando , & Teupertus germanis filii quondam Ermiprandi , ut nos Ildeprandus , Lamprandus , & Teupertus germanis reſedere & abitare debeamus in Caſa , & rebus pertinentibus Epiſcopatui veſtri Sancte Marie in loco & finibus Chociliana, quibus rectas fuerunt per quondam Benedicto , & uſque modo per nos ipſis regere videtur . Ipſa vero Caſa cum rebus ad eam pertinentibus , nos vel noſtris hered. . . . . . . ſimul cum petia illa de vinea trans fluvio Arno , que tu nobis ad ipſa Caſa adjuncxiſti laborare & gubernare debeamus, ut melioretur & non pejoretur , & pro jam dicta Caſa & rebus , ſeo & pro ſupraſcripta vinea per omnes annos unus ex nobis in Caſſina angaria facere debeamus , ideſt per omnes ebdomatas dies quattuor , quibus de ſupraſcripta Caſa & rebus conſuetudo fuit ad faciendum , & a mandato veſtro venire debeamus ad juſtitia faciendum , & judicio veſtro audiendum & conplendum . Unde promittimus nos qui ſupra Ildiprandus , Lamprandus , & Teupertus , vel* C *noſtris heredibus tibi ſupraſcripto Plato Epiſchupo , & ad poſteros tuos , ſi hæc quod ſuperius legitur , noſtra promiſſione per ſingulos annos vobis taliter ad parte Sancte Marie non perſolſerimus & non adimpleberimus , ſicut ſupra promiſimus, aut ſi in jam dicta Caſa & rebus dimittere aut poſtponere preſumpſerimus , aut ſi aput nos pejoratis fuerint , ſiamus vobis componituri pene nomine Soledos centum . Item ego Plato Epiſchopus promitto vobis ſupraſcripti Ildeprando , Lamprando , & Teuperto , & ad veſtris heredibus, ſi ego , aut poſteros meos, vos de jam dicta Caſa , vel de rebus ad eam pertinentibus , aut de ſupraſcripta vinea foris expellere vel menare queſierimus , aut ſuperimpoſita vobis facere preſumpſerimus, ſimiliter* D *vobis componamus Soledos centum, quia taliter inter nos convenit, & duo libelli juxta uno tinore Roſſelmum Notarium ſcribere rogabimus .*

Actum loco Calci .

Signum ✠ ✠ ✠ *manus ſupraſcripti Ildeprandi , Lamprandi , & Teuperti germanis , quibus hunc libellum ſcribere rogaberunt .*

✠ *Ego Adalberto filio bone memorie Hiudi , rogatus a ſupraſcriptis germanis , me teſte ſubſcripſi .*

. . . . batus a ſupraſcriptis germanis, me teſte ſubſcripſi .

. . . . filio Teuding, rogatus a ſupraſcriptis

(1) Supra vidimus ad Annum Ch. 801. *Platonem Piſanum* Antiſtitem. Idem hoc Anno recurrit. Quare nullus locus *Johanni II.* quem Ughellius interpoſuit ,

ſcriptis germanis , me teſte ſubſcripſi .

. . . . andi filio quondam Vualprandi , teſtis .

. . . . filio quondam Gherimundi , teſtis .

✠ *Ego Gumpertu , rogatus a ſupraſcripti* A *germanis , me teſte ſubſcripſi .*

✠ *Ego Adalperto , rogatus a ſupraſcripti germani , me teſte ſubſcripſi .*

✠ *Ego Roſſelmus Notarius & Scabinus poſt tradito complebis .*

Charta locationis terrarum facta a Platone Epiſcopo Piſano. Anno 823.

IN nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Regnante Domno noſtro Hludovvico Sereniſſimo Auguſto , a Deo coronato , magno & pacifico Imperatore , Anno . . . . . . menſe Martio , Indictione Prima . Placuit & convenit inter nos Plato gratia Dei , ſancte Piſane Eccleſie Epiſchopus , nec non & Sindipertus Presbiter . . . . diprandi , ut ego Sindipertus Presbiter laborare & gubernare debeam rebus pertinentibus Eccleſie veſtre Sancti Pauli , que eſt Plebe Baptiſmale prope Villa Magna , ſimul cum capanna & rebus veſtris illis , quibus rectas fuerunt per Andripert Presbiter. . . . . . . & una petia de vinea , que Lupulo ad laborandum abuit , quibus ego laborare & gubernare debeam , ut non pejoretur , & in ipſa Dei Eccleſia incenſum & luminaria , ſeo officium juxta poſſivilitate mea facere . . . . re debeam , & pro jam dicta Eccleſia & rebus ad pertinentibus, ſive . . . . ſupraſcripta capanna , & rebus ad eam . . . . annos in menſe Octobris hic Piſa ad domus Epiſcopat. . . . . . . debeamus de argentum Dinarios decem & octo boni expendibiles , & ſi u. . . . . dum tres vices in annos . Unde promitto ego , qui ſupra , Sindipertus Presbiter tibi ſupraſcripto Plato Epiſchopo , & ad poſteros tuos , ſi hec que . . . . . ſingulos annos vobis taliter ad parte memorati Epiſchopatui veſtro non perſolſero , & non adimplebero , ſicut ſuperius promiſi , aut ſi . . . . . & capanna & ſupraſcriptis rebus & vinea dimittere aut B *poſtponere preſumpſeri. . . . . . . aut ſi aput me pejoratis fuerint . . . . vobis componitur . . . . quinquaginta . Item ego Plato Epiſchopus promitto tibi ſupraſcripto Sindiperto Presbitero , ſi ego aut poſteros meos te , vel homines tuos de predicta . . . . . . & capanna , vel de rebus ad eam pertinentibus , vel de ſupraſcripta vinea foris expellere, vel menare queſierimus , aut ſuperimpoſita vobis facere preſumpſerimus , ſimiliter tibi componamus Solidos quinquaginta , quia taliter inter nos convenit , & duo livelli juxta uno tinore Roſſelmum ſcribere rogabimus .*

Actum Piſa .

✠ *Ego Sindipertus Presbiter in unc lebellum* C *a me factum manu mea ſubſcripſi .*

✠ *Ego Johannis Notarius & Scabinus ſubſcripſi .*

✠ *Ego Johannes rogatus a Sindiperto manu mea ſubſcripſi .*

✠ *Ego Pertifuſu filio bone memorie Pertreldi , rogatus a Sindiperto , me teſte ſubſcripſi .*

✠ *Ego Adalprando rogatus a Sindiperto , me teſte ſubſcripſi .*

✠ *Ego Teupaldu filio bone memorie Aucis , rogatus a Sindiperto , me teſtis ſubſcripſi .*

Signum ✠ *manus Saiperti filio quondam Sacrifidi , teſtis .*

✠ *Ego Roſſelmus Notarius & Schabinus poſt tradito complebi .*

Locatio agrorum facta a Johanne Secundo Epiſcopo Piſano. Anno 827.

IN nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Regnante Domno noſtro Hlodvvico ſereniſſimo auguſto , a Deo coronato , magno & pacifico Quartodecimo , & dilecto filio ejus Domno noſtro Hlotario (1) *idemque Imperatore , Anno imperii ejus poſtquam . . . . . . greſſus eſt, Sexto , Menſe Decembris , Inditione Sexta . Placui & convenit inter nos* Johannes (2) ſancte Piſane Eccleſie . . . . . . *Sundiperto , homo Lucenſe , filio bone memorie Pertualdi , ut ego Sundipertu lavorare & excolere faciam Caſe & . . . . . . Eccleſie veſtre , in loco & finibus Caſale , & in lapide , que jam antea Aſaldo in beneficio habuit . Simili . . . . . . colere faciam Caſa una pertenentes ipſius Eccleſie veſtre in loco Floriano finibus Lucenſe . Hec omnia . . . . dicte loca ego lavorare & excolere faciam , ut non pejuretur , & cenſum vel angaria . . . . . . res vos conſuetudo habuiſti exigere & tollere , ego ipſo exire & habere debeam in mea po. . . . ego advixero . Et ipſis hominibus , qui in jam dicte Caſe reſedunt , ad mandatum veſtrum venire . . . . . . tia faciendo & judicio veſtro com-* D *plendo . Et pro omnibus memoratis rebus vobis per omnes annos in feſto Sancte Marie in Menſe Auguſto per me vel per Miſſo meo cenſum dare & perſolvere debeam ad parte Eccleſie veſtre argenti Denarios duodecim bonos . Unde promitto ego , qui ſupra , Sundiperto , tibi . . . . . Johannis Epiſcopus , vel ad poſteros tuos , ſi jam dicte Caſe , & rebus dimittere aut poſtponere preſumpſero , ſi aput me pejurate fuerint , & vobis omnia per ſingulos annos non perſolſero , & non adimplevero omnia , ut ſupra promiſi , componituri ſim vobis pene nomine Soledos quargnentos . Item & ego , qui ſupra Johannis Epiſcopus promitto tibi Sundiperte , ſi ego , vel poſteros meos te de jam dicte Caſe & res foras expellere aut tollere preſumſerimus , aut ſi de ipſo* E *Cenſum vel angaria , quod ipſi Miſſarii , qui in jam dicte Caſe reſedunt , per ſingulos annos perſolvere debunt , tibi exinde qualivet ſuperimpoſita facere preſumpſerimus , ſimiliter tibi conponamus Soledos quargnentos , quia taliter inter nobis convenit , & duas cartulas prope uno tenore Petro Notario ſcrivere rogabimus .*

Actum Piſa . ✠ *Ego*

(1) Ejus Epocha deducta fuit heic ab Anno 822. quo is Ludovico Auguſto Patre jubente *in Italiam ingreſſus eſt*.

(2) Nimirum *Secundus*, non *Tertius* appellandus in Catalogo Piſanorum Antiſtitum.

✠ *Ego Sundiperto in ac cartula a me facta, manu mea ſubſcripſi .*

✠ *Ego Aliſi Notarius rogatus a Sundiperto, me teſte ſubſcripſi .*

✠ *Ego Andreas Gaſto ſubſcripſi .*

✠ *Ego Johannes Clericus rogatus a Sundiperto , me teſte ſubſcripſi .*

✠ *Ego Petrus Diaconus ſubſcripſi .*

✠ *Ego Adalpradus Presbiter ſubſcripſi .*

✠ *Ego Aufridi Presbiter ſubſcripſi .*

✠ *Ego Ghiſelpertus Diaconus ſubſcripſi .*

✠ *Ego Adalbertus Presbiter ſubſcripſi .*

✠ *Ego Natali Presbiter ſubſcripſi .*

✠ *Ego Rotpertus Arcipresbiter ſubſcripſi .*

✠ *Ego Ilparrando Clericus filio Camperti , rogatus a Sundipertu , me teſte ſubſcripſi .*

Signum manus ✠ *Lamperti filio quondam Mauri , teſtis .*

Signum ✠ *manus Dominici filio quondam Joannis , teſtis .*

Signum ✠ *manus Aſaldi filio quondam Lupaciani , teſtis .*

Signum ✠ *manus Ildicari filio Rachinaldi , teſtis .*

Signum ✠ *manus Cuneradi filio quondam Auriperti , teſtis .*

✠ *Ego Ilprandus Arcidiaconus ſubſcripſi .*

Ego Petro Notarius poſt tradita complebi .

Teſtamentum Liutperti, qui & Centolus, Archidiaconi Piſanæ Eccleſiæ, ſcriptum a Johanne II. Epiſcopo Piſano. Circiter Annum Ch. 842.

IN nomine Dei Salvatoris noſtro Jeſu Chriſti . Regnante (1) *piiſſimo atque excellentiſſimo . . . . ideſt exhilarate corda & mentes noſtras ad gaudia patrie celeſtis erigere . Cum Paulus egregius predicator dicit :* Nolite diligere Mundum , nec ea , que in Mundo . Qui enim diligit Mundum , non eſt charitas Patris in eo, quoniam qui amat eum , amatur ab eo , quem amat , & per hoc inimicus Dei eſſe convincitur . *Dominus dicit :* Facite vobis ſacculos, qui non veteraſcunt . *Et Centurio ait:* Domine , ſi aliquid defraudabi, reddo quadruplum . *Nam & David Pſalmi gratus vates cecinit . Ait :* Divitie ſi affluent , nolite cor apponere . *Proinde debet unuſquis eternis lavorare muneribus , unde nobis aliqua beatitudinis portiuncula in perpetuo tempore ſit profutura , & ante tribunal eterni Judicis cum ſecura conſcientia preſentemur, quia ſi omnia iſtius Mundi habeamus divitias , nihil eſt dignus Domino . Ideoque ego , qui ſupra Liutpert , qui & Centolus , Archidiaconus ſancte Piſane Eccleſie , hac die , que ſuperius legitur , dum Dei viſitatione egrotante me lectulo reducerem , in preſentia venerabili Patri noſtro Juſtino* (2) *Epiſcopo , Aunimundo Archipresbitero , Gauſerado Presbitero , Hudoaldo Presbitero , Pirro Presbitero , Uvandolo Diacono , ſeu & Gunderad filio quondam Cuniperti, Coccie, Pertoli, Avandoli , Petoligi , ſeo & aliorum plurium amicorum , medietate de omnes res & ſubſtantiam mea , tam homines , quam Caſas , prata , vineas , campos , ſilvas , quatropedias , omnia & in omnibus , tam de parentum jura , quam de comparatione quitquit mihi competit , tradedi tibi Conſobrino meo Rigiberto , qui & Maccio , Diacono . Poſtea vero in eorum ſupradictorum preſentia nos . . . . Centolus Archidiaconus & Maccio Diaconus comune conſilio , parique conſenſu tractantes noſtrarum animarum remedia . . . . . res , ut dum ipſe advivere meruerimus unus aut ambo , omni . . . . . ſit poteſtate . Poſt obito verò noſtro volomus de colonia . . . . a cauſa & Aliperga cum Caſa , filios vel filias ſuas, & cum mobile vel immobile, & pertinentia ſua pertinere dinuſcitur , ſeo & Fridichiſi, & Giſa cum filios & filias ſuas Cauſerado & Avalderada , ſeo & Sorola cum filias ſuas Clemonte , Guitolſi , Rodichis , & Perterada cum filiis & filias ſuas , Teupert & Perterada cum filios & filias ſuas . Iſti ſupraſcribti cum caſas & perſonas ſua , & omnem ſubſtantias ſuas , ad ſe pertinentia mobilia & immobilia , ſeo & Teutpald , Radtrada , Ermifrid , Bonello , Magnifrid , Mucciolus , Iſſido , & Fridicauſo germanis , Baroncellus , & Raperga cum filios & filias ſuas , & Lioſolus germani ejus , Pertoald , Gundipert , & Aunitruda cum filios & filias ſuas , Buzzulo , & Aunitruda cum filios & filias ſuas . Iſti omnes cum caſas vel omnes res ſuas movilia & immovilia , quidquit ad manus ſuas habere videntur, ſeo & Rodicunda Ancilla Dei , & de Cultano Auniperga , perſona ejus in vel que de ea procreantur , volumus ut omnes iſti cum omnibus rebus ſuis , dum nos Centolus & Maccio advivere meruerimus , in noſtra ſit poteſtate ; poſt obito verò noſtro decrevimus , ut omnes ſint cum omnes rebus ſuis liveri & abſoluti ab omni nexu condicionis , vel a jugo ſervitutis . Et volumus habeatis defenſionem* (3) *ad Eccleſia Sancte Marie , vel Epiſcopo in loco , qui poſitus fuerit , & per omne caſa per ſingulos annos dare debeatis ad Caſa Sancte Marie exenio trimiſſale, aut certe trimiſſe in auro ; amplius vobis nulla imponatur , & mundio , ſi qua de veſtra procreatione ad marito ambolaverit , ad Eccleſia Sancte Marie , vel Epiſcopi ſit poteſtate . Et hec volumus , ut ſi alicui ex vobis prenominatis aliquas res vindere fuerit oportunitas , non habea-*

(1) Exciderunt Chronologicæ Notæ. Unus heic Imperator commemoratus videtur. Quare circiter Annum 842. quo unus Lotharius imperabat, ſcriptæ mihi creduntur hæ Tabulæ.

(2) Error antiqui Amanuenſis. Nam infra diſerte Piſanus Epiſcopus *Johannes* appellatur. Ad Annum Ch. 837. Ughellius *Biurgum*, ſeu *Bingum* Piſanæ Eccleſiæ Epiſcopum ſtatuit. Tum ſubdit *Zenobium* ad Annum 841. Quibus tabulis neſcio. Ambos ego arbitror e ſerie Piſanorum Antiſtitum expungendos. Nam *Johannes* Epiſcopus ad Annum 848. ſeſe nobis offeret, non alius, ut opinor, quam qui Anno 827. in ea Cathedra ſedens jam nobis occurrit.

(3) Ideſt ſitis ſub defenſione ſive Patronatu Piſanæ Eccleſiæ, ejuſque Epiſcopi. Nam uti apud Romanos , ita & apud Langobardos in Libertos aliquid juris reſtabat Patronis, quorum tamen tutelâ ipſi quoque Liberti fruebantur.

beatis poteſtate aliis hominibus vendendi licentia, niſi inter vobis Conlivertis unus alterius . . . . . ad parentibus noſtris de benefactoribus veſtris ſuperſcriptis Diacones . Et ſi aliquis ex ipſis preſumpſerit aliquas res . . . . . . homine venundare , poteſtate habeant heredes , aut parentes de ipſi Diacones prendere & tenere & defendere. Nam ſi decreverit ſemel noſter . . . . . . ſicut ſuperius ſtatuimus , ita perpetuis & perennis permaneat temporibus . Ecce ut noſter concepit animus pro Dei omnipotentis remuneratione in vos adimplevimus , & unde ſupra diximus . Iterum memoramus de ipſo veſtro mundio , quod ſit in poteſtate Eccleſie Sancte Marie , vel Epiſcopi , volumus , ut per caput ſit tantum Soledum unum . Unde pro memoranda futura tempora & anime noſtre cautela , & ne in poſteris aliqua fiat oblibio , hanc teſtamenti cartula fieri elegimus , & in preſentia ſubſcriptorum teſtium Joannem Epiſcopum rogabimus ſcribendam .

Actum Piſas , Regno , Anno , Menſe , Die , & Inditione ſuperſcribtas feliciter .

✠ *Ego Liutpertus , qui & Centulus Archidiaconus in unc teſtamento a me facto , manu mea ſubſcripſi .*

✠ *Ego Righipertus , qui & Maccio Diaconus , in unc teſtamentum a me facto manu mea ſubſcripſi .*

Ego Alvart Diaconus in hunc teſtamentum rogatus me teſtes ſubſcripſi .

Signum ✠ *manus Ermefridi filio quondam Arnicauſi , teſtis .*

✠ *Ego Auſuſus Unricis in unc teſtamentum mi teſte ſubſcripſi .*

Signum ✠ *manu Gudolini v. d. filio quondam Filerad , teſtis .*

Signum ✠ *manu Cunipert filio quondam Pittoni v. d. teſtis .*

✠ *Ego . . . . ripertus relegioſus Clericus in unc teſtamentum rogatus me teſte ſubſcripſi .*

✠ *Ego Anſuſu ſacro relegioſus Clericus in unc teſtamentum rogatus me teſte ſubſcripſi .*

✠ *Ego Joannes* (4) , *licèt indignus Epiſcopus , rogatus a Liutpert , qui & Centulus , Archidiacono , ſeo & Rigiperto , qui & Maccio , Diacono , hanc paginam teſtamenti , in preſentia quorum ſupra teſtium , ad ſcribendum ſuſcepi , & poſtea poſt ſigna aliorum ſeptem teſtium ſubſcripſi , & deplebi .*

Locatio terrarum facta a Johanne II. Epiſcopo Piſano. Anno 848.

IN nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Regnante Domno noſtro Hlotario sereniſſimo Auguſto , a Deo coronato , magno & pacifico Imperatore , Anno Imperii ejus , poſtquam in Dei nomine Italia ingreſſus eſt Vigeſimo (1) *Sexto , Menſe Octobris , Indictione Duodecima . Placuit & convenit inter nos Johannes* (2) *gratia Dei ujus ſancte Piſane Eccleſie Epiſcopus , nec non Lupacianu , & Sachiſindus germani , filii quondam Gheriſindi . . . . Sachiſindus germanis , vel noſtris heredibus , abitare & excolere debeamus rebus pertinentes Epiſcopatui veſtro Sancte Marie in loco Ciciliana , rebus ipſis , quibus memorate Eccleſie Sancte Marie a quodam Tachiperto obvenit , medietatem ex omnibus ipſis rebus in prenominato loco Ciciliana nos vel noſtris heredes laborare & excolere debeamus , ut melioretur & non pejuretur , & pro fruge de jam dictis rebus per omnes annos in Menſe Auguſto hic domus Epiſcopatui veſtro tibi vel ad poſteros tuos , aut ad Miſſo veſtro cenſum & tributum dare & perſolvere debeamus de argentum Denarios quadraginta & duos bonos expendibiles , & a mandato veſtro venire debeamus ad juſtitia faciendum , & judicio veſtro audiendum & complendum . Unde promittimus nos , qui ſupra Lupacianu & Sachiſindus germani vel noſtris heredibus componere tibi Domno Johanne Epiſcopus , vel ad poſteros tuos , ſi hec , quod ſuperius legitur promiſſione per ſingulos annos vobis ad parte Sancte Marie Epiſcopatui inter ambos non perſolſerimus , & non adimpleberimus , ſicut ſupra promiſſimus , aut ſi jam dictis rebus dimittere , aut poſtponere preſumpſerimus , aut ſi admodum aput nos pejoratas fuerit , ſiamus vobis componituri penam nomine Solidos quinquaginta . Item ego qui ſupra Johannes Epiſcopus promitto vobis ſupraſcripto Lupacianu & Sachiſindu germani , vel ad veſtris heredes , ſi nos vobis per ſingulos annos ad parte Sancte Marie ſic perſolſeritis & adimpleberitis, ſicut ſupra promiſiſtis . . . . poſteros meos , vos de jam dictis rebus foras expellere & menare queſierimus , aut ſuperimpoſita vobis facere preſumpſerimus , ſimiliter vobis componamus Solidos quadraginta , quia taliter inter nos convenit , & duo libelli juxta tenore Roſſelmum Notarium ſcribere rogavimus .*

Actum Piſa .

Signum manus ✠ *Lupaciani .*

Signum ✠ *manus Sachiſindi germani , qui hunc libellum fieri rogavit .*

✠ *Ego Nandifridi filio Dodie , rogatus a ſupraſcriptis germanis me teſte ſubſcripſi .*

✠ *Ego Therimundo filio bone memorie Therimundi , teſtis ſubſcripſi .*

✠ *Ego Johannes Clericus & Scabinus ſubſcripſi .*

✠ *Ego Johannis filio Aſaldi , rogatus a ſupraſcriptis germani , teſte ſubſcripſi .*

✠ *Ego Anſaldus filius Anſelmi , rogatus a ſupraſcriptis germanis , me teſte ſubſcripſi .*

✠ *Ego Roſſelmus Notarius & Schabinus poſt tradita complebi .*

(4) Animadverte , Notarii loco Epiſcopum ipſum haſce tabulas conſcripſiſſe. Id factum, tum quod agebatur de eminenti Miniſtro Piſanæ Eccleſiæ teſtamentum faciente , tum etiam quia de pia cauſſa actum fuit.

(1) Epocha quoque iſta deducta fuit ab Anno 822. quo Lotharius in Italiam primùm ingreſſus eſt.

(2) Niſi authenticæ tabulæ aliud perſuadeant , hic idem Epiſcopus credendus , qui Anno 827. Eccleſiam Piſanam rexit.

Collatio Eccleſiæ Baptiſmalis S. Petri in Radicata, facta a Johanne, fortaſſe Tertio, Epiſcopo Piſano. Anno 857.

IN Dei nomine. Regnante Domno noſtro Hluduvicus (1) *glorioſiſſimus gratia Dei Imperatore Auguſto, poſtquam in Italia ingreſſus eſt, Anno Imperii ejus Secundo, Sexto Idus Martias, Indictione Quinta. Manifeſtu ſum ego Alamundo filio Boſi, quia tu* Joannes (2) gratia Dei ujus ſancte Piſane Ecleſie umilis Epiſcopus *per cartula ordinationis ordinaſti & firmaſti Stephano Presbitero filio Criſtine in Ecleſia Dei & Sancti Petri, quod eſt Plebe baptiſmalis, ſita loco Radicata, cum omnibus rebus ad ipſa Ecleſia pertinentes, & dediſti eis Soledos viginti de bones denarios. Et proinde ego, qui ſupra, Alamundo, conſentientes mihi ipſo Boſo genitor meus, per hanc cartula repromitto tibi Joannes Epiſcopus, ut ſi ego vel meus heredes tibi vel ad ſubceſſoribus tuis pro ipſo Stephano Presbitero non dederimus & non perſolverimus uſque dum ipſe Stephano Presbitero jam dicta Plebe, & prefatis rebus abuerit, & nos abuerimus, per ſingulos annos vobis non dederimus per omnes Menſes ſexaginta Denarios boni expendibilis, qualis pro tempore per caput melius fuerit expendibilis, & vobis non dederimus in ſupraſcripto Conſtituto Aucellos* (3)

A *boni mertinos centum, uſquedum nos vel noſtris heredibus jam dicta Plebe & prefatis rebus habuerimus, & vobis jam dictos Denarios* (4) *& jam dictos Aucellos vobis vel ad ſucceſſoribus tuis, tunc ſpondemus nos vobis componere penam argentum Soledos centum, & hanc promiſſio omni tempore in ſua permanead firmitatem, quia in tali ordine hanc promiſſio & Roſſelmum Notarium ſcribere rogavi.*

Actum Piſas.

Signum manus ✠ *Alamundi, qui hanc promiſſionem fieri rogavit.*

Signum ✠ *manus Boſi genitor ſupraſcripti Alamundi conſentientes.*

✠ *Ego Teupertus rogatus ab Alamundo, me*
B *teſte ſubſcripſi.*

✠ *Ego Gumbertu rogatus ab Alamundo, me teſtes ſubſcripſi.*

Signum ✠ ✠ *manus Tauchiperti, & Soprandi germani, filii bone memorie Rachiperti.*

Signum ✠ *manus Coſperti, que Pipino vocatur, filio Amulperghe teſtes.*

Ego Roſſelmus Notarius poſt tradita complevi & dedi.

Charta Emphyteuſis facta a Johanne, fortaſſe Tertio, Epiſcopo Piſano. Anno 857.

IN Dei nomine. Regnante Domno noſtro Hludovvicus glorioſiſſimus gratia Dei Imperator Auguſto, poſtquam in Italia ingreſſus eſt, Anno imperii ejus Secundo, Quintodecimo Kalendas Junias, Inditione Quinta. Manifeſtu ſum ego Anſelmo filio bone memorie Nandifridi, quia tu Johannes gratia Dei hujus ſancte Piſenſis Ecleſie umilis Epiſcopus *per cartula livellario nomine ad Cenſum perexolvendum dediſti mihi ideſt Caſalino illo, in qua fuit Caſa & Curte domnicata, in locho & finibus, ubi vocitatur Cammajano, prope loco & finibus, ubi vocitatur Rivoardi, una cum Caſa illa in locho, ubi vocitatur ad Colli, qui eſt pertinentes de ipſa Curte, que regitur per Sabbatino, cum caſas & Caſalino, & rebus illis in locho, ubi vocitatur ad Scaparne, qui recta eſſe videtur per ſupraſcripto Sabbatino, & Betto, ſeo & Caſalino & rebus in ſupraſcripto locho Cammajano, qui regitur per Aggo Maſſario, & eſt pertinentes ipſo Caſalino, in qua fuit caſa & Curte domnicata, & predictis caſis, & caſſinis, & caſalinis, & rebus ſupraſcripti Epiſcopatui veſtro Sancte Marie jam dicto Caſalino, in qua fuit caſa & Curte domnicata cum rebus domnicatis, adque caſis, & caſſinis, ſeo caſalinis in denominatis locibus ad ſupraſcripta Curte pertinentibus, cum fundamentis ſuarum, cum curtis, ortalia, terris, vineis, olivetis, ſilvis, virghareis, pratis, pa-*

C *ſcuis, cultis rebus, vel incultis, omnia quantum ubique ad ſupraſcripta Caſalino, qui jam fuit caſa & Curte domnicata, ſeo ad prefatis caſis & caſſinis, ſeo caſalinis, ubique ſunt, pertinentes in qualibet locis vel vocabulis in integrum, mihi eas livellario nomine dediſti & confirmaſti. Simul & dediſti mihi Caſſinas, & res illa in loco & finibus Campolongho, qui eſt pertenentes ipſius Epiſcopatui veſtro Sancte Marie, qui recta fuit per quondam Joannes filio quondam Andrenini, jam dicta Caſina, cum fundamento, & omnem edificio ſuo, cum curte, orto, terris, vineis, ſilvis, virgareis, pratis, paſcuis, cultis rebus vel incultis, omnia quantum ubique ad ipſa Caſſina eſt pertinentes, &*
D *ſupraſcripto quondam Joannes Maſſario exinde ad manus ſuas abuit, mihi dediſti & confirmaſti in integrum. Tali vero ordinem, ut ab ac die in mea, qui ſupra Anſelmo, vel de meis filiis & heredibus noſtrorum eſſet poteſtatem, aut ad illas perſonas hominum, cui nos jam dictis Caſis & Caſalinis, ſeo Caſſinis, & rebus, quas mihi, ut ſupra, libellario nomine dediſti & confirmaſti, & cui n . . . . . lario nomine dederimus, vel abere conſtituerimus in corum um . . . . . . vendi, poſſidendi, laborare faciendi, & nobis eas . . . . . . pro omni cenſum & juſtitiam exinde tibi, vel ad poſteriſque . . . . . Epiſcopatui veſtro Sancte Marie per ſingulos annos per omnes Menſe . . . . . . dere debeamus ipſa*
E *&*

(1) Habes heic Epocham Ludovici II. Auguſti, deductam a morte Lotharii Auguſti patris.

(2) Ad hæc tempora *Johannem Quartum* Ughellius refert. Is mihi *Tertius* eſt. Neque enim audeo tamdiu producere vitam *Johannis Secundi*, qui ſe nobis obtulit ad Annum Ch. 827. quamquam fieri potuerit, ut idem ad hæc uſque tempora in vivis fuerit.

(3) Unde Italicum *Augello*, diminutivum vocis *Avicullæ*, *Avicellæ*.

(4) Et tunc in uſu fuit penſiones imponere Eccleſiis, & quidem ad utilitatem Epiſcopi: quod minime probes.

& de ipſo domo Epiſcopatui veſtro Sancte Marie & per nos, aut per miſ . . . . . . de loco poſito veſtro aut ſuper ipſo Altario beate Sancte Marie ponantur argentum Denarios bonos expendibilis numero ſeptuaginta duo, nullam aliquit amplius & homin . . . . . . qui in ipſis caſis & caſſinis abitantes fuerit, ſuptitum fuerit, nos eos a mandato veſtro venire faciamus hic Piſa ad legem & juſtitiam faciendum tantum. Et ſi nos vobis habere omnia, qualiter ſuperius legitur per ſingulos annos, ſic novis fuerit adimpleta & conſervata . . . . ſupraſcripto Caſalino, in qua ſupraſcripta caſa & Curte domnicata ſeo rebus domnicatis, adque caſas, ſeo caſſinas, ſeo caſalinis ad ipſa Curte pertinentibus, ſeo & jam dicta caſſina & res, quas mibi, ut ſuperius dediſti, relaxaverimus, vel ſi per nos pegiorata fuerit, ſpondeo ego, qui ſupra, Anſelmo, una cum meis filiis & heredibus noſtrorum componere tibi, qui ſupra, Joannes Epiſcopus, vel ad poſ . . . . . ſucceſſoribus tuis penam argentum Soledos ducentos quatuor, inter nos conveni & . . . . . . Roſſelmum Notarium ſcribere rogavi.

A

Actum Piſa.

. . . . libello a me facto manu mea ſubſcripſi.

. . . . rogatus ad Anſelmo me teſte ſubſcripſi.

✠ Ego Cunipertu rogatus ad Anſelmu me teſte ſubſcripſi.

Signum ✠ manus Samuel Scabin . . . . . .

Signum ✠ manus Teupaldi filio quondam Pertuli, teſtis.

B

✠ Ego Gumberto rogatus ad Anſelmo me teſte ſubſcripſi.

✠ Ego Roſſelmus Notarius poſt tradita complevi & dedi.

Charta Emphyteuſis facta a Johanne, fortaſſe Tertio, Epiſcopo Piſano. Anno 857.

IN Dei nomine. Regnante Domno noſtro Hluduvicus glorioſiſſimus . . . . . poſtquam in Italia ingreſſus eſt, Anno Imperii ejus Secundo, Sexto Calendas Julias, Inditione Quinta. Manifeſto ſum ego Ghiſalberto filio . . . . Hi. quia tu Johannes gratia Dei hujus ſancte Piſane Eccleſie umilis Epiſcopus *livellario nomine ad cenſum perſolvendum dediſti mihi . . . . . . loco & finibus, ubi dicitur Lajano, qui recta fuit . . . . . . res pertinentes ſupraſcripto Epiſcopatui veſtro Sancte Marie; Caſalino verò ipſo cum fundamento ſuo, cum Curte, orto, terris, vineis, ſilvis, virgareis, pratis, paſcuis, cultas res, vel incultas, omnia, quant . . . . . . pertenentes, & ſupraſcripta terrula exinde ad manus ſuas . . . . . . in integrum. Tali verò ordinem, ut da admodum in mea vel de meis heredibus ſint poteſtatem eas habendi, imperandi, gubernandi, laborare faciendi, meliorandi, & nobis eas privato nomine uſufructuandi . . . . . ad juſtitiam exinde tibi, vel ad . . . . . . Epiſcopatui veſtro Sancte Marie per ſingulos annos . . . . . cenſum vobis reddere debeamus hic Civitate Piſa ad ipſo Domo Epiſcopalis vobis, vel ad Miniſteriale veſtro, aut ad loco poſito veſtro per nos, aut per Miſſo noſtro, argentum Denarios bonos expendibiles numero . . . . . . & ſi in ipſo Caſalino Caſa ibi . . . . . dum, & habitandum miſerimus . . . . . . faciamus hic Piſa duo vice in anno ad legem & juſtitiam faciendum tantum; Et ſi nos vobis hec omnia, qualiter ſuperius legitur, per ſingulos annos, ſic non fuerit adimpleta & conſervata, aut ſi ſupraſcripto Caſalino, & res, quas mihi dediſti, relaxaverimus, vobis . . . . . . ſpondeo ego, qui ſupra Ghiſalberto, una cum . . . . . . Johannes Epiſcopus, vel ad ſubceſſoribus tuis penam argenti . . . . quia taliter inter nos conveni, & duas inter nos cartulas Roſſelmum Notarium ſcribere rogavi.*

C

Actum Piſa.

D

Signum ✠ manus Ghiſalberti, qui hunc libellum . . . .

✠ Ego Adalprand rogatus . . . . . .

✠ Ego Teupertus rogatus a Ghiſalberto . . . .

✠ Ego Iſalprando rogatus a Ghiſalberto, me teſtes ſubſcripſi.

✠ Ego Alperto rogatus . . . .

Signum ✠ manus Adalberto filio . . . . . .

✠ Ego Bene rogatus . . . . . .

✠ Ego Roſſelmus Notario poſt tradita complevi & dedi.

Placitum Piſis habitum a Miſſis Ludovici II. Imperatoris, in quo cauſſa nonnullorum Servorum Eccleſiæ Piſanæ agitatur. Anno 858.

DUm in Dei nomine ad poteſtate piiſſimi Domni Hludovici Imperatoris partibus Tuſcie directi fuiſſent Joannes, & Ildiprandus, Vaſſi Imperiales, ſingulorum hominum juſtitias faciendum, & cum veniſſent Civitate reſedentes in judicio in ſala olim Aganoni Comiti, reſidentes cum eos Adalbertus, & Ratfredus, Judices ſacri Palatii, Anſiprandus, Alpertus, & Gumpertus Vaſſi . . . . . Gregorius, Roſſelmus, omnes Schabinis Piſenſis, Chunimundo Scabino Lucenſis, Teupertus, Ghiſulfus, Gunderado, Nandulfo, Nandibodo, Teudiperto, Teufridi, Rimingo, Joanni, Gherimundo, Vuidaldo, Adalberto Joannis, Ghiſifrimo, Anſualdo, & reliqui multi. Ibique in judicio . . . . . . Leo filius quondam Petri, una cum conjuge ſua, nomine Adelinda, nec non & Gosfrid Advocato Epiſcopatui Sancte Marie Piſenſe, in quo vir beatiſſimo Joanne Epiſcopo *preeſſe videtur, altercationem inter ſe habentes, dicendum ipſe Leo*: ſervi & pertinentes Epiſcopatui Sancte Marie, de quibus iſte Gosfrid peragit cauſa, fecerunt vaſionem in Caſa & res illas, loco nuncupante Tredecim prope Eccleſia Sancti Fridiani; qua Caſa & res foërunt pertinentes quondam Mauri Formicini natione Corſo, qui fuit ſocero meo: & ipſe ſocero meus reliquit in ſucceſſione iſtius Adelinde conjugi mee. Unde quero, ut exinde inter nos detis judicium. *Hoc dictum obvians ei memoratus Gosfrid, & dixit*: Parte Epiſcopatui Sancte Marie habet & detinet aliquantas Caſas & res in loco Tredecim, ſet ipſa Caſa & res, de quibus tu Leo mihi queritur, ego neſcio. *Refertum hoc, dedit vvadia ipſe Leo eidem Gosfrid de Caſa & res ipſa; oſtenſi, ipſe Gosfrid dedit ei vvadia, ut eſſet paratus ad videndum, & reverterent ad Placitum, ſtarent exinde ad rationem ſecundùm Lege. Et ſtatuerunt inter ſe fidijuſſores. Et conſtituto ei dum ipſi Miſſi cum prefati Judices Imperiales perrexiſſent . . . . . . in ſervitio ei de Menſe Auguſti, & non fuiſſent ad ipſum prediſtinatum Placitum, tunc per Imperialem juſſionem una cum memorato Joanne reverentiſſimo Epiſcopo Piſenſe, Raghinardo Gaſtaldo in Domo hujus Epiſcopatui Piſenſis reſedentes in judicio nos, preſentibus Roſſelmus, & Joannes Scabinis, Teupertus, Urſo Vicedomini, Gunderado, ubi nobis aderant Nundolfo, Nandibodo, Adalperto, Gundiperto, Cunerado, Ramingo, Joanni, Fraimundo, Adalberto, Oſprando, huni & alii plures reverſi ſunt ambas partes ante nos. In judicio cepit memoratus Gosfrid dicere eidem Leoni*: Oſtendiſti mihi Caſa & res in loco Tre- A decim, ſicuti mihi tu vvadiam dediſtis, & ipſa Caſa & res parte Epiſcopatui Sancte Marie habuit & poſſediit per annos triginta & amplius, quod nec tibi, nec ad Conjuge tua nihil pertinuit, nec pertinere debentur juxta lecto. Hodie eſt noſtrum firmum conſtitutum, exinde ratione mittendum, ſicut vvadiatum habuimus. *Refertum hoc, interrogamus nos, qui ſupra Auditores & Judices eumdem Leonem, quia exinde ipſe dicere voluiſſet, ut diceret reſponſum. Qui de preſente prefatum Leonem . . . . . Adelinda conjuge ſua profeſſi ſunt, & dixerunt*: Verè Caſa, & res ipſa, de quibus intentione iſta habuimus, nos eas contendere non valemus, quia non poſſumus, nec nobis nihil per- B tenuit, nec pertinere debentur juxta Lege. *Hec profeſſio facta, cauſa manifeſtata, quomodo aut qualiter ab hordinem ſuperius legitur, paruit nobis recte, quorum ſupra Auditores & Judices, una cum omnibus ibi nobiſcum adſiſtentibus ita judicabimus, ut ſecundùm eorum altercationem, & ſecundùm ipſorum Leoni & de conjuge ejus profeſſionem habere debuiſſet ſupraſcripta Caſa & res parte Epiſcopatui Sancte Marie, de quibus ipſe Gosfrid Advocatus peragebat cauſa, abſque illorum Leoni & de conjuge ejus eſſent exinde remoti & contempti. Et taliter eſt inter eis finita cauſa. Unde qualiter ante nos hac cauſa perhacta & deliberata eſt, hanc notitia Judicati noſtri pro ſecuritate me-* C *morati Epiſcopati Sancte Marie fieri vrevidimus.*

Quidem & ego, qui ſupra Gregorius Notarius & Schabinus ſcripſi, Anno Imperii Domni noſtri Hludovici Imperatoris Octabo (1), *Decimo Calendas Aprilis, Indictione Sexta.*

Signum ✠ manus Raghinardi Gaſtaldio Piſenſe, qui interfuit.

✠ Ego Johannes Notarius & Scabinus interfui.

✠ Ego Teupertus ibidem fui.

✠ Ego Roſſelmo Notarius & Schabinus interfui.

✠ Ego Hunerado ibi fui.

✠ Ego Nandolfo interfui.

D *✠ Ego Nandibodo filius bone memorie Nandulfi interfui.*

✠ Ego Urſo Archipresbiter, & Vicedomui interfui.

✠ Ego Petrus Diaconus interfui.

✠ Ego Adalberto filio bone memorie Andree interfui.

✠ Ego Frabinardo filio Joanne interfui.

✠ Ego Adalberto filio bone memorie Banduci ibidem interfui.

---

(1) Uſurpatam heic habemus Epocham Ludovici II. Auguſti, inchoatam Anno Ch. 850. quo is Roma Imperiali Coronâ donatus fuit.

Char-

Charta Johannis, fortaſſe Quarti, Epiſcopi Piſani, per quam concedit quoſdam ſundos in Emphyteuſim. Anno 877.

IN Dei nomine. Regnante Domno noſtro Hkarolus, gratia Dei Imperator Auguſto, poſtquam Italia ingreſſus eſt, Anno Deo propitio imperii ejus Secundo, Quintodecimo Kalendas Junias, Inditione Decima. Manifeſtu ſum ego Teudici filio bone memorie Tudelgrimi, quia tu Joannes (1) gratia Dei ſanctе Piſenſi Eccleſie humilis Epiſcopus *per cartulam livellario nomine ad cenſum perſolvendum dediſti mihi ideſt medietatem de Caſa & Curte illa domnicata in loco & finibus Colline, ubi dicitur Sala Tachaldi prope Eccleſiam Sancti Angeli, quot eſt Plebe Baptiſmalis, & eſt pertinentes ipſius Epiſcopatui veſtro Sancte Marie de predicta Caſa, & Curte domnicata, una cum omnibus rebus domnicatis ad eam pertinentes, ſimul cum omnibus Caſis & rebus maſſariciis ad ipſa Caſa & Curte domnicata pertinentibus, cum fundamentis & univerſis fabricis ſuis Curtis, ortalia, terris, vineis, olivis, ſilvis, virgareis, pratis, paſcuis, cultis rebus, vel incultis, movile vel inmovile, ſeo qui ſemoventibus, ſervos vel ancillas, aldiones vel aldianos, de omni vel in omnibus Caſis & rebus tam domnicatis, quàm & maſſariciis, quantas ubique in qualibet locis vel vocabulis ad ſupraſcripta Caſa & Curte domnicata, ſeo ad ipſis Caſis maſſariciis fuit pertinentes, aut pertinere videntur. De hec omnia & in omnibus medietatem exinde ex integra mihi dediſti livellario nomine tali ordine, ut da admodum ipſa medietas ex integra in mea, qui ſupra Teudici, vel de meis heredibus ſint poteſtatem eas abendi, imperandi, laborare faciendi, gubernandi, ita ut non pegioretur ex nobis privato nomine uſufructuandi, niſi pro omni cenſum, & juſtitia exinde tibi, vel ad ſucceſſoribus tuis ad pars ipſius Epiſcopatui veſtro Sancte Marie per ſingulos annos per omnes Menſe Magio cenſum reddere debeamus per nos, aut per Miſſo noſtro vobis, vel ad Miſſo veſtro ad ipſo Domo, aut ſuper ipſo Altario Sancte Marie ponere & perſolvere debeamus argentum Denarios bonos expendibiles numerum ſexaginta. Et ſi oportum fuerit hominibus illis, qui in ipſis Caſis, quas nobis dediſti, habitantes fuerit, ad Placitum adducendo, nos eos vobis in Civitate Piſa duo vices in annos venire faciamus, legem ac juſtitiam faciendum tantum. Et ſi a nos vobis hec omnia, qualiter ſuperius legitur, per ſingulos annos ſic non fuerint adimpleta & conſervata, aut ſupraſcripta medietas de prefatis Caſis & rebus ſeo movilibus vel immovilibus, quas nobis dediſti relexaverimus, vel ſi per nos pegiorata fuerit, ſpondeo ego, qui ſupra Teudici cum meis heredibus componere tibi, qui ſupra Joannes Epiſcopus vel ad ſubceſſoribus tuis penam argentum Soledos quingentos, quia taliter inter nos conveni, & duas nos cartulas Soffridi Notario ſcribere rogavimus.*

Actum Luca.

✠ Ego Teudici in unc livello a me facto manu mea ſubſcripſi.

✠ Ego Therimundu rogatus a Teudici me teſte ſubſcripſi.

✠ Ego Nandibodo rogatus a Teotici ſubſcripſi.

✠ Ego Tachipertus rogatus a Teodici ſubſcripſi.

✠ Ego Anſoaldus rogatus a Teudici me teſte ſubſcripſi.

✠ Ego Joannes Notarius & Scabinus ſubſcripſi.

✠ Ego Ghiſelfridi Notarius & Scabinus ſubſcripſi.

✠ Ego Coſpertu rogatus a Teudici me teſte ſubſcripſi.

✠ Ego Leo rogatus a Teudici me teſte ſubſcripſi.

✠ Ego Stephanus rogatus a Teudici me teſte ſubſcripſi.

Signum ✠ manus Chuneradi filio bone memorie Alperti, teſtis.

Signum ✠ manus Roſſelmi quondam ſupraſcripti Nandibodi, teſtis.

Ego Soffridi Notarius poſt tradita complevi & dedi.

(1) Confuſa prorſus eſt apud Ughellium Piſanorum Antiſtitum ſeries. Is poſtquam nobis dedit *Johannem*, appellatum immerito *Quartum*, Anno 844 *Platonem Secundum* nobis obtrudit ad Annum 860. eumque protraxiſſe vitam ait uſque ad Annum 870. Deinde *Johannem Quintum* exhibet ſedentem Anno 890. & ſubſequenti. Verum *Plato Secundus* numquam Eccleſiæ Piſanæ præfuit. Hiſce vero temporibus eamdem Eccleſiam rexit *Johannes Epiſcopus*, qui non *Quintus* appellandus eſt, ſed *Quartus*, & rectius fortaſſe *Tertius*; nam qui Anno 857. ſedebat, hucuſque vitam produxiſſe potuit.

Com-

Commutatio agrorum inter Johannem, fortaſſe Quartum, Epiſcopum Piſanum, & Umbertum filium Gumberti. Anno 878.

IN *Dei omnipotentis nomine. Regnante Domnus Carolus, divina favente clementia Imperator Auguſto, Anno Imperii ejus Tertio, menſe Octobris, Indictione . . . . In Dei omnipotentis nomine convenit inter nos* Joannes gratia Dei ſancte Piſane Eccleſie humilis Epiſcopus, *nec non Umbertus filio bone memorie Gunberti, ut inter nos de aliquantis petiolis de terre ſubter denominata commutationes facere deberemus, ſicut & fecimus. Ego quidem Joannes Epiſcopus dedi tibi jam dicto Umbertus in commutationem de pars Epiſcopatui noſtro Sancte Marie una petiola de terra in loco & finibus . . . . conetri, & eſt pertinentes de Eccleſia noſtra Sancti Petri, que eſt Plebe Baptiſmalis in loco, qui vocitatur Oſpio, & tenentes uno caput in vinea* Domne Regine, *& aliquantulo in terra, qui modo vinea eſt Alberti, alio caput cum uno lato tenet in via Carraricias, alio lato tenet in vinea Benedicti de filio quondam Feruli . . . . . . & predictas petia de terra in eodem loco, & ſicut circundatas ſunt, capitas & lateras, tibi qui ſupra Umbertus in commutationem da parte ſupraſcripti Epiſcopatui noſtro dedi & tradidi in integrum. Item ego qui ſupra Umbertus dedi tibi jam dicto Joannes Epiſcopus ſimiliter in commutationes ad pars ſupraſcripte Eccleſia veſtra quatuor petiolas de terra in loco & finibus Blentina. Una ex ipſa petia de terra, que vocitatur Orto Frumaldi, & eas tenentes uno capo in terra Domne Regine, alio caput tenet in terra Sancti Salvatoris de Sexto, uno lato tenet in terra de* filii quondam Bonifatii (1) Comitis, *alio lato tenet in vinea Sancti Salvatoris de Sexto. Ipſe alieve res petia dicitur a Longagnolo . . . . ipſe petie es tenentes uno caput in vinea de* filii quondam Bonifatii Comitis, *alio caput ſimiliter tenet in terra de jam dicti filii Bonifatii, lato uno tenet in vinea Sancti Salvatoris de Sexto, alio lato tenet in terra Sancti Petri de Romam. Ipſa tertia petia es tenentes uno caput Carraricias, alio caput tenet in vinea de filii quondam Bonifatii, lato uno tenet in terra Sancti Petri de Romam, alio lato in terra de ſupradicti filii Bonifatii. Ipſa quarta petia de terra es tenentes uno caput in vias Carraricias, alio caput tenet in terra de jam dicti filii bone memorie Bonifatii, uno lato tenet in terra Firmiſco meo, alio lato es tenentes in vinea de jam dicti filii quondam Bonifatii. Hec predicte ipſe quatuor petie in ſupraſcripte locas, & ſicut circumdate ſunt a capitas & lateras una cum foſſas & ſepes, ſeo arboribus a ſe pertinentes, ego qui ſupra Umbertus dedi tibi ſupraſcripto Joannes Epiſcopus in commutationem a pars ſupraſcripti Epiſcopatui veſtro Sancte Marie in integrum pro ſupraſcripta petia de terra, que tu mihi ſuperius in commutationem dediſti & tradidiſti. Ubi interfuerunt Anſiprando filio Brunari*, Miſſo Adalberti (2) Comitis, *ſeo Cuneradus filio bone memorie Alperti, Miſſo* Johanni Epiſcopi, *una cum Joannes Scabino, & Anſualdo germani filii quondam Aſaldi, & Petrus Scabino filio bone memorie Ildiperti. Qui ſuper ipſis jam dictis rebus ambulaverunt utraque parte & eſtimaverunt, quod pars Sancte Marie . . . . . . Unde inter nos penam addimus atque obligamus, ego quidem Johannes Epiſcopus de me, & de poſteros ſubceſſoribus meis, & ego qui ſupra Umbertus de me, & de mei heredibus, ut ſi quislibet de nobis ac noſtre commutationis atque traditionis disfacere aut corrumpere queſierint, & uno alterius eas in integrum defendere non potuerimus, componamus uno alterius ad pars, qui ſic non conſervaveris ad parte fidei ſervantis ipſe noſtre commutationis atque traditionis in duplo, de quibus agitur in ferquido loco ſub extimationis, qualis in die illa fuerint, quia ſic inter nos convenit, & duo inter cartule commutationis prope uno tinore Joannem Notarium ſcrivere rogavimus.*

Actum in loco ad Curte Domnicata ad Sancto Caſciano.

✠ *Ego Umbertus in ac cartula commutationi a nos facta manu mea ſubſcripſi.*

Signum ✠ *manu Anſiprandi Miſſo Adalberti Comis, ſicut de ipſa legitur, Miſſo fui.*

Signum ✠ *manu Cuneradi Miſſo Johanni Epiſcopi, ſicut de ipſa ſupra legitur, Miſſus fui.*

✠ *Ego Johannis Schavini, ſicut de me ſuper legitur, extimatur fui.*

✠ *Ego Urſo Vido, ſicut de me ſuper legitur, extimatur fui.*

✠ *Ego Petrus Notarius & Scabino, ſicut de me ſuperius legitur, extimator fui.*

✠ *Ego Ricolfu Clericus in ac commutationis manu ſubſcripſi.*

Signum ✠ *manu Cuniperti filio quondam Feraldi, teſtis.*

Signum ✠ *manus Teuperti filio quondam Adalperti, teſtis.*

✠ *Ego Joannem Notarius & Scabinus poſt tradito complebi.*

---

(1) Qui Tuſciam rexit Anno 829. de quo conſulendus Florentinius in Monumentis Comitiſſæ Mathildis. Egi & ego in P. I. Cap. 22. Antiquit. Eſten.

(2) Qui & Dux Tuſciæ hiſce temporibus fuit. Sitne Primus, an Secundus ejus nominis, decernere non auſim. Vide Florentinium, Coſmum de Arena, & quæ ego attuli in nuper memorato Libro.

Charta Emphyteuſis conceſſæ a Johanne, fortaſſe Quarto, Epiſcopo Piſano. Anno 883.

IN Dei omnipotentis nomine . Regnante Domno noſtro Carulu , divina favente clementia, Imperator Auguſto , Anno Secundo (1) *Imperii ejus , Nono Calendas Junii , Indictio Prima . Placuit & convenit inter nos* Johanni Epiſcopus ſancte Piſane Eccleſie , *nec non Cumperto filio bone memorie fili de Livertate Florentie , livellario nomine dare videor tibi Cumperto , Curte & terras illas in loco Savetiano in finibus Quaratiana , cum terris , vineis , ſilvis , olivis , pratis , paſcuis , cultum vel incultum, quantum de ipſa Curte domnicato es pertinentes . Inſimul dare videor tibi duos orti maſſaricie in ipſo loco Savetiano , cum omnia pertinentia ſua , una ex ipſa recitur per Alfuſulo Maſſario , alia regitur Paulo Maſſario . Inſimul dare videor tibi Sorte & res illa in Agullano , que regitur per Nerulo , cum omne pertinentia ſua , & ſimul dare videor tibi Sorte & res illa in Bulice . . . . . . que regta fuit per Gario Maſſario , & modo regitur per filii ejus , cum omnis pertinentia ſua . Inſimul dare videor tibi Sorte & res illa in loco Oliceto , qui regitur per Evninpertulu Maſſario, & per filii . . . . cum onne pertinentia ſua . Inſimul dare videor tibi Sorte & res illa in Marciniana , qui regitur per Gailiperto Maſſario , & per germano ejus , cum omne pertinentia ſua . Inſimul dare videor tibi Sorte & res illa in loco & finibus Vico Valleri infra Pleve Sancti Gineſi , ipſa ſorte maſſaricia cum omnia pertinentia ſua ; cum ipſi Servi & Ancille , qui de ipſa Curte pertine , qualiter ſuperius legitur, ut eas pené lavorare & cubernare debeatis , ſeo melioretur , & non pejuretur.*

A *Et pro omni cenſum & juſtitia de ſuperſcriptis rebus vobis reddere debeamus argentum Soledos dece vobis, vel ad poſteros tuo in Piſa in Domo Epiſcopatis ego Cumpertu vel meis heredes vobis , vel at loco poſito veſtro ego vel Miſſo veſtro . Et ſi nos , vel meis heredes ſi non atimpleverimus , ſicut ſuperius legitur , tunc iſpondimus nos vobis componere vobis Joanni Epiſcopo , vel at poſteros tua parte Sancte Marie ſiamus vobis componituri pena nomine Soledos centum . Item ego Joannes Epiſcopus promitto tibi ſupraſcripto Cumperto , vel at tuis heredis , ſi vos nobis per ſingulos annos a parte ſupradicti Epiſcopati noſtri ſic perexolſeritis & atinpleveritis , ſicut ſupra prumeſiſtis , ego vel poſteros* B *meos vos de jam dicte Caſe & rebus , ſicut ſuperius legitur , fore expellere vel menare queſierimus , aut ſupraimpoſita vobis per qualibet ingenio facere preſumpſerimus , ſimiliter conponamus vobis Soledos centum; quia taliter inter nos conveni , & duo libelli uno tinore Ildipaldo Notario ſcrivere rogavi .*

Actum Curte Sancti Caſſiani .

✠ *Ego Gumpertus in unc libello a nos facto manus mea ſubſcripſi .*

✠ *Ego Petrus rogatus a Gumpertus , me teſtes ſubſcripſi .*

✠ *Ego Deodatus rogatus ad Gumpertus, me teſtes ſubſcripſi .*

✠ *Ego Nandibono rogatus ad Gumpertus ,*
C *me teſtes ſubſcripſi .*

Signum ✠ manus Alinprandi filio quondam Adalprandi , teſtis .

Signum ✠ manus Ghiſolfi filio quondam Colli , teſtis .

Locatio agrorum facta a Johanne , fortaſſe Quarto, Epiſcopo Piſano. Anno 891.

IN Dei omnipotentis nomine . Regnante Domno noſtro Hvvido , gratia Dei Imperator Auguſto , Anni Imperii ejus Primo, (2) *menſe Junio , Indictione Nona . Placuit ad convenit inter nos* Johannes gratia Dei ſancte Piſane Eccleſie Epiſcopus , *nec non & Boniprandus de loco Lajatico, filio quondam Domniprandi , ut ego qui ſupra Boniprandus , & mei heredes laborare & excolere debeamus Caſalino & res veſtras illa in loco Lajatico, qui eſt pertinentes Eccleſie Sancte Julie , qui ſita eſſe bidetur Porto Piſano , & eſt pertinentia ſupraſcripto Epiſcopatui veſtro Sancte Marie . Caſalino verò ipſo in eodem loco , & jam rectum fuit per Lucifridi , hec poſt dicto Caſalino & rebus ad eas pertinentès , nos eas bene laborare & excolere debeamus , ita ut in omnibus melio-*
D *retur & non pejuretur . Et in ipſo Caſalino infra iſto anno caſa levare adque conciare debeamus , & in ipſa caſa tam ego , quam mei heredes reſedere adque habitare debeamus . Et pro jam dicto Caſalino , & omnibus rebus ad ipſo Caſalino pertinentes , nos vobis ad parte ſupraſcripti Epiſcopatui veſtro per ſingulos annos in menſe Januario cenſum dare & perſolvere debeamus ad ipſo Domo Epiſcopalis vobis vel ad Miniſteriales veſtros , que ibi pro tempore habueritis , ideſt de argentum Denarios treſgſeginta ſex de bonos Denarios per caput bene expendibiles ic Piſa & Luca Civitates , & medietate oleo de ipſis rebus nos vobis per ſingulos annos reddere debeamus ad ipſo Domo Epiſcopalis, vel ad Miſſos veſtros . Et ad mandato ve-*
E *ſtro , ſi oportum fuerit , duo vicès in anno ic*

Piſa

(1) Pagius in Critica Baron. contendit, Carolum Craſſum ad Auguſtale culmen perductum fuiſſe Anno Ch. 880. feſto die Natali Domini . Quæſtionem hanc & ego agitavi in hoc Opere. Certe Pagii ſententiæ Charta iſta adverſatur , quum ex ea conſtet , eumdem Imperiali Corona redimitum fuiſſe non niſi poſt diem 24. Maji Anno 881.

(2) Egregia Charta , cujus ope ſtatuitur opinio Sigonii & Pagii , contendentium , VVidonem Imperiali diademate donatum fuiſſe hoc Anno *IX. Kal. Martii* , non vero ſerius uti Cardinalis Baronius cenſuit.

Piſa venire debeamus ad juſtitia faciendum & complendum tantùm. Unde repromitto ego qui ſupra Boniprandus, una cum mei eredes tibi ſupraſcripto Joanne Epiſcopus, vel ad poſteros ſubceſſores tuo, de jam dicto Caſalino & rebus ad eos pertenentes dimittere aut poſtponere preſumſerimus, aut ſi aput nos pejurata fuerit, & nos vobis per ſingulos annos ſic non perſolſerimus, & non adimpleverimus, ſicut ſuperius legitur, conponamus vobis pene nomine de argentum Soledos quinquaginta. Et repromitto ego, qui ſupra Joannes Epiſcopus, una cum poſteros ſubceſſoribus mei tibi, qui ſupra Boniprandus, & de tui eredes, ſi vos nobis omnia ſic perſolſeritis ad pars ſupraſcripti Epiſcopatu noſtro, & ſic adimpleveritis, ſicut ſuperius promiſiſti, ſi nos vobis de jam dicto Caſalino, & rebus ad eos pertinentes foras expellere, vel menare .... ſuper impoſita facere preſumſerimus, ſimiliter componamus vobis Soledos

A *quinquaginta .... convenit & duo inter nos livelli pariti noſtro Johannes Notario ſcrivere rogavimus.*

Signum ✠ manu ſupraſcripti Boniprandi, qui une livellum ſcrivere rogavit.

✠ Ego Gerimundo rogatus a Boniprando, me teſtes ſubſcripſi.

✠ Ego Andreas rogatus a Boniprando, me teſte ſubſcripſi.

✠ Ego Anſelmo rogatus a Boniprando, me teſte ſubſcripſi.

Signum ✠ manu Cuniperti filio Cuneradi, teſtis.

Signum ✠ manu Petri filio quondam Joanni, teſtis.

Signum ✠ manu ..... ghiſi filio quondam Avultighiſi, teſtis.

✠ Ego ...... rogatus a Boniprando, me teſte ſubſcripſi.

Ego Joannes Notarius poſt tradito complebi.

Permutatio agrorum inter Theodericum Epiſcopum Piſanum, & Cuneradum. Anno 909.

In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, Dei eterni, Anno ad Incarnationis ejus Nongnenteſimo (1) *nono, Quinta Calendas Septembris, Indictione Duodecima. Manifeſtu ſum ego Cunerado filio bone memorie Cuneradi, quia convenit mihi una tecum* Teudericus (2), gratia Dei hujus ſancte Piſeſis Eccleſie humilis Epiſcopus, *& inter nos, de aliquantis rebus commutationem facere deberemus, ſicut & factum eſt. Proinde ego, qui ſupra Cunerado per hanc Cartula in commutationem dare & tradere videor tibi ad pars ipſius Epiſcopatui veſtro Sancte Marie, ideſt Caſa & res mea illa, quas abeo in loco & finibus, ubi vocitatur Caſalaſcii, qui regitur per Vuillelmo, que Vuinitio vocatur, Maſſario. Caſa vero ipſa cum fundamento & omnem edificio ſuo, cum curtis, orto, terris, vineis, olivis, ſilvis, virgareis, pratis, paſcuis, cultis rebus vel incultis, omnia & in omnibus rebus, quantas ubique ad ipſa Caſa eſt pertinentes, & ſupraſcripto Maſſaricio exinde ad manus ſuas abere & detinere videtur, in integrum tibi eas ad parte predicto Epiſcopatui veſtro in commutationem dedi & tradidit, excepta exinde una petia de terra, quod eſt prata in loco & finibus, ubi vocatur Rivo Pu .... dito, quas tibi mea me dare videor. Pro quibus ad te eas recepi ad pars ſupraſctipto Epiſcopatui veſtro Sancte Marie, ideſt terra & Colle illo in locho & finibus, ubi vocitatur ad Tane, prope loco & finibus Urſiano, qui eſt pertinentes ſupraſcripti Epiſcopatui veſtro Sancte Marie, qui uno caput tenet in Foſſa Rigangno, & in aliquantulo in terra* Adalberti (3) Marchioni, *& alio caput tenet in via, lato ſimiliter in via, & alio lato tenet in terra mea, qui ſupra Chunerado, & in aliquantulo in terra ipſius* Adalberti Marchioni. *Similiter & dediſti mihi in commutationem terra & Colle & Cerreto illo prope ipſo locho Urſiano, que vocitatur Caſale Pintioli, qui uno caput tenet in Rivo, & alio capo tenet ambas lateras eſt per-*

B *tinentes in terra de filii quondam Amiperti. Adque dediſti mihi in commutationem una petia de vinea in ipſo locho, que vocitatur ad Ponticall.......... uno caput tenet in Foſſa, & alio caput tenet ſimiliter in terra de filii quondam Amiperti, lato uno tenet in terra Oſtifuſi, & alio lato tenet in terra de filii quondam Amiperti. Seo & dediſti mihi in commutationem da pars predicti Epiſcopatui veſtro, una petiola de vinea prope ipſo locho Urſiano, quod ſunt ordines duodecim, & eſt tenentes uno caput, & ambas lateras in terra & vinea Michaël, & de filii quondam Roſſelmi. Jam dictis petiis de terris, & vineis, ſeo ſilvis .... abentes, qualiter ab omni parte circundate ſunt, per de-*
C *ſignatas locas mihi ad pars Epiſcopatui veſtro in commutationem dediſti & tradediſti in integrum .... commutationem ego ipſe, qui ſupra* Teudericus Epiſcopus *direxit Miſſos, ideſt Anſelmo, & Amalfridi, &* Adalbertus Dux *direxit Miſſos ſuos, ideſt Adalberto Scabino, & Roſſelmus Notarius, &* Liudoin, *qui ambulaverunt cum Urſo filio bone memorie Urſi, ſeo Rigiperti filio bone memorie Firmi, & Petrus filio bone memorie Arnini, extimatoribus ſuper hanc commutationem. Et ſuper hacceſſerunt .... aderunt cum aliis bonis & credentes homines, & providerunt, hac renunciaverunt, meliorata commutationem dedit ad pars predicti Epiſcopatui veſtro Sancte Marie .....*
D *Ut magis omni tempore inter nos firmam & ſtabilem permanead ſemper. Unde ego, qui ſupra Chunerado, una cum meis heredibus tibi, qui ſupra Teudericus Epiſcopus, vel ad poſteriſque ſubceſſoribus tuis .... homini, cui nos ſupraſcriptis Caſis & rebus, quas tibi in commutationem dedi & tradedi .... decreveritis, vobis eas aliquando tempore in aliqua exinde intentionaverimus, aut retolli, vel ... . erimus, nos, vel illi homines, cui nos eas dediſſemus aut dederimus pro quolibet ingenio, & eas vobis abem........ defendere non potue-*

(1) Certe *Indictio XII.* decurrens die 28. Auguſti Annum 909 indicat. Nondum ergo in uſu erat Annus Piſanus; nam appellandus fuiſſet Annus *Nongenteſimus Decimus*. Berengarii Regis nulla heic mentio facta indicio eſſe poteſt, minime Tuſciam tunc ei paruiſſe.

E (2) Ughellius heic ad hunc ipſum Annum *Ardingum* Piſanum Epiſcopum nobis exhibet. Niſi tabulæ prodeant teſtes hujuſce Epiſcopi, imaginarium ipſum habere nobis licebit.

(3) Nempe Secundi, qui Marchio & Dux Tuſciæ fuit. Is infra *Dux* appellatur.

potuerimus , ſpondemus nos vobis componere ſupraſcriptis Caſa & rebus , quas tibi in commutationem dedit, in duplum in ſerquidem loco ſub eſtimationem , quales tunc fuerit , quia taliter duos inter nos cartulas commutationis & Roſſelmum Notarium ſcribere rogavimus .

A ✠ *Ego Cunerado in ac commutatione a me facta , manu mea ſubſcripſi .*

✠ *Ego Anſelmo , ſicut ſupra legitur , miſſus fui .*

✠ *Ego Amelfridi , ſicut ſupra legitur , miſſus fui .*

✠ *Ego Adalbertus Schabinus , ſicut ſupra legitur , miſſus fui .*

✠ *Ego Roſſelmus Notarius, ſicut ſupra legitur, miſſus fui.*

✠ *Ego Urſo , ſicut ſupra legitur , interfui .*

✠ *Ego Liuduini, ſicut ſupra legitur, interfui .*

Signum ✠ *manus Rigiperti , ſicut ſupra legitur , interfui .*

Signum ✠ *manus Petri , ſicut ſupra legitur , interfui .*

✠ *Ego Gumpertus rogatus me teſtes ſubſcripſi .*

✠ *Ego Soſpertus rogatus me teſtes ſubſcripſi .*

✠ *Ego Roſſelmus Notarius poſt tradita conplevi & dedi .*

Permutatio terrarum inter Theodericum Epiſcopum Piſanum, & Stephanum Presbyterum. Anno 910.

I*N nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti , Dei eterni , Anno ab Incarnationis ejus Nongentesimo* (1) *decimo , Undecimo Calendas Martias , Indictione Tertiadecima . Manifeſtu ſum ego Stephano Presbitero , filio bone memorie Dominichi , qui convenit mihi una tecum* Teudericus gratia Dei hujus ſanćte Piſane Eccleſie umilis Epiſcopus, *ut inter nos de aliquantis rebus commutationem facere deberemus , ſicut factum eſt . Proinde ego , qui ſupra Stephano Presbitero per hanc cartula in commutationem ad parte predicti Epiſcopatui veſtro dare & tradere videor tibi , ideſt una petia de terra mea illa , quas abeo in loco , ubi vocitatur Noſule , tenentes ambas capitas & ambas lateras in terra ſupradicti Epiſcopatui veſtro . Seo & dedire videor tibi duo petiis de terris meis illis, quas abeo in loco , ubi dicitur Antrivo . . . . . . tenentes uno caput in terra ſupraſcripti Epiſcopatui veſtro, & alio caput in via , lato uno tenet in terra Sancti Ambroſii . Simul & dare videor tibi in commutationem una alia petia de terra trans ipſa Taura , ubi vocitatur Vade Mezzano , tenentes uno caput in terra Sancti Ambroſii, & alio caput in terra Sancti Savini , lato in terra predicti Epiſcopatui veſtro . Simul & dare videor tibi in commutationem de terra & vinea, ſeu ortale, totum inſimul amembratos , tenentes uno caput in via , & in terra Sancti Savini . Seo dare videor tibi in commutationem tres petiis de terris , quod ſunt ſilvis, qui una ex ipſe petia de ſilva , que vocitatur Colle Mezzano , tenentes uno caput in ſilva, & alio caput in ſilva prefati Epiſcopatui veſtro, & ille alia petia de ſilva , que vocitatur Colle Reotundo , tenentes uno caput & uno lato in terra Epiſcopatui veſtro , & ille tertia petia de ſilva , que ideſt ſilva , que vocitatur Colle Longo , tenentes uno caput & uno lato in terra Epiſcopatui veſtro . Simul & dare videor tibi in commutationem tres petiis de terris , quod ſunt ſilvis de iſta parte Taura , tenentes uno caput in Mi. . . . . . to in ſilva ſupradicti Epiſcopatui veſtro , & ille alia petia tenentes uno caput in via , & alio caput in ſilva jam dicti*

B *Epiſcopatui veſtro , & ille . . . . uno caput in via , & alio caput tenet in ſilva ſupraſcripti Epiſcopatui veſtro . Jam dictis petiis de terris , & vineis , ſeo ſilvis , & ſte. . . . . omnis parte circundate ſunt , per deſignatas lochas , quod ſunt per menſura ad juſta pertica menſurata modiorum . . . . in integrum tibi eas in commutationem ad parte predicti Epiſcopatui veſtro dedi & tradedit . Pro quibus ad te eas in parte predicti Epiſcopatui veſtro Sancte Marie , ideſt terris , & ſilvis , ſeo ſterpatis , adque paſcuis , totum inſimul amembratis , & illo prope Caſis & rebus Analberti & Roberti germani , & eſt pertinentes ſupradicto Epiſcopatui veſtro Sancte Marie , & eſt tenentes uno caput* C *in Eccleſia Monaſterii Sancti Savini & Sancti Salvatoris , & in aliquantulo in terra prefati Epiſcopatui Sancte Marie , lato uno tenet in via , & alio lato tenet in terra , qui fuit Domni Regi , & modò filii quondam Ghiſelprandi ad manus ſuas abere & detinere videtur . In commutationem una alia petia de terra illa in locho Caſtello , prope Caſa Chiniperti & Ghiſalperti , quod eſt ſterpato , & eſt tenentes uno caput in via , & alio caput in terra & vinea Johanni , lato uno tenet ſimiliter in via , & alio lato in terra , & ſterpatis , adque paſcuis , qualiter ab omni parte circundate ſunt , per deſignatas lochas ; quod ſunt ad juſta pertica quadraginta quinque in integrum ,* D *mihi eas in commutationem de parte predicti Epiſcopatui veſtro dediſti & tradediſti . Teudericus Epiſcopus direxit Miſſos ſuos , ideſt Gumperto , filio bone memorie Gumperti , & Gumberto , filio bone memorie Analberti , & Meirando , filio bone memorie . . . . . . Miſſos ſuos, ideſt Joannes , filio bone memorie Ghiſalperti , & Teuperto , filio bone memorie Urſi , qui ſuper hacceſſerunt alios bonos & credentes homines , & extimaverunt & previderunt , & hoc renuntiaverunt , quod me . . . . . . prefato Epiſcopatui veſtro Sancte Marie , quam recepiſſet . Ut magis onni tempore inter nos . . . . Stephanus Presbitero , vel meus heredes tibi , qui ſupra Teudericus Epiſcopus , vel ad poſteriſque* E

ſub-

(1) Ne heic quidem memorantur Anni Berengarii Regis. Attamen ſedente Theoderico iſto Epiſcopo fuiſſe tempus , quo Adalbertus II. Marchio & Dux Tuſciæ Berengarium I. Regem Italiæ agnovit, conſtat ex Charta ab Ughellio edita . Ibi legitur olim *Adalbertum illuſtriſſimum & magnum Marchionem per id tempus , & juſſionem Berengarii magni atque preclari Regis generalem Placitum habuiſſe* &c.

ſubceſſoribus tuis, aut . . . . ſterpatis & paſcuis, quas tibi in commutationem dedi & tradedi, dederitis, vel abere decreveritis, aut retolli vel ſubtragi queſierimus pro quolibet ingenio, & eas vobis ab omni homines defendere non potuerimus, ſeo ſilvis & ſterpatis, quas tibi in commutationem dedi & tradidi, ut in duplum in ferquido loco inter nos convenit, & duas inter nos cartulas commutationis, & Roſſelmum Notarium ſcribere rogavi.

Actum . . . .

✠ Ego Stephano in anc commutationis cartula a me facta, manu mea ſubſcripſi.

✠ Ego Gumbertus, ſicut de me ſupra legitur, miſſus fui.

✠ Ego Gumberto, ſicut de me ſupra legitur, miſſus fuit.

Signum ✠ manus Meirandi, ſicut ſupra A legitur, miſſus fuit.

Signum ✠ manus Cuiniperti, qui interfui.

Signum ✠ manus Joanni, filio bone memorie Ghiſalberti, miſſus fuit.

Signum ✠ manus Ghiſalberti, filio bone memorie Adalberti, qui interfui.

Signum ✠ manus Oteuperti, filio bone memorie Guiperti, miſſus fuit.

Signum ✠ manus Cuiniperti, filio bone memorie Chiſalperti, qui interfui.

Signum ✠ manus Aviberti, filio bone memorie Urſi, ſicut ſupra legitur, miſſus fuit.

✠ Ego Amalfrid rogatus a Stephano Preſbitero, me teſtes ſubſcripſi.

✠ Ego Roſperto rogatus a Stephano Preſ- B bitero, me teſtes ſubſcripſi.

✠ Ego Roſſelmus Notarius poſt tradita conplevi & dedi.

Charta Emphyteuſis conceſſæ a Wolfgherio Epiſcopo Piſano. Anno 927.

IN nomine Domini Dei eterni. Ugho divinam ordinantem providentiam Rex, Anno Regni ejus Primo, Decimo Calendas Martii, Indictione Quintadecima. Manifeſtu ſum ego Adalprando, filio bone memorie Urſi, quia tu Vvolfgherius (1), gratia Dei ujus ſancte Piſane Eccleſie umilis Epiſcopus, per cartula livellario nomine ad cenſum perexolvendum dediſti mibi, ideſt duos petiis de terris ac ſterpatis illis in loco & finibus Laurentiana, que vocitatur ipſa terra ad Deniblo Silvuli, & ſunt pertinentes ſupraſcripti Epiſcopatui veſtro Sancte Marie, qui ambas capitas ſunt tenentes in Rigone cum uno lato, & alio lato ſunt tenentes in terra Epiſcopatui veſtro Sancte Marie, quomodo ibi ſigna poſita ſunt; ſupraſcriptis petiis de terris ac ſterpatis, qualiter ab omni parte circumdate ſunt, per deſignatas locas in integrum mihi eas livellario nomine dediſti. Tali verò ordine, ut da admodum in mea, vel de meis heredibus ſint poteſtatem eas abendi, imperandi, gubernandi, laborare faciendi, meliorandi, & nobis eas privato nomine uſufrutuandi, & infra una de ipſe petie de terra, Caſa ibi levare & claudere, ſeo cumperire cum ſcbividule debeamus, ut ego, vel meus heredes in ſupraſcripta Caſa reſedere & abitare debeamus. Et exinde tibi vel ad poſteriſque ſubceſſoribus tuis ad pars ipſius Epiſcopatui veſtro Sancte Marie per ſingulos annos per omnes menſe Auguſto, excepto iſto menſe Auguſto, qui proximo eſt venientem, quas tibi ipſum cenſum C menime reddere debeamus, & poſt iſto menſe Auguſto cenſum vobis reddere debeamus ad Curte veſtra illa ſupraſcripto loco Laurentiana vobis, vel ad Miniſterialem illum, quas pro tempore in ipſa Curte fuerit, per nos aut per Miſſo noſtro, argentum Denarios boni expendibilis numero triginta ſex. Et a mandato veſtro venire debeamus ad ſupraſcripta Curte in ſupraſcripto locho Laurentiana ſemel in anno, ſi oportum fuerit, ad legem & juſtitiam faciendum tantum. Et ſi nos vobis hec omnia, qualiter ſuperius legitur, per ſingulos annos ſic non fuerit adimpleta, & conſervata, ut ſi ſupraſcriptis petiis de terris, quas mihi dediſti, relaxaverimus, vel ſi per nos pegiorata fuerit, D ſpondeo ego, qui ſupra Adalprando, una cum meis heredibus componere tibi, qui ſupra Vvolfgherius Epiſcopus, vel . . . . eredibus tuis penam argentum Solidos centum; quia taliter inter nos convenit, & duas inter nos cartulas Urſo Notario ſcribere rogavi.

Actum Piſa.

Signum ✠ manus Adalprandi, qui unc libellum fieri rogavit.

✠ Ego Amalfridi rogatus ab Adalprando, me teſtes ſubſcripſi.

✠ Ego . . . . rogatus ab Adalprando, me teſtes ſubſcripſi.

✠ Ego Mandolfo rogatus ab Adalprando, me teſtes ſubſcripſi.

E ✠ Ego Urſo Notarius poſt traditam complevi & dedi.

(1) Ughellius Thomæ Dempſteri MStis uſus ad Annum Ch. 917. inter Piſanos Epiſcopos recenſet *Iburrichium*. Tum ad Annum 918. *Volighidium*. Sed & ipſe miratur, geminos hoſce Epiſcopos a Dempſtero ſine tabulis intruſos. Confictos revera & ego ſuſpicor. Tum Ughellius ad Annum 920. *Ulſertum* exhibet. Eodemque Anno ſedentem in Cathedra Piſana ſubdit *Auntam*. Deinde ad Annum 924. propinat nobis *Actum Primum*, quem ſuſpicatur non alium ab *Auntio*. *Johannes Sextus*, eodem Dempſtero prodente, floruit Anno 925. Et *Henricus* Anno 926. De his ipſe Ughellius dubitat, neque immerito. Quis enim putet, tot Epiſcopos in Cathedra Piſana tam paucos annos ſediſſe? Sed quæ ſine antiquis monumentis recentiores proferunt, aut falſa, aut faltem dubia ſint neceſſe eſt. Habemus heic in authentica Charta *VVolfgherium* Piſanum Epiſcopum Anno 927. viventem. Nullus fortaſſis alius Epiſcopus interceſſit inter ipſum, ac *Theodericum*, quem nuper vidimus Anno 910. Piſanæ Eccleſiæ præfuiſſe.

Charta Zenobii Epiſcopi Piſani, per quam nonnullos agros in Emphyteuſim concedit. Anno 934.

IN nomine Domini Dei, & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Hugo gratia Dei Rex, Anno Rengni ejus, Deo propitio, Octavo, & filio ejus Domnus Lotharius, idemque Rex, Anno Rengni ejus, Deo propitio, Quarto, Tertio Idus Julii, Indictione Septima. Manifeſtu ſum ego Judo Presbitero, filio bone memorie Pauli, quia tu Cenobius (1) gratia Dei hujus ſancte Piſane Eccleſie humilis Epiſcopus *per cartula livellario nomine ad cenſum perexolvendum dediſti mihi ideſt quadtuor petiis de terris illis in loco & finibus, ubi dicitur Maſſajule, prope locho Laurentiana, qui ſunt pertinentes ſupraſcripti Epiſcopatui veſtro Sancte Marie, qui una ex ipſe petia de terra, quod eſt cerreto & ſterpeto, que uno caput tenet in terra Sancti Ambroſii, ſita medio Lancuſere, in aliquantuolo tenet in Rigone, & alio caput tenet in Rigone: & illa ſecunda petia de terra prope ipſo locho, qui uno caput tenet in Rigone, & alio caput tenet in terra ſupraſcripte Eccleſie Sancte Marie, que dicitur domnicata, lato uno tenet in terra ſupraſcripte Eccleſie Sancti Ambroſii, & in terra, que fuit quondam Gumberti, & alio lato tenet in terra ſupraſcripte Eccleſie Sancte Marie, & in aliquantulo tenet in Rigone; & illa tertia petia de terra prope ipſo locho, que uno caput tenet in Rigone, & alio caput tenet in ſupraſcripta Eccleſia Sancte Marie, que vocatur domnicata, lato uno tenet in terra ſupraſcripte Eccleſie Sancti Ambroſii, & in terra ſupraſcripti Gumberti, & alio lato tenet in Righone, & in aliquantulo tenet in terra Sancte Marie; & illa quarta petia de terra prope ipſo locho, qui uno caput tenet in terra predicti Epiſcopatui veſtro Sancte Marie, & alio caput tenet in Righone, & ambas lateras eſt tenentes in terra predicte Eccleſie Sancti Ambroſii, & Gumberti. Supraſcriptis quatuor petiis de terris, ut ſuperius dictas, qualiter ab onnis parte circumdate ſunt, per deſignatas lochas, in integrum mihi eas livellario nomine dediſti. Tali vero ordinem, ut da admodum in mea, qui ſupra Judo Presbitero ſint poteſtatem ſupraſcriptis quadtuor petiis de terris, ut ſuperius dictas, abendi, imperandi, gubernandi, laborare faciendi, meliorandi, & nobis eas privato nomine uſufructuandi, & licentiam & poteſtatem abeas ego, qui ſupra Judo Presbitero, per meo libellario nomine firmandum Stephano, & Paulo, ſeu Teudiperto, & Hudiberto, & Cuniberto, ſive Gottifridi germani filii Ildiperghe, & heorumque heredibus, ut in eorum ſint poteſtatem ſupraſcriptis quadtuor petiis de terris abendi, imperandi, gubernandi, laborare faciendi, meliorandum, & heorum privato nomine uſufructuandum. Et exinde tibi, vel ad poſteriſque ſubceſſoribus tuis, ad pars ſupraſcripti Epiſcopatui veſtro Sancte Marie per ſingulos annos per omnes Menſe Decembris, cenſum vobis reddere debeamus ad Curte veſtra illa ic Piſa ad Eccleſiam Sancti Georgii, vobis, vel ad Miniſteriale veſtro ad Jad Miſſo veſtro, vel ad homines illos, qui ipſis petiis de terris da vobis in beneficio abuerit, per nos, aut per Miſſo noſtro, argentum Denarios boni expendibilis numero duodecim tantum. Et ſi ad nos vobis hec omnia, qualiter ſuperius legitur per ſingulos annos ſic non fuerit adimpleta & conſervata, aut ſi a ſupraſcriptis . . . . . ſuperius dictas, quas nobis dediſti, relaxaverimus, vel ſi per nos pegiorata fuerit, ſpondemus nos, qui ſupra una cum Stephano & Paulo & Teudiberto, atque Hudiberto, ſive Cuniberto, & Gottifridi . . . . tibi. qui ſupra Cenobius Epiſcopus, vel ad poſteriſque ſubceſſoribus tuis, penam argentum Solidos centum; quia taliter inter nos conveni, & duas inter nos cartula Joannem Notarium & Judex Domnorum Regum ſcribere rogavi.*

Actum Piſa.

✠ *Ego Judo Presbitero in unc libello a me facto ſubſcripſi.*

✠ *Ego Benedictus rogatus ad Judo Presbitero, me teſtes ſubſcripſi.*

✠ *Ego Gumberto rogatus ad Judo Presbitero, me teſtes ſubſcripſi.*

✠ *Ego Teuperti Judex Domnorum Regum ſubſcripſi.*

✠ *Ego Silveradus Judex Domnorum Regum ſubſcripſi.*

✠ *Ego Umberto rogatus ad Judo Presbitero, me teſtes ſubſcripſi.*

✠ *Ego Joannes Notarius & Judex Domnorum Regum poſt tradita complevi & dedi.*

(1) Idem atque *Zenobius* ab Ughellio memoratus. Sed minime *Secundus*, uti ille eſt arbitratus. Alterum *Zenobium* ad Annum Ch. 841. ille protulit, cui tamen nullum locum futurum in ſerie Antiſtitum Piſanorum mihi perſuadeo. Unde hic error manaverit, infra ad Annum 949. aperiam.

Collatio Eccleſiæ Baptiſmalis S. Johannis in loco Vico, facta a Zenobio Epiſcopo Piſano Johanni Presbytero. Anno 934.

Intus Caſtellum ſupraſcriptum Monaſterium Sanctæ Mariæ, & territurio Voluterrenſis.

Ego Gerardus, una cum uxore mea Guilia anc Cartula offerſionis a nobis facta eſt.

Ego Bonipertus Abbas prædicti Monaſterii in me facta eſt, & ſubſcripſi.

Ego Petrus Monacus hanc Cartam in me facta eſt, & ſubſcripſi.

Ego Petrus filius Alberti rogatus teſtis.

Ego Bernardus filius Ruſtici rogatus teſtis.

Ego Rodulfo, filio Rollandi rogatus teſtis.

Ego Rollandus Judex ſacri Palatii ſubſcripſi.

Ego Guilielmus Judex Domni Imperatoris ſubſcripſi.

Ego Anſelmus Notarius poſt tradita complevi & dedi.

Conceſſio

Conceſſio Emphyteutica facta a Widone Epiſcopo Piſano. Anno 1005.

IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Dei eterni. Anno ab Incarnationis ejus Mille Sexto, Sexto Idus Julii, Indictione Tertia. Manifeſtu ſum ego Vvido (1), gratia Dei ujus ſanctæ Piſanæ Eccleſiæ umilis Epiſcopus, *quia per anc cartula livellario nomine ad cenſum perexolvendum dare videor tibi Cunerado, qui Cunitio vocatur, filio bonæ memoriæ Dominiebi, qui Barcio vocabatur, ideſt duas portiones ...... de tres petiis de terris illis, quibus ſunt poſitis in loco & finibus Porto Piſano, quæ ſunt pertinentes ſupraſcriptæ Eccleſiæ Sanctæ Mariæ; quæ una ex ipſa eſſe videtur prope Eccleſia Sancti Stephani, & eſt pertinentes ſupraſcriptæ Eccleſiæ Sancti Stephani ...... videtur de ſub regimine & poteſtate ſupraſcripti Epiſcopatui veſtro Sanctæ Mariæ, quæ uno capo cum uno lato tenet in Rivo, qui dicitur Cingla, & alio capo tenet in terra, quæ dicitur Aguliana, & lato uno tenet in Rivo, qui dicitur Marcianella, qui eſt juſta fluvio Auſcione, & alio lato tenet in littus mare. Et ille ſecunda petia de terra in loco prope Eccleſia Sanctæ Juliæ, ubi dicitur Fondo Maggiore ...... dictæ Eccleſiæ Sanctæ Juliæ, quæ Eccleſia ipſa eſſe videtur de ſub regimine & poteſtate ſupraſcripti Epiſcopatui noſtro Sanctæ Mariæ, quæ uno capo cum uno lato tenet in terra Comitorum, & terra, qui ...... Comes, & alio capo tenet in Rivo, qui dicitur Molinario, & alio lato tenet in terra, quæ dicitur Piſana. Et ille tertia petia de terra, ubi dicitur Lungnano, quas .... cum ambas lateras in terra e Silva Comitorum, & in terra e Silva de filiis quondam Ghiſolfi; de as ſupraſcripti tres petiis de terris in prædictis locis qualiter ab omnis parte circumdati ſunt ..... donationis exinde integræ cum inferioribus & ſuperioribus ſuarum, ſeo cum acceſſionibus & ingreſſoras ſuarum, tibi eas livellario nomine dare videor. Tali ordine, ut da admodum ..... tuis heredibus ſint & permanead poteſtatem eas abendi, tenendi, imperandi, gubernandi, laborare faciendi, meliorandi, & vobis eas privato nomine uſumfructuandi, & exinde mihi, vel ad poſteris ſubceſſoribus meis a pars ſupraſcriptæ Eccleſiæ Epiſcopatui Sanctæ Mariæ per ſingulos annos per omnes Menſe Octobris, cenſum vobis reddere debeamus hic Piſa ad Curte noſtra illa donicata ad Eccleſiam Sancti Georgi nobis vel a Miniſterialem illum, quas pro tempore ibidem fuerint, aut ad Miſſo noſtro per vos, aut per Miſſo veſtro, arientum Denarios boni expendibilis numeros viginti & quatuor tamtum. Et ſi a nos vobis ec omnia qualiter ſuperius legitur per ſingulos annos taliter adimpleveritis & conſervaveritis, & nos vobis ſupraſcriptæ duos portionis ex integre de ſupraſcriptis tres petiis, quas tibi livellario nomine dedi, retollerimus, vel aliquit amplius vobis ſuper impoſuerimus pro colibet ingenio, ſpondeo ego qui ſupra Vvido Epiſcopus una cum poſteriſque ſubceſſoribus meis componere tibi, qui ſupra Cunrado ...... vocatur, vel a tuis eredibus penam arientum optimum Libras vinti; quia taliter inter nos convenit, & duos inter nos libelli Alfeo Notario Domni Imperatoris ſcribere rogavi.*

Actum Piſa.

✠ *Vvido gratia Dei umilis Epiſcopus huic libello a me facto ſubſcripſi.*

✠ *Ego Sigifredus Judex Domni Imperatoris ſubſcripſi.*

✠ *Ego Pandolfus Notarius Domni Imperatoris, rogatus teſtis ſubſcripſi.*

✠ *Ego Eribertus Judex Domni Imperatoris ſubſcripſi.*

✠ *Ego Alfeo Notarius Domni Imperatoris poſt tradita complevi & dedi.*

---

(1) Inter *Raymbertum*, & *VVidonem*, Ughellius interſerit *Petrum* Epiſcopum Piſanum, viventem Anno 1005. Hoc ei perſuaſerit Troncius. Tutius fidem ei abroget Lector. Jam nos habemus heic *VVidonem* Epiſcopum Anno eodem 1005. Quippe Annus Piſanus in Charta hac uſurpatur, atque *Indictio Tertia* vulgarem Annum 1005. indicat.

Charta Emphyteuſis facta a Widone Epiſcopo Piſano. Anno 1006.

IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Dei eterni, Anno ab Incarnationis ejus Milleſimo Septimo, Pridie Nonas Auguſti, Indictione Quarta. Manifeſti ſumus nos Johannes, & Dominico Clerico, ſeo Bonitio, germani, filii bonæ memoriæ Macirneri, quia tu Vuido, gratia Dei ujus Sanctæ Piſanæ Eccleſiæ umilis Epiſcopus per cartula livellario nomine ad cenſum perexolvendum dediſti nobis ideſt ſextam portionem ex integra de omnibus Caſis & rebus illis pertinentibus Eccleſiæ Plebis veſtræ, cui vocabulum eſt beati Sancti Andreæ & Sancti Johanni, quod eſt Plebem Baptiſmalis, ſita loco & finibus Porto. Quem Plebem ipſa eſſe videtur de ſup regimine & poteſtatem ſupraſcriptæ Eccleſiæ Epiſcopatui veſtro Sanctæ Mariæ, de caſis & caſſinis, ſeo caſalinis, adque rebus tam domnicatis quàm & maſſariciis verò ipſis a predicta Eccleſia Plebis veſtræ Sancti Andreæ & Sancti Johanni, quod eſt Plebem Baptiſmalis ſunt pertenentibus, cum fundamentis, & omnem edificiis, vel univerſis fabricis ſuarum, ſeo de curtis, ortis, terris, vineis, olivetis, caſtanietis, quercetis, ſilvis, virgareis, pratis, paſcuis, cultis rebus vel incultis, de omnia & ex omnibus caſis & caſſinis ſeo caſalinis, adque rebus tam domnicatis quam & maſſariciis, quantas ubique in qualibet locis vel vocabulis ad ſupraſcripta Eccleſia Plebis veſtræ Sancti Andreæ & Sancti Johanni, quod eſt Plebem Baptiſmalis ſunt pertenentibus, vel aſpicientibus, ut dictum eſt, ſextam portionem exinde in integrum, cum inferioribus & ſuperioribus ſuarum, ſeo cum acceſſionibus & ingreſſoras earum, nobis eas livellario nomine dediſti. Item & livellario nomine dediſti nobis ideſt ſextam portionem ex integra de omnem redditum & debitionem ſeo decimationem illam, quantas ſingulis ominibus, qui ſunt abitantibus in Villis illis, quæ dicitur Botitio, Naria, Platitiano, Mariliano, Selivano, Oliveto, Carbonaria, Caſale, Merioli, Ariana, Limone, Caſagavenuli, Gumbalio, Porciliano, quæ ſunt pertinentibus ſupraſcriptæ Eccleſiæ Plebis veſtra Sancti Andreæ & Sancti Johanni, quod eſt Plebem Baptiſmalis, adque in antea in ipſis Villis abitantes fuerint conſuetudi vel debiti fuerint ad reddendum tam labore quàm & vinum, ſimulque beſtiis, aut de qualibet frugibus terræ vel de qualibet movilia de jam dicto reditum & debitionem, ſeo decimationem, quantas ſingulis ominibus, qui ſunt abitantibus in prædictis Villis, adque in antea ibidem abitantes fuerint, & a pars ipſius Eccleſiæ Plebis veſtræ ſingulis quibuſque annis conſuetudi vel debiti fuerint ad reddendum aut alibit abitantibus ſingulis quibuſque annis ad pars ipſius Eccleſiæ Plebis veſtræ conſuetudi vel debiti fuerint ad reddendum, & quondam Johannis Presbitero fi-
A lio bonæ memoriæ Petri Grullæ ad manus ſuas abuit & detenuit, ut dictum eſt, ſextam portionem ex integram nobis eas livellario nomine dediſti. Tali ordinem, ut da admodum in mea, qui ſupra Johannes & Dominico Clerico, ſeo Bonitio, germani, vel de noſtris eredibus ſint poteſtatem eas abendi, tenendi, imperandi, gubernandi, laborare faciendi, meliorandi, & nobis eas privato nomine uſufructuandi & licentiam & poteſtatem abeamus nos, qui ſupra Johannes & Dominico Clerico ſeo Bonitio germani & noſtris eredibus vel noſtris ominibus in præfata Eccleſia Sancti Andreæ & Sancti Johanni, quod eſt Plebem Baptiſmalis, intrandi, & ipſum redditum & decimationem ſeo debitionem
B regrendite recolligendi rerum vel cenſum, quibus exinde annue Dominus dederit; & teneamus & faciamus ex frugibus earum quicquit voluerimus, abſque omni calumnia nobis privatum fruendum, & in ipſa Eccleſia Sancti Andreæ & Sancti Johanni, quod eſt Plebem Baptiſmalis per noſtra diſpoſitionem officium Deo & luminaria adque incenſum & Miſſas fieri debeamus, & exinde tibi, vel ad poſteriſque ſucceſſoribus tuis ad pars ſupraſcriptæ Eccleſiæ Epiſcopatui veſtro Sanctæ Mariæ per ſingulos annos per omnes Menſe Genuario cenſum vobis reddere debeamus ic Piſa ad Curte veſtra illa domnicata ad Eccleſiam Sancti Georgi vobis vel ad miniſterialem illum, quas pro tempore ibi-
C dem fuerint, aut ad Miſſo veſtro per nos aut per Miſſo noſtro argentum Denarios boni expendibilis numero viginti & quadtuor tantum. Et ſi a nos vobis ec omnia, qualiter ſuperius legitur, per ſingulos annos taliter non adimpleverimus & non conſervaverimus, aut ſi eas omnia, quæ ſuperius legitur, quas nobis livellario nomine dediſti, relaxaverimus, vel ſi per nos pejorata fuerit, ſpondimus nos, qui ſupra Johannes & Dominico Clerico, ſeo Bonitio germani, una cum noſtris eredibus, componere tibi, qui ſupra Vuido Epiſcopus, vel ad poſteriſque ſucceſſoribus tuis, penam argentum Solidos centum viginti, quia taliter inter nos convenit, & duas inter nos libelli Leo Notarium
D Domni Imperatoris ſcribere rogavimus.

Actum Piſa.

Signum ✠ ✠ manus ſupraſcripti Johannis & Dominici germani, qui unc libellum fieri rogaverunt.

✠ Ego Petrus rogatus teſtis ſubſcripſi.

✠ Ego Vuido Notarius Domni Imperatoris rogatus teſtis ſubſcripſi.

✠ Ego Urſo Notarius Domni Imperatoris rogatus teſtis ſubſcripſi.

✠ Ego Johannes Judex Domni Imperatoris ſubſcripſi.

✠ Ego Leo Notarius Domni Imperatoris poſt traditam complevi & dedi.

Azzonis Epiſcopi Piſani Charta, per quam nonnullas terras in Emphyteuſin concedit. Anno 1017.

IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Dei eterni. Regnante Domno noſtro Enrigo, gratia Dei Imperator auguſto, anno Imperii ejus in Italia Quarto, Idus Novembris, Inditione Prima. Manifeſtus ſum ego Attus (1), gratia Dei ujus ſancte Piſane Eccleſie humilis Epiſcopus, *qui per ac cartula livellario nomine at cenſum perſolvendum dare videor tibi Petrus filio bone memorie Suaverictu, qui Suaritio vocabatur: ideſt una petia de terra mea illa, que eſt poſitas in loco & finibus Porto Piſano prope Rivo Majore, ubi dicitur Orciano, que eſt pertinentes ſupraſcripte Eccleſie Epiſcopatui veſtro Sancte Marie, qui uno capo tenet in predicto Rivo majore, alio capo tenet in Terra Chomitorum, da uno tenet in terra, que fuiſſe ...... Gaſtaldo filio bone memorie Martini, & alio lato tenet in terra ſimiliter Chomitorum ...... terra Ghiſolfini, quas ſupraſcripta petia de terra in eodem loco, qualiter ab omnis partes circundata per deſignatas locas, quod eſt per menſuram ad juſtas perticas menſuratas modiorum triginta in integrum, cum inferioribus & ſuperioribus ſiis, ſeo cum acceſſionibus & ingreſſuras ſuas, tibi eas livellario nomine dare videor. Item & libellario nomine dare videor tibi, qui ſupra Petrus, ideſt duo Caſis & rebus illis maſſariciis, quibus ſunt poſitis in ſupraſcriptis loco & finibus Porto, qui ſunt pertinentes ſupraſcripte Eccleſie Epiſcopatui veſtro Sancte Marie, quna ex ipſe, ubi dicitur Car .... obaria, quas Domico da Romuli Maſſario ad manus ſuas habere & detinere videtur, & ille alia, ubi dicitur Morteta, que recta & laborata eſſe videtur per Urſo Maſſario. Caſis & rebus vero ipſis cum fundamentis, & onnen dificiis vel univerſis fabricis ſuaru, ſeo curtis, ortis, terris, vineis, olivis, ſilvis, virgareis, pratis, paſcuis, cultis rebus vel incultis, omnia & ex omnibus rebus quantas ubique in qualivet locis vel vocabulis as ſupraſcriptis Caſis & rebus maſſariciis exinde ad manus ſuarum habere & detinere videtur in integrum cum inferioribus & ſuperioribus, ſeo cum acceſſionibus & ingreſſuras ſuas, nos tibi eas libellario nomine dare videor. Iten & libellario dare videor tibi, qui ſupra Petrus, ideſt omnia & ex omnibus Caſis & Caſſinis, ſeo Caſainis, adque rebus illis, que ſunt pertinentibus Eccleſie Epiſcopatui veſtre, cui vocabulu eſt* A *beate Sancte Julie, & Sancti Joan Baptiſte, quod eſt Plebe baptiſmalis, ſito ſupraſcripto Porto Piſano prope Livorna (2), quem Plebem que ſan eſſe videtur de ſuo regimine & poteſtate Eccleſie Epiſcopatui veſtro Sancte Marie, Caſis & Caſinis vero ipſis tam domnicatis quan & maſſariciis, quantas ubique in qualibet locis vel vocabulis ad ſupraſcripte Eccleſie & Plebi veſtre ſunt pertinentibus vel aſpicientibus, aut in antea ibiden pertinentes eſſe debet in integrum, tibi eas libellario nomine dare videor, ſeo & libellario nomine dare videor tibi, qui ſupra Petrus, ideſt omnem reditum, & debitationem, ſeo decimationem illam, quantas in ſingulis hominibus, qui ſunt abitantibus in Villis illis,* B *ſeo in predicto Caſtello, ubi dicitur Livorna, ſive in predictis Villis, qui dicitur Muro .... ato, Vvaralda, Tribio, Alduli, Sala, Regirio Majore, Fundo Mangno, Septere, ſeo quantas abitantibus ſunt in predicto loco Livorna, foris de ipſi Caſtello, & in aliis Villis ſingulis quibus ad pars ipſi ...... ſupraſcripti, & Plebi noſtre ſancte, & Sancti Joanne Baptiſte conſuetudi vel debiti ſunt ad reddendum, aut in antea ...... reedere debuit, in integrum tibi eas libellario nomine dare. Iten & libellario nomine dare videor tibi, qui ſupra Petrus, ſexta portionem ex integram de omnia ex omnibus Caſis & Caſſinis, ſeo rebus illis, que ſunt pertinentibus Eccleſie & Plebe noſtre, cui* C *vocabulum eſt beate Sancte Marie, & Sancti Joanni Baptiſte, quod eſt Plebe Baptiſmalis, ſito loco & finibus Scutriano, quen Pleben ipſa eſſe videtur de ſup regimine & poteſtatem ſupraſcripte Eccleſie Epiſcopatui Sancte Marie, Caſis & Caſſinis, ſeo rebus vero ipſis tan domnicatis, quan maſſariciis, con fondamentis & edificiis vel univerſis fabricis ſuis, ſeo curtis, ortis, terris, vineis, olivis, ſilvis, virgareis, pratis, paſcuis, cultis rebus vel incultis, omnia & omnibus Caſis & Caſſinis, ſeo rebus vero ipſis tam domnicatis, quan & maſſariciis, quantas ubique in qualibet locis vel vocabulis ad ſupraſcripta Eccleſia & Plebi noſtre ſunt pertinentibus vel aſpicientibus, aut ibiden in antea pertinere-* D *bunt, ut dictum eſt, ſextan portionen exinde in integro tibi eas libellario nomine dare videor, ſeo & libellario nomine dare videor tibi, qui ſupra Petrus, ideſt ſexta portionen ex integram de omnen redito & debitationem, ſeo decimationem*

(1) Qui & *Azzo*, *Actio*, *Actius* &c. in aliis Chartis appellatur. Poſt *VVidonem*, Piſanæ Eccleſiæ Epiſcopum Ughellius interſerit *Lambertum* Epiſcopum, qui Anno 1013. Piſanos contra Muſatum Saracenum Sardiniæ Regem incitavit. Tum ad Annum 1015. alterum *VVidonem* Epiſcopum profert. Infeliciter ſane. Nullus heic *Lamberto* locus, nullus alteri VVidoni. In Archivo Piſani Archiepiſcopii tabulæ exſtant, prodentes *VVidonem* Epiſcopum Anno etiam 1012. Piſanæ Eccleſiæ præfuiſſe. Tum ad Annum 1015 occurrit *Azzo Epiſcopus* in Chartâ ſcriptâ *Regnante Donno noſtro Enrigo gratiâ Dei Imperator Auguſto, Anno Imperii ejus in Italia Secundo, V Idus Octubris, Ind Quartadecima*: quæ Notæ exhibent Annum 1015. Omnia turbavit Ughellius; nam ne ipſum quidem *Azzonem* ille ad hæc tempora agnovit Piſanum Antiſtitem, ſed ſomniato *VVidoni Secundo* ſucceſſiſſe ait *Hugonem* Anno 1019. Itaque *VVidoni*, uni hactenus hujus nominis Antiſtiti Piſano, nullo interpoſito, ſucceſſit *Azzo* Epiſcopus, quem adhuc viventem reperi in Charta exaratâ Anno 1031. cum hiſce Notis. *Anno ab Incarnationis ejus Milleſimo trigeſimo primo, Regnante D. N. Chunradus gratia Dei Imperator Auguſto, Imperii ejus in Italia Quarto, Nono Kal. April. Ind. XIV.*

E (2) Egregius locus ad indicandum ſitum *Piſanus Portus*, cujus memoria obliterata videtur. Habes Portum illum *prope Liburni* Caſtellum. Scilicet olim Arnus illuc ſuas exonerabat aquas, ejuſque Fluminis fauces Portum Piſanum efformabant. Ex quo Genuenſes locus attrivere, & Piſanus Populus Arnum coëgit breviore via ad mare deſcendere, Portus ille ceſſavit, cui celebris Liburni Portus ſucceſſit. *Arni veteris* memoria adhuc alicubi ſervatur.

nem illam, quantas ſingulis hominibus, qui ſunt abitantibus in predicta Villas, qui dicitur Seutriana, ſeo in aliis Villis, aut Caſtellis abitantes fuerint ſingulis quibuſque anno pars ipſius Eccleſie, aut Plebi noſtre conſuetudi vel debiti ſunt ad redendum, aut in antea ibiden reddere debunt tan labore, quan & vino, ſimulque beſtiis, aut de qualibet frugibus terre, vel de qualecunque movilias, que dicti vel nominati ſunt de jan dicto redito & debitationem ſeu decimationem, quas ſingulis ominibus, qui ſunt abitantibus in predicta Villas ſeo in illis Villas, ſeo Caſtellis in antea ibiden abitantes fuerint ſingulis quibuſque tam ad ipſius Eccleſie & Plebi noſtre Sancte Marie, & Sancti Joanni Baptiſte conſuetudi vel debitis ſunt ad reedendum, aut in antea ibiden reedere debuit, ut dictum eſt, ſexta portione exinde integra tibi eas livellario nomine dare videtur tali ordine, ut da admodum in antea tu Petrus vel tuos heredes ſint poteſtate ſupraſcripta petia de terra, que ſuperius legitur, & omnibus ſupraſcriptis & Caſinis, adque predicto reedito & debitatione, ſeo decimationem requirendi & colligendi exinde mibi vel meos ſubceſſores ſupraſcripte Eccleſie Epiſco-

A patui noſtro Sancte Marie per ſingulos annos per omnen Menſes September cenſum nobis reddere debeatis ic Piſa ad Curte noſtra donnicata nobis, aut Miſſos noſtro per vos aut per Miſſos veſtro, argentum Denarios boni expendibilis numeros Solidos viginti . . . . tibi ec omnia, que ſuperius legitur per ſingulos annos taliter adinpleveritis & conſervaveritis iſtis, que ſupra rebus, quarum . . . . . . bellandi, vel ſi per vos pejorata fuerint, ſpondeo ego, qui ſupra Atto Epiſcopus vel meos ſubceſſores conponere tibi Petrus vel tuos eredes, penam argentum optimum Libras centum, quia taliter inter nos convenit, & duo inter nos libelli Gosbertum Notarium Domni Imperatoris ſcribere rogavi.

B Actum Piſa.

✠ Ego Vvido Notarius Domni Imperatoris, teſtis.

Signum ✠ manus Rodulfi filio Anſelmi, teſtis.

✠ Ego Osbertus Judex Domni Imperatoris ſubſcripſi.

✠ Ego Goſpertus Notarius Domni Imperatoris ſubſcripſi.

Fundatio Monaſterii S. Juſtiniani in Comitatu Populonienſi, facta ab Hugone Comite, ceteriſque filiis Theoderici Comitis. Anno 1022.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Henrigus Imperator auguſtus, Anno Imperii ejus in Italia Nono, Calendas Novembris, Indictione Sexta. Divinæ gratiæ munere ſupernis virtutis auxilio hac facibus . . . . Dominus eternæ patriæ gaudii faciat coheredes fidelis ammonitionibus, crebriſque preceptis informulat. Unde eſt illud: Venite ad me, qui laborati & honerati eſtis, & ego vos requieſcere faciam . . . . . . ab eo percipiendum eſſe facultas dubitare . . . . . . formulam, cum dixit: Dimittite, & dimittetur . . . . . . quia neſcitis diem neque horam; hanc vocem ſcilicet ita omnes debemus frequentiſſime meditare, quatenus ſemper oculos . . . . . . habeatis. Oportet enim ſingulis, qui ſe omnipotenti Dei miſericordiam hujus Mundi divitiis, vel quibuſcumque temporalibus adjumentis nove . . . . . . conſolatus ex is, quæ acceperint ab eo quamtumlibet illa conferre cum gratiarum hactione a quaſibicunque ab eo conceſſa, quia Regnum Dei tantum valet, quantum habet . . . . poſſit dominicæ inſtruimus documentis, quod mulier duo . . . . . . minute devota offerentibus certis ominibus offerentibus adſeruit obtuliſſe. Unde nos Ugo Comes, & Gerardus, ſeu Guido, atque Teudicius, ſive Rodulphus, & Henrigus, germani, filii Theoderici, qui fuit Comes, in Dei nomine pro animarum noſtrarum remedio edificamus Monaſterium in honore beati Sancti Juſtiniani infra Comitatum & territurio Populonienſe, ubi dicitur Falieſia, quæ eſt juxta mare, & ſupradicta Eccleſia videtur eſſe ſub regimine & poteſtate Apoſtolorum Principis Urbis Romæ ſitis, quia per preceptum nos habere & detinere videmur a ſummo Pontifice ipſius Urbis Romæ Apoſtolicæ Sedis in corpore libito venerabile loco, quæ ſupraſcripti germani offerre & per confirmationem dare Deo volumus pro animarum noſtrarum remedio per hanc offerſionis paginam, ideſt Curtem noſtram de Cumulo cum donicatis, & cum angariis, &

C cum olivetis, & cum ſilvis, & cum cultis vel incultis, & omnia, quæ ad ipſam Curtem videntur eſſe pertinentes ad donicato veſtro. Inſuper damus ideſt novem Caſis & rebus noſtris maſſariciis, quam habemus in locas & fundas, nuncupatas Fiſulanum, quæ una eſſe regire videtur per Pincipio maſſario, ſecunda per Leo, tertia per Berizo, quarta per Petro, quinta per Martino, ſexta per Johannes, ſeptima per Petrus, octava per Vuinizo, nona per Carello Presbitero. Caſis & caſſinis atque rebus vero ipſis, cum fundamentis & omnem edificiis vel univerſis fabricis ſuarum. Inſuper damus medietate de Sancta Perpetua, cum terris & cum vineis & cum ſilvis & cum omnia, quæ ad ipſa medietate deſuper nominata Eccleſia videtur eſſe

D pertinentes, vel pertinere debetur. Inſuper concedimus Curte de Sancta Criſtina, qui eſt in loco, qui dicitur Acquaviva, cum omnia, quæ ad ipſa Eccleſia videtur eſſe pertinentes. Omnia ſupraſcriptis curtis vel nominatis, ſeu caſis vel caſſinis ſeu caſalinis atque rebus vero ipſis, cum fundamentis & omnem edificiis vel univerſis fabricis ſuarum, ſeu curtis, ortalias, terris, vineis, olivetis, ſilvis, virgareis, pratis, paſcuis, cultis rebus vel incultis, omnia & in omnibus rebus tam donicatis quam & maſſariciis, quantas ubique in qualibet locis vel vocabulis ad ſupraſcriptis curtis vel vocabulis vel Eccleſiis atque rebus ſunt pertinentibus vel aſpicientibus,

E exinde ad laborandum, ad manus ſuas abere & detinere videtur in integrum una cum inferioribus & ſuperioribus ſuarum, ſeu cum acceſſionibus & ingreſſoras earum . . . . . . ipſius Eccleſiæ Monaſterio Sancti Juſtiniani offerre providemus tali ordine, ut ab odie in antea uſque dum nos vel noſtris eredibus hac pro eredibus noſtrorum noſtrarumque generationum predicta Eccleſia, quæ nunc in Monaſterium edificamus Sancti Juſtiniani, a ſupradicto Pontifice beati Petri Eccleſiæ Urbis Romæ Apoſtolicæ Sedis abere ſcilicet per præceptum, ut di-

ctum eſt, & detinere videmus, vel viſi fuerimus ipſis ſupradictis curtis & rebus maſſariciis .... pertinentiis, quæ ſuperius legitur, in ipſius Eccleſiæ ſupradictæ, ejuſque Rectoribus permaneat poteſtate eas abendi ſcilicet, tenendi, poſſidendi, imperandi, laborare faciendi, uſumfructuandi.

Inſuper autem memoramus, quod anc offerſionis paginam, ut ſi ullus ...... Pontifices forſitan ſupradictis Pontificatus a nobis vel a noſtris eredibus ſcilicet ac proheredibus noſtris, qui ſupra aliquibus generationibus noſtris ſupradicta Eccleſia, quæ nunc Monaſterium eſt, abſtulerit, res, quæ ſupradicta Eccleſia per hanc offerſionis pagina concedimus & tribuimus, in noſtra deveniat poteſtate. Quin etiam confirmantes ordinamus & conſtituimus, ut quandoque tempora Abbatem conſtitutus, atque regulariter ordinatum in prædicto Monaſterio, ab hoc ſæculo migraverit, ne alterum in Abbatem nullum conſtituerit, niſi de ipſo Monaſterio congregationem Fratrum, & cum omnium electione, ſupradictorum ſcilicet Monachorum. Quod ſi invidie vel diſcordie inter eis orta fuerit, ordinamus atque precipimus, ut uno conſilio ſupradictæ congregationis nos, qui ſupra germani, vel noſtris eredibus ac proeredibus noſtris ſive noſtrorumque generationibus, cui noſtrorum decepſerit ibidem Abba ...... congregare non voluerit cum conſilio ſupraſcriptorum Fratrum, tunc volumus ac precipimus, ut Epiſcopus Vulterrenſis ibidem congreget Abbas cum conſilio & electione ſupraſcriptorum Fratrum, quale eis ſecundùm Deum & Regulam beati Benedicti comparuit. Et ſi ipſe Epiſcopus Vulterrenſis oc facere non voluerit .... Populonienſis prædictum Abbatem ibidem elegere & ordinare debeant, ſicut ipſe Vulterrenſis facere debuit. Ita vobis .... confirmamus etiam per anc offerſionis pagina, atque conſtituimus, ut prædicto Monaſterio nobis noſtriſque eredibus ac proëredibus noſtris, neque nullius perſonæ in perpetuum nullo more pertineat, niſi gubernandi & regendi cauſa ...... amore, ut nullus Monacus ſeu Abbas aliqua violentia pro ulla occaſione patiatur. Et ſi inter illos ..... Monacos intentione vel diſcordia fuerit, ipſum prædictum Epiſcopo Vulterrenſis, & Populonienſis ...... amore ad concordia revocet. Quod ſi oc adimplere nequierit, nos, vel noſtris filiis, ac nepotibus, noſtrorumque generatione, cui noſtrorum decepſerit, ſit adjutor illis ad concordia revocare ſecundùm Regulam Sancti Benedicti, auxilio & correctione retribuere ſecundùm Deum. Et inſuper concedimus & confirmamus, quod omnia, quæ ſuperius conſtitutum abemus, ſine ullo munere accepto pro Dei amore facto, & adimpletum fiat pro animabus noſtrorumque, & remedium ſtabilem permaneant ſemper. Et ſi aliquando tempore nos, qui ſupra germani, noſtris eredibus tibi præfata Eccleſia ..... beati & Sancti Juſtiniani, & ad ejuſque Rectoribus, A & omnia, quæ ſuperius legitur, aliquando tempore in aliquit exinde intentionaverimus, aut retollere vel minuare exinde præſumſerimus per noſmetipſos aut per filios noſtros, ac filiabus noſtris ..... quacunque noſtra ſumittente perſona, cui nos dediſſemus aut dederimus, pro quolibet ingenio, & eas ad pars ipſius Eccleſiæ Monaſterio Sancti Juſtiniani, & ad ejuſque Rectoribus ab omnes omines defenſare potuerimus, & non defenſaverimus ..... ſupra germani, una cum noſtris eredibus componere ad pars ipſius Eccleſiæ Monaſterio Sancti Juſtiniani, & ad ejuſque Rectoribus, omnibus ſupraſcriptis rebus, quæ ſuperius legitur, in duplum in ferquidem loco ſub extimatione, quales tunc fuerit ..... aurum optimum Libras centum. B Et ſi quislibet homo maſculus vel femina de nos, qui ſupra germani, aut de noſtris generationis, ec omnia, quæ ſuperius legitur, & nos conſtitutum abemus, retollere, minuare, & omnia, quæ ſuperius legitur, adimplere non voluerimus, & ſic nos conſtitutum abemus ſuperius, non adimpleverimus, deleat omnipotens Deus nomen ejus de libro viventium, & cum juſtis non ſcribantur, fiat par ..... Dathan & Abiron, quod aperuit terra os ſuum & deglutivit eos; fiat ſocius cum Anania & Saphira, qui fraudaverunt pecuniam Domini ſui; ſit depenſus cum Simon Magus, qui gratiam Sancti Spiritus vendere voluit; ſit particeps cum C Juda Scariothi, qui ...... cupiditatem vendidit Dominum & magiſtrum ſuum, & cum Diabulo, qui in infernum ligatus eſt; & ſit demerſus de altitudinem cœli in profundum inferni; exinde abeat rationem in die Judicii & maledictionem Dei, & de trecentum decem & octo Patres ſancti; ſit ſeparatus a conſortio omnium juſtorum; & in die Judicii non reſurgat. Et ec cartula offerſionis omni tempore in iſto ordine in ſua permaneat firmitate & robore ſuperſcripta pena & obligationem, quia ſic complacuit animo noſtro, & in tali ordine anc cartula offerſionis Flagipertus Notarius Domni Imperatoris ſcribere rogavimus.

Actum in loco inter Caſtello, qui dicitur Vetrungnano. D

Signum ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ manus ſupraſcriptorum Ughi, & Gherardi, & Teudici, & Guidi, & Rodulfi, ſeu Henrici.

✠ Gottefredus Judex Domni Imperatoris ſubſcripſi.

✠ Signum manus Gezi filio Teuzi, rogatus teſtis.

✠ Signum manus Rolandi filio Opi, rogatus teſtis.

✠ Signum manus Bombelli filio Tegrimi, rogatus teſtis.

✠ Signum manus Carboni filio Ughi, rogatus teſtis.

Flagipertus Notarius Domni Imperatoris poſt traditam complevi & dedi.

Oblatio

Oblatio rerum ſuarum a Cunitio Presbytero facta Monaſterio Sancti Quirici & Sanctæ Mariæ a Moxi. Anno 1043.

IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Dei eterni ; Anno ab Incarnationis ejus Mille Quadrageſimo Tertio , Regnante Domno Enrigo Tertio , Anno Imperii in Italia Sexto , Sexto Chalendas Madii , Indictione Decima . Manifeſtu ſum ego Cunitio Presbitero , filio bone memoriæ Ermingard , quia per anc cartula pro animæ meæ remedium de genitore meo & genitrice mea , offero Deo , & tibi Monaſterio (1) Domini & beati Sancti Quirici & Sanctæ Mariæ , qui dicitur a Moxi , *ideſt omnia ex omnibus terris , vineis , cultis & agreſtis , quantas ego abeo in loco & finibus Valdiperga , ſive longo* Fiumo Fine , *vel a Montione , ſive per aliis locis vel vocabulis , ubicunque abere & poſſidere viſo ſum , & mihi per quacunque ordine mihi libere eſt pertinentes , aut pertinere debent , tamtam ex juro ad parentum meorum , quam e de acquiſito meo , quas mo abeo , vel quod in antea querere debeo , omnia ex omnibus , quæ ſuperius legitur , terris , vineis , cultis , pratis , paſcuis , cultis rebus vel incultis , ſeo cum acceſſionibus & ingreſſoras ſuarum , & tibi Deo , Eccleſia , & Monaſterio beati Sancti Quirici & Sanctæ Mariæ offero pro tali ordine , ut ab hodierna die in ipſius Eccleſiæ & Monaſterio Domini & beati Sancti Quirici & Sanctæ Mariæ , & de ſuiſque Rectoribus tam vita mea , quam & poſt opito meo , ſit , permanead poteſtate de ſupraſcripta omnia , & ex omnibus , quæ ſuperius legitur , quas meis ipſi in Eccleſia & Monaſterio Domini & beati Sancti Quirici offero per animæ meæ remedium , & genitore meo , & genitrice mea , omnia ex omnibus , quæ ſuperius legitur . Et eas præfata Eccleſia & Monaſterio Domini & Sancti Quirici & Sanctæ Mariæ , omnia & ex omnibus , quæ ſuperius legitur , eas abendi , tenendi , imperandi , gubernandi , & nobis eas privato nomine uſufructuandi , & , ſi oportum fuerit , cauſas agendi , querimonia faciendi , reſponſum reddendi , finem ponendi , & modis omnibus vobis eas defenſandi cum cartula offerſionis iſta a pars ipſius Eccleſia & Monaſterio Domini , & Sancti Quirici , & Sanctæ Mariæ , & ſuiſque Rectoribus defenſandi cum cartula iſta , vel qualiter juſta & melius potueritis , & qualiter a pars ipſius Eccleſia & Monaſterio Sancti Quirici & Sanctæ Mariæ data vel tradita fuerit tam in vita mea , quàm & poſt obito meo , ad onore & ſalvitate ipſius Eccleſia & Monaſterio Domini & Sancti Quirici pro animæ meæ ſtabile permanead ſemper . Et ſi aliquando tempore ego , qui ſupra Cunitio Presbitero , vobis aliquando tempore in alico exinde intentionaverimus , aut retolimi vel ſubtrahi queſierimus , nos , vel ille omo , cui nos eas , & omnia ex omnibus quæ ſuperius legitur , dediſſemus aut dederimus , vel ſi per nos minuata fuerimus pro colibet ingenio , a pars ipſius Eccleſiæ & Monaſterio Domini & Sancti Quirici , & ſuiſque Rectoribus defendere non potuerimus , & non defenſaverimus , ſpondeo ego , qui ſupra Cunitio , una cum meis heredibus , componere tibi Eccleſiæ & Monaſterio Sancti Quirici ejuſque Rectoribus de omnia ex omnibus , quæ ſuperius legitur , in ipſius Eccleſia & Monaſterio Domini & Sancti Quirici offero in duplum in ferquidem loco ſup eſtimatione & pena arientum optimum Libras decem . De iſti rebus , quæ ſuperius legitur , omnia ex omnibus tollere vel ſuptraëre aut minuare voluerit , ſit natimeato & maledicto , & ſic deglutineat eos terra , ſicut deglutivit Datam & Abiron , & abeas parte cum Juda traditore , qui tradidit Dominum & Maiſtro ſuum . Quales anc fuerit cum cartula offerſionis me , in tempore permanead firmitate & robore , quia complacui animo meo , & propter onore Sacerdotis meis , nec mihi licea ullo tempore nolle ad me ſemel , quod factum eſt , ſup ſupjurandum inviolabiliter cum ſtipulatione ſubmiſſa , quia tali ordine anc cartula offerſionis me Rodulfus Notario Domni Imperatoris ſeribere rogavi .*

Actum loco & finibus Vada , prope Eccleſia & Plebe Sancti Johannis .

✠ *Ego Cunitio Presbitero in anc cartula offerſionis a me facta , manu mea ſubſcripſi .*

Signum ✠ *manus Bolgareli , filio bonæ memoriæ Cunitii , teſtis .*

Signum ✠ *manus Bolgarello filio Singnoriti da Caldora , teſtis .*

Signum ✠ *manus . . . . . . filio bonæ memoriæ Rodulfi , teſtis .*

Ego Rodulfus Notarius Domni Imperatoris poſt tradita complevi & dedi .

(1) Ut Monaſterii hujus memoria ab oblivione vendicetur , Chartam hanc proferre placuit.

Placitum a Bonifacio Marchione & Duce Tuſciæ habitum, in quo Obizoni Epiſcopo Piſano decernitur poſſeſſio quarumdam terrarum. Anno 1043.

D*Um in Dei nomine ad Via publica ad locus, qui dicitur Carpineto, in judicio reſidebat* Domnus Boneſacio Marchio & Dus *a cauſis audiendas ac deliberandas; adeſſet* ...... *ſacri Palacii* Berno Comes, *Arduino, Vvido* ...... *Opito & Alberto germanis, Lamberto quondam Rolandi, Enrico, & Pagano quondam Petri, Girardo, & Sibectio germani* ...... *veniens preſentia* Opizo (1) Epiſcopus ſanctæ Piſanæ Eccleſiæ *una cum Ildebrando Avocato ſuo, & cepto dicere*: Jam plures vices reclamavit ad vos, Domnus Bonifacio Marchio .... de Bonezo ...... & de Petro germanis & ſuis conſortibus, & de Johannes de Grafignana, & ſuis conſortibus, & de filii quondam Perti, cum ſuis conſortibus ...... Aſprandi, cum ſuis conſortibus, filii Urſi, Buca, & filiis Chunici Buca, cum ſuis conſortibus, & de Pagano filius Rolandi, & de Bonacio, cum ſuis conſortibus, & de Dom ...... cum ſuis conſortibus, & de Lambertu Presbiter, cum ſuis conſortibus, & de Orentu, cum ſuis conſortibus, filius Martini, cum ſuis conſortibus. Qui mihi a pars prædicti Epiſcopj in malo ordine contra ...... & tempus arabilis in loco, ubi dicitur Colle, & in Vale, & in Rivo Malore, unde vos plures Miſſos ex veſtra parte diriſſiſtis, ut ad veſtrum Placitum veniſſe, dicto Epiſcopo de predictis rebus juſtitiam eſſe. Set nequaquam eos ad veſtrum Placitum abere potuiſtis. Unde quero ut vox propter Deum, A & animæ Domni Imperatoris, ac terræ mercedis, & par ipſius ...... pecies de terra, e ſalva querela inviſtiatis, quouſque predictis hominibus ad veſtrum Placitum veniant, & a pars predicto Epiſcopio de jam dictis peciis de terra a juſtitia faciad. *Cum ipſe Opizo Epiſcopus* ...... *recordatus eſt Donus Bonifacio Marchio & Dux, quod ſic eſſet veritas, quod predicto Epiſcopus una cum jam dicto Avocato ſuo aſſeruerit; & tunc per fuſte, quam ſuis tenebat manu* ...... *Epiſcopii de ſupraſcriptis peciis de terra, ſalva querela, inviſtivi quouſque ſupraſcriptis ominibus a ſuum Placitum veniad, & a pars ipſius Epiſcopio de predictis pecies de terra juſtitia faciad. Inſuper* ...... B *auri duo milia, ut nulla quaslibet magna, parvaque perſona pars predicti Epiſcopii de jam dictis pecies de terra ſine legali judicio deſviſtire audeid. Quicunque oc facere preſumpſerit* .... *agnoſcat medietatem Camare Domni Imperatoris, & medietatem Domno Opizo Epiſcopi, ſuique ſucceſſores. Et hanc noticia, qualiter acta eſt, fieri admonuerunt Eriberto Notario ſacri Palacii ex juſſio Domni Bonifacii Marchio & Dux. De Judicum amonitione ſcripſi. Factum eſt oc Anno ab Incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti Milleſimo Quadrageſimo Tertio, Quintode* ...... *Indictione Undecima.*

Ego Bonefacius Marchio & Dux.

....

....

Venditio bonorum facta ab Hugone Comite, filio Theudici Comitis. Anno 1050.

I*N nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, Dei eterni, Anno ab Incarnationis ejuſdem Mille Quinquageſimo Primo, Septimo Calendas Julii, Indictione Octava. Manifeſtus ſum ego* Ugonem Comes, filius quondam Teudici, qui fuit ſimiliter Comes, *quia tu Ildebrando Vicecomes, filius quondam Sicherii, dediſti mihi meritum anulum unum de aurum. Propterea per hanc repromiſſionis paginam repromitto tibi, ut da admodum ſi unquam ullo tempore apparuerit, ullam ſcriptionem, aut ullo meo dato vel factum, ſive datum vel factum ſupraſcripti genitori meo, aut Ermingarde genitrici mea, de tertia portione de omnibus caſis & Caſtellis, terris, & vineis, cultis & incultis integram, quæ ad Erminegarda filia tua, qui ſupra Ildebrando, per donationis cartula, ſcripta ex manibus Bonfilii Notarii Domni Regis obvenit, vel obvenire debet a me ipſo, qui ſupra Ugonem Comitem, jam dictam tertiam portionem integram de prædictis omnibus caſis* C *& Caſtellis, curtis, terris, & vineis, cultis & incultis, & qualiter prædictæ Mingardæ filia tua, qui ſupra Ildebrando per memoratæ donationis cartam obvenit, vel obvenire debet, & in carta ipſa continere dinoſcitur. Unde repromitto ego qui ſupra Ugonem Comitem una cum meis heredes tibi, qui ſupra Ildebrando, vel ad tuo heredes, aut cui ſupraſcripta filia tua dederit, vel habere decreverit, ut dictum; Si unquam ullo tempore apparuerit ulla ſcriptionem aut ullo meo dato vel facto, ſive dato vel facto ſupraſcripti genitori aut genitricis meæ, de omnibus, qui ſuperius leguntur, quæ contra iſtam filia* .... *decreverit, agerint, aut cauſ* .... *moleſtaverint, ſive* D *per placitum fatigaverint* .... *mei eredes ad predicta Ermingarda & ſui heredes* ...... *dederit vel habere decreverit, egerimus aut cauſaverimus vel intentionaverimus, ſive* ...... *rimus atque moleſtaverimus, ſive per placitum fatigaverimus per noſmetipſos vel per ullam* ....

---

(1) Epiſcopum hunc Eccleſiæ Piſanæ datum Anno Ch. 1044. ſcribit Ughellius, & ſediſſe uſque ad Annum 1063. In Archivo Archiepiſcopii Piſani Charta habetur, ſcripta *Anno ab Incarnationis ejus Mille Quadrageſimo quarto, XII. Kal. Julii, Ind. Undecima*, ubi idem Epiſcopus *Oppitio* occurrit. Piſanus ille Annus noſtrum 1043. deſignat.

. . . . mittentem perſonam , cui nos eam dediſſemus aut dederimus , per quolibet ingenio , aut ſi ego , qui ſupra Ugonem Comitem , vel mei heredes ad predicta Ermingarda & ſui heredes , aut cui ipſa dederit vel habere decreverit , aut homini , qui hunc promiſſio per manu habuerit , & cum nobis hoſtenderit , penam argentum optimum Libras duocentum . Quia hæc hordine ſcribere rogavi Ubertum Notarium Donni Regis .

Hactum foras Civitatem Piſam , in Burgo
A
prope Eccleſiam Sancti Felicis .

✠ Signum manus ſupraſcripti Hugoni Comiti , qui hunc promiſſio rogavi fieri .

Signum ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ manus Guidonis, & Gualandi filius quondam Saracini , & Druc . . . . orando , filio Tebaldo , & Sicherii Vicecomitis , & Petri . . . . & Lamberti , quondam Hermingardæ , teſtium .

Ego Ubertum Notarium Donni Regis poſt traditam complevi & dedi .

Donatio quartæ partis ſuorum bonorum facta a Petro filio Vovi Inmillæ Conjugi ſuæ titulo Morgincap. Anno 1056.

IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti , Dei eterni . Anno ab Incarnationis ejus Mille Quinquageſimo Septimo, Septimo Idus Octubris , Indictione Decima . Manifeſtu ſum ego Petrus , filio bonæ memoriæ Vovi , quia per hunc ſcriptum ſecundùm Legem in morincap , (1) dare videor tibi Inmilla , dilecta & amabilis Conius mea , & filia Andreæ , ideſt quartam portionem ex integram de omnia ex omnibus caſis & rebus meis , ideo tam de caſis & rebus domnicatis , quàm & de caſis & rebus maſſariciis cum fundamentis , & omnem edificiis , vel univerſis fabricis ſuis , ſeo de curtis, ortis , terris , vineis , olivis , ſilvis , virgareis , pratis , paſcuis , cultis rebus vel incultis , ſive de movile vel immovile , ſeoque ſemoventibus , tam ſervos , quàm & ancillas , ſin eas , ſive de notriminibus meis majoris vel minoris de quacunque res , ubicunque in qualibet locis vel vocabulis, ubicunque abere & poſſidere viſu ſum, & mibi per quacunque ordine , legibus eſt per-
B
tinentes aut pertinere debentur tam ex jure parentum meorum , quàm & de acquiſito meo , quas modò abeo , vel quod in antea Deo adjubantes legibus acquiſiero , ut dictum eſt , quarta portione abeas tu Inmilla dilecta & amabilis Conius mea in morincap , ſequentes edicti paginam amte parentes & amicos , ut in te firmiter permanead , & in futuro per anc cauſa perjurio non perjurat , & pro confirmatione Teupertus Notarius Domni Imperatoris ſcribere rogavi .

Actum loco & finibus a Fine prope Eccleſiam Sanctæ Mariæ .

Signum ✠ manus ſupraſcripti Petri , qui unc ſcriptum fieri rogavit .

C
Signum ✠ ✠ manus Mori , & Teuti , germani , filii bonæ memoriæ Johanni , teſtis .

Signum ✠ manus Petri , filio Johanni , teſtis .

Ego Teupertus , Notarius Domni Imperatoris poſt traditam complevi & dedi .

Donatio bonorum facta ab Uberto filio Lei Eccleſiæ majori Piſanæ ſeu ejus Epiſcopo Obizoni. Anno 1058.

IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti , Dei eterni . Anno ab Incarnationis ejus Mille Quinquageſimo Nono , Tertio Nonas Januarii , Indictione Duodecima . Sancto autem venerabilis Eccleſiæ & Epiſcopatui Sanctæ Mariæ Piſenſe , ubi nunc Donnus Oppitio Epiſcopus reverentiſſimus preeſſe videtur , ego quidem Uberto , filio bonæ memoriæ Lei , per anc cartula offerſionis , pro animæ meæ remedium, & pro remedio animarum omnium , qui ujus ceptæ rei adjutores extiterint , offero tibi Deo , & a prædicta Eccleſia Epiſcopatui Sanctæ Mariæ , ideſt meam portionem ex integram de Caſtello & Pojo illo , qui dicitur Avvilia , ſeo Curte . . . . . . integram de Eccleſia illa . . . . . dicto Caſtello edificata, cui vocabulum eſt beatæ Sanctæ Mariæ & Sancti Michaëli , & Sancti Martini , & cum meam portionem de omnibus rebus movilibus & immovilibus, quæ a ſupraſcripta Curte ſunt pertinentibus, & eſt ipſo Caſtello & Pojo ſeo Curte poſita infra Comitatu noſtro Piſano . Rebus vero ipſis ideo tam de caſis & rebus domnicatis , quàm & de maſſari-
D
ciis , cum fundamentis & omnem edificiis , vel univerſis fabricis ſuis , ſeo de curtis , ortalias, terris , vineis, olivetis , caſtanietis , quercetis , ſilvis , virgareis , pratis , paſcuis , cultis rebus vel incultis , ſeo piſcariis de omnia & ex omnibus rebus quantas ubique in qualibet locis vel vocabulis , quæ a ſupraſcripto Caſtello , e Pojo, ſeo Curte ſunt pertinentibus , competi exinde mibi de duos portiones quartam portionem, quas mibi per duo cartulæ ſcriptæ ſunt manibus Ugoni & Vuidoni Notarii Domni Imperatoris, ex comparationem opvenit ab Ugo & ad Henricus germani filii bonæ memoriæ Ughicioni , qui fuit Marchio. Jam dictam meam portionem de prædicti rebus in jam dicto loco, & qualiter
E
mibi a ſupraſcripti germani per memoratæ cartulæ ex comparatione opvenit , & in cartule ipſe continere dinoſcitur , ipſa verò meam portionem exinde integram cum inferioribus & ſuperioribus earum , ſeo cum acceſſionibus & ingreſſoras ſuarum, & cum ſupraſcriptæ cartulæ & moniminas , ſeo exemplar exinde pertinentes, quas vos exinde abere & oſtendere potueritis, tibi

(1) Ideſt *Morgincap*. De quo ritu conſulendæ Leges Langobardicæ. De hoc ritu egi & ego in hoc Opere.

tibi omnipotenti Deo, & Eccleſiæ, & Epiſcopatui Sanctæ Mariæ offero, dono, cedo, trado, ut ſint jure proprietario nomine a prædicta Eccleſia & Epiſcopatui abendi, tenendi, ajendi, cauſandi a pars prædictæ Eccleſiæ omni tempore illo Epiſcopus, qui ibidem pro tempore fuerit, vel Avocato prædictæ Eccleſiæ. Et ſi quiſcunque de heredibus meis, aut aliqua perſona pro noſtro ingenio contra anc cartula offerſionis venire tentaverit, aut eam infrangere vel diſrumpere queſierit, per nos met ipſos, vel per ulla noſtraque ſumittente perſona, cui nos eas dediſſemus aut dederimus pro quolibet ingenio, ſpondeo ego, qui ſupra Uberto, una cum meis eredibus, componere a pars prædictæ Eccleſiæ & Epiſcopatui Sanctæ Mariæ, penam aureum optimum Libras centum, & prædicta A res in duplum in ferquidem loco ſub eſtimationem, qualis tunc fuerit; quia in tali hordinem anc cartula offerſionis Cunradus Notarius Domni Imperatoris ſcribere rogavit.

Actum fora juſta muro iſtiu Civitatis prope fluvio Arno.

Signum ✠ manus ſupraſcripti Uberti, qui ac cartula offerſionis fieri rogavi.

Ego Bonitio Judex ſacri Palatii ſubſcripſi.

Signum ✠ manus Raimundi filio bonæ memoriæ Beriti, teſtis.

Signum ✠ manus Martini, filio Johanni, teſtis.

Signum ✠ manu Bonfilii filio bonæ memoriæ Bonitii, teſtis.

Ego Cunradus Notarius Domni Imperatoris poſt tradita complevi & dedi.

Oblatio Caſtelli & Podii Nuvolæ, facta a Bonone & aliis Eccleſiæ Majori Piſanæ, ſive ejus Epiſcopo Obizoni. Anno 1059.

IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, Dei eterni. Anno ab Incarnationis ejus Mille Quinquageſimo Nono, Quinto Calendas Februarii, Inditione Duodecima. Sancto autem venerabilis Eccleſiæ & Epiſcopatui Sanctæ Mariæ Piſenſe, ubi nunc Donnus Oppitio Epiſcopus *reverentiſſimus preeſſe videtur, nos quidem Bonone, filio bonæ memoriæ Johanni, & Pandulfus, qui Contulino vocatur, filio bonæ memoriæ Pandulfi, qui fuit Notarius, & Guntelda jugalis, filia bonæ memoriæ Sighiti, quia conſentientes mihi ſupraſcripto vir meus, ubi es ſecumdum Legem intereſſe videtur noſtra Lamberti Judex ſacri Palatii, a quibus ſecundum Legem interrogata & congnita ſum, eo quod nulla me paſſa ſum violentia, ſet pura & integra mea bona voluntas ſequemter etdicti paginam, comuniter conſentientes mihi ſupraſcripto vir meus, per anc cartula offerſionis, per animæ noſtræ remedium, & per remedium animarum omnium, qui ujus ceptæ rei & adjutores eſtiterunt, offerimus tibi Deo, & a prædicta Eccleſia & Epiſcopatui Sanctæ Mariæ, ideſt noſtram portionem ex integram de Caſtello & Pojo illo, qui dicitur Nuvola, ſeo Curte de prædicto Caſtello, & noſtram portionem de Eccleſiæ illæ, qui ſunt infra ipſo Caſtello edificatæ, cui vocabulum eſt beatæ Sanctæ Mariæ, & Sancti Michaëlis, & Sancti Martini, & cum noſtram portionem de omnibus rebus movilibus & inmovilibus, quæ a ſupraſcripta Curte ſunt pertinentibus. Et eſt ipſo Caſtello & Pojo ſeo Curte poſita infra Comitato noſtro Piſano, rebus verò ipſis ideo tam de caſis & rebus donicatis, quàm & de maſſariciis cum fundamentis & omnem edificiis vel univerſis fabricis ſuis, ſeo de curtis, ortalias, terris, vineis, olivetis, caſtanietis, quercetis, ſilvis, virgareis, pratis, paſcuis, cultis & rebus vel incultis, ſeo piſcareis, de omnia & ex omnibus rebus, quamtas ubique in qualibe locis vel vocabulis, quæ a ſupraſcripto Caſtello & Pojo, ſeo Curte ſunt pertinentibus, competi exinde nobis de duos portionis medietatem, quas nobis per duo cartulæ ſcriptæ ſunt manibus Ugoni & Vuidoni Notarii Domni Imperatoris, ex comparationem opvenit ad* Ugo, *&* ad Henricus germani filii bonæ memoriæ Ughicioni, qui fuit Marchio, *jam dicta noſtram portionem de* B *prædicti rebus in jam dicto loco, & qualiter nobis a ſupraſcripti germani per memoratæ cartule ex comparationem opvenit, & in cartulæ ipſæ continue dinoſcitur. Ipſa vero noſtram portionem exinde integram cum inferioribus & ſuperioribus ſuarum, ſeo cum acceſſionibus & ingreſſoras ſuarum, & cum ſupraſcriptæ cartulæ & moniminas, ſeo exemplar exinde pertinentes, quas vos exinde abere & oſtendere potueritis, tibi omnipotenti Deo & Eccleſiæ, & Epiſcopatui Sanctæ Mariæ comuniter offerimus, donamus, cedimus, tradimus, ut ſint jure proprietario nomine a prædicta Eccleſia & Epiſcopatui abendi, tenendi, agendi, cauſandi a pars prædictæ Eccleſiæ omni tempore illo Epiſcopus,* C *qui ibidem pro tempore fuerit, vel Avocato prædictæ Eccleſiæ. Et ſi quiſcunque de eredibus noſtris, aut aliqua perſona per noſtro ingenio contra anc cartula offerſionis venire tentaverit, aut eam infrangere vel diſrumpere, qui ſi erit per noſm tipſos, vel per ulla noſtraque ſumittente perſona, cui nos eas dediſſemus aut dederimus per quolibet ingenio, ſpondimus nos qui ſupra Bonone, & Pandolfus, & Guntelda jugalibus comuniter una cum noſtris eredibus componere a pars prefatæ Eccleſiæ & Epiſcopatui Sanctæ Mariæ, penam aureum optimum Libras centum, & predicta res in duplum in ferquidem loco ſub eſtimatione, quales tunc fuerit, quia in tali ordinem anc cartula Cumradus Notarius* D *Domni Imperatoris ſcribere rogavimus.*

Actum Piſa.

Signum ✠ manus ſupraſcripti Bononi, qui anc cartula offerſionis fieri rogavi.

Ego Pandolfus vero ipſe & Guntelda comuniter conſentientes, in ac cartula offerſionis ad nos facta ſubſcripſi.

Signum ✠ manus ſupraſcriptæ Gumteldæ, quæ ac cartula offerſionis fieri rogavi.

Ego Lambertus Judex ſacri Palatii interfui.

Ego Enricus Notarius ſacri Lateranenſis Palatii rogatus teſtis.

Signum ✠ manus Ruſtichi, filio bonæ memoriæ Bonitii, teſtis.

Signum ✠ manus Burelli, filio bonæ memoriæ Fedrighi, teſtis.

E *Ego Cumradus Notarius Domni Imperatoris poſt traditam complevi & dedi.*

Charta

Charta venditionis factæ a Rainerio, filio quondam Ughiccionis Marchionis. Anno 1059.

I*N nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Dei eterni. Anno ab Incarnationis ejus Mille Sexageſimo, Decimo Kalendas Auguſti, Indictione Duodecima. Miniſeſtu ſum ego* Raineri, filio bonæ memoriæ Ughicioni, qui fuit Marchio, *quia per anc cartula vindo & trado vobis Vuido filio item Vuidi, & Lanfredi filio bonæ memoriæ Angeldi, ideſt meam portionem ex integram de Monte & Pojo, ſeo Caſtello illo, quæ eſſe videtur, & eſt poſitas in loco, quæ nominatur Muvila, ubi Eccleſia Sanctæ Mariæ, & Sancti Michaëlis Arcangelis, ſeo Sancti Martini eſt conſtructa & edificata; ſeo vindo & trado vobis ideſt meam portionem ex integram de Curte & res illæ maſſaricies, quæ ſunt poſites infra pertinentia de predicta Nuvila, vel in ejus finibus. Rebus vero ipſis, ſeo de curtis, ortalias, terris, vineis, olivetis, caſtanietis, quercetis, ſilvis, virgareis, pratis, paſcuis, ſeo piſcareis, & fluminibus, & Eccleſiis, & cultis vel incultis, ſive de movile vel inmobile, ſeo quæ ſemoventibus tam de ſervos quam & de ancillas meas, ſive de notriminibus meis majoris vel minoris, competi exinde mihi de predicto Pojo & Caſtello, ſeo de jan dicta Curte & res, ſicut superius legitur, tertiam portionem ex integram. Ipſa vero meam portionem exinde integra cum inferioribus & ſuperioribus ſuis, ſeo cum acceſſionibus & ingreſſoras ſuarum, vobis eas vindo & trado. Pro quibus ad vos recepit merito uncie tres de auro per Libras trecentum viginti in prefinito. Unde repromitto ego, qui ſupra Raineri, una cum meis eredibus vobis, qui ſupra Vuido, ſeo Lanfredi, vel ad veſtris heredibus, aut eidem omni, cui vos ſupraſcripta mea venditio dederitis, vel abere decreveritis, ut ſi nos eas vobis aliquando tempore in alicho exinde intentionaverimus, aut retolli vel ſuptragi queſierimus, nos, vel ille omo, cui nos eas dediſſemus aut dederimus per collibet ingenio, & ſi nos exinde autores dare volueritis, & eas vobis ab onnis omines defendere non potuerimus, & non defenſaverimus, ſpondimus nos vobis conponere ſupraſcripta mea venditio in duplum in ferquidem loco ſub eſtimationem, quales tunc fuerit. Sic tamen ſi nos exinde auctores nec defenſores querere nec dare nolueritis, licentiam abeatis abſque noſtra perſona, ſi veſtra fuerit voluntas, exinde cauſas agendi, reſponſum redendi, finen ponendi, modis onnibus vobis eas defenſandi cum cartula iſta, vel qualiter juſta legem melius potueritis; quia in tali ordine anc cartula Lanfrancus Notarius Apoſtolicæ Sedis ſcribere rogavi.*

Actum loco & finibus Nuvila, prope ſupraſcripto Caſtello.

Signus ✠ manus ſupraſcripti Raineri, qui anc cartula fieri rogavi.

Ego Ildebrandus Judex Domni Imperatoris ſubſcripſi.

Signus ✠ manus Raſignani, filio bonæ memoriæ Landolfi, teſtes.

Signus ✠ manus Ughi, filio bonæ memoriæ Opiti, teſtes.

Signus ✠ ✠ manus Carboni & Vuinieldi, germani, filio bonæ memoriæ Surichelli, teſtes.

Signus ✠ manus Pagani filio Vuidi, teſtes

Ego Lanfrancus Notarius Apoſtolicæ Sedis poſt tradita complevi & dedi.

Donatio facta Monaſterio S. Michaëlis in Martuli, ejuſque Abbati Johanni ab Alberto Marchione, filio quondam Obizonis Marchionis. Anno 1061.

IN nomine Domini Dei eterni. Anni ab Incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti Milleſimo Sexageſimo Primo, Tertio die intrante Menſe Februarii, Indictione Quartadecima. Monaſterio Sancti Michaëlis Arcangeli, ſito loco, qui dicitur Martuli, ubi nunc Domnus Johannes Abbas preeſſe videtur, ego quidem Albertus (1) Marchio, filio quondam Opithonis Marchionis, qui fuit genitor meus, de loco & Regno Langobardiæ, quia profeſſus ſum ex natione mea Lege vivere Langobardorum, offertor & donator ipſius Monaſterii, preſens preſentibus dixi: Quiſquis in ſanctis ac venerabilibus locis ex ſuis aliquit contulerit rebus, juxta Auctoris vocem in hoc Sæculo centuplum accipiet, & inſuper, quam melius eſt, vitam poſſidebit eternam. Ideoque ego, qui ſuper Albertus Marchio dono & offero ad predictum Monaſterium, ad jura proprietatis habendum, meam portionem de Curtibus, Caſtris, & Capellis, in quoruncunque honore Sanctorum conſecratæ ſint, & in omnibus rebus territoriis tam donicatis, quàm & de maſſariciis juris mei, & quæ fuerunt juris quondam ejuſdem Genitoris mei. Et ſunt poſitis in locis & fundis, quæ nuncupantur Petriole, Banciola, Capannule, Furcule, Ceſiano, Vico; & de rebus meis, quæ ſunt poſitis juxta fluvium, quæ vocatur Hera, tam infra Curtes & Caſtra, quàm & de foris, per ſingula qualicunque loca poſitæ ſunt, & inveniri potuerint infra Comitatu Lucenſis, & Piſenſis, & Vulterrenſis, & de meis juris rebus ad meam portionem de ſupraſcriptis Curtibus, & Caſtris, & Capellis, infra eoſdem Comitatos pertinere eſſe videtur. In hanc autem predicta offertione de ſupraſcriptis Curtibus, Caſtris, & Capellis atque omnibus rebus territoriis juris mei, qualiter comprehenſum, vel ſuperius dicta, una cum acceſſionibus & ingreſſibus earum, ſeu cum ſuperioribus & inferioribus ſuarum, ut ab hac die in eodem Monaſterio dono & offero, & per preſentem offerſionis ad proprietarium jure ibidem habendum confirmo, faciendum exinde ad partem predicti Monaſterii, aut cui pars ipſius Monaſterii dederit, ſine omni mea, & de heredibus meis contradictione, pro mercede & remedio animæ ejuſdem Opithonis Genitoris mei, & meæ. Quidem expondeo atque promitto me ego, qui ſupra Albertus Marchio, una cum meis heredibus, tibi, qui ſuper Johanni Abbati, ad partem predicti Monaſterii, tuiſque ſucceſſoribus, aut cui vos, vel pars predicti Monaſterii dederit, iſtam offerſionem, qualiter ſuperius legitur, ab omni contradicenti homine defenſare debeamus. Et ſi defendere non potuerimus, aut ſi aliquit exinde pro quovis ingenio inde ſubtrahere queſierimus, tunc in duplum eadem offertionem, ut ſupra legitur, vobis ad partem predicti Monaſterii habendum in conſimilibus locis, aut cui pars predicti Monaſterii dederit, reſtituamus, ſicut pro tempore fuerit meliorata aut valuerit ſub extimatione. Hanc enim cartam, offertionis meæ paginam, Sigefredum Notarium ſacri Palatii ſcribere rogavi, in qua ſubter confirmans, teſtibus, qui obtulerunt, roborandam.

Hactum infra Caſtrum Caſale Majore (2) feliciter.

Signum ✠ manus ſupraſcripti Alberti, qui hanc cartam offerſionis ut ſupra fieri rogavi.

Signum manibus ✠ ✠ ✠ Araimundi, & Octonis, ſeu Adam, legem Langobardorum viventes, rogati teſtes.

✠ Ego qui ſuper Sighifredus Notarius, ſcriptor hujus cartam offerſionis, poſt traditam complevi & dedi.

(1) De hoc ipſo Alberto Marchione Obizonis Marchionis filio egi ego P. I. Cap. XXV. Antiquit. Eſtenſ. is enim Progenitores eoſdem habuit, quos Linea Eſtenſium Marchionum.

(2) In quod Oppidum Eſtenſibus quoque Marchionibus ſuum jus fuiſſe, oſtendi P. I. Cap. VII. Antiquit. Eſtenſ.

Placitum a Godefrido Marchione & Duce Tuſciæ habitum, in quo Widoni II. Epiſcopo Piſano poſſeſſio quorumdam bonorum reſtituitur. Anno 1067.

D*Um in Dei nomine Civitate Piſa in Palatio Domni Imperatoris in judicio reſediſſet* Domnus Gottefredus Dux & Marchio *at cauſas audiendas ac deliberandas*, *reſidentibus cum eo* Bernardus (1) Popolonienſis Epiſcopus, *Ugo, & alio Ugo, & Theodericus, & Vuido, & Gandulſo, & Vuillelmus, & Teudicio, & Seſmundo, & Alberto, Judicibus, Ugo Vicecomes*, Teudici Comes, *Vualfridi filio bone memorie Ardinghi, Ramucci filio bone memorie Vuidi, Lamberto filio bone memorie Rolandi, Beritio filio bone memorie Bernardi, Chumradus, Erimundo, Gherardo, Ugo, Pandolſo, Enrigo, Romanus Notarii, Ildebrando & Cunitio germani filii bone memorie Balduini, Contulino filio bone memorie Palidolfi, Ugo filio bone memorie Teperti, Ruſtico filio bone memorie Dominichi, Albitio filio bone memorie Petri, Leo filio bone memorie Benedicti, Marignano da Faſciano, Teudinus Clericus & Miſſo Domni Regis, & reliquis plures; ibique eorum preſentis adſtans* Vuido (2) Piſanus Epiſcopus, *una cum Eritio Avocato ſuo, cepit dicere*: Abeo & teneo ad partem Eccleſie Epiſcopatui Sancte Marie Piſenſis proprietario nomine duas portiones integras de medietate de Caſtello & Pojo illo, que dicitur Colle, cum Eccleſia illa, cui vocabulum eſt beati Sancti Stephani, & Sancti Donati, ibidem conſtructa, cum duabus portionibus de integra Turre, que infra ipſo Caſtello eſt edificata ex parte occidentali, & cum duabus portionibus integris de Curte illa donicata, que ad ſupraſcriptas portiones de predicto Caſtello & predicta Eccleſia ſeo Turre ſunt pertinentes, cum omnibus rebus cultis vel incultis, caſis vel caſſinis, ſilvis, & pratis, vel paſcuis, que ad ſupraſcripta portione de predicta Curte & Caſtello ſeo Eccleſia ſunt pertinentes, quas quondam Ildebrando filio bone memorie Alcheri per cartula offerſionis dedit predicte Eccleſie Sancte Marie Epiſcopatui, & ipſa cartula ſcripta eſt manu Bernardi Notarii Domni Regis. Similiter abeo & teneo ad predicte Eccleſie Epiſcopatus partem proprietario nomine omnibus caſis & caſſinis, terris, & rebus cultis & incultis, ſive Eccleſia cum omni ſua pertinentia, quas predicto Ildebrando filio bone memorie Alcheri abuit & tenuit infra Curte & Caſtello de Lari, vel in ejus finibus, & ipſe per cartulam offerſionis ſcriptam manu predicti

A Bernardi Notarii dedit predicte Eccleſie Epiſcopatùi Sancte Marie. Et ſi es aliquis omo, qui adverſus predicta Eccleſia, vel nos, aliquit agere vel cauſare inde vult, paratus ſum hic veſtris preſentiis cum eo ad rationem ſtandum, & legitime finiendum. *Et cum taliter ipſe Vvido Epiſcopus una cum Avocato ſuo retuliſſet, & nullus ſe appreſentaſſet, tunc ipſe Domnus Gottefredus Dux & Marchio per fuſtem, quem in ſuis detinebat manibus, miſit bannum Domni Imperatoris ſuper jam dicto Epiſcopo, ejuſque Avocato, & ſuper eiſdem rebus in Mancuſos aureos duo millia, ut nullum quiſlibet omo, magna vel parva perſona, predicte Eccleſie Epiſcopatus partem, neque predicto Epiſcopus,* B *vel ſuus Succeſſore ſine legali judicio diveſtire aut inquietare preſummat. Qui vero fecerit, predicta duo milia Mancuſos aureos ſe agnoſcat eſſe compoſituros, medietatem Imperiali Camere, medietatemque predicti Vvidi Epiſcopi, ſuiſque Succeſſoribus. Et in eo modo finita eſt cauſa, unde hanc notitia per ſecuritatem & futuram oſtenſionem eidem Vvidi Epiſcopi, ſuiſque Succeſſoribus oſtendendam fieri juſſit.*

Quidem & ego Vvido Notarius Domni Regis, ex juſſione ſupraſcripti Domni Gottefredi Dux & Marchio, ſeo Judicum ammonitionem, ſcripſi Anno Dominice Incarnationis Milleſimo Sexageſimo Octavo, Pridie Kalendas Setembris Indictione Quinta,

C

✠ *Ego Ugo Vicecomes interfui.*

Ego Theodericus Judex ſacri Palatii Lateranenſis interfui.

Ego Gherardus Notarius Apoſtolicæ Sedis interfui.

Ego Teudicio Judex ſacri Palatii interfui.

Ego Conradus Notarius Domni Imperatoris interfui.

Ego Glandolfo Judex ſacri Palatii interfui.

D *Ego Albertus Judex ſacri Palatii interfui.*

Ego Sigiſmundus Judex ſacri Palatii interfui.

Ego Romanus Notarius Domni Regi ibi fui.

Ego Erimundus Notarius Domni Imperatoris ibi fui.

---

(1) Populoniæ ſive Maſſæ Epiſcopus, qui diligentiam Ughellii effugit.

(2) Secundus hujus nominis inter Epiſcopos Piſanos. Eum ab Anno 1063. uſque ad 1077. eidem Eccleſiæ præfuiſſe, tradit Ughellius. Ego ipſum invenio Anno 1061. in ea Cathedra ſedentem. Tabulas quippe vidi ſcriptas Anno Piſano *ab Incarnationis ejus Sexageſimo ſecundo, Octavo decimo Cal. Settenbris, Ind. Quartadecima.* Qui Annus nobis eſt 1061.

Fundatio Collegii Canonicorum, facta a Widone II. Epiſcopo Piſano in Eccleſia Sancti Petri ad Vincula in Urbe Piſana. Anno 1072.

IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Dei eterni. Anno ab Incarnationis ejus Milleſimo Septuageſimo Secundo. Quotiens illa a fidelibus & religioſis viris poſtulamus, que ab equitatis ratione non diſcrepant, non ſolùm . . . iunt prohibendi ſeu reſpuenda, verùm etiam libentiſſime & deſideratiſſimè ſunt concedenda. Et . . . . . . ſecundùm dicta ſanctorum Patrum oportet, omnes Chriſtiani nominis profeſſores juſte & pie vivere, maxime verò Sacerdotes & reliquos Dei miniſtros, quibus Populus ejus comiſſus eſt, ut eorum exemplis excitetur ad meliora; ego Vuido ſancte Piſane Eccleſie Epiſcopus, *una cum Clericis & fidelibus noſtris, providi & diſpoſui, Deo annuente, canonice ordinare Eccleſiam Sancti Petri, que dicitur ad Vincula, ſitam juxta hanc Urbem Piſanam, juxta fluvium, qui Arnus dicitur. Quapropter in Dei nomine eligimus & ordinamus in ipſa Eccleſia Sancti Petri, que eſt juris Epiſcopatus noſtri, tales & tales Presbiteros . . . . . . auctore Domino deinceps . . . . . . canonice ſeu regulariter vivant, pro ut oportunitas dederit juxta qualitatem & poſſibilitatem ipſius loci, canonice obedientes mihi, meiſque ſucceſſoribus. Quibus etiam ex noſtra devotione largimur jam dictam Eccleſiam cum adjacenti ſibi Cimiterio, & cum omnibus pertinentiis & adjacentiis ſuis, ſeu cum univerſis rebus, que ipſi Eccleſie modo pertinere videntur, aut in antea adquiſita eſt, quas ibi Dominus dederit. Eo videlicet ordine, ut ipſi, & ſucceſſores eorum cum omnibus ſecum habitantibus libere & quiete jam dictam Eccleſiam cum omnibus, que prediximus, integre teneant & poſſideant, & ibi habitent, remota omni moleſtia & inquietudine noſtra, noſtrorumque ſucceſſorum. Volumus enim & firmiter conſtituimus per hujus noſtri paginam decreti, ut non ſolum jam dicti Clerici, & illorum ſucceſſores cum omnibus ſuis cohabitatoribus, ſicut dictum eſt, habeant & teneant memoratam Eccleſiam cum omni ſua pertinentia, juxta prefatum modum, ſed etiam ſimiliter omnes illi, qui in jam dicta Eccleſia ordinati fuerint, & comunem vitam ducere voluerint, & canonice, ſicut dictum eſt, vixerint, & obedierint mihi, meiſque ſucceſſoribus. Si quis autem Ordinarius* (1) *de ſepe dicta Eccleſia deinceps in antea, Dei judicio, de hoc ſeculo migrarit, & talis Clericus inventus fuerit, qui moribus & officio utilis videatur predicte Eccleſie, illum talem conſtituimus, & omni ſtabilitate confirmamus ſine mala intentione ordinari a proprio Epiſcopo in loco defuncti, abſque pretii vel ullius muneris acceptione. Sed ſi de his, que ſuperius ſunt numerati, aliquis ultra modum ſuperbus contra ſuum Epiſcopum extiterit, & tertio admonitus ſecundùm Domini preceptum, ab incepto malo non ceſſaverit, ſit in poteſtate ſui Epiſcopi faciendi de illo tali quidquid voluerit, tamen ſecundum precepta ſanctorum Patrum. Ut autem hec noſtra decreta & conſtituta, que de me & meis ſucceſſoribus ſuperius dicta ſunt, firmiter in perpetuo maneant, volumus & decernimus, atque cum omni firmitate conſtituimus, ut nulli liceat, ea umquam malo ordine infringere, aut violare. Unde ſi quis Epiſcopus, aut quelibet magna, parvaque perſona memoratam Eccleſiam cum omnibus rebus, que ibi ſunt, aut quas in antea ibi Dominus dederit, atque cum omni pertinentia ſua ab eo miniſterio & opere, ad quod eam conceſſimus, ſubtraxerit, vel malo ordine tulerit, aut invaſerit, ſeu de ordinatione Clericorum aliter, quàm dictum eſt, fecerit, componat auri optimi Libras centum, medietatem Camere Domni Pape, & medietatem illis, quibus injuria illata fuerit, & inſuper perpetuo anathemate irretitus, omni maledictioni ſubjaceat. Ut autem hec verius credantur, manu propria ſubſcribentes, & Sigilli noſtri preſſione firmantes hanc paginam roborari decrevimus.*

(1) Ideſt Canonicus. Mediolanenſis Metropolitanæ Canonici eodem adhuc nomine donantur

Definitio

Definitio litis facta ab Hugone Vicecomite ex juſſu Beatricis Duciſſæ Tuſciæ. Anno 1077.

IN Chriſti nomine. Breve . . . . . . qualiter prope Civitatem Luca intus Palatium . . . . toris preſentia bonorum Judicum, & boneſtorum viritum, qui ſubleguntur . . . . . . con teſtabitur inter Abbatem de Campo Majore, *& generationem de Lopis de terra, que eſt in Veclano, atque in ejus coberentiis & finibus. Cum diu predicta lis ventilata fuiſſet, nec ad finem deduceretur, ad hoc deverunt, & ambe partes uno conſenſu laudaverunt, ut jurejurando ipſi lis finem acciperet. Tunc* Comitiſſa Beatrix (1) *vice ſua reliquit in eodem placito Ugonem Vicecomitem Piſanum ad diffiniendam ipſam litem, quia homines de Veclano erant de ſua poteſtate, & eos bene noverat dijudicare, & quorum fides recipere vel non recipere poſſet. Tunc elegit duos viros bone fidei Bonithum & Johannem, & tactis ſacroſanctis Evangeliis juraverunt, quod de illa terra, unde lis erat in-* A *ter Abbatem de Campo Majore & generationem de Lopis, hoc, quod per veritatem ſciretur, recordaretur publice in preſentia Ugonis Vicecomitis, quando eos inquireret. Inquiſiti ſunt recordati in eodem Placito, quod ſciebant, & audierunt, generationem de Lopis babuiſſe ab Eccleſia Sancti Petri de Campo Majore de illa terra, unde modo lis erat inter prefatum Abbatem & generationem de Lopis ad penſionem quatuor denariorum monſtrandi & non dandi. Et hoc modo finita eſt lis preſentia Guidi Judicis, & Sapiibonis, Signorecti, Johannis, Sigefredi, Judicibus, Seſmundi Cauſidici Piſani, Ubaldi, Ildebrandi, Benni, & reliquorum.*

B *Anno Dominice Incarnationis Milleſimo Septuageſimo Septimo, Menſe Madio, Indictione XV.*

Ego Senjorectus Judex Domni Imperatoris ibi fui.

Charta Gerardi Epiſcopi, ſundantis aut confirmantis Collegium Canonicorum in Eccleſia S. Petri ad Vincula. Anno 1082.

IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Dei eterni. Anno ab Incarnatione ejus Milleſimo Octogeſimo Secundo. Quotiens illa a fidelibus & religioſis viris poſtulamus, quæ ab æquitatis ratione non diſcrepant, non ſolum a nobis non ſunt probibenda ſeu reſpuenda, verùm etiam libentiſſime & deſiderantiſſime concedenda. Et ideo quia ſecundùm dicta Sanctorum Patrum oportet, omnes Chriſtiani nominis profeſſores juſte & pie vivere, maximè verò Sacerdotes & reliquos Dei Miniſtros, quibus Populus ejus commiſſus eſt, ut eorum exemplis excitetur ad meliora; ego Gerardus ſanctæ Piſanæ Eccleſiæ Epiſcopus *una cum Clericis & fidelibus noſtris, prævidi & diſpoſui Deo annuente canonice ordinare Eccleſiam Sancti Petri, quæ dicitur ad Vincula, ſitam juxta hanc Urbem Piſanam juxta fluvium, qui Arnus dicitur. Quapropter in Dei nomine eligimus & ordinamus in ipſa Eccleſia Sancti Petri, quæ eſt juris Epiſcopatus noſtri, Corbum Presbiterum, & Presbiterum* D *Petrum, & alios religioſos Clericos, qui eligendi erant priores ejuſdem Eccleſiæ diſpoſitione & Populi communi conſenſu, ut auctore Deo deinceps in antea canonice ſeu regulariter vivant, prout opportunitas dederit, juxta qualitatem & poſſibilitatem ipſius loci, canonice obedientes mihi, meiſque ſucceſſoribus. Quibus etiam ex noſtra devotione largimur jam dictam Eccleſiam cum adjacenti ſibi Cimiterio, & cum omnibus pertinentiis & adjacentiis ſuis, & cum terris, quas ego Girardus Epiſcopus nunc largitus ſum. Quarum terrarum unum Manſum eſt ſitum in Orticaria, medietas verò alterius Manſi in Ciſanello, & una petia de terra in eodem loco, ſeo cum univerſis rebus, quæ ipſi* E *Eccleſiæ modò pertinere videntur, aut in antea adquiſitura eſt, quas ibi Dominus dederit. Eo videlicet ordine, ut ipſi & ſucceſſores eorum cum omnibus ſecum babitantibus libere & quiete jam dictam Eccleſiam cum omnibus, quæ prædi-* C *ximus, integre teneant & poſſideant, & ibi babitent, remota omni moleſtia & inquietudine noſtra, noſtrorumque ſucceſſorum. Volumus enim & firmiter conſtituimus per hujus noſtri paginam decreti, ut non ſolùm jam dicti Clerici & illorum ſucceſſores cum omnibus ſuis cohabitatoribus, ſicut dictum eſt, habeant & teneant memoratam Eccleſiam cum omnia ſua pertinentia juxta præfatum modum, ſed etiam ſimiliter omnes illi, qui in jam dicta Eccleſia ordinati fuerint, & comunem vitam ducere voluerint, & canonice, ſicut dictum eſt, vixerint. Sed ſi de his, qui ſuperius ſunt numerati, aliquis ultra modum ſuperbus contra ſuum Epiſcopum extiterit, & tertio admonitus ſecundùm Domini præceptum ab incepto modo non ceſſaverit, ſit in poteſtate ſui Epiſcopi faciendi de illo tali, quidquid voluerit, tamen ſecundùm precepta Sanctorum Patrum. Ut autem hæc noſtra decreta & conſtituta, quæ de me & de meis ſucceſſoribus ſuperius dicta ſunt firmiter in perpetuo maneant, volumus & decernimus, atque cum omni firmitate conſtituimus, ut nulli liceat ea umquam malo ordine infringere, aut violare. Unde ſi quis Epiſcopus, aut qualibet magna parvaque perſona memoratam Eccleſiam cum omnibus rebus, quæ ibi ſunt, aut quas in antea ibi Dominus dederit, atque cum omni pertinentia ſua ab eo miniſterio & opere, ad quod eam conceſſimus, ſubtraxerit, vel malo ordine tulerit aut invaſerit ſeu de ordinatione Clericorum aliter,*

(1) Quæ Tuſciam diu rexit auctoritate Ducali. At illa præcedenti Anno 1076. vità ceſſerat: quei ergo illius heic mentio? Fortaſſe pro *Indict. XV.* ſcriptum in authentico erat *Ind. XIV.* neque enim ſupereſt niſi Apographum. Annus autem Piſanus 1077. nobis eſt 1076. Aut illa Hugonem Vicecomitem Judicem hujus cauſſæ delegerat Anno præcedenti, qui præſenti tantum ſententiam tulit.

aliter , quam dictum eſt , fecerit , componat auri optimi Libras centum , medietatem Cameræ Domni Papæ , & medietatem illis , quibus injuria illata fuerit , & inſuper perpetuo anathemate irretitus , omni maledictioni ſubjaceat . Inſuper etiam Clericis prædictæ Eccleſiæ ea , quæ ex decimis ſecundùm Canones eiſdem competunt , firmiter concedimus . Ut autem hæc verius credantur , manu propria ſubſcribentes , & ſigilli noſtri impreſſione firmantes , hanc paginam roborare decrevimus .

Gerardo , & Ugo germani filii Gerardi Comes , teſtes .

A Uguiccione , & Bonio , & Francardo , germani filii Vilane ibi fuerunt .

Ugo Judex filio Ildebrandi Teudicioni , teſtis .

Bonacio filio Marchi, Leo da Noce, & Uberto de Corona , teſtes , & alii plures .

Ego Gerardus omnium Epiſcoporum Sanctæ Piſanæ Eccleſiæ infimus Epiſcopus , in hoc decreto , a me facto, ſubſcripſi .

Fundatio Monaſterii S. Ruſuri , facta a Gerardo Epiſcopo Piſano. Anno 1084.

GErardus , Dei gratia Piſanorum Epiſcopus, ſuperne miſerationis reſpectu ad hoc Eccleſiarum curam ſuſcepimus , ut omnium Deo ſervientium ſolicitudinem habeamus , & libramine equitatis omnibus in neceſſitate poſitis , quantum Deo donante poſſumus , ſubvenire debeamus . Unde notum ſit cunctis noſtris fidelibus , qui Eccleſiam Sancti Ruſuri (1) , quæ pertinet Eccleſiæ & Piſcopatui Sanctæ Mariæ , & eſt fundata & difficata prope littora maris , & juxta flumen Arni , quam ego Gerardus Dei gratia Piſanus Epiſcopus Monaſterium Monachorum eſſe conſtituo , ejuſque regimen & primatum predictæ Eccleſiæ concedo . Nos quaſi quodam privilegio amoris, ſub noſtræ curæ ſtudio , & ſucceſſorum noſtrorum eſſe conſtituo , & omnia , quæ ad eamdem Eccleſiam pertinent aut pertinebunt , ſtabilimus ſub noſtræ tutelæ defenſione . Conſtituo itaque auctoritate noſtra regimini ejuſdem Eccleſiæ Sancti Ruſuri, ut tam ipſa , quàm quæcumque ei ſucceſſerit, habeat poteſtatem omnia bona prædictæ Eccleſiæ regendi & gubernandi ſecundùm Regulam Sancti Benedicti , & quidquid eidem Eccleſiæ antiquitus legaliter pertinuit , ſive quæ ad preſens poſſidere videtur , aut quæ in antea legaliter acquiret , & quæ ego Gerardus Epiſcopus miſericorditer concedo , ſcilicet Eccleſiam unam, cui vocabulum eſt beati Sancti Tropis , cum omnibus rebus , quæ ad eamdem Eccleſiam pertinent , quam ſub regimine predicti Sancti Ruſuri eſſe conſtituo , cum una integra petia de terra, ubi Silva & terra culta & agreſtis, ubi prædictæ Eccleſiæ ſunt conſtructæ & difficatæ , quæ unum caput tenet in foſſa , quæ dicitur Salaria juxta tumulum Marchionis , aliud caput in prædicto flumine Arni , latus unum in mari , aliud latus tenet in Barbaricini , quæ ſimiliter pertinet ſupraſcripto Epiſcopatui . Et ſimiliter concedo quartam portionem de una petia de terra , quæ nominatur Barbaricini tam culta , quàm agreſtis , cui cohæret ab uno capite terra , quæ dicitur Petialonga , ex altero verò capite cohæret foſſa Cucci , latus unum in palude , alterum latus habet in flumine Arni . Omnibus iſtis terris & rebus & cum jam dicta Eccleſia habeant & fruantur abſque noſtra & omnium noſtrorum ſucceſſorum calumnia tam iſta , quàm & quæcumque nos in antea dabimus , aut noſtri ſucceſſores , vel quilibet homines . Hæc igitur omnia , quæ hujus præcepti, decretique noſtri pagina continet , ſecundùm ſcriptum tenorem illeſa ſervanda omnino fore decernimus . Si quis verò Epiſcoporum , Clericorum , Judicum , ac Secularium perſonarum hanc conſtitutionis noſtræ paginam agnoſcens , contra eam venire temptaverit , reum ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat , & niſi illa , quæ male ablata ſunt ab illo , reſtituerit , vel digna penitentia illicite acta defleverit , a Sacratiſſimo Corpore & Sanguine Domini noſtri Jeſu Chriſti alienus fiat , atque in æterno examine diſtrinctæ ultionis ſubjaceat , & ut in præſenti ultione non careat. Conſtituo atque ſpondeo , ut ſi ego vel mei ſucceſſores de omnibus iſtis rebus injuſte tulerimus, vel aliqua ejus bona invaſerimus , niſi juſte emendaverimus , ſi inquiſiti fuerimus , quod componere debeam ego , vel mei ſucceſſores, penam auri optimi Libras centum . Cunctis autem eidem loco juſtitiam ſervantibus ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti , quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant , & apud diſtrictum Judicem præmia æternæ pacis inveniant .

Gerardus indigne Piſanorum Epiſcopus , in hoc decreto a me facto ſubſcripſi .

Signa ✣ ✣ ✣ ✣ manuum Rainerii filius quondam Sichieri , & Oddi quondam Bolgari , & Uberti quondam Rainerii , Germundi quondam Sicherii teſtium .

Hoc factum eſt Anni Domini Milleſimo Octuageſimo Quinto , Tertio Idus Madii , Indictione Septima .

Ego Marignanus Notarius Domni Regis , poſt traditam complevi & dedi .

(1) Fortaſſe Luſorii , ut in Charta ſubſequenti ad Annum 1098.

Daiberti Archiepiſcopi Piſani Charta, per quam in ſacrificiis & orationibus commendandos jubet Fabros, qui ſe liberales præſtant erga Operam, ſive Fabricam Piſanæ Eccleſiæ. Anno 1094.

IN *nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Amen. Quoniam pietatis officio congruit, juſtis humilium ſupplicationibus prebere aſſenſum, & equitatis eſt, ſumme in Domo Dei Prelatos providere, ut quorum carnalia metunt, his ſua impertiant ſpiritualia; ideo ego* Deibertus gratia Dei Metropolis Piſanæ Civitatis Archiepiſcopus (1), *una cum meis Fratribus, Sanctæ Mariæ Dei Genitricis Canonicis, iterum atque iterum Fabrorum humillimis ſupplicationibus impugnatus atque devictus, quia ſponte ſe nobis obligaverunt, daturos Miſſo Sanctæ Mariæ ad Operam Solidos viginti per unumquemque annum Piſe, antequam fabricandi cauſa diſcederent: conceſſi atque diſpoſui, ut eorum nominibus, in Libro Miſſarum noſtræ Matris Eccleſiæ Sanctæ Mariæ conſcriptis, ſemper inter ipſa ſacra Miſſarum ſolemnia, ipſorum memoria fieret a Sacerdotibus pro ſalute animarum & corporum, quamdiu ſue promiſſionis vellent ſervare in nullo imminutum propoſitum. Item conceſſimus & diſpoſuimus eadem de cauſa, ut ſi quid in divinis officiis & miniſteriis intermiſſis offenderint infirmitate vel alia neceſſitate impediti, noſtris orationibus adjuventur. Hæc eadem certis etiam omnibus Fabris concedere ſumus parati, qui ſe nobis, ſicut deſignatum eſt, obligabunt, atque perſolvent. Quod ſi ſpontanee fecerint, ut de Dei miſericordia ſperamus, atque confidimus, omni tempore, Sanctæ Mariæ patrociniis muniti, noſtris etiam adjuti orationibus, ſe promiſiſſe & perſolviſſe gratulabuntur. Item conſtituimus, ut prædicti Fabri ad fabrilia negotia exercenda libere* A *eant, & in fabricis maneant, & ad propria ſecure redeant, ut nullus potens, vel impotens noſtri Archiepiſcopatus eos perturbet, vel violenter aliquid ab eis extorqueat. Quod ſi fortè fecerit, niſi infra triginta dies emendaverit, poſtquam inquiſitus fuerit vel ab Eccleſia iſta, aut ab Operario, ſive ab hujus Civitatis Conſulibus* (2), *qui pro tempore fuerint, nos ex auctoritate Spiritus Sancti, & Beatiſſime Marie Virginis Domine noſtre, & Sanctorum Patrum, & conſilio noſtrorum Fratrum, eum excomunicamus, anathematizamus, & a Sancte Matris Eccleſie gremio perpetualiter ſegregamus.*

B *Hoc factum eſt Anno Dominice Incarnationis Millesimo Nonageſimo Quinto, Tertio Nonas Octobris, Indictione Tertia, preſentia Guidonis Archidiaconi, Benthonis Primicerii, Uberti Presbiteri & Vicedomini, Ugonis Presbiteri & Cuſtodis, & ceterorum Canonicorum, & Lamberti Judicis, Lamberti filii quondam Specioſi, Rainerii, & Sicherii quondam Sicheri de Matto, Henrici quondam Guilielmi de Stephano, & multorum aliorum bonorum hominum.*

Ego Daibertus, Dei gratia Piſane Eccleſie Archiepiſcopus ſubſcripſi.

Ego Bentho Primicerius, factum confirmans, ſubſcripſi.

Ubertus Presbiter, & Vicedominus laudando ſubſcripſerunt.

C *Ego Ugo Presbiter & Cuſtos ſubſcripſi.*

Presbiter Albertus laudando ſubſcribo.

Ego Albertus Diaconus ſubſcribo.

(1) Quare videas, minime ambigendum, quin Metropolitano honore decorata jam fuerit Eccleſia Piſana.

(2) Hinc habes, Civitatem Piſanam jam *Conſulibus* uti cœpiſſe: quæ indicant Urbem illam jam Reipublicæ formam accepiſſe.

Con-

Confirmatio Monaſterii Sancti Luſorii, facta a Daiberto Archiepiſcopo Piſano. Anno 1098.

QUoniam juſtis petitionibus dari oportet conſenſum, idcirco in Dei nomine ego Daibertus Sanctæ Piſanæ Eccleſiæ Archiepiſcopus, *precibus tuis annuens, o venerabilis famula Chriſti*, Dona Grima, *verè Sanctimonialis Dei*, Monaſterium Sancti Luſorii, *ſitum tali loco, ordinatum quondam a deceſſore noſtro Donno Gerardo Epiſcopo, in alodio ſupraſcriptæ Piſanæ Eccleſiæ, ſecundùm diſpoſitionem beati Benedicti Abbatis ad ſervitium Dei, & honorem beati ſupranominati Luxorii, ordino, diſpono, confirmo, quatenus a preſenti tempore Abbatibus, ibi per tempora præponendis, liceat cum Congregationibus ſuis quiete vivere, & ſine aliorum moleſtationibus Cenobiticæ vite operam dare. Non ergo liceat cuiquam, Eccleſiaſticam* B *vel Secularem dignitatem amminiſtranti, Abbas prædicti Monaſterii, vel Monachos ejus inquietare, vel de propoſito ſuo dimovere, vel res, quas nunc poſſidet, vel in futuro juſte poſſidebit auferre, vel diminuere, aut exinde ſupraſcriptos Abbates vel Monachos diſveſtire. Salvo tamen jure ac poteſtate Archiepiſcopo prænominatæ Sanctæ Eccleſiæ, ſi culpa exegerit, in Abbate canonice vindicare, & prout res exegerit, emendare. Si quando autem contigerit, Abbatem in prænominato Monaſterio debere eligi, quem comuni conſenſu congregatio Fratrum eligere voluerint, eligendi liberam habeant facultatem, tamen cum conſilio Archiepiſcopi, eum poſt hoc ordinandum ſibi Abbatem a Piſano Ar-* C *chiepiſcopo canonica ſubjectione cum omni devotione epoſcant. Nullus eis invitis præponatur, niſi, quod abſit, perſonam conſentientem, uti is eorum eligere contendant, quos Archiepiſcopus ſapienter corrigat, & ad viam ſalutis canonice reducat. Neque de alia congregatione eis quiſque præponatur, niſi, quod abſit, nullum in eodem Monaſterio ad id officium conveniens repperiatur. Si quis igitur hanc devotionis noſtræ formulam cognoſcens, eam in aliquo corrumpere aut temerare præſumpſerit, eum a Corpore & Sanguine Dei & Domini noſtri Jeſu Chriſti ſegregatum excomunicatumque maledicimus & anathematizamus, & niſi digna ſatisfactione emendaverit, anathemate maranata condemnamus. Hanc noſtræ devotionis diſpoſitionem pro remedio animarum omnium prædeceſſorum & ſucceſſorum noſtrorum, & pro ſalute animarum noſtrarum confirmamus, & proprio ſigillo noſtro inſigniri juſſimus.*

Hoc factum eſt in camera ejuſdem Archiepiſcopi, Anno Dominicæ Incarnationis ejus Milleſimo Nonageſimo Nono, Nono Kalendas Auguſti, Indictione Sexta.

Ego Daibertus Piſanæ Eccleſiæ ſervus hanc noſtræ conſtitutionis paginam ſubſcribendo firmavi.

Ego Lonbardus ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Subdiaconus interfui & ſubſcripſi.

Ego Bentho Primicerius interfui & ſubſcripſi.

Ego Presbiter Ugo & Cuſtos ſubſcripſi.

Ego Marignanus Notarius Domni Regis, ex juſſione prædicti Domni Archiepiſcopi, ſcripſi.

Daiberti Archiepiſcopi Piſani Charta, per quam Hugonem conſtituit Abbatem in Monaſterio S. Luxorii. Anno 1098.

. . . . ſupernæ miſerationis reſpectu ad hoc Eccleſiarum curam ſuſcepimus, ut omnium Deo ſervientium ſolicitudinem habeamus, & libramine æquitatis omnibus in neceſſitate poſitis, quantum Deo donante poſſumus, ſubvenire debeamus. Unde notum ſit cunctis noſtri D *fidelibus, quod Eccleſia Sancti Luxorii, quæ pertinet Eccleſiæ Archiepiſcopatui Sanctæ Mariæ, & eſt fundata & edificata prope litore maris, & juxta flumen Arni, quam ego Daibertus,* Dei gratia Piſanus Archiepiſcopus *Monaſterium Monacorum eſſe conſtituo, ejuſque regimen & primatum Ugoni . . . . edo, nos quaſi quodam privilegio amoris ſub noſtræ curæ ſtudio & ſucceſſorum noſtrorum eſſe conſtituo, & omnia, quæ ad eamdem Eccleſiam pertinent, aut pertinebunt, ſtabilimus ſub noſtræ tutelæ defenſione. Conſtituo itaque auc. . . . . regimen eidem Eccleſiæ* Ugoni Abbati, *ut tam ipſe, quàm quecunque . . . . . . ſucceſſerit, habeant poteſtatem omnia bona jam dictæ* E *Eccleſiæ regendi & gubernandi ſecundùm Regulam Santi Benedicti, & quidquid eidem Eccleſiæ antiquitus legaliter pertinuit, ſive quæ ad præſens poſſidere videtur, aut quem in antea legaliter adquiret, & quem ego Daibertus Archiepiſcopus miſericorditer concedo, ſcilicet Eccleſiam unam, cui vocabulum eſt beati Sancti Turpis, cum omnibus rebus, quæ ad eamdem Eccleſiam pertinent, quam ſub regimine prædicti Sancti Luxorii eſſe conſtituo, cum una integra petia de terra, ubi Silva, & terra culta & agreſtis, ubi prædictæ Eccleſiæ ſunt conſtructæ & ædificatæ, quæ unum caput tenet in Foſſa, quæ dicitur Salaria juſta tumulum Marchionis, aliud caput tenet in prædicto flumine Arni, latus unum tenet in mari, aliud latus tenet in Barbaricini, & quantum in prædictis finibus jure proprietario pertinere videtur . . . . Archiepiſcopatus Sanctæ Mariæ. Et ſimiliter concedo . . . . Eccleſiæ Archiepiſcopatus Sanctæ Mariæ de una petia de terra, quæ vocatur Barbaricini tam culta, quàm & agreſtis, cui . . . . capite, quæ dicitur Petiolonga, & ex alio verò capite . . . . Foſſa Cucci, latus unum in padulo, alterum verò latus habet in flumine Arni. Omnibus prædictis terris & rebus, & cum jam dicta Eccleſia habeant & fruantur abſque noſtra, & omnium noſtrorum ſucceſſorum calumnia tam iſta, quàm & quæcunque nos in antea dabimus, aut noſtri ſucceſſores, vel quilibet homines. Hæc igitur omnia, quæ hujus præcepti, decretique noſtri pagina continet, ſecundùm ſcriptum tenorem illæſa adque ſervanda omnino fore decernimus. Si quis verò Epiſcoporum, Clericorum,*

rum, Judicum, hac Secularium perſonarum, hanc noſtræ conſtitutionis paginam agnoſcens, contra eam venire tentptaverit, reum ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcit, & niſi illa, quæ male ablata ab illo, reſtituerit, vel digna penitentia illicite acta defleverit, a ſacratiſſimo Corpore & Sanguine Domini noſtri Jeſu Chriſti fiat, atque in eterno examine diſtrictæ ultionis ſubjaceat, & ut in præſenti ultionis non careat. Cunctis autem eidem loco juſtitiam ſervantibus ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & ad pium deſtrictum Judicem præmia æternæ pacis inveniant.

Anno Dominicæ Incarnatione ejus Milleſimo A *Nonageſimo Nono, Nono Kalendas Auguſti, Indictione Sexta, hoc factum eſt infra Clauſtra Sanctæ Mariæ.*

Ego Daibertus Piſanæ Eccleſiæ Servus, hanc noſtri privilegii paginam ſubſcribendo firmavi.

Signa ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ *manuum Gualandelli filius Gualandi, & Sicherius filius quondam Siceri, & Lambertus quondam Gualfredi, & Albertini quondam Meli, & Raimundi quondam Ermingbi, & Pandulfi quondam Gerardi, teſtium.*

Ego Marignanus Notarius Domni Regis, ex juſſione jam dicti Archiepiſcopi Domni Daiberti hoc decretum ſcripſi.

Conſtitutio Morgincap, ſive donatio propter Nuptias, facta Bertæ ab ejus viro Cara-coſa. Anno 1099.

IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Dei eterni. Anno ab Incarnationis ejus Mille Nonageſimo Nono, Tertio Nonas Auguſti, Indictione Septima. Manifeſtu ſum ego Caracoſa, filius quondam Vuidi, quia per unc ſcriptum, ſecundùm Legem in Morincap, dare videor tibi Berta dilecta & amabile conjuce mea, & filio Botrioni, quartam portionem integram de homnibus caſis & terris & rebus, vel ſupſtantiam meam ideo tam de caſis, & rebus donicatis, quàm & de caſis & rebus maſſariciis cum fundamentis & homnem edificiis, vel univerſis fabricis ſuis, ſeo de curtis, hortis, terris, vineis, olivis, ſilvis, virgareis, pratis, paſcuis, cultis rebus vel incultis, ſeo de movile vel immovile, ſeo qui ſemoventibus tam de ſervos, quàm & de ancillis meis, ſive de notriminibus meis, majores vel minores, de quacunque res, ubicunque in qualibet locis vel vocabulis ubicunque abere & poſidere viſo ſum, & mibi per quacumque ordinem leibus eſt pertinentes, aut pertinere debent, tam ex jura parentum meorum, quàm & de aquiſito meo, quam modo abeo & poſideo, vel quod innante ad Deo ajubante leibus aquiſiero, ut dixi, de homnia quar- B *ta portionen abeas tu jam nominata Berta dilecta & amabile conjuce mea in Morincap ſequemter Edicti painan ante parentes & amicos, ut in te firmiter permanead, ut in futturo pro a cauſa perjurio non percurrat, & per confirmationen, quia in tali hordinen ſcribere rogavi Sifredus Notarius Domni Imperatoris.*

Actum Monte Piſano.

Signum ✠ *manus ſupraſcripti Cara-coſe, qui unc ſcriptum fieri rogavi.*

Ego Flaipertus Judex & Miſſus Domni Imperatoris ſubſcripſi.

Signa ✠ ✠ ✠ ✠ *manuum Benedicti filius quondam Jonii, & Siſmondo filio Bonii, & Ildebrando quondam Jundi, & Homodei filio Benedicti, teſtium.* C

Ego Sifredus Notarius Domni Imperatoris poſt traditam complevi & dedi.

Supraſcripti Cara-coſe promiſſio in te Botirione, quod non abet appariſcere, nec meo dato, nec meo facto, de genitor meus, nec de genitrice mea, de supraſcripta quartan portionen, que ſuperius legitur, a pena arientum obtimum Libras cemtum ad ſupraſcriptos teſtes.

Concordia inter Hugonem & Lotharium Comites, filios Uguiccionis quondam Marchionis, & Bentium Priorem Eccleſiæ S. Mariæ de Fine. Anno 1104.

A IN *nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, Dei eterni. Anno ab Incarnatione ejus Milleſimo Centeſimo Quinto, ipſa die Kalendas Junii, Indictione Duodecima. Manifeſti ſumus nos* Ugonem & Loterium Comiti, filiis quondam Ughicionis (1), qui fuit ſimiliter Comite, *quia tu Bentio, Prior de Eccleſia Dei, & beate Sancte Marie, que dicitur a Fine, dedit mihi merito Amgelo Presbiter pro tua perſona anulum unum de auro. Preteream per anc repromiſſionis paginam repromittimus tibi, ut damodum in anteam nos, neque noſtro herede, neque noſtro Miſſo, neque noſtra ſummiſſa perſonam, non ofendimus tibi, neque ad tuos ſucceſſores, de caſis & terris, que fuerunt quondam Vuidi de filius quondam Raginerii, & ſunt poſito in loco & finibus Petretulo, & Monte Morone. Que ad predicta Eccleſia inde non ofemdimus per nullo modo ingenium. Unde repromittimus nos, qui ſupra Ughonem & Loterium germani, una cum noſtris heredibus tibi, qui ſupra Bentio Prior de ſupraſcripta Eccleſia, vel ad tuos ſucceſſore; & ſi taliter non fecimus & non adimpleverimus, ſicut ſupra promiſimus per collibet ingenio, ſpondemus nos, qui ſupra, germani una cum noſtris heredibus componere tibi, qui ſupra Bentio Prior, vel ad tuos ſucceſſores, aut egidem homini, qui unc promiſſio per manibus abuerit, & eum nobis opſtenderint, pena arientum obtimum Libras vimti, quia in tali hordinem ſcribere rogavimus Sifredus Notarius Domni Imperatoris.*

Actum Piſa.

Signus ✠ ✠ manus ſupraſcriptorum de Ugonen & Loterius germani, qui unc promiſſio fieri rogaverunt.

B *Signus ✠ ✠ ✠ manus Bernardi filius quondam Rotti, & Viviano quondam Vuidi, & Germondo quondam Gerardi, teſtium.*

Ego Sifredus Notarius Domni Imperatoris poſt traditam complevi & dedi

Paſchalis II. Papæ Bulla pro Benedicto Abbate Monaſterii S. Salvatoris in Moxi. Anno 1106.

PAſchalis *Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilecto filio* Benedicto Abbati Monaſterii Sancti Salvatoris, quod ſitum eſt in loco, qui Moxi dicitur, C *ejuſque ſucceſſoribus regulariter promovendis in perpetuum. Pie poſtulatio voluntatis effectu debet proſequente compleri, quatenus & devotionis ſinceritas laudabiliter eniteſcat, & utilitas poſtulata vires indubitanter aſſumat. Quia igitur dilectio tua ad Sedis Apoſtolice portum confugiens, ejus tuitionem devotione debita requiſivit nos ſupplicationi tuæ clementer annuimus,* & beati Salvatoris Monaſterium, *cui Deo auctore preſides ſub tutela Apoſtolicæ Sedis excipimus. Per præſentis igitur privilegii paginam Apoſtolica auctoritate ſtatuimus, ut quecunque predia, quecunque bona poſſeſſione legitima ad idem Monaſterium in preſentiarum pertinere videntur, ſive in futurum* D *largiente Domino, conceſſione Pontificum, liberalitate Principum, vel oblatione fidelium, juſte & canonice poterit adipiſci, firma tibi, tuiſque Succeſſoribus, & illibata permaneant. In quibus hæc propriis viſa ſunt nominibus exprimenda, videlicet Eccleſiam Sanctæ Mariæ cum portione Curtis Dolie: Eccleſiam Sancti Laurentii cum portione Curtis Raſiniane: Eccleſiam Sancti Fridiani, & Sancti Nicolai cum portione Caſalis Inſtuli: in Podio Eccleſiam Sanctæ Mariæ: in Paterno Eccleſiam Sancti Michaëlis. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat idem Cenobium temere perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, vel temerariis vexationibus* E *fatigare; ſed omnia integra conſerventur eorum, pro quorum ſubſtentatione & gubernatione conceſſa ſunt, uſibus omnimodis profutura. Obeunte te nunc ejus loci Abbate, vel tuorum quorumlibet Succeſſorum, nullus ibi qualibet ſureptionis aſtutia ſeu violentia preponatur, niſi quem Fratres comuni conſenſu, vel Fratrum pars conſilii ſanioris, vel de ſuo vel de alieno, ſi oportuerit, collegio providerint eligendum. Sane ſepulturam ejuſdem loci omnino liberam eſſe decernimus, ut eorum, qui illic ſepeliri deliberaverint, devotioni & extreme voluntati, niſi forte excomunicati ſint, nullus obſiſtat. Nec Epiſcopo facultas ſit, aut Monaſterium ipſum, vel Eccleſias præter culpam interdicere, aut novis exactionibus pregravare. Porro laborum ipſorum Decimas preter quarumlibet perſonarum contradictione vobis concedimus poſſidendas. Si qua enim Eccleſiaſtica, Seculariſve perſona hanc noſtre conſtitutionis paginam ſciens, contra eam venire temptaverit, ſecundo, tertiove commonita, ſi non ſatisfactione congrua emendaverit, poteſtatis, honoriſque ſui dignitate careat, reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & a ſacratiſſimo Corpore ac Sanguine Dei & Domini Redemptoris noſtri Jeſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtricte ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem loco juſta ſervantibus, ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti, quatenus & hic fructum bone actionis percipiant, & apud diſtrictum Judicem premia eterne pacis inveniant. Amen, amen, amen.*

Ego Paſchalis Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Datum Florentiæ per manum Johannis Sancte Romane Eccleſie Diaconi Cardinalis ac Bibliothecarii, Tertiodecimo Kalendas Octubris, Indictione Decimaquinta, Incarnationis Dominicæ Anno Milleſimo Centeſimo Sexto.

(1) *Ughicionis*, qui non ſolum fuit Comes, ſed etiam Marchio Tuſciæ.

Charta

Charta, per quam Hugo Comes, filius quondam Uguiccionis Comitis, vendit portionem bonorum Girardo Abbati Monaſterii S. Benedicti de Morrona, cum pacto recuperandi. Anno 1109.

IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, Dei eterni. Anno ab Incarnatione ejus Milleſimo Centeſimo Nono, Octavo Idus Aprelis, Indictione Secunda. Manifeſtus ſum ego Ugo Comes filius quondam Ughicionis Comitis, *quia per hanc cartam vendo & trado Eccleſiæ &* Monaſterio Domini, & Sanctæ Mariæ, Sanctique Benedicti, *quæ eſt conſtructa & edificata* prope Morronam, *in qua* Girardus gratia Dei Abbas *& Rector conſiſtere videtur, videlicet medietatem integram de tota mea portione de Aquiſiana Curte cum alia medietate de tota mea portione de Caſtello, quot nominatur Vivarium, cum tota virtute & eorum diſtrictu, & cum omni jure & hactionibus, ſeu omni earum pertinentia, excepto & antipono Caſtellum de Sancta Lucia cum Curte ejuſdem Caſtelli. Predictam verò integram medietatem de mea portione de ſupraſcripta Aquiſiana Curte & de ſupraſcripto Caſtello de Vivario cum omnibus Caſis & Caſſinis ſeu Caſalinis, ſimulque terris & rebus vel ſubſtantiis meis. Ideo tam de Caſis & rebus donicatis, quam & de maſſariciis cum fundamentis & omnibus edificiis, vel univerſis fabricis earum, ſeu cum curtis, ortis, terris, vineis, olivis, ſilvis, virgareis, pratis, paſcuis, cultis rebus vel incultis, ſive de mobilibus vel immobilibus, ſeuque ſe moventibus, ſive de nutriminibus meis majoris vel minoris, de quibuſcunque rebus & ubicunque in qualibet locis vel vocabulis, & ubicumque habere & poſſidere viſus ſum infra ſupraſcriptam Curtem, & ſupraſcriptum Caſtellum, & mihi per quemcumque hordinem legibus ſunt pertinentes, aut in antea pertinere debentur tam de jure parentum meorum, quam & de acquiſitu meo, quomodo habeo & poſſideo, vel quot in antea Deo adjuvante legibus adquiſiero, infra ſupraſcriptam Curtem, & ſupraſcriptum Caſtellum, una cum omnibus cartis & brevibus, ſeu judicatis, vel quibuslibet literarum ſcriptionibus, quante & quales in me miſſe aut date ſunt, vel pertinentes, aut undecunque eſſe inveniuntur, ut dictum eſt, ſupraſcriptam medietatem de tota mea portione de ſupraſcripta Curte & de ſupraſcripto Caſtello, in integrum cum inferioribus & ſuperioribus ſuis, ſeu cum finibus & ingreſſibus earum, tibi ſupraſcriptæ Eccleſie & Monaſterio integram medietatem vendo & trado. Pro qua noſtra venditione & traditione recepi meritum ab Gerardo Abate & Rectore ſupraſcriptæ Eccleſie unum par pellium in preſinito. Unde repromitto ego, qui ſupra Ugo Comes, una cum meis heredibus tibi ſupraſcriptæ Eccleſiæ, tuiſque Rectoribus, aut eidem homini, cui vos ſu-*
A *praſcriptam meam venditionem & traditionem dederitis vel habere decreveritis, ut ſi nos vobis eam aliquando tempore in aliquo exinde intentionaverimus, aut retolli vel ſubtragi queſierimus nos, vel ille homo, cui nos eam dediſſemus aut dederimus, per quotlibet ingenium, & ſi nos exinde auctores dare volueritis, & eam vobis ab omni homine defendere non potuerimus & non defenſaverimus, ſpondimus nos vobis componere ſupraſcriptam meam venditionem in duplum in ferquido loco ſub eſtimatione qualis tunc fuerit. Sic tamen ſi nos exinde auctores nec defenſores queſiti non fuerimus, licentiam habeatis abſque noſtra perſona, ſi veſtra fuerit voluntas exinde cauſam agendi, reſponſum reddendi,*
B *finem ponendi, modis omnibus vobis eam defenſandi cum Carta iſta vel qualiter juxta legem melius potueritis, & in tali hordine hanc Cartam Guidonem Notarium ſacri Palatii ſcribere rogavimus.*

Hactum Pancule juxta Eccleſiam Sancti Petri infra Plebe de Cellule in Comitato Vulterrano.

Signum ✠ manus ſupraſcripti Ugonis Comitis, qui hanc Cartam fieri rogavit.

Signa manuum ✠ ✠ ✠ Gerardi filii quondam Ugonis, & Henrici filii quondam Villani, & Ugonis filii ſupraſcripti Gerardi, teſtium.

Guido Notarius ſacri Palatii poſt traditam complevit & dedit.

C *Iſta Carta facta eſt eo tenore, quod ſi ego, qui ſupra Ugo Comes legittimum filium vel filiam habuero, & nos tibi ſupraſcripte Eccleſie & Monaſterio, aut Rectori ad utilitatem ipſius Eccleſie per nos, aut per Miſſos noſtros reddidimus Libras quadraginta de bonis Denariis expendibiles de Moneta de Luca, ſupraſcripta Carta ſit inanis & vacua, & in noſtra deveniat poteſtate. Et dum ego legittimum filium vel filiam habuero, & forſitan ipſas Libras de bonis Denariis expendibiles de Moneta de Luca vobis reddere non potuerimus, aut noluerimus, tunc ſtatim præfata Eccleſia habeat iſtam medietatem predicte rei, donec nos, vel noſter Miſſus predictas Libras de bonis Denariis eidem*
D *Eccleſie & Monaſterio reddiderimus. Et ſi ego ſine legittimo filio vel filia mortuus ero, vel ſi habuero, & ante legittimam etatem ſine legittimo filio vel filia mortuus fuerit, tunc volo & irrevocabiliter firmo, ut omnia, que ſuper leguntur, cum alia medietate de iſta Curte & iſto Caſtello, quam in mea reſervavi poteſtate, ſint jure proprietario ſupraſcripte Eccleſie, nomine oblationis, pro remedio anime mee & parentum meorum abſque omni calumnia.*

Venditio Caſtelli & Curtis de Montemaximo, facta a filiis Ubaldi, Petro Epiſcopo, & Conſulibus Piſanæ Civitatis. Anno 1109.

IN nomine Sancte & Individue Trinitatis. Anno Incarnationis Dominice Milleſimo Centeſimo Decimo, Tertio Idus Decembris, Indictione Tertia. Manifeſti ſumus nos Lambertus & Wilicione atque Rainulfus, germani filii quondam Ubaldi, nec non & Gaſdia uxor ſupraſcripti Lamberti, & filia quondam .... & Armellina uxor ſupraſcripti Wilicioni, & filia quondam Rainerii, ubi intereſſe videtur notitiam Boni, Judicis ſacri Palatii Lateranenſis, a quo ſecundùm leges interrogate, & cognite ſumus, nullam pati violentiam, ſed pura & integra noſtra bona voluntate ſecundùm edicti paginam, comuniter & legaliter dato conſenſu, per hanc cartulam venumdamus & tradimus vobis Petro (1) Epiſcopo ſancte Piſane Eccleſie, *& Ildebrando, atque Gerardo, Teperto, & Leoni* Conſulibus Piſanis, *& Wìdoni, atque Rainerio, germanis filiis quondam Rainerii, Caſtellum & Pojum de Montemaximo, qui dicitur Ortale, cum Curte ejus, & cum omnibus rebus & pertinentiis ad eumdem Caſtellum & Pojum, & Curtem pertinentibus. Ut omnia, que ſuperius leguntur, cum inferioribus & ſuperioribus, ſeu cum finibus & ingreſſibus ſuis, & cum omni jure & actione ſua, ſit in poteſtate veſtra, qui ſupra Epiſcopo, & Conſulibus, atque germanis proprietario jure. Quam noſtram venditionem ſi nos, qui ſupra, jugales, & jam dicto Rainulfo, vel noſtri heredes, ſive cui nos dediſſemus, aut dederimus, retollere vel minuere queſierimus per aliquod ingenium tibi, qui ſupra Epiſcopo & Conſulibus atque germanis, vel veſtris heredibus, aut cui vos eam dederitis, vel habere decreveritis, & eam vobis ab omni homine defendere non potuerimus, & non defenſaverimus, ſpondemus nos vobis componere ſupraſcriptam noſtram venditionem & traditionem in duplum in ferquido loco ſub eſtimationem, qualis tunc fuerit. Unde a vobis qui ſupra germanis, & ab Ildebrando Judice pro perſona Epiſcopi, & ab Ildebrando & Teperto Conſulibus anulum aureum pro perſonis veſtris, & predictorum Conſulum recepimus in prefinito. Et in tali ordine hec ſcribere rogavimus Ubertum Notarium.*

Actum in Burgo ſupraſcripti Ortalis.

Signa ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ *ſupraſcriptorum jugalium, & jam dicti Rainulfi, qui hanc cartulam comuniter & conſentientes rogaverunt fieri.*

Ego Bonus ſacri Lateranenſis Palatii Judex interfui.

Signa ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ *manuum Gerardi Vicecomitis filii quondam item Gerardi Vicecomitis, & Petri quondam Albizonis, & Athi quondam Marignani, & Leonis de Vicedomino, & Heinrici, & Rodulfi germani quondam Walfredi, & Alberti quondam Lanfranchi, teſtium.*

Ego Ubertus Notarius poſt tradita complevi & dedi.

Iſta Cartula facta eſt eo tenore, quod ſi predicti germani Wido & Rainerius, aut eorum Miſſus, poſtquam nos per bonam fidem jurabimus de Predio de Pandojano, parati fuerint dare & perſolvere ab his Kalendis Januariis proxime venturas, nobis predictis, vel ad Miſſo noſtro, aut prefato Archiepiſcopo & Conſulibus, bonorum Denariorum Lucenſium expendibilium Solidos quatuordecim millia, aut alias res, que nobis placeant, aut per tres terminos, aut omnes ſimul, ita tamen quod ſi predictos Denarios per tres terminos ſolverint, dent eos in poteſtate predicti Epiſcopi & Conſulum. Si verò totos ſimul perſolvere parati fuerint, nobis exſolvant, aut Miſſo noſtro. Qui ſi taliter parati facere fuerint, aut ſi per eos non ſteterit, vel factum fuerit, quominus id fiat, & nos noſtram portionem de Pojo & Caſtello de Pandojano, cum noſtra Curte de Parrana, cum omnibus pertinentiis ſuis, & cum omni jure, & actione, que nobis inde quocunque modo pertinent, per bonam fidem reddiderimus, & eos in vacuam poſſeſſionem introduxerimus, & in poteſtate eorum penitus deliberabimus, ſicut in Cartula, quam nos eis fecimus, continetur, iſta Cartula ſit inanis & vacua; & in noſtra deveniat poteſtate. Quod ſi taliter nobis parati facere fuerint, aut ſi per nos ullo modo ſteterit, vel aliquo noſtro malo ingenio, vel fraude factum fuerit, quominus id fiat, nos aut predictam noſtram portionem de Pojo & Caſtello de Pandojano, & Curtem de Parrana non reddiderimus, ut dictum eſt, habeatis vos predicti germani, veſtrique heredes, aut cuicunque dederitis predictum Caſtellum de Ortale & Curte, nomine proprietario ad faciendum exinde quicquid volueritis abſque omni calumnia. Videlicet ſi centum Solidos inſuper nobis perexſolveritis, aut ſi per nos ſteterit, & eos conſignatos depoſueritis, & inſuper venditionis Cartulam, quam fecimus, & ipſa traditio de Pandojano in vos firma & ſtabilis permaneat, & nullo unquam careat effectu. Hec omnia cum proprio firmavimus ſacramento, & omni privilegio vel juri, quod nobis contra hec competere potuiſſet, renuntiamus. Nos etiam Caſtellum & Curtem predicti Ortalis a vos precario poſſidentes, ſpopondimus nos nomine penſionis exſolvere Denarios ſex in menſe Auguſti in veſtra Curte de Montemaximo vobis, vel ad Miſſo veſtro per nos, vel per Miſſo noſtro, & alios ſex Epiſcopo & Conſulibus, & proinde ad defendendum, qui per manum tenet a pena quingentas Libras argenti optimi ſupraſcripto datare, meritum, & teſtes.

(1) *Petro Epiſcopo*, qui infra appellatur *Archiepiſcopus*. Animadverte, Caſtellum hoc venundari tam Archiepiſcopo quam Conſulibus. Id factum puto, aut quod eo tempore Archiepiſcopus particeps erat regiminis temporalis in Piſana Civitate, aut quod hæc acquirerentur Operæ Piſanæ Eccleſiæ. Quod & a ſubſequentibus Actis deduci poſſe videtur.

Venditio ejuſdem Caſtelli & Curtis de Montemaximo, facta ab aliis condominis eidem Petro Epiſcopo, & Conſulibus Piſanis. Anno 1109.

IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Dei eterni. Anno ab Incarnatione ejus Milleſimo Centeſimo Decimo, Tertio Idus Decembris, Indictione Tertia. Manifeſti ſumus nos Vuido, que Malaparita vocatur, & Rainerius, que Pallo vocatur, germanis filiis quondam Rainerii, & Giſdia mulier predicti Widi, & filia quondam Gerardi, & Suffia mulier predicti Rainerii, & filia Petri, quia comuniter & conſentientes, ubi & ſecundùm Lege intereſſe videtur notitia Ildibrandi Judicis, ad quod ſecundùm Lege interrogate & cognite ſumus nobis, quod nullam paſſe ſimus violentiam, ſed pura & integram bona voluntate ſequenter etdicti paginam comuniter & conſentientes, per hanc Cartulam venumdamus & tradimus vobis Lanberto & Guilicione & Rainulfo germanis filiis quondam Ubaldi, & Petro Archiepiſcopo Piſenſe, *& Ildibrando & Teperto* Conſulibus, *ideſt Curtem & Caſtellum noſtrum, quod dicitur Montemaximo cum . . . . pertinentiis & jacentiis, quæ ad predicta Curte & Caſtellum eſt pertinentes vel aſpicientes, ut dictum eſt, predicta Curte & Caſtellum, ſicut ſuperius leguntur, in integrum cum inferioribus & ſuperioribus ſuis, ſeu cum acceſſionibus & ingreſſoris ſuas vobis eis comuniter & conſentientes venumdamus & tradimus, & per ſupraſcriptam noſtram venditionem & traditionem recepimus meritu da predicto Guilicione . . . . pro perſona fratrum ſuorum, & da Ildibrando Judice pro perſona Archiepiſcopi, & Conſulum anulo uno de auro in prefinito . . . . qui ſupra jugalibus comuniter & conſentientes, una cum noſtris eredibus vobis, qui ſupra germanis, & Archiepiſcopus & Conſulibus, vel ad veſtris ered. . . . . cui vos ſupraſcripta noſtra venditionem & traditionem dederitis, vel abere decreveritis, ut ſi nos vobis eas aliquando tempore in alico exinde intentionaverimus, aut retolli vel ſuptragi queſierimus, nos vel ille omo, cui nos eas dediſſemus, aut dederimus per quolibet ingenium. Et ſi nos exinde auctores dare volueritis, & eas vobis ab omnibus hominibus defendere non potuerimus & non defenſaverimus, ſpondimus nos vobis conponere iſta noſtra venditionem & traditionem in duplum in ferquidem loco ſub eſtimationem quales tunc fuerit. Sic tamen ſi nos exinde auctores nec defenſores querere nec dare volueritis, licentiam habeatis apſque noſtram perſonam, ſi veſtra fuerit voluntas, cauſa exinde agendi, reſponſum reddendi, finem ponendi, modis homnibus vobis eas defenſandi cum Carta ipſa, vel qualiter juſta Lege melius potueritis, quia in tali ordine & Carta Albertus Notarius ſcribere rogavimus.*

Actum loco & finibus Parrana infra ipſo Caſtello.

Signa ✠ ✠ ✠ ✠ manuum ſupraſcripti Widi, & Rainerii germanis & Gaſdie, & Suſie jugalibus, qui comuniter & conſentientes anc Carta fieri rogaverunt.

Signa ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ manuum Gerardi Vicecomitis & Acthonis quondam Marignani, & Petri quondam Albithi, & Rodulfi quondam Walfredi, & Ildibrandi quondam Ildibrandi teſtium.

Ego Ildebrandus Judex ſacri Palatii Lateranenſis interfui & ſubſcripſi.

Ego Rainerius Cauſarum patronus interfui & ſubſcripſi.

✠ Ego Bernardus Cauſidicus interfui.

Ego Albertus Notarius Donni Regis poſt tradita complevi & dedi.

Iſta Carta facta eſt eo tinore, ut ſi nos, qui ſupra jugalibus vel noſter Miſſus dederimus vobis & perexolverimus, qui ſupra filiis Ubaldi, vel veſtro certo Miſſo ab is Kalendis Jenuarii proxime venturis uſque ad altas Kalendas Jenuarii proxime venturas Libras ſeptecentum de bonis Denariis expendibilis de Moneta de Luca, viginti Solidos per omnes Libras ractionatas, ſi taliter adimpleverimus & conſervaverimus infra predictum conſtitutum, vel in valentes de terra, ſi placuerit vobis, qui ſupra filiis Ubaldi, vel ſi terra non placuerit, in bonis Denariis expendibilibus de Moneta de Luca, vel partem in terra, partem in Denariis, ſi vobis placuerit, iſta Carta ſit inanis & vacua, & in noſtra deveniat poteſtatem. Et ſi nos, qui ſupra Wido & Rainerius germanis, vel noſtris jugalibus, vel noſter Miſſus, non dederimus & non perexolverimus vobis, qui ſupra filiis Ubaldi, vel certo Miſſo infra predictum conſtitutum ſupradictas ſeptecentum Libras, vel in valentes de terra, ſi convenire nobiſcum volueritis in totum vel in parte, vel ſi convenire de terra non volueritis, vel totum in terra aut in Denariis boni expendibilibus, & nos, qui ſupra jugalibus, non dederimus, & non perexolverimus vobis, qui ſupra, filiis Ubaldi, vel certo veſtro Miſſo infra predictum conſtitutum ſupradictas ſeptecentum Libras, vel in valentes de terra, ſi convenire nobiſcum volueritis in totum vel in parte, vel ſi convenire non volueritis, vel totum in terra, vel partem in terra, aut in Denariis boni expendibilibus, & nos qui ſupra jugalibus non dederimus & non perexolverimus vobis, qui ſupra, filiis Ubaldi illut pretium, ſicut ſuperius legitur, tunc exinde in antea abeatis & teneatis ſupraſcripta Curtem & Caſtellum cum omnibus ſuis pertinentiis jure proprietario, ad faciendum exinde quidquit volueritis abſque homni noſtra, noſtrorumque eredum contradictione.

Item facta eſt ec Carta ſub oc alio tinore, quod nos, qui ſupra Wido & Rainerius germani, & Gaſdia, & Suſia jugales, vel aliqua noſtra ſummiſſa perſona, non tollemus neque minuemus vobis, qui ſupra filiis, Ubaldi Caſtellum & Curte de Pandojano, & de Parrana, & eorum pertinentias, neque offendemus ſtudioſe ad veſtram dannietatem. Et ſi ec vel ea, que ſcripta ſunt, non obſervaverimus & non adimpleverimus, & vos, qui ſupra, filius Ubaldi dederitis nobis vel noſtro Miſſo Solidos centum, & ſi recipere noluerimus, conſignaveritis & depoſueritis, tunc exinde in antea abeatis & poſſideatis ſupraſcriptam noſtram Curtem & Caſtellum cum omnibus eorum pertinentiis jure emtoris ſeu nomine venditoris apſque homni calum-

lumnia . Et ſi jus vel lex aliqua iſtis noſtris conventionibus contraria inventa fuerint , illis renuntiamus in oc contractum adque reſpuimus , & de illis ſubdeſcendere volumus .

Supraſcripto Rainerius per parabola Widoni *fratri ſui , & Gaſdie & Suſie uxorum ſuarum inveſtivit , & in vacuam poſſeſſionem de predicto Caſtello pro Caſtello & Curte , & ejus pertinentiis miſit Guilicionem filio Ubaldi , pro illo & pro ſuis fratribus , & pro Archiepiſcopo & Conſulibus , & ipſe Guilicionem dejecit ſupraſcriptum Rainerium de ipſo Caſtello , & in vacuam poſſeſſionem remanſit . Sic etiam per parabola ſuorum fratruum , & Archiepiſcopi , & Conſulum conceſſit precario iſtum Caſtellum cum Curti & ejus pertinentiis* Widoni *, & Rainerio germanis , ut per eos detineant , uſque ad predictum conſtitutum , & eis , vel eorum Miſſo perſolvant duodecim Denarios nomine penſionis in menſe Auguſto in Caſtello de Montemaximo, quod dicitur Ortale .*

Juramus nos , qui ſupra Wido *& Rainerius germanis , & noſtris uxoribus ad ſancta Dei Evangelia , quod non apparebit ullum datum vel factum , vel obligatio aliqua, unde danietas*
A *deveniat predictis filiis Ubaldi , vel ſcripto , quod eis fecimus . Juramus etiam nos , & omnes Caſtellani de noſtro Montemaximo , & ejus abitatores , quod ſi infra predictum conſtitutum ea , quæ ſuperius leguntur , non adimpleverimus , tunc exinde in antea non agemus neque cauſabimus neque intentionabimus predictum Caſtellum & Curtem contra filios Ubaldi , vel eorum eredes, vel cui ipſi dederint , neque contra Epiſcopum vel Conſules , ſet per bonam fidem eis concederemus , & nos predictis Caſtellanis virtutem non faciemus , ut hoc non obſervent . Juramus etiam nos , qui ſupra , germani , & noſtre uxores , quod ſi taliter non adimpleverimus , & non obſervaverimus , non agemus , ne-*
B *que intentionabimus , neque moleſtabimus ullo modo filios Ubaldi de Caſtello de Pandojano ac Curte de Parrana , vel eorum pertinentiis , ſet eis in pace relinquemus .*

In repromiſſio de iſta Carta poſt traſapto conſtituto ad defendendum , & quod per manum tenet ad penam argentum optimum Libras quingentas ad ſupraſcripto Datare , & merito , & teſtibus .

Obligatio facta ab Ubaldo, & Mathilda ejus Conjuge, Petro Piſano Archiepiſcopo, Conſulibus Piſanis, & Operariis Eccleſiæ Piſanæ, de ſervando ad eorum opus Caſtello & Podio Ripæfractæ. Anno 1110.

I*N nomine Domini Dei viventis . Breve ad memoriam . . . . . . & ſecuritate , quam Ubaldus filius quondam Siſmundi fecit* Petro Piſano Archiepiſcopo , *ſuiſque ſucceſſoribus* & Operariis (1) *Sancte Marie*, & Piſanis Conſulibus , *ad utilitatem predicte Eccleſie, & Piſani Populi in perpetuum . Convenit ſiquidem atque firmavit ipſe Ubaldus , dicens ita . Ego Ubaldus , & Matilda uxor mea , vel noſtri heredes & proheredes ab hac ora in antea in perpetuum , Caſtellum & Podium , qui dicitur Ripafracta , nec aliquid habeo , quod in predicto Caſtello mittetur cum omnibus ejus pertinentiis & abjectis, ſicut vobis per cartam dedimus, non tollemus nec contendemus Eccleſie Sancte Marie Piſani Archiepiſcopatus , nec Petro ejuſdem Eccleſie Archiepiſcopo , vel ejus ſucceſſoribus , nec Operariis predicte Eccleſie , qui pro tempore ibi fuerint . Nos nec aliqua perſona noſtro conſilio vel ingenio aut aſſenſu , adjutores erimus vobis retinendum contra omnem perſonam per bonam fidem ſine fraude . Et ſi qua perſona predictas res vel omnes vel aliquas vel unam vobis abſtulerit , adjuvabimus eas vel eam recuperare per bonam fidem , & recuperata retinere. Turriſianum in predicto Caſtello & Podio non mittemus ſine conſilio predictorum ; & ille Turriſianus , qui comuni conſilio miſſus fuerit, comuni ſacramento firmabit nos & vos de omnibus ſupradictis ſine fraude ex noſtra parte & veſtra , ſicut legaliter uſus eſt de Caſtello & Curte & Podio & ceteris pertinentiis inter bone fidei conſortes . Caſtellanum , nec abitatorem in predicto Caſtello & Podio non mittemus, niſi eum , qui per ſacramentum firmabit comuniter veſtra predicta & noſtra ſine fraude alterius utriuſque partis , ſecundùm legalem uſum inter*
C *bone fidei conſortes . Item nos ſupradicti noſtras partes de predicto Caſtello & Podio, nullo modo vel ingenio per nos vel ſumiſſam perſonam dabimus vel concedemus , vel pro anima judicabimus , nec alico ingenio alienabimus Eccleſie Lucenſis Comitatus vel Civitatis , nec alicui perſone , vel aliquem locum Lucenſis Civitatis vel Comitatus , nec permutabimus , nec alicui Eccleſie vel perſone vel loco Piſane Civitatis vel Comitatus , niſi ſub ea conditione & modo , quod nullo ingenio vel modo predictum Caſtellum vel Podium vel aliqua pars ejus perveniat in Eccleſiam vel perſonam vel aliquem locum Lucane Civitatis vel Comitatus . Item volo , & mea bona & ſpontanea voluntate obligo meas*
D *partes de predicto Caſtello & Podio & de diſtrictu & ripa & placitis & comandiſiis , ſupraſcripto Caſtello & Podio pertinentibus,cum ceteris terris & poſſeſſionibus mihi pertinentibus , que ſunt in Comitatu Lucenſi, ut ſint in jure pignoris predicte Eccleſie Archiepiſcopatus Sancte Marie in perpetuum . Item volo , ut predicte mee terre & poſſeſſiones, que in Comitatu Lucenſis ſunt , pertinentes ad predictum Caſtellum & Podium, ſi alico tempore ad vendictionem earum inclinabimus, vel ad commutationem , dabimus eas vobis , ſi emere vultis, vel commutare, pro tanto pretio , quantum ab aliqua perſona habere potuerimus in veritate ſine fraude & odio . Item nos ſupradicti ſtudioſe non ofendemus vos Archiepiſcopum Pi-*
E *ſane Eccleſie vel veſtrum ſucceſſorem , nec Operarios Sancte Marie , vel Comune Piſane Civitatis , de predictis noſtris partibus predicti Caſtelli & Podii , & ad honorem Sancte Marie Piſane Civitatis , & ejus Archiepiſcopi , ſuorumque ſucceſſorum , & ad honorem communem Piſane Civitatis adjuvabimus de noſtris portionibus*

nibus

(1) *Operarii* fuerunt , qui *Operæ* , ſive ut alibi dici-

nibus predicti Caſtelli & Podii contra omnem perſonam. Item nullum adquiſitum faciemus in predicto Caſtello & Podio, quod vobis medietatem non demus, ſi recipere vultis, recipiendo medietatem pretii a vobis per bonam fidem, quam ibi dederimus per nos, vel per ſummiſſam perſonam, niſi dono datum ſit nobis vel conceſſum. Item ſtudioſe non capiemus, nec aliqua perſona noſtro conſilio vel aſſenſu, aliquam perſonam Piſane Civitatis, & Kintice, & Foreporte, & de eorum burgis, vel eorum pecuniam, excepto pro merito capud tantùm ab illo videlicet, qui nobis injuriam vel dannum intulerit, & nullum refugium dabimus de predictis noſtris partibus predicti Caſtelli & Podii, alicui perſone contra vos Piſanum Archiepiſcopum, veſtroſque ſucceſſores, & Commune Piſane Civitatis, vel aliquam perſonam Piſane Civitatis, & Kintice, & Foreporte, vel de eorum burgis. Et ſi omnia, que ſupra dicta ſunt, taliter a nobis, noſtriſque heredibus & proheredibus in perpetuum, facta & conſervata non fuerint aliquo modo vel ingenio, tunc inde in antea prefate noſtre partes predicti Caſtelli & Podii, & deſtrictu, & ripe, & placiti, & comandiſie, & terris & poſſeſſionibus, que ad predictum Caſtellum & Podium ſunt pertinentes in Comitatu Lucenſi, que omnia, ut ſupra dictum eſt, jure pignoris obligavi, ſint in poteſtate & proprietate ſupraſcripte Eccleſie Archiepiſcopatus Sancte Marie in perpetuum, & prefatus Archiepiſcopus & ſui ſucceſſores, & Piſani Conſules in perpetuum habeant inde poteſtatem faciendi quidquid voluerint ad honorem & utilitatem predicte Eccleſie & Civitatis, abſque omni calumnia, & controverſia. Et inſuper volo & obligo me & meos heredes & proheredes in perpetuum, quod ſimus compoſituri ad partem predicte Eccleſie, ſuiſque Rectoribus, & Comunem Civitatis, penam argenti optimi Libras centum.

Hactum in Cimiterio predicte Eccleſie Sancte Marie, preſentia teſtium Ildibrandi Vicecomitis filii quondam Sigherii Vicecomitis, & Gerardi Vicecomitis filii quondam item Gerardi Vicecomitis, atque Teperti quondam Dodi, & Sicherii Vicecomitis filii quondam item Sicherii Vicecomitis, & Gerardi filii Ugonis Vicecomitis, & Guidonis, qui Caimo vocatur, quondam Leonis, & Rainerii quondam Ugonis, Turchii quondam Guidonis, Signorelli quondam Pandulfi, Ugonis quondam Ghinari.

Anno Dominice Incarnationis Milleſimo Centeſimo Undecimo, Regnante Donno noſtro Henrico, Anno Regni ejus in Italia Primo, Undecimo Kalendis Decembris, Indictione Quarta.

Signum ✠ manus ſupraſcripti Ubaldini, qui hoc Breve rogavit fieri.

Ego Bentho ſacri Lateranenſis Palatii Judex ſubſcripſi.

Ego Bonus ſacri Lateranenſis Palatii Judex ſubſcripſi.

Ego Beritho Judex ſubſcripſi.

Ego Manfredus Cauſidicus ſubſcripſi.

Ego Ugo Notarius Apoſtolice Sedis ibi fui, & rogatu ſupraſcripti Ubaldi ad memoriam futuris temporibus hoc Breve ſcripſi.

Sententia Piſanorum Conſulum pro Petro Epiſcopo Piſano contra occupatores quoſdam bonorum Eccleſiæ Piſanæ. Anno 1112.

IN *nomine ſancte & individue Trinitatis, amen. Dum in Dei nomine apud Forum Piſane Civitatis, que* Curia Marchionis *appellatur,* Conſules Piſanorum *& Populus conveniſſent, ut de terris & poſſeſſionibus Piſani Epiſcopatus, a quibuſdam injuſte detentis, tractarent atque conſulerent, cum etiam ob eamdem cauſam* Donnus Petrus Epiſcopus *adeſſet, Guido filius quondam Leonis, qui quaſdam terras & poſſeſſiones Piſani Epiſcopatus injuſte detinebat, comuni conſilio & decreto Conſulum & totius Populi, predicto Epiſcopo, qui de heis jamdiu querimoniam fecerat, & in eodem Foro tunc etiam faciebat, per fuſtem, quam in ſua tenebat manu, finem & tranſactionem atque refutationem fecit de omni jure & actione, quod ſibi aliquo modo pertinebat de quibuſdam terris, quas Guido Malanox in beneficio quondam habuit, & juris erant ejuſdem Epiſcopatus. Quod numquam ullo tempore nec ipſe nec ſui heredes, nec aliquis pro eo agere aut cauſare ſeu moleſtare ſive per placitum fatigare non debet predictum Epiſcopum nec ſuos ſucceſſores per aliquod ingenium. Et inſuper penali ſtipulatione duocentum Librarum obtimi arienti predictus Guido ſe ſuoſque heredes obligavit, ipſi Epiſcopo ſuiſque ſucceſſoribus, ſi contra quod ſupra dictum eſt, faceret, & ſi ſic non obſervaret. Que omnia etiam jurejurando ſuper ſacroſancta Dei Euangelia preſtito in eodem Foro confirmavit. Unde predictus Epiſcopus illi meritum fecit annulum aureum, confirmandum juxta legem, ut magis omni tempore hec refutatio & obligatio ſit valentior, & inviolabilis perſeveret.*

Hoc factum eſt in preſentia Mainfredi quondam Rollandi, & Gualandi quondam Gualandi, & Guilielmi quondam Guinti, & Alberti quondam Bernardi, & Alberti quondam Rainolfi, & Pandulfi quondam Ildebrandi, & Balduini quondam Ildebrandi, & Guidi quondam Bernardi, & aliorum multorum.

Anno Dominice Incarnationis Milleſimo Centeſimo Duodecimo, ipſo die Kalendis Genuarii, Indictione Quinta.

Actum in predicta Curia.

Ego Rodulfus Notarius Apoſtolice Sedis ob futuram memoriam ſcripſi.

Jura-

Juramentum fidelitatis, factum a Caſtellanis & Habitatoribus Caſtelli Vivagii, Petro Archiepiſcopo Piſano. Anno 1115.

In nomine Domini noſtri omnipotentis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. Nos infraſcripti Caſtellani & habitatores de Caſtello Vivagio juramus fidelitatem Sanctæ Mariæ Piſanæ matri Eccleſiæ, & Petro Dei diſpoſitione reverentiſſimo ejuſdem ſanctæ Eccleſiæ Archiepiſcopo, *ſuiſque ſucceſſoribus, videlicet, quod ab hinc non erimus in conſilio vel facto aut aſſenſu, quod ipſi perdant vitam vel membra, vel capti ſint ad eorum dannum & dedecus. Et quidquid ſub ſecreti nomine nobis aut ipſi dixerint, aut per nuntium, vel per literas ſignificaverint, aliquo ingenio non manifeſtabimus ad illorum contrarietatem in danno aut dedecore. Similiter quidquid juris ipſi habent aut habebunt in Caſtello & Curte de ſupraſcripto Vivagio, vel in omnibus ſuis pertinentiis quocunque modo nos eis tollemus aut contendemus, ſed adjuvabimus eos retinere & recuperare, & recuperata iterum retinere per bonam fidem. Ipſum etiam Caſtellum dabimus predicto Domno Archiepiſcopo, & ſuis Succeſſoribus, & Piſano Populo ad illorum proprium biſonium & propriam litem contra omnes homines, exceptâ in hac cauſâ juſtitiâ Comitiſſe Cecilie ab Ugone Comite filiatro ſuo ſibi con-*A *ceſsâ, & juſtitiâ Morronenſis Eccleſie, & juſtitiâ aliarum Eccleſiarum, que ſunt in iſto confinio, ideſt in pertinentiis predicti Caſtelli, & ſalvo jure noſtro in noſtris rebus. Et in hoc exceptamus tantum perſonas noſtrorum Dominorum, quos modò habemus, de noſtris tantum perſonis, videlicet ut ſimus abſoluti in iſta tantum cauſa de noſtris ſolum perſonis, adverſus ſolas perſonas predictorum Dominorum noſtrorum. Similiter contrarii non erimus per nos nec per ſubmiſſam perſonam jam dicto Domno Archiepiſcopo, ſuiſque ſucceſſoribus ad acquirendum quidquid ipſi ibi acquirere potuerint. Hec omnia juramus, & ſervare promittimus per bonam fidem ſine ullo malo ingenio, & ita* B *hec ſcribere ad memoriam in futurum habendam rogavimus Bonum, ſacri Lateranenſis Palatii Judicem.*

Actum in Burgo prenominati Caſtelli, Anno Dominice Incarnationis Milleſimo Centeſimo Quintodecimo.

Interfuerunt autem huic cauſe predictus Bonus Judex, & Gerardus Romane Sedis & Piſane Eccleſie Camerarius, vir probandus.

Ego Paganus Notarius Apoſtolice Sedis, rogatu iſtius Boni Judicis, omnia iſta ſcripſi.

Charta Uberti Abbatis Monaſterii S. Juſtiniani in Epiſcopatu Maſſenſi, per quam concedit Operæ, ſive Fabricæ Piſanæ Eccleſiæ aliquot portiones Caſtelli & Rochæ Plumbini, aliaque bona in commutationem recipit. Anno 1115.

In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Dei æterni. Anno ab Incarnatione ejus Milleſimo Centeſimo Decimo Sexto, Sexto Calendas Octubris, Indictione Nona. Manifeſtus ſum ego Ubertus Abbas Monaſterii Sancti Juſtiniani, *quod eſt fundatum & edificatum in Epiſcopatu Maſſenſi in loco, ubi dicitur Faleſia, quia tu Ildibrandus Judex, Procurator, & Rector Operæ Piſanæ Eccleſiæ Sanctæ Mariæ, una ſub preſentia Conſulum, Vicecomitum, Judicum, & Sapientum veſtræ Piſanæ Civitatis, conveniſti mecum, ut ad comunem, & utilitatem utriuſque noſtræ & veſtræ Eccleſiæ, commutationem faceremus de quibuſdam rebus juri ſupraſcriptarum Eccleſiarum ſubjectis. Proinde ſub publica preſentia omnium elegimus bonæ fidei homines, Bernardum videlicet Diaconem ſupraſcriptæ noſtræ Eccleſiæ & Monaſterii Sancti Juſtiniani, & Neum quondam Guidi, atque Ugonem quondam item Ugonis, & . . . . Qui rationabiliter diſcernerent res ipſas, quas commutare diſpoſueramus ad utilitatem utriuſque Eccleſiæ. Et cognita veritate invenerunt, res juris noſtri Monaſterii oportunas eſſe veſtræ Eccleſiæ, & res veſtræ Eccleſiæ oportunas eſſe noſtro Monaſterio ad meliorationem comodi, ſecundùm extimationem rerum commutandarum. Unde ego prefatus Ubertus Abbas in Dei nomine & timore per hanc commutationis cartam cedere & in immutabilem traditionem largiri* C *videor tibi Ildibrando Judici ad partem & proprietatem ſupraſcriptæ veſtræ Piſanæ Eccleſiæ, tres partes integras de* Caſtello & Rocca Plumbini, *quæ eſt ſita & poſita ſupra mare, cum turribus & podio, cum caſis & edificiis & terris, tam infra ipſum Caſtellum & Roccam, quàm & de foris. Item de Curte & terris, vineis, ſilvis, virgareis, pratis, paſcuis, cultis & incultis & maſſariciis & diſtricto & omnibus pertinentiis, aliquo modo per quodlibet ingenium ad ipſum Caſtellum & Roccam ſeu Curtes pertinentibus vel aſpicientibus per hos terminos & fines, quos hìc nominamus. Videlicet a Capetbolo ad Mare uſque ad Bracam-lamam, & a Braca-lama uſque ad Leciam-pertuſam, &* D *a Lecia-pertuſa uſque ad Rivum fenalem, ſicut ipſe currit, & mittit in mare. Predictas tres partes integras de ſupraſcripto Caſtello & Rocca Plumbini, cum turribus & podio, caſis & edificiis, & de Curte & terris & maſſariciis & omnibus pertinentiis ſuis, cum omni jure & actione & diſtricto pertinentibus tam intus quam deforis ad ipſis Caſtellum & Roccam in integrum tibi, ut dictum eſt, cedo & trado; ut ab hac hora in antea ſit proprii juris ſupraſcriptæ veſtræ Piſanæ Eccleſiæ. Pro qua noſtra commutatione & traditione recepi a te, qui ſupra Ildibrando Judice ex parte veſtræ Eccleſiæ unam petiam de terra poſitam prope Civitatem Piſanam, juxta Eccleſiam &* Monaſterium Sancti Nicholai,

Nicholai, *quæ tenet unum caput in via publica, aliud caput cum ambobus lateribus in terra ſupraſcriptæ veſtræ Eccleſiæ, & eſt per menſuram ad juſtam perticam menſurata, Scalæ quatuor, Et inſuper centum quinquaginta Libras bonorum denariorum Lucenſium expendibilium, noſtræ Eccleſiæ & Monaſterio neceſſarias ad edificationem & reſtaurationem ejuſdem noſtræ Eccleſiæ, & in theſauris librorum & paramentorum ipſius; ut prædicta petia de terra, & ſupraſcripta tria milia Solidorum deinceps in antea ſint proprii juris ipſius noſtræ Eccleſiæ & Monaſterii Sancti Juſtiniani de Faleſia. Et ut in futuro omnibus temporibus ſtabilis & firma permaneat noſtra commutatio, repromitto ego, qui ſuper Ubertus Abbas, vel aliquis meorum ſucceſſorum, ſi venire temptaverimus per aliquod ingenium, aut ſi prædictam commutationem remutare, aut in aliquo diminuere queſierimus ullo modo & eam vobis ab omni homine defendere non potuerimus, & non defenſaverimus, ſpondeo ego, qui ſuper Ubertus Abbas una cum meis ſucceſſoribus, componere tibi, qui ſuper Ildibrando Judici, tuiſque ſucceſſoribus ad partem ſupraſcriptæ veſtræ Piſanæ Eccleſiæ prædictam noſtram commutationem in duplum, & inſuper penam auri optimi Librarum centum, quia taliter inter nos convenimus. Unde duas commutationis cartas ſcribere rogavimus Falconem Judicem & Notarium ſacri Palatii.*

Actum foris Civitate prefata Piſanorum juxta prædictam majorem Eccleſiam feliciter.

✠ *Ego Ubertus Abbas Monaſterii Sancti Juſtiniani de Faleſia in hac cartula a me facta ſubſcripſi.*

Signa ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ manuum Teperti filii quondam Dodonis, Alberti quondam . . . . . Dodonis quondam Ildibrandi, Gerardi filii Ugonis Vicecomitis, Alberti quondam Balduini, Sofredi quondam Gulielmi, Pandulfi & Benedicti germanorum quondam item Benedicti, Petri quondam Ugonis, Uberti quondam item Uberti, Malagalie quondam . . . . . . qui interfuerunt rogati teſtes.

Prædictus Ubertus Abbas exceptavit & antepoſuit de ſupraſcriptis tribus partibus foris de ipſa Roccha & Caſtello & Podio, decem & octo Maſſarios cum ſuis pertinentiis, & illa donicata laborata, quæ ipſe ad manum ſuam propriam laborat & detinet. Nomina autem eorumdem Maſſariorum ſunt hæc: Albertus filius Aſterboſi; Bonellinus; Petrus Boneſiæ; filii Stephani Rillii; filii Johannis Thoppi; filii Martini de Atha; Gallettus; filii Caſtagneſi; filii Petri de Sancto Frigiano; Martinus Cigarellus; filii Riccii; Dominicus Longus; Bonone privignus Faramballii; Buniolus; Gerardus Blancardini; Martinus & Vitalis nepotes Sabbatini; filii Guidonis Talenti; Sabbatinus Albiſcinus.

✠ *Ego Falco Judex & Notarius ſacri Palatii poſt traditam complevi & dedi.*

Venditio tertiæ partis Caſtelli, Podii, & Curtis de Caſaja, facta a quibuſdam Gratiano Vicedomino Eccleſiæ Piſanæ. Anno 1115.

I*N nomine Sancte & individue Trinitatis. Anno Incarnationis Dominice Milleſimo Centeſimo Sextodecimo, Quarto Idus Septembris, Indictione Octava. Manifeſti ſumus nos Golfo quondam Raimundi, & Adaleita jugales & filia quondam Leonis, quia conſentiente mihi ſupraſcripto viro meo, ubi intereſſe videtur notitiam Ildebrandi Judicis ſacri Lateranenſis Palatii, a quo ſecundùm Legem interrogata & cognita ſum, quod nullam me pati violentiam, ſed pura & integra mea bona voluntate, ſecundùm edicti paginam, communiter & conſentientes per hanc cartulam venundamus & tradimus tibi Gratiano Vicedomino Epiſcopatus Sanctæ Mariæ, tertiam partem integram de noſtris partibus, quæ ſunt tres partes de Caſtello & Pojo & Curte de Caſaja, & tertiam partem integram de hoc, quod nobis pertinet, ultra tres partes in Curte prædicti Caſtelli. Exceptamus & anteponimus inde unam Caſam, quam habent filii . . . . . . & duas petias de terra foris ipſo Caſtello, una quæ eſt in Podio de ipſo Caſtello, & eſt ſiſtariorum unum, alia verò petia eſt poſita juxta fluvio Dommia, & eſt ſiſtariorum duo. Ut jam dictum tertiam partem de noſtris partibus de prædicto Caſtello & Pojo & Curte preter illud, quod ſupra exceptavimus, cum omnibus adjacentiis & pertinentiis ſuis in integrum cum inferioribus atque ſuperioribus, ſeu cum finibus & ingreſſibus ſuis, & cum omni jure & actione ſua ſit in poteſtate tua, qui ſupra, Vicedomino, proprietario jure. Quam noſtram venditionem & traditionem ſi nos, qui ſupra, jugales, vel noſtri heredes, ſive cui nos eam dediſſemus aut dederimus tibi, qui ſuper, Vicedomino, tuiſque ſucceſſoribus, aut cui vos eam dederitis vel habere decreveritis, retollere vel minuere queſierimus per quodlibet ingenium, & ſi eam vobis ab omni homine defendere non potuerimus & non defenſaverimus, ſpondemus nos vobis componere ſupraſcriptam noſtram venditionem & traditionem in duplum in ferquido loco ſub eſtimationem, qualis tunc fuerit. Unde meritum recepimus a te, qui ſupra, Vicedomino anulum aureum per Solidos quattuorcentum in prefinito. Et in tali ordine communiter & conſentientes hæc ſcribere rogavimus Ubertum Notarium.*

Actum infra Caſtello de Camajano.

Signa ✠ ✠ manuum ſupraſcriptorum Jugalium, qui hanc cartulam communiter & conſentientes rogaverunt fieri.

Signa ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ manuum Giroldi quondam Alberti, & Widonis atque Bonacii germanorum quondam Teuzi, & Rainerii quondam Bernardi, & Ildebrandi quondam Geraldi, & Widonis filii Bonacii, & Henrici filii Widonis, & Rainerii quondam Beliarde, teſtium.

Ego Ubertus Notarius poſt traditam complevi & dedi.

Et ſupraſcripti Jugales communiter & conſentientes miſerunt corporaliter in tenentia ſupraſcripto Vicedomino de prædictis rebus & in vacuam poſſeſſionem introduxerunt eum in jam dicto Caſtello. Ideo ſupraſcripti Jugales hanc cartulam fecerunt, quod nulli Epiſcopo Eccleſiæ Piſanæ liceat ſupraſcriptas res in commutationem dare, ſeu Feudo, vel per Libellum, ſeu Tenimentum, niſi Villanis, ſed ſemper ad manum ſuam habeat & detineat in perpetuum.

Sententia Marquardi delegati a Principe pro Silva quadam in controverſiam adducta. Anno 1115.

IN nomine Chriſti. Amen. Pro futuris temporibus memoria hunc breve recordationis deſcribere diligenter curavimus. Margoaldus itaque delegatus a Principe (1) *in Comitatu Piſano pro litibus diffiniendis filio Andree Bombe & Martino filio Johannis dal Pero ſuper Malaparuta. Querimoniam fecerunt de quadam Silva, quam ipſi in pingnore habebant a filiis Rodulfi Donnuci. Preſente autem Malaparuta, & Judicibus Cuntolino & Bento & aliis viris ante predictum Margoaldum aput Maceratam, oſtenſa eſt Carta de nominata Silva. Quam cum vidiſſent Judices & legiſſent, juſtū eis viſum fuit, ut, ſicut in Carta legeba-* A *tur, prefati omnes Silvam quiete poſſiderent. Data eſt igitur ſententia, ut Malaparuta nominatam Silvam refutaret. Refutavit ergo Malaparuta predictam Silvam, & obligavit, ſe numquam amplius intromittere ſub penam quinquaginta Librarum optimi argenti. Ugo Comes, Tepertus filius Dodi, Anſelmus quondam Carbonis, Rolandus quondam Gerardi teſtium, & multi alii.*

Hoc factum eſt Anno Dominice Incarnationis Milleſimo Centeſimo Sextodecimo, Nonis Julii, Indictione Nona.

Contolinus Judex & Advocatus ejuſdem Margoaldi interfui.

Charta, per quam nonnulli conſtituunt res ſuas ſub defenſione & commendatione Petri Epiſcopi Piſani. Anno 1115.

IN Chriſti nomine. Breve ad memoriam futuri temporis, qualiter in loco & finibus infra Caſtello de Camajano, in preſentia Gratiani *Vicedomini, & Ildebrandi Judicis, & aliorum hominum, Golfo quondam Raimundi, & Adeleita jugales & filia quondam Leonis, communiter & conſentientes per virgam, quem in ſuis detinebant manibus, miſerunt omnes res ſuas mobiles & immobiles, quas modò habent, vel acquirere debent ipſi & eorum heredibus, ſub tutela & defenſione & commendatione* Petri Epiſcopi Piſane Eccleſie *& ſucceſſorum ejus in perpetuum. Pro qua tutela & defenſione & commendatione ipſe Epiſcopus & ſucceſſores ejus debent accipere ſemel annale pran-* B *dium in Curte de Caſaja tam a ſuis, quàm ab eorum hominibus, uſque ad quadraginta Milites, ſi neceſſe fuerit, in perpetuum.*

Hoc factum eſt in preſentia predictorum Vicedomini, ſeu Judicis, atque Giroldi quondam Alberti, & Widonis atque Bonacii germani quondam Teuzi, & Rainerii quondam Bernardi, & Ildebrandi quondam Gerardi, & aliorum hominum.

Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Centeſimo Sextodecimo, Quarto Idus Septembris, Indictione Octava.

C *Ego Ubertus Notarius interfui, & juſſu ſupraſcriptorum Jugalium hoc breve ſcripſi.*

---

(1) Quis hoc nomine deſignetur, obſcurum mihi eſt. Potius quam Imperator, Marchio Tuſciæ, qui tunc *Ratbodo* fuit, mihi creditur heic intelligi poſſe.

Donatio facta a Petro Piſano Epiſcopo Eccleſiæ S. Stephani de Carraria. Anno 1116.

A IN nomine Sancte & individue Trinitatis, & unius Deitatis. Amen. Quoniam placuit Sanctis Patribus, & ſuis inſtitutionibus, ideſt ſacris Canonibus ſanciverunt, ut ad ſimilitudinem temporalium nuptiarum & matrimonii, Eccleſie in ipſa ſui conſecratione dotarentur, ideo ego Petrus, gratia Dei Piſane matris Eccleſie humilis Epiſcopus, Eccleſie Protomartiris Stephani de Carraria, ſita juxta mare, in ipſa ejuſdem Eccleſie conſecratione a me celebrata, in dotem atque donationem firmiter & irrevocabiliter dono, trado, atque concedo unum petium de terra cum vinea & terra laboratoria, poſitum juxta prenominatam Eccleſiam, a capite cujus adjacet flumen Cingle, & ab altero capite coheret predicta Eccleſia, & ab uno latere via publica, & ab altero Foſſa, que dicitur Antiqua; & medietatem integram omnium Decimarum, que in territorio ejuſdem Eccleſie & confiniis colliguntur, ſcilicet a Buſcione ad mare, & a mare, ſicut circumdat predictum flumen Cingle. Ut a preſenti die in perpetuum ſint ad uſum & comodum jam prefate Eccleſie, & Petri Presbiteri, & Clericorum, ibidem Deo militantium ac ſervientium. Ut nulla deinceps perſona, nullus Prelatus, vel ſubditus ullus privatus, vel honore aut poteſtate aliqua preditus, hanc noſtram conſtitutionem & diſpoſitionem quicunque predictorum venire temptaverit, & eam quacumque temeritate vel ſuperbia irrumpere & evacuare auſus fuerit, anathematis & maledictionis noſtre, totiuſque noſtre Eccleſie pene ſubjaceat, & inſuper nobis, noſtriſque Succeſſoribus penam centum aureorum perſolvat, niſi penitentia ductus, & ad ſatisfactionem veniens noſtro arbitrio, noſtroque judicio errata correxerit & commiſſa atque delicta emendaverit. Quam noſtram diſpoſitionem & conſtitutionem, ut omni tempore ſuum robur obtineat, & in nullo vacillet, Rodulfo Notario litterarum monimen tradere mandavimus, & noſtre manus ſubſcriptione, & Canonicorum noſtrorum confirmamus.

Anno Dominice Incarnationis Milleſimo Centeſimo Sextodecimo, Nonas Februarii, Indictione Nona.

Actum aput matrem Eccleſiam Sancte Marie, preſentia Saraceni quondam Savoretti, & Gerardi quondam Martini, & Ruſtici quondam Boniti, & Mainfredi quondam Ildebrandi, & aliorum.

B ✠ Ego Petrus Piſanæ Eccleſiæ peccator Epiſcopus in hac Cartula a me facta ſubſcripſi.

✠ Ego Manfridus Turritanus Archiepiſcopus, & hujus ſancte Eccleſie Piſane Canonicus ſubſcripſi.

✠ Ego Ugo Archipresbiter in ac Cartula ſubſcripſi.

Ego Einricus Sacerdos ſubſcripſi.

Ego Martinus Presbiter ſubſcripſi.

Ego Signorectus Presbiter ſubſcripſi.

Ego Berardus Presbiter ſubſcripſi.

Ego Ildebrandus Canonicus ſubſcripſi.

Ego Gerardus Diaconus ſubſcripſi.

Ego Benedictus Subdiaconus ſubſcripſi.

C Ego Maurus Subdiaconus ſubſcripſi.

Ego Guido Diaconus ſubſcripſi.

Ego Rodulfus Notarius ſacri Lateranenſis Palatii, hanc conſtitutionis Cartam ſcripſi & manu propria firmavi.

Venditio Caſtelli & Curtis de Blentina, facta a Robodo Marchione Tuſciæ Petro Piſano Epiſcopo, & Operariis Eccleſiæ Piſanæ.

Anno 1116.

IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Dei eterni. Anno ab Incarnatione ejus Milleſimo Centeſimo Septimodecimo. Regnante Donno noſtro Henrico Quarto, Dei gratia Romanorum Imperatore Auguſto, Anno Imperii ejus in Italia Sexto, Tertio Idus Septembris, Indictione Nona. Manifeſtus ſum ego Robodo ex largitione predicti Imperatoris Marchio Tuſcie, *quia per hanc cartam vendo & trado vobis* Petro Piſano Epiſcopo, *& Granno Vicedomino atque Ildebrando Judici, Rectori, & Procuratori, atque Operario Opere Sancte Marie, Caſtrum & Curtem de Blentina cum omni ſua pertinentia tam in monte, quàm in plano, ſive in palude, atque ſilvis, virgareis, pratis, paſcuis, & terris cultis & incultis, ſive agreſtis, fluminibus, & ſtagnis, rivis, & molendinis .... & piſeationibus, & cum omni jure & proprietate & hactione, quæ mihi ex largitione .... pertinet .... in integrum vobis vendo & trado. Pro qua recepi meritum a te, qui ſupra Ildebrando Judice .... & iſtorum Petri Epiſcopi & Granni Vicedomini Spadam unam per Solidos duo millia in prefinito. Quam meam venditionem & traditionem ſi ego, qui ſuper Robodo Marchio, vel meus heres ſive ſucceſſor ſive cui nos eam dediſſemus aut dederimus, retollere vel minuere queſierimus per aliquod ingenium vobis vel ſucceſſoribus veſtris, aut cui vos eam dederitis vel habere decreveritis, & ſi nos exinde auctores dare volueritis, & eam vobis ab omni homine defendere non potuerimus & non defenſaverimus, ſpondimus nos vobis componere iſtam meam venditionem in duplum in ferquido loco ſub extimatione qualis tunc fuerit. Et in tali hordine hec ſcribere rogavi Ugonem Notarium Apoſtolice Sedis.*

Hactum in Valle Sercli in loco, ubi dicitur Metato.

A *Signa ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ manuum Ugonis & Petri atque Gerardi Vicecomitum, Gualandi, & Ugonis, atque Teperti, & Adthonis, qui tunc erant Conſules ..... quondam Ghelli, Ildebrandi quondam Guidonis, Petri & Alardini germanorum filiorum quondam Adalardi de Sancto Geneſio, qui interfuerunt rogati teſtes.*

Ego Ugo Notarius Apoſtolice Sedis poſt traditam complevi & dedi.

Iſta Carta facta eſt eo tenore. Si ego qui ſupra Robodo Marchio, vel meus heres, ſive ſucceſſor, aut meus Miſſus vobis, qui ſupra Petro Epiſcopo & Granno Vicedomino atque Ildebrando Judici vel veſtris ſucceſſoribus, aut
B *veſtro Miſſo parati fuerimus ad dandum & perexolvendum qualicunque die ab iſtis Kalendis Septembris proximis venientibus uſque in unum annum expletum proxime venturum de argento Solidos duo millia bonorum Denariorum Lucenſis Monetæ expendibilium, duodecim Denarios per ſingulos Solidos rationatos, itaque vos habeatis & detineatis totum uſumfructum, quod a vobis uſque tunc de predicto Caſtello & Curte receptum fuerit. Et ſi ante anni ...... predictos duo millia Solidos, & Libras decem vobis perſolverimus, ita quod uſumfructum, quod inde a vobis uſque tunc receptum fuerit, ſimiliter .... detineatis, quod ſit inanis & vacua, & in noſtra redeat poteſtate. Et ſi ta-*
C *liter non fecerimus & non conſervaverimus aliquo ingenio .... antea habeatis omnia, que ſuper leguntur per iſtam Cartam proprietario nomine, ad faciendum inde quicquid volueritis abſque .... calumnia .... poſt trans hact ...... conſtitutum ad defendendum qui per manum tenet ad penam argentum optimi Libras mille ad .... & inveſtivit inde predictum Ildebrandum Judicem pro ſe & aliis ſupraſcriptis ad proprietatem ad ſuperdictam penam.*

Conceſſio

Conceſſio Eccleſiæ S. Silveſtri prope Piſas, facta a Petro Piſano Archiepiſcopo Monaſterio Caſinenſi, ejuſque Abbati Gerardo. Anno 1118.

IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Dei eterni. Anno ab Incarnatione ejus Milleſimo Centeſimo Nonodecimo, Pontificatus Donni Gelaſii II. Pape Anno Primo, Tertio Kalendas Octubris, Indictione Duodecima. Ego Petrus Dei gratia Piſanus Archiepiſcopus, *conſilio & aſſenſu fratrum Canonicorum majoris Eccleſie, concedo & trado* Monaſterio Sancti Benedicti Caſſinenſis, *Eccleſiam Sancti Silveſtri poſitam in Soaritia prope Civitatem Piſanam, preſentibus & collaudantibus fundatoribus ipſius Eccleſie Odimundo & filiis ſuis. Ut ab hac hora in antea ſit jure prædicti Monaſterii Caſſinenſis Sancti Benedicti, & in poteſtate, ditione, ac diſpoſitione* Gerardi Abbatis *& Monachorum ipſius Monaſterii, eorumque ſucceſſorum, qui ibi pro tempore preeſſe videntur. Ad habendum, utendum, fruendum & ordinandum, ſalva reverentia Piſane matricis Eccleſie, ut videlicet Presbiter, quem ibi Abbas poſuerit, cum conſcientia Archiepiſcopi conſtituatur, tanquam curam Populi habiturus. Sane predictam Eccleſiam integram & quietam illis, ſicut ſupra diximus, conceedimus cum omni ſua pertinentia, quam Odimundus & filii ſui ei conceſſerunt. Auctoritate igitur* Domni Pape Gelaſii II. qui huic traditioni & conceſſioni preſens affuit, *& noſtram ac Fratrum noſtrorum Canonicorum deliberatione prohibemus, & in nomine Domini Jeſu interdicimus, ne cui Succeſſorum noſtrorum liceat Eccleſiam ipſam a Caſſinenſium Monachorum poteſtate & ordinatione ſubtrahere, nec eis moleſtiam facere, ſet ſicut a nobis tradita eſt, ita ſemper quiete & integre ſub Caſſinenſis Monaſterii jure, dictione, ac diſpoſitione permanere.*

Huic traditioni interfuerunt Lambertus Hoſtienſis Epiſcopus, Petrus Presbiter Cardinalis titulo Sancte Suſanne, Guido Presbiter, Cardinalis titulo Sancte Balbine, Griſogonus Diaconus Cardinalis, Petrus Leonis Diaconus Cardinalis, & alii plures.

✠ *Ego Petrus Piſanorum Archiepiſcopus conceſſi & ſubſcripſi.*

✠ *Ego Ugo Archipresbiter ſubſcripſi.*

Interfuerunt huic conceſſioni ex predictis Canonicis Ugo Archipresbiter, Guido Archidiaconus, Seniorectus Presbiter, Gerardus, & Ildibrandus Diaconi.

Ego Ildibrandus Judex ſacri Palatii Lateranenſis, & nunc Piſane Civitatis Conſul ſubſcripſi.

Interfuerunt etiam predictus Odimundus, & Leo filius ejus, & Atholinus laudavit, & Odimundus, & Baſrellus.

Atho Marignani ibi fuit.

Albericus quondam Ugonis de Ildebrando ibi fuit.

Ugo Judex de Caſa-invidie ibi fuit, & plures alii.

Actum in Piſana Civitate in camera predicti Piſani Archiepiſcopi. Scripta ſunt autem hæc per juſſionem Domni Gelaſii Pape Secundi, & per conceſſionem predicti Petri Piſani Archiepiſcopi, & predictorum Canonicorum per manum Falconis Judicis & Notarii ſacri Palatii.

✠ *Ego Gerardus Conſul Piſane Civitatis ſubſcripſi.*

✠ *Ego Lamberto Conſolo Piſane Civitatis ſubſcripſi.*

✠ *Ego Henricus Conſul Piſane Civitatis hoc ſignum ſancte Crucis fieri, & predictum Falconem Judicem pro me ſcribere precepi.*

✠ *Ego Falco Judex & Notarius ſacri Palatii poſt traditionem factam hec ſcripſi.*

Venditio Caſtelli Ricavi facta Attoni Piſano Archiepiſcopo a Rainerio Comite filio quondam Hugonis Comitis. Anno 1120.

IN nomine Domini Dei eterni. Anno Incarnationis ejus Milleſimo Centeſimo Vigeſimo, Indictione Quartadecima, Tertio Kalendas Februarii. Manifeſtamus nos Rainerius Comes, filius quondam Guidonis Comitis, *& Adalaſia jugalis ejus, & filia quondam Gerardi, quia conſentiente mihi Adalaſie ſupraſcripto viro meo Rainerio, ſub notitia Benthonis Judicis interrogatæ & cognitæ, nullam pati violentiam, comuniter & conſentientes libera voluntate per hanc cartam vendimus & tradimus tibi* Attoni Piſanæ Urbis Archiepiſcopo *totum Caſtellum Ricavum cum Curte, ſuoque diſtricto, & omnibus ſuis pertinentiis. Ut Caſtellum totum ſupradictum Ricavus cum Curte tota, ſuoque toto diſtricto atque pertinentiis omnibus ſuis ſit in poteſtate & dominio Eccleſiæ Piſanæ Matris beatæ Virginis Mariæ proprietario & emptionis titulo. Pro pretio Denariorum Lucenſium, trium milium ducentorum Solidorum, convento atque finito. Contra quam noſtram vendictionem & tradictionem ſi nos ſupra memorati jugales, vel noſtri heredes, ſive cui nos dederimus quocumque modo vel tempore venerimus, ſive eam infringere pro toto vel parte, ſeu retollere, minuere, ſubtrahere aliquo ingenio preſumpſerimus tibi Attoni Archiepiſcopo prefato vel tuis Succeſſoribus, aut cui vos dederitis vel habere diſpoſueritis, aut ſi eam vobis ab omni homine non defendemus, vel defendere non potuerimus, ſpondemus nos ſupramemorati jugales comuniter & legaliter dato conſenſu, nos noſtroſque heredes debere vobis componere ſupraſcriptam noſtram vendictionem & traditionem in duplum ſub eſtimatione in ferquido loco. Ut autem omnibus temporibus, omnibuſque modis magis firma, rataque duret & illæſa maneat hæc noſtra venditio, ſi hæc omnia, prout dicta ſuperius & acta ſunt, non fecerimus, & non obſervaverimus, tunc inſuper pœnæ nomine argenti optimi Libras ducentas nos noſtrique heredes tibi Attoni Archiepiſcopo prenominato, & tuis ſucceſſoribus nomine tuæ Eccleſiæ prefatæ majoris dare & ſolvere promittimus. Et pro futuri temporis memoria Ugonem Domni Imperatoris Notarium pro nobis hæc ſcribere rogavimus.*

Actum infra Caſtellum Colcarellum.

Signa ✠ ✠ manuum ſupraſcriptorum Jugalium, qui hanc Cartam comuniter & legitime conſentientes, ſcribi rogaverunt.

Ego Bentho ſacri Lateranenſis Palatii Judex interfui & ſubſcripſi.

Ego Lodoicus Judex Henrici Quarti Romanorum Imperatoris Auguſti, his omnibus & hic ſubſignans interfui.

Signa ✠ ✠ ✠ ✠ manuum Ugonis, filii quondam Gerardi Vicecomitis, Gualfredi filii Alberti Agnelli de Ricavo, Gerardini quondam Ugolini de Miliciano, rogatorum teſtium.

Ego Ugo Domni Imperatoris Notarius poſt rogatum & abſolutum complevi & dedi.

Inſuper etiam naturali poſſeſſione ſupraſcripti Caſtelli Ricavi, nomine Archiepiſcopi, & Eccleſiæ ſuæ præfatæ, corporaliter a ſupraſcripto Rainerio tradita, & ab Ugone accepta, filio quondam Gerardi predicto, ſupra ſancta Dei Evangelia, nec ſe nec aliquem eorum mandato, ſeu voluntate de ſupraſcripto Caſtello & Curte, eorumque pertinentia aliquam Cartam, vel obligationem, ſeu alienationem feciſſe, nec eam Cartam pignoris, quam fecerant Epiſcopo Lucenſi pro debito, quod ſolverant, confirmaſſe, & ſupraſcriptum Caſtellum in partem pro diviſo a ſuo fratre Ugone & ejus uxore Gena recepiſſe, juraverunt Rainerius & Adalaſia ſupramemorati Jugales.

Bulla

Bulla Calliſti II. Papæ pro Monaſterio S. Mariæ de Morrona, ejuſque Abbate Girardo. Anno 1121.

C*Aliſtus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilecto filio* Abbati Monaſterii Sanctæ Mariæ de Morrona . . . . . . *oribus regulariter ſubſtituendis in perpetuum. Et divinis preceptis inſtruimur, & Apoſtolicis monitis informamur, ut pro Eccleſiarum ſtatu impigro vigilemus affectu. Proinde, dilecte in Chriſto fili*, Gerarte Abbas, *petitionibus tuis clementer annuimus, & beatæ Mariæ Monaſterium, cui Deo auctore preſides, cum omnibus ad ipſum pertinentibus ſub tutela Sedis Apoſtolicæ ſuſcipientes, beati Petri, cujus juris eſſe cognoſcitur, patrocinio communimus. Per preſentis igitur privilegii paginam eidem Monaſterio in perpetuum confirmamus univerſa, quæ ei aut a nobis . . . . . Ugicione Comite, & filiis ejus Ugolino, Rainerio, Lotherio, & Bolgarino, aut ab aliis quibusvis fidelibus legitime collata, vel conceſſa ſunt . . . . Caſtellum de Vivario cum Pantano, & aliis pertinentiis ejus: poſſeſſiones de Morrona, de Caſtello de Sojana, de Negotiana, de . . . . . . alto, de Maſſa, de Monte Gemmule. Quecunque preterea in futurum largiente Domino idem Monaſterium juſte atque canonice poterit adipiſci, firma tibi, tuiſque Succeſſoribus & illibata . . . . . Nulli ergo omnino hominum liceat ſepedictum Monaſterium temere perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare, ſed omnia integra conſerventur eorum, pro . . . . atione & gu-* A *bernatione conceſſa ſunt, uſibus omnimodis profutura. Si qua igitur in futurum Eccleſiaſtica, Secularisve perſona, hanc noſtræ conſtitutionis paginam ſciens, contra eam temere venire temptaverit, ſecundo, tertiove commonita, ſi non ſatisfactione congrua emendaverit, poteſtatis, honoriſque . . . . dignitate careat, reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & in ſacratiſſimo Corpore ac Sanguine Dei & Domini Redentoris noſtri Jeſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem loco juſta ſervantibus ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti, quatenus hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum Judicem* B *premia eternæ pacis inveniant.*

✠ *Ego Calixtus Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.*

✠ *Ego Lambertus Hoſtienſis Epiſcopus ſubſcripſi.*

Ego Petrus Cardinalis Presbiter titulo Sancte Suſanne ſubſcripſi.

Ego Joannes Presbiter Cardinalis titulo Sancti Griſogoni ſubſcripſi.

Datum Vulterris per manum Griſogoni ſancte Romane Eccleſie Diaconi Cardinalis & Bibliothecarii, XII. Kalendas Junii, Indictione XIII. Incarnationis Dominice, Anno MCXXI. Pontificatus autem Domini Calixti II. Pape, Anno Secundo.

Venditio Caſtelli Liburni, facta Attoni Archiepiſcopo Piſano ab Hildebrando Conſule Piſanorum, Procuratore hac in re Operæ Piſanæ Eccleſiæ. Anno 1120.

I*N nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Dei eterni. Anno ab Incarnatione ejus Milleſimo Centeſimo Vigeſimo Primo, Quinto Idus Junii, Indictione Tertiadecima. Manifeſtus ſum ego* Ildebrandus *Judex &* Procurator Operæ Sanctæ Mariæ, *& nunc per Dei gratiam* Piſanorum Conſul, *quia per hanc cartam vindo & trado tibi* Attoni Piſano Archiepiſcopo *Caſtellum & Curtem de* Livorna, *cum omnibus ſuis pertinentiis atque diſtrictu, & cum omni jure & proprietate & actione ſua. Pro qua mea vendictione & tradictione a vobis meritum recepi anulum aureum pro Libris mille in prefinito. Quam meam vendictionem & tradictionem ſi ego, qui ſuper Ildebrandus Judex & Operarius, vel mei ſucceſſores, ſive cui nos eam dediſſemus aut dederimus, retollere vel minuere queſierimus per aliquod ingenium tibi, qui ſuper, Attoni Archiepiſcopo, vel tuis ſucceſſoribus, aut cui vos eam dederitis, vel habere decreveritis, & ſi nos exinde auctores dare volueritis, & eam vobis ab omni homine defendere non potuerimus & non defenſaverimus, ſpondimus nos vobis componere iſtam meam vendictionem & tradictionem in duplum in ferquido loco ſub extimatione, qualis tunc fuerit. Et in tali hordine hec ſcribere rogavi Ugonem Notarium Apoſtolice Sedis.*

C *Hactum infra Canonicam Sancte Marie.*

Ego Ildebrandus Judex ſacri Palatii Lateranenſis, & nunc per Dei gratiam Piſane Civitatis Conſul in hac Carta a me facta ſubſcripſi.

Signa ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ *manuum Gerardi Vicecomitis, & Athonis quondam Marignani, Alberti quondam Ugonis, Henrici quondam Rolandi, Lamberti quondam Guidonis, tunc temporis Conſulum, Petri quondam Albitthonis, Gerardi Gaetani quondam Ugonis, rogatorum teſtium.*

Ego Ugo Notarius Apoſtolice Sedis poſt traditam complevi & dedi.

Iſta Carta facta eſt eo tenore, quod poſtquam debitum, quod eſt nominative centum quinqua- D *ginta Librarum de capitali Ugonis filii quondam Ugonis, & centum Librarum de capitali Guidonis filii quondam Bolgarelli; fuerit ſolutum cum ſuo prode, ego, vel meus ſucceſſor, ſive meus Miſſus, dare habemus tibi prefato Archiepiſcopo vel tuis ſucceſſoribus, aut veſtro Miſſo, centum Libras bonorum denariorum Lucenſium. Quas etiam per predictos annos ſolvere promittimus . . . . Si taliter fecerimus & conſervaverimus, quod ſit inanis & vacua, & in noſtra redeat poteſtate. Quod ſi taliter non fecerimus, & non conſervaverimus per aliquod ingenium, tunc inde in antea habeatis vos & ve-*

& veſtri Succeſſores predictum Caſtrum & Curtem cum omni ſua pertinentia per iſtam cartulam proprietario nomine, ad faciendum inde quicquid volueritis abſque omni calumpnia, donec predicte Mille Libre vobis ſolute ab Operariis erunt vel eorum Miſſo. Et repromiſſionem ad defendendum qui per manum tenet ad penam argenti optimi Libras Mille ad eumdem datare meritum & teſtes. Et inveſtivit eum inde ad proprietatem ad iſtam penam ad eumdem datare, meritum, & teſtes. Et juravit ipſe Ildebrandus Judex & Operarius atque Conſul ad ſancta Dei Euangelia, quod ſi predictum terminum transhactaverit ipſe, vel ejus ſummiſſa perſona predictum pignus non habent agere nec cauſare, neque aliquo modo imbrigare ad ſupradictum Archiepiſcopum vel ſucceſſores ſuos, donec predicte mille Libre ſolute non fuerint.

Charta onerum, ſub quibus agros quoſdam ad utendum dederat, ſive locaverat Atto Archiepiſcopus Piſanus. Anno 1120.

I*N nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Dei eterni. Anno ab Incarnationis ejus Milleſimo Centeſimo Vigeſimo Primo, Quintodecimo Kalendas Julii, Indictione Tertiadecima. Hec ſunt ſacramenta de uſo de Curte, & de diſtricto de Blentina, que fecit jurare* Atto Archiepiſcopus Piſane Sedis *cum conventione filiorum Opithonis, & conſenſu videlicet Ugicionis, & Opithonis, & Alfieri, & Dragoncini, Barucci quondam Guidi, & Ildibrandi quondam Pacci. In primis juravit Petrus de Valle poni de ſuo tenimento de Manſo Solidos IV. & ſtaria IV. de grano, & IV. de milio, & IV. de favis. Hec ſunt Feoralis; cetera ſcilicet & Placitum, & Guaittam, & Alogamentum de manſo, & Albergariam redantur donacate Curte, & eundo aut redeundo detur Feorali panis & vinum & annonam ſemel aut bis plus in annum. Poſt hec juravit Petrus, qui dicitur Morlo, de Maſcio, quod ipſe eum ſuis conſortibus detinet; debet dare antiquitus Solidos V. & Denarios II. & I. falcem. Hec ſunt Feoralis; cetera ſcilicet placitum, guaittam, & albergariam, & allogamentum, & pollaſtrum, & olera Curti reddantur. Poſt ec juravit Pietri de Scandicio de Maſcia, quam ipſe detinet cum ſuo conſorte; debet dare Solidos X. Feorali; cetera que dentur Curti, & placitum, & guaittam, & allogamentum, & pollaſtrum ancipiti, & olera. Bellus juravit Solidos IV. pro inveſtitione pro ſe & pro conſortibus ſuis, & XII. pollaſtri, & parium unum de bovibus in Madio Menſe, & unum carrum de feno donicato ad metam donicatam, & una carratam de vino donicato ad butem donicatam, & unum parium de bovibus in Autunno tempore, & placitum & guaittam, & albergariam, & alogamentum, & polaſtrum, & Magiſterium. Venerellus cum ſuo conſorte Solidos X. dentur Feorali; cetera dentur Curti, & magiſterium in edificatione & allogamentum. Baruccius & Martinus, qui dicuntur Siſi, juravere Solidos X. de ſuo manſo eſſe daturos, & ſunt Feoralis; placitum & cetera & alogamentum dentur Curti. Bilingalli Solidos VIII. Feorali, cetera dentur Curti. Paſquali cum ſuis conſortibus juravit debere dare Solidos XI. & ſunt Feoralis; placitum, & laborationem in Caſtello & pollaſtrum & allogamentum dentur Curti. Arnaldinus & Martinettus de manſo, qui dicitur Guaitapinte, juravere debere dare Solidos V. & ſunt Feoralis; & eundo aut redeundo detur panis & vinum & annona ſemel aut bis in anno: cetera dentur Curti. Biliſatri de illorum manſo juravere debere dare Solidos XXXII. In his excludantur cetera, exceptá albergaria, ſive victu. Medietatem unius Manſi, que recta eſt per Brunum filium Sabatini, perſolvitur IV. Solidis, & ſunt Feoralis; placitum & laborationem in Caſtello & allogamentum & albergariam redantur Curti. Maſcium medium Marchi de Sala perſolvitur Solidis X. Maſcium Felariorum per Solidos XIII. & tres petie de terris perſolvuntur per Solidos VI. Hec medietas Manſi Marchi, & Maſcium Felariorum, & petia de terra, ſi placet Domino Archiepiſcopo, liberate ſunt a filiis Luttieri, a quibus in pignore detinebantur. Banduſcius & Blentinellus germani de illorum manſo juraverunt debere dare Solidos IV. & unum parium de gallinis, & unum parium de focaceis, & terratici quintum Starium, & ſunt hec Feoralis; & placitum, laborationem in Caſtello, & allogamentum, & albergariam dentur Curti. De Manſo Panpinelli abentur Solidi VIII. & ſunt Feorales; cetera ſcilicet & placitum, & laborationem in Caſtello, & allogamentum, & pollaſtrum debentur Curti, & albergaria. De Manſo de Saſſo debet habere Curia placitum & guaitam & albergariam & allogamentum, opera angajareccia, terraticum: Feoralis. De Manſo, quod Petrus Azili detinet cum omni ſua obedientia, debetur Curti ſcilicet obedientia operum & terratici & amaſcere, cum VI. Denariis: mortuo tenitore a Caſtaldionibus poſita eſt in obedientia X. Solidorum. Unuſquiſque ſciat, albergariam, quam ſuperius legitur, non alio modo eſſe datam, niſi tantum fenum & paleam equis.*

Ego Bruno Notarius Domni Imperatoris autenticum vidi & legi; ut in eo elevo, tantum hic ſcripſi.

Donatio

Donatio portionis Caſtelli Cenajæ, aliorumque bonorum, facta Eccleſiæ Piſanæ, ejuſque Archiepiſcopo Attoni. Anno 1120.

IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Dei eterni. Anno ab Incarnatione ejus Milleſimo Centeſimo Vigeſimoprimo, Quarto Idus Octubris, Indictione Quartadecima. Manifeſti ſumus nos Guido filius quondam Ungarelli, & Ghiſla jugalis ejus & filia quondam Benedicti, quia conſentiente mihi predicte Ghisle viro meo ſub notitia & interrogatione ſecundùm Legem, Ughicionis Judicis Domni Imperatoris, videlicet nulla incidente violentia, ſed pura & bona voluntate, ſecundùm Edicti paginam, per hanc offerſionis & donationis donamus tibi omnipotenti Deo & beate Virgini Marie medietatem noſtre portionis de eo, quod nobis pertinet de Caſtello Cenaje, & Burgo; & totum Sedium, quod habet & detinet pro nobis Martino, & Secreti, germani filii quondam Urſi; & totum Sedium, quod detinet & habet Petrus quondam Gerardi dal Podio; & totum Sedium, quod detinet & habet a nobis Bonfilio quondam Urſi Faber; & tota Maſia, quam detinet Albertus, & Billincione germani quondam Petri Caroci; & tota Miſia, quam detinet a nobis Dominico quondam Dominici; & Sedium & Vinea & Orto, quod detinet Andria quondam Morelli; & tota Maſia, quam detinet predictus Bonfilius, poſita in loco, ubi dicitur, a Rio; & medietatem de una petia de terra, ubi dicitur Campo dal Trebuchi; & medietatem de una petia de terra, ubi dicitur Campo da le Lopie; & medietatem integram de una petia de terra cum vinea doniche, poſite in Valle de Creſpina; & medietatem integram de tertiam portionem de una Miſſa, quam detinet filii Dominici da Luſiana; & medietatem omnium, que nobis pertinent in Curte & pertinentia de ſupradicto Caſtello Cenaje tam in monte, quàm & in plano, ſilvas, paſcuas, prata, agreſtia, culta & inculta; & quartam partem integram de Caſtello Sancto Caſſiano; & Sedium, quod detinet Albertino quondam Pagani in Sancto Caſſiano; & Sedium in eodem loco Sancto Caſſiano, quod detinet Petrus quondam Benboni; & totum Sedium in predicto loco, quod detinet Ungarelli, filius quondam Landuli; & totum Sedium in ſupraſcripto loco, quod detinet filii quondam Gerardi Ruſtici; & totum Sedium in eodem loco, quod detinet a nobis Boncetto quondam Johannis Presbiteri; & totum Sedium, quod detinet a nobis Divitii, quondam Burnelli; & una petia de terra, cum vinea in ſupraſcripto loco Sancto Caſſiano, quod eſt ſtariora quadraginta, exceptis decem ſtarioris de eadem vinea, datis Canonice Sancte Marie; & medietatem, quod habemus in Villa de Calci; & noſtram portionem integram de Caſtello & Podio de Veclano; & tota Miſia in eodem loco Veclano, quam detinet Bonoſo quondam Petri; & tota Miſia in ſupraſcripto loco Veclano, quam detinuit Baratellus & Albertinus germani; & una Miſia da Roſajolo in ſupraſcripto loco Veclano. Ita tamen ut medietas noſtre portionis de Caſtello Cenaja, & Burgo, & omnia Sedia ſupradicta, & omnes Miſie, & terre, & vinee, culta & inculta, & quarta portio Caſtelli San- A *cto Caſſiano cum Curte, & omni ſuo jure & pertinentiis, & omnia Sedia ſupradicta in eodem loco cum ſupradicta vinea poſita in Sancto Caſſiano, & medietas de eo, quod nobis pertinet in Curte de Calci, & noſtram partem de Caſtello & Podio de Veclano, cum ſupradicte Maſie in eodem loco, cum inferioribus & ſuperioribus ſuis, ſeu cum finibus & ingreſſibus ſuis, & cum omni pertinentia eorum, ſint in jure & poteſtate* Attoni Archiepiſcopi, *& ejus ſucceſſoris predicte Eccleſie beate Virgini Marie jure proprietario. Ita tamen ut nullo modo a dominio & poteſtate predicti Archiepiſcopi, & ſuis ſucceſſoris in aliam perſonam vel Eccleſiam vel locum dentur vel transferantur, neque titulo* B *alienationis, neque per Feudum, neque per Libellum, ſet ſemper in perpetuum in dominio & poteſtate predicti Archiepiſcopi & ſui ſucceſſoris ad eorum propriam utilitatem & uſum permaneant; retento tamen apud nos, donec ambo, vel unus, vixerimus, omnium ſupradictorum jure utendi & fruendi. Hec omnia ita donamus & offerimus, ſi ſine filiis legitimis noſtri comunibus maſculo vel femina deceſſerimus; & ſi ego, que ſupra, Gisla ſupervixero, & infra unum annum, poſtquam petiero ad ſupradicto Archiepiſcopo vel ſuo ſucceſſores, quindecim Libras Denariorum Lucenſium, & ipſi mihi eas non dederint, volo, ut ſupradicta donatio pro mea parte tantum ſit inanis & vacua, &* C *nihil de jure redead. Et ſi aliquo tempore nos, qui ſupra, Jugales, vel noſtri heredes, ſive cui nos eam dediſſimus aut dederimus, retollere vel minuere queſierimus per aliquod ingenium tibi, qui ſuper, Atto Archiepiſcopo, vel tuis ſucceſſoribus, & eam ab omni homine defendere non potuerimus, & non defenſaverimus vobis, aut cui vos dederitis, vel habere decreveritis, ſpondimus nos, qui ſupra, jugales comuniter & conſentientes, una cum noſtris heredibus, componere tibi Atto Archiepiſcopo, & tuis ſucceſſoribus, aut cui vos dederitis, iſtas res in duplum in ſerquido loco ſub extimatione, qualis tunc fuerit, & inſuper penam arienti optimi Libras duocentum. Item donamus &* D *offerimus duas portiones integras de una petia de terra cum prato ſuper ſe, quod vocatur Ajole. Et in tali ordine hec ſcribere rogavimus Bernardum Notarium Domni Imperatoris.*

Actum Piſe.

Signa ✠ ✠ manuum ſupraſcriptorum Jugalium comuniter & conſentientes, qui hanc Cartam fieri rogaverunt.

Ego Lodoicus Judex Heinrici Quarti Romanorum Imperatoris Auguſti, interrogans, & hic ſubſignans interfui.

Signa ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ manuum Lamberti quondam Presbiteri Gerardi, & Aldiberti filius ejus, Gerardini quondam Andrie, Bernar- E *dini quondam . . . . . Ricardi quondam item Ricardi, & Bernardi quondam ſupradicti Benedicti, & Leoni filius Marignani, rogatorum teſtium.*

Ego Bernardus Notarius Domni Imperatoris poſt traditam complevi & dedi.

Tranſa-

Tranſactio inter Gerardum Comitem, filium quondam Gerardi Comitis, atque Attonem Archiepiſcopum Piſanum, pro Curtibus de Belora & de Buveclo. Anno 1120.

IN *eterni Dei nomine. Amen. Breve recordationis, qualiter* Gerardus Comes filius quondam Gerardi Comitis *finem fecit & transhactionem Gratiano Vicedomino ad partem Eccleſie Archiepiſcopatus Sancte Marie, & vice* Attoni ejuſdem Eccleſie Archiepiſcopo, *& Mingarde relicte quondam Ugonis Comitis, & filie quondam Ildebrandi Vicecomitis, & filiis ſuis, de quinque partibus integris de Curte de Belora, & de Curte de Buveclo, & omnibus eorum pertinentiis, ſcilicet hoc modo. Cum prefatus Vicedominus conduxiſſet tres homines de Belora, quorum nomina ſunt, Paganus quondam Fralini, Johannes quondam Teuthii, Ubertus quondam Bernardi, qui cum preſti fuiſſent jurare coram poſitis Evangeliis ſacramentum ſuperius ſcriptum, laudatum a iſtis Athone & Lanfranco prefatus Gerardus Comes remiſit, & finem & transhactionem fecit de iſtis quinque partibus de Curte de Belora, & de Curte de Buveclo, & omnibus earum pertinentiis; quod ab hac hora in antea ipſe Gerardus, nec ſuus heres per ſe vel per ſummiſſam perſonam, neque per Placitum, fatigare contra iſtam Eccleſiam, ſive Archiepiſcopum, vel ejus ſucceſſores, vel Mingardam & filios ſuos vel eorum heredes, aut cui ipſi dederint, vel habere decreverint. Et inſuper ſpo-* A *pondit atque obligavit ſe predictus Gerardus & ſuos heredes, quod ſi ita non obſervaverint, & omni tempore taciti & contenti inde non permanſerint, quod componere debet ipſe Gerardus & ſuos heredes ad partem predicte Eccleſie, ſuiſque Rectoribus, & ad partem predicte Mingarde & filiis ſuis, eorumque heredibus, aut cui ipſi dederint, vel habere decreverint, penam argenti optimi Libras quinquaginta. Unde prefatus Vicedominus fecit ei meritum Spatam unam. Ut magis omni tempore predicta finis & transhactio firma & ſtabilis permaneat ſemper atque perſiſtat, hoc factum eſt in preſentia Ildebrandi Judicis & Conſulis, & Gerardi Gaëtani Conſulis, & aliorum.*

B *Hactum in Clauſtro de Plebe Sancti Laurentii de Plattha, Anno Dominice Incarnationis Milleſimo Centeſimo Vigeſimo Secundo, Quarto Kalendas Septembris, Indictione Quartadecima.*

Et ego Ugo filius Ugonis Notarii hoc breve ſcripſi vice Ildebrandi Judicis & Conſulis, & ex ſua juſſione.

Ego Ildebrandus Judex ſacri Palatii Lateranenſis, & nunc per Dei gratiam Piſane Civitatis Conſul, huic transhactioni, mea laudatione facte, interfui & ſubſcripſi, & vice mea Ugonem ſcribere juſſi.

Laudum in lite vertente inter Attonem Archiepiſcopum Piſanum, & Girardum Comitem, cauſsâ Curtis de Cecina. Anno 1121.

IN *eterni Dei nomine. Amen. Nos Atho Marignani & Lanfrancus Girardi, in quorum laudatione lis erat inter* Archiepiſcopum, *&* Comitem Gerardum *de Curte de Cecina, poſita fuit pro auferenda pugna, que erat pro ipſa lite a Benthone & Ughiccione Judicibus per ſententiam data erat, in hunc modum diffinimus & finem tali concludimus. Laudamus itaque, ut* Comes Gerardus *habeat ſextam partem de Cerreto & Cecina, & quinque partes ſunt Archiepiſcopi. Et laudamus ut de Linaja habeat inde Comes, quod modò habet & detinet, & ſimiliter Archiepiſcopus. Et ſi evenerit, quod Comes Gerardus noluerit facere, quod ſupra laudavimus, volumus & laudamus, ut tres homines de Curte de Cecina jurent ad ſancta Dei Evangelia, & eodem jurejurando manifeſtent & demonſtrent, que pars fuit Guilielminga, & que fuit Tedicinga. Hec omnia, que ſuprascripta ſunt ex comuni concordia noſtra laudamus, & ſub pignorum obligatione confirmamus, pena quinquaginta Librarum argenti optimi ei, qui contra fecerit, impoſita. Similiter laudamus, ut finem & transhactionem inter ſe faciant in laudatione ſuorum Judicum ſub eadem penam, quam prediximus, & ſibi-* C *metipſis, ſuiſque ſucceſſoribus, atque heredibus, & cui ipſi dederint, vel habere decreverint. Similiter laudamus, ut qualem finem Archiepiſcopum fecerit Gerardo de parte, que a preeumdem Gerardo remanet, illam eamdem faciat mulier Ugonis filii Tedici cum filiis ſuis Comitem Gerardo ab huc uſque ad feſtum Sancti Michaëlis, & Comiti Gerardo ſimiliter eidem; & ſi evenerit, quod mulier filii Tedicii noluerit facere ipſam finem, Gerardus non teneatur eam finem facere. Omnia autem, que de finem Archiepiſcopi ſupra dicta ſunt, firma & in ſuo robore permanead.*

Data partibus in Curiam ejuſdem Arebiepiſcopi, Incarnationis Dominice, Anno Milleſimo D *Centeſimo Vigeſimo Secundo, Octavo Kalendas Septembris, Indictione Quintadecima.*

Signa manuum Gerardi Gaëtani, Lamberti quondam Girardi de Lucagnano, Guſmari quondam Ugoli, Job quondam Ildebrandi, Ugoni quondam Gerardi, Salinbene quondam Lamberti, Gerardi quondam Andree, Rollandi quondam Guidi, Terolfini quondam Gualandi, Guidi quondam Alberti, Ugoni quondam Johannis, Petruccius quondam Scarinci, Gerrus quondam Petri, teſtium.

Edict·

Edictum Rogerii Archiepiſcopi Piſani de Decimis perſolvendis Plebano Plebis de Ripabella. Anno 1125.

ROgerius Dei gratiâ Piſane Eccleſie Archiepiſcopus. *Officii noſtri cauſa tenemur & vigilantiâ ſuper ſuſcepti gregis ſalutem intendere, & ne alicujus odii vel ſimultatis zelo in eis bonum turbetur pacis cenſura juſtitia debemus unicuique ſua decernere. Ad eorum namque profectum & quietem credimus pervenire, ſi diſcrevimus ...... cui competat, quo minime liceat, ad aliena manus extendere. Sepe vero Lambertus Plebanus Plebis de Ripabella ante ſedis noſtræ preſentiam depoſuit querimoniam, Eccleſiam ſuam a Monachis, Decimarum & Corporum rapinis demoliri, & ſe a Parrocchianis propriis hac de cauſa ſeditionibus, & crebris injuriis laceſſiri. Ad hujus gentis notitiam habendam venerabilem fratrem noſtrum Ugonem direximus Archipresbiterum, ut ejus monitu Parrocchianorum ſimplicitas erudita, matris ſuæ Eccleſiæ debitum ſolveret, & ſi qua ingerentium fuit rapina, regulâ juſtitiæ redarguta deficeret. Is vero proſecutis de cetero ut omnis in eis hujus ...... controverſia ſopiatur, volumus, & hac noſtræ inſtitutionis pagina firmamus, ut Parrochiani, qui infra territorium predicte Plebis de Ripabella continentur, ad eamdem Plebem Decimas ſolvant, & mortuorum Corpora ſepeliant. Hoc enim & antiqua Patrum auctoritas, & Sanctorum habent decreta, quod in illius gremio defunctus debet quieſcere, de cujus ſe meminit utero per regenerationis miſterium proceſſiſſe, & ibi omnes* A *Decimas & oblationum vota ſolvere, cujus ſe ſpecialis novit nutritum lacte doctrine. Si quis vero illorum puræ intentionis affectu in Monaſterium vivus deſiderat converti, vel defunctus ſepeliri, non attractus Feudo, non ſeductus publicis vel privatis muneribus, poſtulata & ab eâdem Eccleſiâ acceptâ licentiâ, honore debito ſoluto, ad quod voluerit Monaſterium libere eat. Sic namque & caritas illibata inter eos ſervabitur, & juſtitia non ledetur. Quicunque igitur huic noſtre conſtitutioni contraire temptaverit, ſciat ſe contemptorum penas incurrere, & eternæ maledictionis participem eſſe.*

✠ *Ego Rogerius Piſanæ Eccleſiæ Archiepiſcopus ſcribi juſſi & ſubſcripſi.*

B ✠ *Ego Ugo Archipresbiter ſubſcripſi.*

Ego Bernardus Presbiter ſubſcripſi.

Ego Presbiter Martinus ſubſcripſi.

Ego Presbiter Signorectus ſubſcripſi.

Ego Henricus Presbiter ſubſcripſi.

Ego Lambertus ſubſcripſi.

Ego Ildebrandus Diaconus ſubſcripſi.

Ego Albertus Diaconus ſubſcripſi.

Ego Benedictus Subdiaconus ſubſcripſi.

Ego Bernardus Subdiaconus ſubſcripſi.

Ego Ildebrandus Subdiaconus ſubſcripſi.

Data in Clauſtro Sanctæ Mariæ Piſani Archiepiſcopatus, per manum Uberti Diaconi, Anno ab Incarnatione Domini MCXXVI. Indictione Tertia, Octavodecimo Kalendas Octobris.

Charta redituum debitorum Rogerio Archiepiſcopo Piſano ex agris uſui datis in diſtrictu Caſtelli Raſignani. Anno 1125.

IN *Chriſti nomine. Breve ad memoriam ...... & Martino Jannini. In preſentia* Rugerii Archiepiſcopi, *& Grano Vicedomino ...... Sigheri, & Gerardo quondam Gerardi Vicecomitis, & Alberto quondam Alberti, & Pelwicino quondam Gualandi, & Opitho quondam Adaldi, & Baruccio quondam Guidi juraverunt ad Sancta Dei Euangelia de deſtricto, uſu de Caſtello de Raſignano, & de Curte, que fuit in tempore* Gotifredi Marchioni, & Beatrice Comitiſſa. *Fuit enim tale. De caſis enim que infra murum Caſtelli continentur recipiebant de tertio in tertio anno Solidos XXV. pro fodro. Terre ...... che, que ſunt recte & laborate per filios Barocci, & per Marcum & Petrum quondam Quinit ...... nini, & per filios quondam Goffi, & per filios quondam Saraceni, & per Selvangnoli, ſunt in feodo de filiis quondam Henrici. Terre vero Marche, que ſunt recte & laborate per Petrum quondam Vitali, & per ſuos conſortes, & per Dominichum quondam Bonithi & per filios quondam Saraceni, ſunt in feudo Ildebrandi quondam Sigheri & Raineri & Tegrimi germanorum filio-* C *rum quondam Raineri. Hii omnes iſti laboratores debent facere Placitum & Albergariam Miſſo Marchioni, preter Selvangnoli, qui tantum debent reddere I. corbam annone, & carnem & panem & vinum. Botacci per omnem annum dant IV. ſtaria annone, & IV. panes, & II. derrate de carne, & vinum. Teutho dal Borgo I. ſtario de annona, & I. pane, & I. pollo. Bando Gengio I. uno ſtario de annona ...... ſtaria annone, & II. panes, & II. pullos. Bocceringhi II. ſtaria annone, & II. panes, & I. pullum. Bucallo & Meliolo & Peccio II. ſtaria annone, & II. panes, & I. pullum. Prete Baldinghi Chifori .... Hos predictos redditos dant Miſſo Marchioni. Om-* D *nes vero homines coabitantes in ſupraſcripto Caſtello, & in ejus Curte, ſi inter ſe reclamationem fecerint, vel aliquis adversùs eos, juſtitiam ante Nuntium Poteſtatis faciunt.*

Anno Domini Milleſimo Centeſimo Vigeſimo Sexto, Quinto Idus Novembris, Indictione Quarta.

Ego Ubaldus Notarius Donni Inperatoris ibi fui, & hoc breve ſcripſi.

Venditio Caſtelli & Burgi de Furcule facta Rogerio Archiepiſcopo Piſano a Guidone Malaparte. Anno 1126.

IN nomine Sancte & individue Trinitatis. Amen. Anno Dominice Incarnationis ejus Milleſimo Centeſimo Vigeſimo Septimo, Quinto Idus Septembris, Indictione Quarta. Manifeſti ſumus nos Guido, cognomine Malaparte, quondam item Guidi, atque Galiana jugalis ejus & filia quondam Ermanni, qui comuniter & conſentientes mihi ſupraſcripto viro meo, ubi intereſſe videtur notitia Falconis Judicis ſacri Palatii, a quo ſecundùm legem interrogata & cognita ſum, nullam pati violentiam, ſed pura & integra mea bona voluntate, ſecundùm edicti paginam, per hanc cartam venundamus & tradimus tibi Rogerio, Dei gratia venerabili Piſane Eccleſie Archiepiſcopi, *ementi pro ſupraſcripto Archiepiſcopatu, totum & quidquid nobis competunt infra Caſtellum & Burgum de Furcule, & in ejus pendiciis ſive diſtrictu & confines. Cujus unum capud confinium verſùs orientem extenditur, ſicut trahere videtur Rivum de Alica, & protenditur inde uſque ad Podium de Trecchi, & inde vadit uſque ad Buccam Lapacchi, & deinde procedit uſque in fontem Lucentis; aliud caput a meridie in flumine Here, & inde pergit fere Villam de Regino, & inde vadit uſque ad Molendinum de Maltempo, & ſic currit inde uſque ad Maltalliato, & deinde uſque in Sareta, & de Sareta revertitur in ſupraſcripto Rivo; latus verò unum ſicut trahere videtur a Perghione vetus uſque ad Perghionem novum; ab alio verò latere finatur cum Rivo de Trogiaria, & protenditur uſque in Heram flumine, & ab Hera uſque in predicto Rivo de Alica. Cum omnibus terris, ſilvis, virgareis, pratis, paſcuis, cultis vel incultis, agreſtis & domeſticis, & cum omnibus illis homnibus redditis & penſionibus, ſive tributis, & recollectas, quas & quos predictos noſtros homines nobis ſunt reddere & facere. Predictum totum & quidquid nobis pertinet infra predictum Caſtellum & Burgum &*

A *ejus pendiciis, ſive Curte atque diſtrictu, & infra iſtas confines in integrum cum inferioribus & ſuperioribus ſuis, ſeu cum finibus & ingreſſibus ſuis, & cum omni jure & proprietate & actione ſua, tibi eam, ut dictum eſt, vendo & trado. Et pro iſta noſtra venditione & traditione confitemur, nos a te recepiſſe pretium Librarum octuaginta bonorum denariorum Lucenſis monete in prefinito. Quam noſtram venditionem & traditionem, ſi nos ſupraſcripti conjuges, vel noſtri heredes, cui nos eam dediſſemus, aut dederimus, retollere vel minuere aut impedire ſive imbrigare queſierimus per aliquod ingenium tibi, qui ſupra, Donno venerabili Rogerio Archiepiſcopo, vel tuis ſucceſſoribus, aut*
B *cui vos dederitis vel habere decreveritis, & ſi nos exinde auctores dare volueritis, & eam vobis ab omni homine defendere non potuerimus & non defenſaverimus, ſpondemus nos, noſtroſque heredes tibi prefato Donno Archiepiſcopo, tuiſque ſucceſſoribus ſupraſcriptam noſtram venditionem & traditionem in duplum in ferquide loco ſub eſtimatione qualis tunc fuerit. Et in tali ordine hanc cartam Falconem Judicem & Notarium ſacri Palatii ſcribere rogavimus.*

Actum Piſis.

Signa ✠ ✠ manuum ſupraſcriptorum Jugalium, & que hanc cartam venditionis fieri rogaverunt.

Interfuerunt Lambertus quondam Bonii, Ilde-
C *brandus Pappataccula, Rainulfus quondam Bernardi, Pandulfus de Melda, Raimundus quondam Berithi, Albertus quondam Tebaldini, Cappule quondam Angeli, rogati teſtes.*

✠ Ego Falco Judex & Notarius ſacri Palatii, hanc cartam ſcripſi, & poſt traditam complevi & dedi.

Et repromiſſionem ad defendendum, qui per manum tenet, ad penam Librarum argenti optimi quinquaginta. Actum ad iſtum datarem, meritum, & teſtes.

Placitum ac ſententia Rogerii Volaterrani Epiſcopi & Archiepiſcopi Piſani pro Monaſterio S. Mariæ de Morrona. Anno 1128.

IN nomine Sancte & individue Trinitatis. Dum in Dei nomine Rogerius Dei gratia Vulterrenſis Epiſcopus, ac Piſanorum Archiepiſcopus reſideret juxta Eccleſiam & Monaſterium Sancte Marie de Morrona, cum ſuis Juriſperitis & Notariis ac aliis probis atque nobilibus Viris, ad juſtitiam cognoſcendam & faciendam, ibi in eorum preſentia, videlicet Domini Tebaldi Cauſidici, & Guitardi, & Guidonis Notarii, & Guilielmi Comitis, & Ildebrandini de Caſanova, & Gualandelli de Pecciore, & Scotti de Sugiana, & Gualandelli de Monte Vultrario, & Petri filius Raimundi ſimiliter de Monte Vultrario, & Germundi de Morrona, & filiorum ejus, & aliorum plurium, veniens Guido ſupraſcripti Monaſterii Prior cum ſuis inſtrumentis, oſtendit ſupraſcriptum venerabilem Epiſcopum quedam injuſte detinere de juſtitia ſupraſcripti Monaſterii. Tunc A prefatus venerabilis Epiſcopus, cauſâ cognitâ, refutavit atque poſtpoſuit jam dicto Monaſterio in manu predicti Prioris omnes res, que continebantur in ſuis inſtrumentis, quas ipſe habebat & poſſidebat de Acquiſiana Curte in Vulterrano Epiſcopatu, utpote in Rialto, & in Riparoſſa, & in aliis locis.

Hoc actum eſt Dominice Incarnationis Anno Milleſimo Centeſimo Vigeſimo Nono, Tertiodecimo Kalendas Septembris, Indictione Sexta.

✠ Ego Rogerius Dei gratia Piſane Eccleſie Archiepiſcopus ſubſcripſi.

Ego Ruſticus Archipresbiter interfui & ſubſcripſi.

B Ego Guittardus Juriſperitus interfui & ſubſcripſi.

Thebaldus Cauſidicus interfui & ſubſcripſi.

Ego Uguccio Apoſtolico Sedis Notarius interfui & ſubſcripſi.

Charta Rodulfi Abbatis Monaſterii S. Michaëlis de loco Marturi, per quam Rogerio Archiepiſcopo Piſano vendit jura ſua in Caſtro de Vico, atque in aliis locis. Anno 1129.

IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Dei eterni. Anno ab Incarnatione ejus Milleſimo Centeſimo Trigeſimo, ipſo die Kalendis Septembris, Indictione Septima. Oportet univerſarum Dei Eccleſiarum Rectores, & cunctorum venerabilium locorum diſpenſatores, Eccleſiis & locis, quibus Deo auctore preſunt, proſpicere, & ad utilitatem & conmodum ſeu meliorationem, prout poſſunt, earumdem Dei Eccleſiarum & locorum modis omnibus elaborare. Ideoque ego Rodulfus in Dei nomine Abbas de Eccleſia & Monaſterio Sancti Michaëlis de loco Marturi, comunicato conſilio Fratrum meorum Monacorum, & Advocati, ceterorumque fidelium predicti Monaſterii, pro competenti utilitate predicti Monaſterii, per hanc cartam vendo & trado tibi Rogerio, Dei gratia ſancte Piſane Eccleſie Archiepiſcopo, ad partem predicte Eccleſie, totum, quod predicte noſtre Eccleſie & Monaſterio pertinet in Caſtro de Vico, qui dicitur Auſeriſſula infra ipſo Caſtello, quam & de foris, & in Curte ejus. Et in loco & finibus Ciſano tam infra ipſam Villam quàm & de foris, & in Curte ejus. Et a Camuliano ſicut Hera mittit in Arno uſque ad Mare. Et ex altera parte fluminis Arni a Montecclo ſimiliter uſque ad Mare. Ut dictum eſt, omnia, quæ ſupra leguntur, in integrum cum inferioribus & ſuperioribus ſuis, ſeu cum finibus & ingreſſibus ſuis, & cum omni jure & pertinentiis earum tibi ea, ut dictum eſt, ad ..... predicte Eccleſie vendo & trado. Pro qua a te meritum recepi Solidos tria millia quingentos quadraginta in prefinito. Quam meam venditionem & traditionem, ſi ego, qui ſupra, Rodulfus Abbas, vel mei ſucceſſores, ſive cui nos eis dediſſemus, aut dederimus, retollere C vel minuere queſierimus per haliquod ingenium tibi, qui ſuper, Rogerio Archiepiſcopo vel tuis ſucceſſoribus, aut cui vos ea dederitis vel habere decreveritis, & ſi nos exinde auctores dare volueritis, & ea vobis ab omni homine defendere non potuerimus & non defenſaverimus, ſpondemus nos vobis componere ſupraſcriptam noſtram venditionem & traditionem in duplum in ferquido loco, ſub extimatione qualis tunc fuerit. Et in tali hordine hec ſcribere rogavi Ugonem Notarium Apoſtolice Sedis.

Actum infra Eccleſiam Sancte Marie, poſita in Caſtello, qui dicitur Caſule.

Ego Rodulfus Abbas Marturienſis Monaſterii in hac cartula a me facta confirmando ſubſcripſi.

D Ego Guido Monachus & Sacerdos ſubſcripſi.

Ego Frater Albertus Monachus & Sacerdos ſubſcripſi.

✠ Ego Frater Dominicus Monachus & Sacerdos ſubſcripſi.

Ego Bernardus Monachus & Sacerdos ſubſcripſi.

Ego Frater Azzo Monachus & Levita ſubſcripſi.

Ego Frater Albertus Monachus ſubſcripſi.

Ego Frater Petrus ſubſcripſi.

Ego Frater Placidus ſubſcripſi.

Ego Frater Rainerius ſubſcripſi.

Ego Frater Lambertus ſubſcripſi.

E Signum ✠ manus Sinibaldi Advocati ſupraſcripti Monaſterii, qui interfuit & conſenſit, & ratum habuit.

Signa ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ manuum Arnulfi quondam Stephani, & Veſco quondam Benthulini, & Saſſi quondam Rainerii, & Lotteri quon-

quondam Teci , & Henriei quondam Adalardi , & Berlingherii quondam Petri , & Henrici quondam Alfredi , & Rogerini quondam Guiliccionis, & Jacop quondam Ildebrandi, & Siſmundi quondam Conecti , & Palmenti filii Ugonis , & Teberti quondam Saſſi, & Truffa quondam Corradi , Gerardi quondam Andree , & Guidonis quondam Piſani , & Bernardi quondam Signorelli , & Alcherii quondam Paganuc-

A *cii , Bernardi quondam Roſignoli , rogatorum teſtium .*

Ego Ugo Notarius Apoſtolice Sedis poſt traditam complevi & dedi .

Et repromiſſionem ad defendendum , qui per manum tenet , ad penam argenti optimi Librarum ducentarum , ad ſupraſcriptam datare , meritum , & teſtes .

Tranſactio inter Rodulfum Abbatem Monaſterii S. Michaëlis de loco Marturi, & Rogerium Archiepiſcopum Piſanum. Anno 1129.

IN *nomine Domini Dei viventis in ſecula . In preſentia Benthonis Judicis & Ugonis Notarii, Arnulfi quondam Stephani, Veſco quondam Benthulini , Saſſi quondam Raineri , Lotterii quondam Teci , Henrici quondam Adalaldi , Berlingeri quondam Petri, atque Henrici quondam Gualfredi , Rugerini quondam Guilicionis , Jacop quondam Ildebrandi , Siſmundi quondam Conetti , Palmenti filii Ugonis , atque Teberti quondam Saſſi , Truffe quondam Curradi , Gerardi quondam Andree , Detiſalvi quondam Brettonis , Guidonis quondam Piſani , Bernardi quondam Signorelli , Alkerii quondam Paganuccii, atque Bernardi quondam Roſignoli ,* Rodulfus Abbas de Eccleſia & Monaſterio Sancti Michaëlis de loco Marturi , *communicato conſilio Fratrum ſuorum Monachorum , & Sinibaldi Advocati ejuſdem Eccleſiæ , ceterorumque fidelium predicti Monaſterii per fuſtem , quem in ſuis detinebat manibus , fecit finem & tranſactionem atque refutationem de omnibus terris & rebus , quas predicta Eccleſia & Monaſterium aliquo modo habebat & detinebat ex parte quondam* Uberti Marchionis *tam infra Caſtrum de Vico , que dicitur Auſeriſſula , quàm & de foris & in Curte ejus ; & in Ciſano , tam intra Villam , quàm & de foris & in Curte ejus , & a Camuliano , ſicut Hera mittit in Arnum uſque ad mare . Et ex altera parte fluminis Arni a Monteclo ſimiliter uſque ad mare ,* Rogerio Dei gratia ſancte Piſane Eccleſie Archiepiſcopo *ſuiſque ſucceſſoribus , ad partem predicte Eccleſie . Quod ab hac hora in antea ipſe Rodulfus Abbas , nec ſui ſucceſſores , neque cui ipſi dederint , vel habere decreverint , habent inde agere vel cauſſare , ſive moleſtare , atque per Placitum fatigare . Et inſuper ſpopondit atque obligavit ſe & ſuos ſucceſſores adversùm ſupraſcriptum Archiepiſcopum & ſuos ſucceſſores ad partem predicte Ec-*

B *cleſie , aut cui ipſi dederint vel habere decreverint , quod ſi aliquo tempore de omnibus , que ſuper leguntur , egerint aut cauſaverint vel intentionaverint ſeu minuaverint atque moleſtaverint , ſive per Placitum fatigare fecerint per ſe vel per ſummiſſam perſonam per quolibet ingenium , & omni tempore taciti & contempti inde non permanſerint , quod componere debet ipſe Rodulfus Abbas & ſui ſucceſſores predicto Rogerio Archiepiſcopo & ſuis ſucceſſoribus ad partem predicte Eccleſie , aut cui ipſi dederint vel habere decreverint penam argenti optimi Libras ducentarum . Unde ipſe Rogerius Archiepiſcopus fecit ei meritum anulum aureum , ut magis omni tempore predicta finis & tranſactio, atque*

C *refutatio firma & ſtabilis permaneat atque perſiſtat .*

Actum infra Eccleſiam Sancte Marie , poſita in Caſtello , qui dicitur Caſule .

Anno Dominice Incarnationis Milleſimo Centeſimo Trigeſimo , ipſo Die Kalendas Septembris , Indictione Septima .

Ego Rodulfus Abbas in hac promiſſione & obligatione ſubſcripſi .

Ego Johannes Monaco & Sacerdos ſubſcripſi.

Ego Guido Monaco & Sacerdos ſubſcripſi .

Ego Frater Albertus Monaco & Sacerdos ſubſcripſi .

Signum ✠ manus ſupraſcripti Sinibaldi Advocati predicte Eccleſie Sancti Michaëlis , qui

D *interfuit & conſenſit .*

Signa manuum ſupraſcriptorum Arnulfi , Veſſco , Saſſi , Lotterii , Henrici , Berlingerii, & item Henrici , Rogerini , Jacop, Siſmundi, Palmenti, Teberti, Truffa, Gerardi, Detiſalvi, Guidonis , Bernardi , Alkeri , item Bernardi , rogatorum teſtium .

Ego Ugo Notarius Apoſtolice Sedis ibi fui , & hoc breve ad memoriam futturi temporis ſcripſi .

Donatio quartæ partis Caſtelli Acqui, facta ab Arduino Comite, filio Guidonis Comitis, Eccleſiæ Piſanæ. Anno 1130.

IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Dei eterni. Anno ab Incarnatione ejus Milleſimo Centeſimo Trigeſimo Primo, Duodecimo Kalendas Decembris, Indictione Nona. Manifeſtus ſum ego Arduinus Comes, filius Guidonis Comitis, quia conſentiente mihi atque precipiente prefato Guidone genitore meo, per hanc cartam pro anime mee remedio & parentum meorum, offero, dono, & concedo Eccleſie Sancte Marie Piſane matris Eccleſie & Archiepiſcopatu, totam illam quartam portionem, que mihi obvenit per cartam donationis ex parte Comitiſſe Cicilie uxoris quondam Ugonis Comitis, que ſibi evenit per Morgincap ex parte prefati Comitis Ugonis viri ſui in Curte & in Caſtellis de Acqui, cum omnibus earum pertinentiis & adjacentiis tam donicatis quàm & maſſariciis, cultis & incultis, domeſticis & agreſtibus, diſtrictis & Placitis ſupraſcripta Curte & Caſtello pertinentibus, ut dictum eſt, cum inferioribus & ſuperioribus ſuis, ſeo cum finibus & ingreſſibus ſuis, & cum omni jure & pertinentiis earum, omnipotenti Deo & jamdicte Eccleſie offerre provideor tali ordine, ut ab ac hora in antea ſit propriis juris ſupraſcripte Eccleſie & Archiepiſcopatui Sancte Marie proprietario jure. Et ſi ego, qui ſupra, Arduinus Comes, vel meus heres, ſive cui nos eam dediſſemus aut dederimus, retollere vel minuhere quesierimus per aliquod ingenium, aut ſi noſtrum datum vel factum de omnibus ſupraſcriptis rebus apparuerit, & omni tempore taciti & quieti inde non permanſerit, & eam ab omni homine defendere non potuerimus & non defenſaverimus, ſpondeo ego, qui ſuper, Arduinus Comes, una cum meis heredibus, conſentiente mihi ſupraſcripto genitore meo, componere ad partem ſupraſcripte Eccleſie & Archiepiſcopatu Sancte Marie, ejuſque Rectoribus, aut cui ipſi dederint, ſupraſcriptam rem in duplum in ferquido loco ſub extimatione qualis tunc fuerit. Et inſuper penam argenti optimi Libras centum. Et in tali ordine hec ſcribere rogavi Bernardum Notarium Domni Imperatoris.

Actum in Coro infra Plebe de Montecaſtelli.

Signum ✠ manus ſupraſcripti Arduini Comitis, cum conſenſu, & auctoritate, & licentia ſupraſcripti genitoris mei, qui hanc cartam offerſionis fieri rogavit.

Signa ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ manûm Paganelli quondam Rollandi, & Ermannus & Stramb . . . . . . germani filii Rollandi de Ozano, Ildebrandi quondam Sicheri, & Petri quondam Ugonis quondam Pagani, Gerardi Vicecomitis quondam Gerardi Vicecomitis, Curtevecchia filius Alberti, & Scotto quondam Bernardi teſtium.

Supradictus Arduinus juravit ad ſancta Dei Euangelia, ſupraſcriptam offerſionem, & conceſſionem, ſicut ſupra legitur, licentia & auctoritate ſupraſcripti genitoris mei ſcribere rogavi hanc cartam eumdem Bernardum, & predictus pater meus ſic mihi precepit, ſic etiam jam dicta Comitiſſa Cecilia illut idem mihi fieri juſſit.

Ego Bernardus Notarius Domni Imperatoris, poſt traditam complevi & dedi.

Supradictus Arduinus Comes, per fuſtem, quem in ſua manu tenebat, inveſtivit Rogerium venerabilem Archiepiſcopum Piſane Eccleſie de ſupradicta quarta portione de ſupraſcripta Curte & Caſtello & ejus pertinentia, ad ſupraſcriptam penam, ad eumdem datare, & teſtes.

Traditio

Traditio Hoſpitalis Caſamvidiæ, ſacta a ſundatoribus pii loci Uberto Archiepiſcopo Piſano. Anno 1133.

I*N nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Dei eterni . Anno ab Incarnatione ejus Milleſimo Centeſimo Trigeſimo Tertio , Nono Kalendas Martii Indictione Undecima . Quoniam divine admodum conſtitutum eſt , & ſalutem animarum & corporum medelam eſſe cognoſcitur , piis & venerabilibus Locis providere , ut optime conſtituantur & gubernentur , ne in poſterum ullam diminutionem vel jacturam patiantur ; ideoque nos Bernardus & Leo conjuncti ad onorem & ſervitium omnipotentis Dei, & ſalutem pauperum , Oſpitale ſitum Caſamvidia , a nobis ordinatum & conſtitutum ad ſervitium Dei & pauperum , cui omnia noſtra bona mobilia & immobilia , ujus ſeculi procellis & mundanarum rerum deſideriis derelictis , ea conceſſimus pro remedio animarum noſtrarum, noſtrorumque parentum ; tibi Deo , & Sancte Marie Piſane matris Eccleſie* Domno Uberto venerabili ejuſdem Eccleſie Archiepiſcopo , *& Canonicis predicte Eccleſie ſupradictum Oſpitale , cum omni ſua pertinentia & proprietate , que nunc abet , vel abiturus eſt , ſummittimus & damus , ut ſit in veſtra , veſtrorumque ſucceſſorum tutela & cura . Ad abendum , tenendum , gubernandum , meliorandum , nec in ullo de jure ſuo diminuendum , ſed pro amore & timore Dei , & veſtrarum animarum remedio, a vobis & a veſtris ſucceſſoribus , cura & ſtudio veſtro ſemper in melius procedat & augeatur . Et ſi aliqua perſona ullo tempore predicto Oſpitio vel ſuis rebus offenderit vel diminuere voluerit , a vobis & a veſtris ſucceſſoribus omnibus modis , prout decet , defendatur . Nullâ tamen conceſsâ poteſtate atque licentiâ ipſum Oſpitium deſtruendi , vel ſubponendi alicui perſone vel loco , vel donandi vel permutandi vel ullo modo alienandi , ſed ſemper in veſtra , & in ſucceſſoribus veſtris cura , & proviſione ſemper permanead ad utilitatem & proficuum ſupraſcripti Oſpitii . Et ſi , quod abſit , aliquit contra oc , quod ſupra dictum eſt , a vobis , vel a ſucceſſoribus veſtris excogitatum fuerit , caſſum*

A *& inutile permanead , & ſemper in ejuſdem Eccleſie poteſtatem & in eorumque meliore fide ſteterint & permanead . Quam noſtram dationem & traditionem firmam & ſtabilem eſſe volumus. Et ſi nos , qui ſupradicti Bernardus , Leo , vel noſtri ſucceſſores , ſive cui nos dediſſemus , aut dederimus , contra vos , vel contra veſtros ſucceſſores egerimus , aut cauſaverimus , vel intentionaverimus , atque moleſtaverimus , ſive per Placitum fatigare fecerimus per nos , vel per noſtram ſummittentem perſonam , & omni tempore taciti & contenti inde non permanſerimus, ſpondemus nos ſupraſcripti Bernardo & Leo , una cum noſtris ſucceſſoribus , componere vobis veſtriſque ſucceſſoribus penam argenti optimi Libras centum .* B *Et in tali hordine hec ſcribere rogavimus Guidonem Notarium Donni Imperatoris .*

Actum in Clauſtrum ſupraſcripte Canonice .

Signum ✠ ✠ *manus ſupraſcriptorum Bernardi , & Leonis comuniter , qui hoc ſcriptum rogaverunt fieri .*

Signum ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ *manus Ildebrandi filius quondam Sigeri filio quondam Matti, Seſmundi filius quondam Conetti , Odimondi, qui Macco vocatur , filius quondam Adthi , Bernardi filius quondam . . . . . . Deotiſalvi filius quondam Brettoni , qui fuerunt rogati teſtes .*

✠ *Ego Ubertus Piſane Eccleſie Archiepiſcopus , & Presbiter Cardinalis , titulo Sancti Clementis , hanc cartulam confirmo , & ſubſcribo .* C

✠ *Ego . . . . Archipresbiter in ac cartula ſubſcripſi .*

✠ *Ego Henricus Presbiter , & Cuſtos , & Plebanus de Calci , ſubſcripſi .*

✠ *Ego Presbiter Martinus ſubſcripſi .*

Ego Presbiter Lambertus ſubſcripſi .

Ego Ildebrandus Diaconus ſubſcripſi .

Ego Gerardus Diaconus huic donationi ſubſcripſi .

Ego Guido Notarius Domni Imperatoris poſt traditam complevi & dedi .

Commu-

Commutatio rerum inter Ubertum Archiepiſcopum Piſanum, & Ubertum Abbatem Monaſterii S. Juſtiniani de Faleſia, in qua duæ partes Caſtelli Plumbini Archiepiſcopo conceduntur. Anno 1135.

IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Dei eterni. Anno ab Incarnatione ejus Milleſimo Centeſimo Trigeſimo Quinto, Undecimo Kalendas Februarii, Indictione Tertiadecima. Manifeſtus ſum ego Ubertus Abbas Monaſterii Sancti Juſtiniani de Faleſia, *quia tu* Ubertus Dei gratia Piſanæ Eccleſiæ Archiepiſcopus *conveniſtis nobiſcum ad utilitatem quàm commodum predictæ veſtræ Piſanæ Eccleſiæ & infraſcripti noſtri Monaſterii Sancti Juſtiniani commutationem faceremus de quibuſdam terris, quæ videntur eſſe ſub jure prefatæ veſtræ Eccleſiæ & ſupraſcripti noſtri Monaſterii. Proinde ſub notitia bonorum hominum & fidelium utriuſque Eccleſiæ veſtræ quàm noſtræ, quorum nomina ſubter leguntur, quàm rationabiliter decreverunt, ipſas terras quàm res, quas commutare diſpoſueramus, eſſe utiles ad meliorationem quàm commodum utriuſque Eccleſiæ, ſecundùm eſtimationem predictæ commutationis. Per hanc commutationis cartam cedere quàm per immutabilem traditionem largiri videor vobis Donno Uberto ſupraſcriptæ Piſanæ Eccleſiæ Archiepiſcopo, tuiſque ſucceſſoribus ad utilitatem quàm proprietatem, ut dictum eſt, veſtræ Eccleſiæ, duas partes integras de* Caſtello & Rocha, quæ dicitur Plumbinum, *ſicut eſt præcincta a mari, uſque ad Carbonariam, vel a mari, quàm ab ipſa Carbonaria, exceptis quam antepoſitis inde ſex ſcalis de terra ad juſtam perticam menſurata, que per medietatem inter nos & vos habere quam detinere debemus, & excepta tanta terra de communi noſtro & veſtro, in qua vel ſuper qua Cappella & Caſa Presbiteri ipſius Cappellæ, in qua habitet, poſſint hædificari. Item damus & tradimus vobis duas petias integras de medietate illius terræ, quæ eſt poſita infra ſupraſcriptos terminos, quos hìc nominamus, videlicet ſicut Lecia-pertuſa vadit per Serram montis, & per Bracalaniam uſque ad Capetholum in mare, & ſicut mare precignit totam ipſam terram cum predicta Carbonaria uſque ad Rivum-fenalem, & ſicut ipſe Rivus-fenalis vadit in Serram ad predictam Leciam-pertuſam. Exceptamus quam anteponimus inde prefatam Eccleſiam & Monaſterium Sancti Juſtiniani, quàm ejus Clauſtro, cum ſuo Cimiterio. Predictas duas partes integras de iſto Caſtello & Rocha Plumbini, ſicut eſt precincta a mari, quàm Carbonaria, preter ſex ſupraſcriptas ſcalas de terra, quas per medietatem inter nos habere debemus, quàn preter ſupraſcriptam terram de comuni utriuſque partis, in qua Cappella & Caſa Presbiteri poſſint hædificari, item duas partes integras de medietate* A *illius terræ, quæ eſt poſita infra ſupraſcriptos terminos, preter Monaſterium quàm Eccleſiam quàm clauſtra cum ſuo Cimiterio, qualiter ab omni parte circumdatæ ſunt per deſignata loca, & ſicut per capita & latera & menſuram inveniri poſſunt, cum inferioribus & ſuperioribus ſuis, ſeu cum finibus quam acceſſionibus quam ingreſſibus ſuis, cum omni jure quam pertinentiis earum, in integrum vobis, ut dictum eſt, inrevocabiliter cedo & trado in perpetuum nomine commutationis, ut dictum eſt. Tali ordine, ut nullo tempore nullo modo liceat vobis vel veſtris ſucceſſoribus aut hiconomo, predictas terras ſeu res vendere vel donare aut aliquo alio titulo alienare, ſed ſemper debeat in* B *poteſtate predictæ veſtræ Piſanæ Eccleſiæ incommutabiliter permanere, & in ejus proprietate quam dominio. Pro qua noſtra commutatione quam traditione recepi a vobis unam petiam de terra, poſita juxta Civitatem Piſam prope Eccleſiam Sancti Nicholai, quàn inſuper Solidos trimilia quadringentis in prefinito. Quam meam commutationem quàn traditionem ſi ego, qui ſupra, Ubertus Abbas, vel mei ſucceſſores, ſive aliqua noſtra ſummiſſa perſona aut hiconomus noſtri Monaſterii aliquo tempore revocare vel remutare, aut in aliquo diminuere quæſierimus per quodlibet ingenium, & ſi eam vobis ab omni homine defendere non potuerimus quam non defenſaverimus ad partem quàn proprietatem predictæ veſtræ Piſanæ Eccleſiæ, ſpondeo* C *ego, qui ſupra, Ubertus Abbas, unacum meis ſucceſſoribus prefati noſtri Monaſterii Sancti Juſtiniani, componere vobis, qui ſupra, Donno Uberto Archiepiſcopo, veſtriſque ſucceſſoribus, aut hiconomo veſtræ Eccleſiæ, ſupraſcriptam noſtram commutationem quàn traditionem in duplum in ferquido loco ſub extimatione, qualis tunc fuerit, ad partem quàm proprietatem prefatæ veſtræ Piſanæ Eccleſiæ, & inſuper penam argenti optimi Librarum trecentarum; quia in tali ordine hanc commutationis cartam Ildibrandum Notarium Apoſtolicæ Sedis ſcribere rogavimus.*

Actum apud prefatam Eccleſiam Piſani Archiepiſcopatus Sanctæ Mariæ feliciter. D

✠ *Ego Ubertus Abbas Monaſterii Sancti Juſtiniani de Faleſia, in hac carta commutationis ſubſcripſi.*

Ego Falco Judex ſacri Palatii interfui quàm ſubſcripſi.

Ego Manfredus cauſarum Patronus interfui & hic ſubſcripſi.

Ego Ildibrandus Notarius Apoſtolice Sedis poſt traditam complevi & dedi.

Charta

Charta Gerardi Abbatis Monaſterii S. Mariæ de Morrona, per quam vendit Uberto Archiepiſcopo portionem ſuam de duobus Caſtellis. Anno 1135.

A IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Dei eterni. Anno ab Incarnationis ejus Milleſimo Centeſimo Trigeſimo Sexto, Quarto Kalendas Aprilis, Indictione Tertiadecima. Manifeſtus ſum ego Gerardus in Dei nomine humilis Abbas Eccleſie Monaſterii Sanctæ Mariæ de Morrona, quia gravati & coacti onere debiti ſupraſcripti noſtri Monaſterii, cum non habuerimus alias res nobiles, de quibus ipſum debitum ſolvere poſſemus, ideo comuni conſilio Fratrum pro jam dicto debito ſolvendo & utilitate melioris comodi, quaſi loco commutationis, per hanc cartam vendimus & tradimus vobis Donno Uberto venerabili Archiepiſcopo Piſanæ Eccleſiæ, medietatem integram de tribus partibus de Podio & Caſtello & Diſtricto & Curte de Acqui, quod Vivajo vocatur. Et de Podio & Caſtello & Curte & Diſtricto de Morrona: exceptis & antepoſitis illis terris & acquiſitis, quæ prefato noſtro Monaſterio pertinebant ante illam dationem Ugonis Comitis, vel datum, quod ipſe in eodem Monaſterio fecit. Predictam medietatem integram de tribus partibus de utriſque prenominatis Podiis & Caſtellis, videlicet Morrona & Vivajo, & eorum Curtibus & diſtrictis, exceptis illis acquiſitis, quæ ſuperius exceptavimus, qualiter ab omni parte per capita & latera & per menſuram ipſe terre inveniri poſſunt; cum inferioribus & ſuperioribus ſuis, ſeu cum finibus, & acceſſionibus & ingreſſibus earum, & cum omnibus adjacentiis & pertinentiis earum & actionibus, & jure in integrum vobis, ut dictum eſt, vendimus & tradimus. Pro qua noſtra venditione & traditione recepimus a vobis pretium quingentorum Solidorum in prefinito. Quam noſtram venditionem & traditionem ſi ego, qui ſupra, Gerardus Abbas, vel mei ſucceſſores, ſive aliqua noſtra ſummiſſa perſona, cui nos dediſſemus aut dederimus, vobis, qui ſupra, Donno Uberto venerabili Archiepiſcopo vel veſtris ſucceſſoribus retollere vel minuere queſierimus per quodlibet ingenium, & ſi eam vobis ab omni homine defendere non potuerimus & non defenſaverimus, ſpondeo ego, qui ſupra Gerardus Abbas, una cum meis ſucceſſoribus, componere vobis, qui ſupra, Donno Uberto venerabili Archiepiſcopo veſtriſque ſucceſſoribus ad partem & proprietatem veſtræ Piſanæ Eccleſiæ, iſtam noſtram B venditionem & traditionem in duplum in ferquido loco ſub extimatione, qualis tunc fuerit, inſuperpenam argenti optimi Librarum centum. Quia in tali ordine hanc cartam Falconem Judicem & Notarium ſacri Palatii ſcribere rogavimus.

Actum aput Canonicam, & majorem Eccleſiam Archiepiſcopatus Sancte Marie.

Ego Gerardus Abbas Eccleſie Sancte Marie de Morrona ſubſcripſi.

Signa ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ manuum Lanfranci quondam Gerardi, Petri Albithonis, Herithi quondam Herithi, Bernardus Lamberti, Scotti filii Bernardi quondam Rothi, Malagalie quondam Germundi, qui interfuerunt rogati C teſtes.

Ego Falco Judex & Notarius ſacri Palatii, poſt traditam complevi & dedi.

Sententia

Sententia Judicum in controverſia agrorum inter Ubertum Archiepiſcopum Piſanum, & alios. Anno 1135.

IN nomine ſummi Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Amen. Nos Bentho Judex, & Manfredus, cauſſarum patroni, electi Judices ab Uberto, divina pietate Piſanorum Archiepiſcopo, *& a* Conſulibus *& univerſo Populo, a diffiniendas lites publicas ſeu privatas; litem, que erat inter Archiepiſcopum Ubertum & Vicecomitem & Henrigum atque Rudulfum, germani filii quondam Gualfredi, commiſſam nobis ab utraque parte, ſic diffinimus. Siquidem cum predictus Archiepiſcopus conqueretur adverſum ſupradictum Vicecomitem & filios Gualfredi, de duabus petiis de terris, que fuerunt de Curte de Cintoria, nunc verò ſunt de Curte de Sancta Lucia, una quarum poſita eſt a Pojo de Querciavelata, & ſicut trait Strada Guili-lminga, da capite Ainchi uſque ad terram de li Petilati in capite deinc; ſecunda petia de terra comprehenditur cum Colle Leuli, tenet unum caput in Rigone, aliud caput tenet in foreſto, & guarigando de Curte de Cimtoria. De his predictis duabus petiis de terris, ſicut deſignata ſunt, dicebat Vicecomes & filii Gualfredi, ſe poſſediſſe per annos quadraginta quiete & ſine legali interruptione. Contra verò Archiepiſcopus dicebat eamdem terram infra illos quadraginta annos Comitem Ughicionem & filium ejus Ugolinum & Teudicium & filium ejus poſſediſſe infra hos quadraginta annos, teſtibus ab utraque parte productis, & a nobis diligenter examinatis. Unde Judices, negotio a Cauſidicis utriuſque partis ſubtiliter diſputato, causâ congnitâ, judicamus,*

A *ut jurent teſtes Archiepiſcopi, infra hos quadraginta annos predictos Comites poſſediſſent. Quo jurato, condemnamus Vicecomitem & filios Gualfredi de predicta terra, niſi teſtes Vicecomiti & filii Gualfredi velint jurare Vicecomitem & filios Gualfredi predictam terram per quadraginta annos quiete poſſediſſe. Tunc eligatur unum ex una parte, & alter ex altera parte, & quis verius vel falſius dicat, bello diſcernatur. Hanc ſententiam data, & teſtibus utrinque juratis Vicecomes & filii Gualfredi remiſerunt bellum, & toti lite renuntiaverunt.*

Data in Curia Domni Uberti venerabili Archiepiſcopo Sancte Marie Piſane matris Eccleſie, in preſentia teſtium Gualandi quondam item
B *Gualandi, & Lanfranchi quondam Gerardi, & Guilielmirici quondam Lanberti, Odimundi quondam Beriti, & Gatti quondam Henrici, & Lanberti quondam item Lanberti Judicis, & Ruſtici quondam Johannis da Montemororo, Ugoni quondam Andree da Sancta Lucia, & Morelli de Nuvila, & Comite Malsparute, Rainulfi quondam Ubaldi, Caciabate quondam Guilicioni, Raineri & Tegrimi germani filii quondam Raineri, Ventrio filio ejuſdem Raineri, & aliorum multorum.*

Anni Domini Milleſimo Centeſimo Trigeſimo Sexto, Quarto Nonas Decembris, Indictione Quartadecima.

Ego Bernardus Notarius Domni Imperatoris,
C *ex juſſione predictorum Judicum hanc ſententiam ſubſcripſi.*

Poſſeſſio dimidii Inſulæ Planuſiæ a Judicibus Piſanis reſtituta Balduino Archiepiſcopo Piſano. Anno 1138.

A *IN nomine Domini Dei viventis in ſecula. Amen. Nos Marcheſius & Nerbottus Judices, a Conſulibus & univerſo Populo ad diffiniendas lites & controverſias publicas ſeu privatas, Judices dati, reclamationem factam* a Donno Balduino venerabili Archiepiſcopo *adversùs Brunectum quondam Ugonis, & adversùs fratres patrueles ejus uxoris, judicio arbitrioque noſtro commiſſam, ſubſcripto modo diffinimus. Siquidem cum Donnus Archiepiſcopus repeteret a Brunecto & a fratribus patruelibus ejus uxoris, medietatem tothius* Inſule Planuſie, *quam juris eſſe Archiepiſcopatus Piſane Eccleſie aſſerebat, unde etiam Cartas offertionis & donationis a Leone de Cunitho &*
B *ejus uxore factas hoſtendebat; Cumque prenominatus Brunectus & jam dicti Conſortes a Conſulibus, ut ad judicium venirent, ſepe eſſent vocati, illi verò contumaciter perſiſtentes obtemperare noluerunt. Quapropter nos Judices taliter contra contumaces pronuntiamus, ut Donnus Archiepiſcopus mittatur in poſſeſſionem medietatis Inſule Planuſie, ita ut quiete poſſideat, & a nemine niſi legitime diſveſtiatur.*

Data in Curia Donni Archiepiſcopi, Anno Dominice Incarnationis Milleſimo Centeſimo Trigeſimo Nono, Octavo Idus Novembris, Indictione Secunda.

✠ *Ego Marcheſius, ſacri Lateranenſis Palatii Judex in hac ſententia a me data ſubſcripſi.*

✠ *Ego Nerbottus ſacri Palatii Judex hanc meam ſententiam confirmo.*

✠ *Ego Battabianca Conſul hanc ſententiam laudo, & confirmo, & ſubſcribo.*

✠ *Ego Urſo Conſul hanc ſententiam laudo & confirmo.*

✠ *Ego Rainolfo Conſul hanc ſententiam laudo & confirmo.*

✠ *Ego Ugo Ranuccii Conſul hanc ſententiam laudo & confirmo.*

✠ *Ego Petrus Albithonis, Civis Piſanus & Conſul, hanc ſententiam laudo & confirmo.*

✠ *Ego Villano Conſul hanc ſententiam laudo & confirmo.*

Oblatio nonnullorum Caſtellorum facta Eccleſiæ Piſanæ ab Hildebrando Comite filio quondam Hildebrandi Comitis, & Mathilda ejus uxore. Anno 1139.

C *IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Dei eterni. Anno ab Incarnatione ejus Milleſimo Centeſimo Quadrageſimo; Tertiodecimo Kalendas Julii, Indictione Secunda. Manifeſti ſumus nos* Ildebrandus Comes filius quondam Ildebrandi Comitis, & Matilda jugalis ejus, & *filia Lanfranchi, quia comuniter & conſentiente mihi ſupraſcripto viro meo, ubi intereſſe videtur notitia Benthonis Judicis, a quo interrogata & cognita ſum, non pati violentia, ſet pura & integra mea bona voluntate ſecundùm edicti paginam, per hanc cartam pro remedio animarum noſtrarum offerimus, donamus, cedimus, & tradimus omnipotenti Deo & Eccleſie Archiepiſcopatui Sancte Marie Piſane matris Eccleſie, medietatem integram de noſtra portio-*
D *ne, que mihi Ildebrando obvenit ex parte patris ſive matris mee, ſive alio aliquo modo vel jure, de Rocca de Biſerno, & de Caſtello & Burgis & Podio & diſtrictu & Curte ejus, & omni ejus pertinentia; & de Caſtello de Vignale, & de Campilia; & de Caſtello & Monte Sancti Laurentii, & de eorum pertinentiis. Predictam medietatem integram de omnibus, que ſupra leguntur in integrum cum inferioribus & ſuperioribus ſuis, ſeu cum finibus & ingreſſibus ſuis, & cum omni jure & proprietate & actione earum, omnipotenti Deo & jamdicte Eccleſie offerre, ut dictum eſt, dare & tradere videmur tali ordine, ut ab hac hora inantea ſit propriis juris ſupraſcripte Eccleſie. Et ſi nos vel noſtri heredes eam egerimus aut cauſaverimus, aut ſi noſtrum datum vel factum inde apparuerit, & omni tempore taciti & contempti inde non permanſerimus, & eam ab omni homine ad partem predicte Eccleſie, ſuiſque Rectoribus defendere non potuerimus & non defenſaverimus, ſpondemus nos, qui ſupra Jugales, una cum noſtris heredibus, componere ad partem predicte Eccleſie, ſuiſque Rectoribus in duplum in ferquido loco, ſub extimatione, qualis tunc fuerit, & inſuper penam argenti Librarum ducentum. Et in tali ordine hec ſcribere rogavimus Ugonem Notarium Apoſtolice Sedis.*

Hactum Piſe in Choro Eccleſie Sancti .....

Signa ✠ ✠ *manuum ſupraſcriptorum Jugalium, communiter, & ut dictum eſt, legittime conſentientes, qui hanc cartam rogaverunt fieri.*

Signa ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ *manuum Gualandi quondam Gualandi, Lanfranci quondam Gerardi, Lamberti filii ejus, Gerardi Gaetani quondam Ugonis, Guintthi quondam Siſmundi, Siſmundi quondam Conecti, Hermanni quondam Gilli vocati quondam Ugonis, rogatorum teſtium.*

Ego Ugo Notarius Apoſtolice Sedis poſt tradita complevi & dedi.

Charta Guidonis Comitis, filii Hugonis Comitis, per quam ſe, ac ſua Caſtella obligat Archiepiſcopo, & Conſulibus Piſanis. Anno 1141.

IN *nomine Dei. Amen. Ego* Guido Comes filius Ugonis Comitis *juro ſuper ſancta Dei Euangelia, quod ab hac hora ſalvabo & adjuvabo homines Piſane Civitatis, & de ejus Burgis & Villis, & homines Sancte Marie Piſane, ubicumque fuerint, & eorum habere, & omnium ſupradictarum perſonarum, per me & per meos in tota mea virtute ſecundum meum poſſe: & nullum Caſtellum vel Curtem, quam habeo in Comitatu Piſano, vel habebo, vendam vel obligabo alicui perſone vel loco vel Eccleſie, niſi Eccleſie Piſane Archiepiſcopatui. Et quidquid pater meus vel ego obligavimus Eccleſie Sancti Martini Lucenſi, vel ejus Epiſcopo, vel Procuratori, per bonam fidem ſine fraude ſtudebo disbrigare & liberare, & liberatum, predicte Eccleſie Piſane vel Piſanis Conſulibus pignori per cartulam in laude ſui Judicis & Notarii, pro XXII. Libris obligabo, & in poſſeſſionem mittam vel mittere faciam, & Cartulas, quas ab Epiſcopo Lucano vel ejus Miſſo recepero, Archiepiſcopo Piſano vel Piſanis Conſulibus, aut eorum Miſſis certis dabo. Et ſi Epiſcopus Lucanus vel ejus Miſſi recipere noluerint ſolutionem, & reddere quod obligavimus, faciam cartulam, & dominium transferam, & in poſſeſſionem corporaliter mittam, ſecundùm quod Sapientes Piſani Archiepiſcopi, vel Piſanorum Conſulum voluerint, vel mihi preceperint, & preceptum eorum non evitabo. Et quod in Caſtello de Furcule & ejus Curte & diſtricto,* Malaparte Comes, *& Galliana ejus uxor habuit, vel habet, ſtudebo per bonam fidem ſine fraude, ut Archiepiſcopus Piſanus, vel ejus Miſſi, & Piſani Conſules, & eorum Miſſi habeant, & quiete detineant. Et non ero in conſilio vel facto aut aſſenſu, ut quod Archiepiſcopatus Piſanus ibi habet vel habebat quoquo modo, vel Piſanorum Conſules, aut Canonici, perdant; aut litem inde habeant.* A *Et ſi quis eos exinde imbrigaverit, vel abſtulerit, adjuvabo eos per me & meos habere & retinere, & ſi perdiderit, acquirere, & acquiſita retinere. Et quandocunque Archiepiſcopus Piſanus, vel Vicedominus, vel Piſani Conſules, aut eorum certi Miſſi, in poſſeſſione Caſtelli de Furcule vel ejus Curtem intrare voluerint, cum eis ero & eos adjuvabo per me & meos, intrare & habere & quiete retinere. Et ſtudebo, ut omnes homines de Furcule ſint ad preceptum & voluntatem Piſani Archiepiſcopi & Vicedomini & Conſulum Piſanorum, & eorum etiam certi Miſſi. Et ſtudebo, ut hec omnia omnes fratres mei faciant ad voluntatem Piſani Archiepiſcopi, & Vicedomini, & Piſanorum Conſulum.* B *Hec omnia ſupraſcripta obſervabo toto tempore vite mee ſine fraude* Balduino Piſano Archiepiſcopo *& ſuis ſucceſſoribus, & Piſanis Conſulibus, qui modò ſunt, vel pro tempore erunt, & eorum certis Miſſis.*

Signum ✠ manus Guidi Comitis quondam Guidi.

Ego Rolandus Imperatoriæ dignitatis Judex Vicarius interfui & ſubſcripſi.

Ego Lambertus Marcianenſis Piſanorum Judex huic ſacramento interfui & ſubſcripſi.

Ego Jerardus Vicecomes & Conſul ibi fui & ſubſcripſi.

✠ Ego Bolgarinus Conſul ibi fui & ſubſcripſi.

C *✠ Signum manus Ventrilii Rainerii filii.*

Nerbottus Judex predicto ſacramento interfui, & manu propria hic ſubſcripſi.

Teſtes Opitho de Lucagnano, Ildebrandus de Lari, Gerardus de Morrona, Guizalottus quondam Malamoſce.

Anni Domini Milleſimo Centeſimo Quadrageſimo Secundo, Quinto Nonas Madii, Indictione Quarta.

Charta Alberti Marchionis Corſicæ, per quam vendit Conetto tertiam portionem Caſtelli Liburni. Anno 1146.

IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Dei eterni. Anno ab Incarnatione ejus Milleſimo Centeſimo Quadrageſimo Septimo, Indictione Decima, Sexto Kalendas Octubris. Manifeſtus ſum ego Albertus (1) Marchio Corſicæ, filius quondam Bratteportate item Marchionis, *quia per hanc cartam vendo & trado vobis Siſmundo & Conetto fratribus, filiis quondam Conetti, meam partem tertiam portionem videlicet de* Caſtello & Curte de Livorna, *cum omni ſua pertinentia, & ejus Livorne aquis, terris, ſilvis, & diſtrictu, & jure aut albergarie, aut Placiti, aut date, vel alicujus redditus, aut recollectionis, & cum omni jure & cauſa, quecunque mihi de omnibus predictis per Feodum, vel alio modo pertinent. Predictam tertiam portionem cum omnibus ſupraſcriptis in integrum, cum inferioribus & ſuperioribus, & finibus, & ingreſſibus ſuis, & cum proprietate & pertinentia & edificio & omni jus ſua, vobis ſupraſcriptis fratribus vendo & trado. Unde a vobis pretium recepi bonorum denariorum Lucenſium Solidos mille in preſinito. Quam meam venditionem & traditionem ſi ego, qui ſupra, Albertus Marchio, vel meus heres, ſive aliquis, cui nos eam dediſſemus aut dederimus, vel a nobis ſummiſſus, quolibet ingenio vel modo retollere vel ſubtrahere aut diminuere vel impedire queſierimus vobis ſupraſcriptis fratribus, vel veſtris heredibus, & omnibus quibuſcunque eam dederitis vel reliqueritis, & ſi nos exinde auctores dare volueritis, & eam vobis ab omnibus defendere non potuerimus & non defenſaverimus; ſpondeo me, qui ſupra, Albertum Marchionem, meoſque heredes compoſituros vobis & veſtris heredibus ſupraſcriptam venditionem & traditionem in duplum in ſerquido loco ſub eſtimatione, qualis tunc fuerit. Et in tali ordine hanc cartam Domnum Ugonem Judicem & Notarium ſcribere rogavi.*

Actum Piſâ, Portâ maris, domo uxoris quondam Gerardi Tattarii, prope Eccleſiam Sancti Nicolai.

Signum ✠ manus ſupraſcripti Alberti Marchionis, qui hanc cartam venditionis rogavit fieri.

Signa ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ manuum Veltri quondam Fralmi, Gottifredi quondam Lamberti, Baronis quondam Martini, Pattuccii filii Alliceti, Ildebrandi quondam Ildebrandi, Belloni quondam Sili, rogatorum teſtium.

Ego Ugo Domni Lotarii Tertii Romanorum Imperatoris Judex judiciorum omnium interfui & ſubſcripſi.

Ego Ugo Notarius Apoſtolice Sedis poſt traditam complevi & dedi.

Iſta venditionis Carta nomine pignoris tali tenore facta eſt, quod qualicunque die ab hodie uſque ad duos proximos annos ſupraſcriptus Albertus Marchio, vel ejus heres, aut ejus certus Miſſus reddiderint ſupraſcriptis fratribus, vel eorum heredibus, aut ſuper hoc Miſſo, bonorum denariorum Lucenſium Solidos Mille, & prode in predicto Conſtituto per ſingulo Menſe bonorum denariorum Lucenſium Solidos ſedecim & denarios octo, tunc iſta venditio & Carta reſolvatur, reddatur, & nihil valeat. Si verò ita ſolutum non fuerit, tunc ab inde in antea in poteſtate ſupraſcriptorum fratrum & heredum eorum, & omnium, quibus dederint, deveniat & permaneat, ad eis tenendum & alienandum & pignorandum, & quicquid eis placuerit, faciendum. Ita etiam quod quantumcunque temporis poſt ſupraſcriptum terminum ſteterit, quod ſupraſcripta pecunia reddita vel recollecta non fuerit, poſſeſſio apud ſupraſcriptos fratres, eorumque heredes permaneat, & ſupraſcriptum proficuum ſemper debeatur & currat. Et poſſeſſionem, & fructus, & omnem redditum pignoris infra ſupraſcriptum terminum & poſt ſupraſcriptum terminum ſupraſcripti fratres, eorumque heredes & omnes, quibus dederint, debent habere, & tantum quantum valuerint fructus & redditus . . . . . debent diſcomputare. Inſuper juravit ſupraſcriptus Albertus Marchio per ſancta Dei Euangelia, quod Carta, vel datio, aut obligatio facta non eſt, vel ap . . . . . . venditioni & carte contraria vel nociva. Et ſi ſupraſcriptus terminus tranſierit non ſolutâ ſupraſcriptâ pecuniâ, amplius nullam litem vel moleſtiam faciet de . . . . . . & pignore, & quiete tener , & penſionem & fructus, & omne redditum recolligere non contradicit. Si quis verò contradiceret, auctor & defenſor & adjutor . . . . . & eorum heredibus, & omnibus quibus darent vel relinquerent. Et repromiſſionem ad defendendum, qui per manum tenet, ad penam argenti optimi Librarum quinquaginta ad ſupraſcriptum datare, meritum & teſtes. Et dedit in manu ſupraſcripti Conetti pro ipſo & fratre ſupraſcriptum Gottifredum, ut corporaliter ipſum in poſſeſſionem mitteret, & ut ipſe Conettus pro ſe & fratre poſſeſſionem ingrederetur de ſupraſcripta tertia parte & omnibus ſupraſcriptis, que idem Marchio in Feodum ab Archiepiſcopatu Sancte Marie habebat, & ipſe pignori predictis fratribus . . . . . . ipſi precepit, quod factum eſt ab eo Conetto.

(1) Marchiones iſti fortaſſe pertinent ad illuſtrem Marchionum Malaſpinarum progeniem.

Eugenii III. Papæ Bulla pro Guidone Abbate Monaſterii S. Mariæ de Morrona. Anno 1148.

E*ugenius Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis* Guidoni Abbati Sanɛte Marie de Morrone, *ejuſque Fratribus, tam preſentibus quàm ſuturis, regulariter ſubſtituendis in perpetuum. Religioſis deſideriis dignum eſt, facilem prebere conſenſum, ut fidelis devotio celerem ſortiatur effectum. Eapropter, dilecti in Domino filii, veſtris juſtis poſtulationibus clementer annuimus, & predeceſſoris noſtri felicis memorie Pape Innocentii veſtigiis inherentes, Monaſterium beate Dei Genitricis Marie, in quo divino mancipati eſtis obſequio, ſub beati Petri, & noſtra protectione ſuſcipimus, & preſentis ſcripti privilegio communimus. Statuentes, ut quaſcunque poſſeſſiones, quecunque bona idem Monaſterium inpreſentiarum juſte & canonice poſſidet, aut in futurum conceſſione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione Fidelium, ſeu etiam aliis juſtis modis, Deo propitio, poterit adipiſci, firma vobis, veſtriſque ſucceſſoribus & illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis. Partem veſtram in ipſo Caſtro & Curte ejus, Plebem & Capellam ejuſdem Caſtri, cum decimis ſuis. Et quicquid habetis in Curte Aquiſiana. Balneum & Aqueductum uſque in Caſcina. Terras, quas habetis in Palude & Pantano cum decimis earum. Eccleſiam de Thora cum ſuis pertinentiis. Eccleſiam de Montanino cum medietate Caſtri & pertinentiis ſuis, ſalvá convenientiá, que inter Ubertum venerande memorie Piſanum Archiepiſcopum, & Gerardum Abatem facta eſt, & ſcripto firmata. Si qua verò libera & abſoluta perſona in vita ſua, ſive in morte in ſupraſcripto Monaſterio ſe conferre voluerit, recipiendi eam abſque ulla contradictione liberam facultatem habeatis, ſalvá juſtitiá matricis Eccleſie. Decernentes, ut nulli omnino hominum liceat prefatum Monaſterium temere perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, ſeu quibuslibet vexationibus fatigare, ſed omnia integra conſerventur eorum, pro quorum gubernatione & ſuſtentatione conceſſa ſunt, uſibus omnimodis profutura. Salvá Sedis Apoſtolice auctoritate & diœceſanorum Epiſcoporum canonicá juſtitiá. Si qua igitur in futurum Eccleſiaſtica Seculariſve perſona hanc noſtre conſtitutionis paginam ſciens, contra eam temere venire temptaverit, ſecundo, tertiove commonita ſi non ſatisfactione congrua emendaverit, poteſtatis, honoriſque ſui dignitate careat, reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & a ſacratiſſimo Corpore ac Sanguine Dei & Domini Redemptoris noſtri Jeſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtricte ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem Loco juſta ſervantibus, ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti, quatinus & hic fructum bone actionis percipiant, & apud diſtrictum Judicem premia eterna pacis inveniant. Amen. Amen.*

Ego Eugenius Catholice Eccleſie Epiſcopus ſubſcripſi.

✠ *Ego Conradus Sabinenſis Epiſcopus ſubſcripſi.*

✠ *Ego Oddo Diaconus Cardinalis Sancti Georgii ad Velum aureum ſubſcripſi.*

✠ *Ego Guido Presbiter Cardinalis titulo Sanctorum Laurentii & Damaſi ſubſcripſi.*

✠ *Ego Gregorius Diaconus Cardinalis Sancti Angeli ſubſcripſi.*

Datum apud Sanctum Geminianum, per manum Guidonis ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Diaconi Cardinalis & Cancellarii, Decimo Kalendas Decembris, Indictione XII. Incarnationis Dominicæ Anno Milleſimo Centeſimo Quadrageſimo Octavo, Pontificatus Domni Eugenii Papæ Anno Quarto.

Tranſactio

Tranſactio inter Calciſcianam uxorem Alberti Corſicæ Marchionis, & Villanum Archiepiſcopum Piſanum, de Caſtello Plumbini. Anno 1150.

IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Dei eterni. Anno ab Incarnatione ejus Milleſimo Centeſimo Quinquageſimo, Indictione Tertiadecima, Quinto Kalendas Martii. Recordationis hec eſt Carta ad futuram & publicam fidem & memoriam. In preſentia infraſcriptorum Judicum & teſtium, Calciſciana filia quondam Lamberti Uberti Guidonis, & relicta quondam Vernacii, & modo uxor Alberti Corſice Marchionis, *& ipſe Albertus vir ejus cum ea comuniter, & conſentiente dicte Calciſciane predicto viro ſuo, ſub notitia Domni Hugonis Judicis, a quo ſecundum legem interrogata, eſt cognita, ſe nullam pati violentiam, ſed pura & integra & bona voluntate ſua, ſecundùm Edicti paginam, per hanc cartam, & fuſtis inveſtituram, quem in eorum detinebant manibus, fecere finem & refutationem & tranſactionem Eccleſie Piſani Archiepiſcopatus beatiſſime Marie, &* Domno Villano Dei gratia ejuſdem Eccleſie venerabili Archiepiſcopo, & Primati, & Sardinie Legato, *tamen pro ſe, quàm pro filiabus, quas eadem Calciſciana habebat & ſupraſcripto quondam Vernacio viro ſuo, de* Caſtello & Rocca & Curte de Plumbino, *& de omnibus turribus & caſis, & edificiis & terris & perſonis, & rebus omnibus mobilibus & immobilibus & ſe moventibus, & jure omni predicte Calciſciane, aut Alberto viro ejus, aut filiabus predicte Calciſciane & quondam Vernaci pertinentibus per predictum Caſtellum & Roccam & Curtem de Plumbino, infra & extra ipſum Caſtellum & Roccam & Curtem & diſtrictum ejus tam in terra quàm in mari vel inſula aliqua, ſive jure alodii, ſive feodi aut tenimenti, aut propter aliquas expenſas a predicto quondam Vernacio vel Calciſciana, aut alia quacumque perſona factas, aut propter ullum debitum vel uſum aut jus, quod requiſierant aut requirere potuerant ſupraſcripta Calciſciana, & predictus Marchio, vel predicte ejus filie, uſquam ad diem ſupraſcriptam. Item de predictis omnibus fecerunt finem & refutationem & tranſactionem Eccleſie &* Monaſterio Dei, & Sancti Juſtiniani de Faleſia, & Domno Guidoni ſupraſcripte Eccleſie *Abbati venerabili & hominibus & habitatoribus predicti Caſtelli & Rocce & Curtis & diſtrictus ejus. Videlicet quod ab hac ora in antea predicta Calciſciana & ejus filie predicte & predictus Marchio, vel eorum heredes, aut aliqua perſona, cui dediſſent vel darent, vel ſummiſſa ab eis, de predictis omnibus, ſicut ſupra deſcripta ſunt, litem vel controverſiam aut moleſtiam non facient ullam predicte Eccleſie Piſani Archiepiſcopatus beatiſſime Virginis Marie, & ſupraſcripto Domno Villano, & Domno Guidoni, & ſupraſcriptis habitatoribus, eorumque ſucceſſoribus & heredibus, & omnibus quibuſcunque ipſi dederint vel reliquerint. Inſuper omnem proprietatem, & jus quodcunque predicte Calciſciane vel ejus filiabus aut predicto Marchioni in predictis omnibus conpetebat, aut*

A *competere poterat uſque ad diem ſupraſcriptam, dedere tamtum ſupraſcripte Eccleſie beatiſſime Marie, & ſupraſcripto Domno Villano, ejuſque pro tempore ſucceſſoribus, & ſe, ſuoſque heredes, auctores, & defenſores obligavit ſupraſcripta Calciſciana & Marchio de predictis omnibus adversùm predictas filias, ſi umquam contra agerent, & item adversùs omnes, qui eorum dato contra predicta venirent. Si verò contra ſupraſcriptam factum fuerit, & ita omnia, ut ſupra dicuntur, obſervata non erunt, ſpoponderunt & obligaverunt ſe ſupraſcripta Calciſciana pro ſe & predictis filiabus & predictus Marchio, ſuoſque heredes compoſituros predicte Eccleſie beatiſſime Marie, & predicto* B *Domno Villano, ejuſque ſucceſſoribus, predicta in duplum in ferquido loco ſub eſtimatione, qualis tunc fuerit, & inſuper penam argenti optimi Librarum ducentarum, pena ſoluta, hac carta firma permanente. Unde ad confirmationem omnium predictorum vice ſupraſcripte Eccleſie beatiſſime Marie & Eccleſie Sancti Juſtini, & ſupraſcripti Domni Villani, & Guidonis, & ſupraſcriptorum habitatorum, a Siſmundo & Conetto quondam Conetti fideliſſimorum ſupraſcripti Domini Villani, meritum ſupraſcripta Calciſciana pro ſe, & filiabus predictis, & ſupraſcriptus Marchio recepere coppam unam de argento pro tribus millibus Solidis bonorum Denariorum Lucenſium, integre* C *ſolutis & completis ſupraſcripte Calciſciane pro ſe, & filiabus predictis, & ipſis filiabus, & Marchioni a ſupraſcripto Domno Villano in prefinito. Item ad confirmationem predictorum predicta Calciſciana preſentia & conſenſu ſupraſcripti Marchionis juravit per ſancta Dei Evangelia, quod numquam contra ſupra ſcripta litem vel moleſtiam faciet, neque erit in conſilio vel facto, ut contra predicta lis vel moleſtia fiat. Et in tali ordine hanc cartam Domnum Hugonem Judicem & Notarium ſcribere rogavere.*

Actum Piſâ, Turre Ughicionis fratris predicte Calciſciane, Portâ Sancti Salvatoris, prope Eccleſiam Sancti Ilarii.

D *Signum ✠ ✠ manus ſupraſcriptorum Calciſciane, que pro ſe & filiabus ſupraſcriptis, & Alberti Marchionis, qui comuniter & conſentientes hanc tranſactionis & difinitionis & dationis cartam rogavere fieri.*

Signa manuum ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ Domni Carpini comunis Judicis preſentis, & auctoritatem interponentis, & ſupraſcriptorum Siſmundi, & Conetti, & Ughicionis predicti, Gerardi filii Gotfredi Proviſoris Pipini filii ſupraſcripti Conetti, Ughicionis quondam Belli, prenomine Vaccarius, Noriocci quondam Cinballi, & aliorum rogatorum teſtium.

Ego Hugo Domni Lottarii Tertii Romanorum Imperatoris Judex judiciorum omnium in- E *terfui & ſubſcripſi.*

Ego Ugo Notarius Apoſtolice Sedis poſt traditam complevi & dedi.

Sententia Guidonis Presb. Cardinalis tituli Paſtoris in controverſia agitata inter Villanum Archiepiſcopum Piſanum, & Galganum Epiſcopum Volaterranum. Anno 1151.

EGo Guido Presbiter Cardinalis tituli Paſtoris, *ex mandato* Domni Pape Eugenii *audiens & cognoſcens de controverſia poſſeſſionis Montis-vaſi, que inter venerabiles fratres noſtros* Villanum Piſanum Archiepiſcopum, & Galganum Vulterranum Epiſcopum *agitabatur; auditis, & ſepe numero lectis allegationibus & atteſtationibus utriuſque partis, & plenarie cognitis, cum conſilio venerabilium fratrum noſtrorum*, Rainerii *videlicet* Senenſis Epiſcopi, & Bernardi Presbiteri Cardinalis Sancti Stephani *in Celio Monte, & cujuſdam Judicis, qui Presbitellus vocatur de Monte Ilcino, qui cauſe interfuerunt, & aliorum multorum ſapientum Judicum Aretine Civitatis, qui predicto negotio non interfuerunt: Archiepiſcopum Piſanum juſtum poſſeſſorem eſſe cognoſcens, ſicut uſque ad tempus redditi interdicti* A *poſſedit, ſic quiete & pacifice de cetero poſſidere prenuntio, & Vulterranum Epiſcopum, & omnes ſuos eam poſſeſſionem amplius perturbare omnino prohibeo.*

Hoc actum eſt in conſpectu multorum proborum & nobilium virorum tam Piſanorum Clericorum & Senenſium, in Palatio predicti Senenſis Epiſcopi.

Anno vero Dominice Incarnationis MCLI. Idibus Octubris.

✠ *Ego Guido Presbiter Cardinalis tituli Paſtoris, huic ſententiæ ſubſcripſi.*

✠ *Ego Rainerius Dei gratia Senenſis Epiſcopus interfui & ſubſcripſi.*

✠ *Ego Gerardus Presbiter Cardinalis tituli Sancti Stephani in Celio Monte ſubſcripſi.*

✠ *Ego Presbiter Judex interfui & ſubſcripſi.*

Charta Jacobi Abbatis Monaſterii S. Mariæ de Morrona per quam vendit Villano Archiepiſcopo Piſano nonnullas terras. Anno 1152.

IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Dei eterni. Anno ab Incarnatione ejus Milleſimo Centeſimo Quinquageſimo Tertio, Tertio Calendas Septembris, Indictione Quintadecima. Manifeſtus ſum ego Jacobus Abbas Eccleſie & Monaſterii Sancte Marie de Morrona, *quia per conſilium Donni Prioris Camaldulenſis & Fratrum meorum Monacorum, pro magna & competenti utilitate ſupraſcripti Monaſterii, pro edificanda Clauſtra in loco, ubi dicitur Podium, que prius erat in loco Abbadie Vetere, per hanc cartam vendo & trado tibi* Villano Dei gratia venerabili Piſane Eccleſie Archiepiſcopo, *quidquid predicto Monaſterio pertinet in Caſtro, quod dicitur Montevaſi, & uſque ad medietatem loci, que eſt inter ipſum Caſtrum & Caſtellum, quod dicitur Montanino, & quicquid predicto Monaſterio pertinet per circuitum totius Caſtri Montevaſi, tantum longe a predicto Caſtro, quantum predicta medietas, que eſt inter ipſa Caſtella, eſt longe a predicto Caſtro Montevaſi. Item vendo & trado tibi quicquid predicte Eccleſie & Monaſterio pertinet de loco, qui dicitur Mortajolo. Ut dictum eſt, omnia, que ſupra leguntur, in integrum cum inferioribus & ſuperioribus ſuis, ſeu cum finibus & ingreſſibus ſuis, & cum omni jure & proprietate & pertinentia & actione earum, tibi, ut dictum eſt, ad partem predicte Eccleſie Archiepiſcopatus Sancte Marie vendo & trado, quas poſſidebatis, & continua longi temporis poſſeſſione a morte* Comitis Ugolini *uſque ad preſentem diem preſcripſiſſe dicebatis, ſicut in Judicio, quod inter vos & Epiſcopum Vulterranum, teſtibus juratis, manifeſtum fuit. Et pro ſupraſcripta mea venditione & traditione recepi a te meritum, anulum aureum pro Solidis quattuorcentis in prefinito. Quam meam venditio-* B *nem & traditionem ſi ego, vel mei ſucceſſores, ſive cui nos eam dediſſemus aut dederimus, retollere, vel minuere queſierimus per aliquod ingenium tibi, qui ſupra, Archiepiſcopo, vel tuis ſucceſſoribus, aut cui eam dederitis, vel habere decreveritis, & ſi nos exinde auctores dare volueritis, & eam vobis ab omni homine defendere non potuerimus & non defenſaverimus, ſpondemus nos vobis componere ſupraſcriptam meam venditionem & traditionem in duplum in ſerquido loco ſub extimatione, qualis tunc fuerit, & inſuper penam argenti optimi Libras viginti. Et in tali hordine hec ſcribere rogavi Albertum Notarium Apoſtolice Sedis.*

Actum Piſe in Palatio prefati Archiepiſcopi.

C *De ſupraſcriptam verò venditionem exceptamus Riparoſſulam, ſi infra preſcriptos fines comprehenditur.*

Ego Rodulfus Prior Camaldulenſis ſubſcripſi.

Ego Ubertus Abbas Sancti Zenonis *ſubſcripſi.*

Ego Jacobus Abbas predicti Cenobii ſubſcripſi.

Ego Frater Benedictus ſubſcripſi.

Ego Frater Johannes ſubſcripſi.

Ego Frater Florentius ſubſcripſi.

Ego Frater Manfredus ſubſcripſi.

Ego Ildibrandus Abbas Sancti Michaëlis *ſubſcripſi.*

Signa manuum ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ *Sicheri quondam Gualandi, & Villani quondam Guidonis, tunc temporis Conſulum, Pelavicini* D *quondam Lamberti, Graſſi quondam ...... Alberti quondam Ildebaldi, Siſmundi quondam Conecti, Bardoni filii Alferi, rogatorum teſtium.*

✠ *Ego Burgundius ſacri Lateranenſis Palatii Judex interfui & ſubſcripſi.*

Ego Albertus Notarius Apoſtolice Sedis poſt traditam complevi & dedi.

Ceſſio Caſtelli & Podii Planeſſuli, facta Eccleſiæ Piſanæ, & Communi Piſarum, ab ejus dominis. Anno 1153.

IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Dei eterni. Anno ab Incarnatione ejus Milleſimo Centeſimo Quinquageſimo Tertio, Octavo Idus Februarii, Indictione Prima. Manifeſti ſumus nos Bugnus, Johannes, Gerardinus, Buttarus, Dodinus, Gerarduccius, Moleſſus, Ferrarius, Cappellus, Lutterius, Romancius de Caſtello Planeſſuli, quia per han cartam donamus & tradimus loco . . . . . . ſancte Marie, & Archiepiſcopatui, & Comuni Piſanorum, hoc, quod nobis pertinet in Caſtello & Pojo Planeſſuli, & ejus coſtibus & pendiis & earum circuitu; Unde recepimus meritum anulum unum aureum in prefinito. Quam noſtram donationem & traditionem ſi nos vel noſtri heredes, ſive cui nos eam dediſſemus aut dederimus, retollere vel minuere queſierimus per aliquod ingenium Eccleſie Sancte Marie & Archiepiſcopatui, & Piſano Comuni, aut cui dederint, & ſi nos exinde auctores dare volueritis, & eam eis ab omni homine defendere non potuerimus & non defenſaverimus, ſpondemus nos ſupraſcripti, una cum noſtris heredibus, ſtipulatione ſollempniter interpoſita, componere ſupraſcripte Eccleſie & Archiepiſcopatui & Comuni Piſano, aut cui dederint, ſupraſcriptam noſtram donationem & traditionem in duplum in ferquido loco, ſub eſtimatione, qualis tunc fuerit. Conditione, nomine pignoris tali, quod ſi in aliquo tempore aliquis eorum circa ea, que Conſulibus juraverint, fecerint, carta ſit pura, & liceat eis alienare & obligare & habere ad proprietatem. Et inveſtiverunt Bulgarinum tunc Conſulem pro Eccleſia Sancte Marie & Archiepiſcopatu & Comuni Piſano ad proprietatem predicta conditione, & precariam poſſeſſionem fieri rogaverunt. Et in tali ordine nos prememorati hec ſcribere rogavimus Guidonem Barbettam Apoſtolice Sedis Judicem & Notarium.

Actum Piſis in Eccleſia Sancti Petri in Palude, preſentibus Preſbitero Guidone Eccleſie Sancte Marie de Montecchio, & Bernardo Roſſo quondam Benedicti, & Ugone Raſca, & Torſcello, & Bonfilio, & Pelo, ad hec rogatis teſtibus.

Homines Planeſſuli, qui juraverunt, Torſcellus Ranucii, Bugnus Ruſtici, Johannes Berithuculi, Gerardinus Belli, Buttarus Baruccii, Dodinus Cecii, Bonfilius Vannelli, Gerarduccius Afaitalfanti, Moleſtus Rodulfi, Ferrarius filius Johannis Fabri, Cappellus filius Guilielmi, Lutterius filius Johannis, Pelo filius Carbonis, Romancius Anſvini.

Ego Ugo Domni Imperatoris Frederici Judex ordinarius, ejuſdemque Notarius, hanc cartam a Guidone Apoſtolice Sedis Judice & Notario rogatam, ejus ſcedâ a me viſâ & lectâ, ejus vice & mandato ſcripſi, firmavi, complevi & dedi.

Charta Gualfredi S. Romanæ Eccleſiæ Subdiaconi, per quam Villano Archiepiſcopo vendit portionem ſuam in aliquot Caſtellis & Curtibus. Anno 1156.

IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Dei eterni. Anno ab Incarnatione ejus Milleſimo Centeſimo Quinquageſimo Septimo, Quartodecimo Kalendas Decembris, Indictione Quinta. Manifeſtus ſum ego Gualfredus ſancte Romane Eccleſie Subdiaconus & filius quondam Henrigi Comitis, *quia per hanc cartam vendo & trado tibi* Domno Villano venerabili Archiepiſcopo Sancte Marie Piſane Eccleſie, *quartam partem trium partium totius Caſtri Lavaini & Burgi & pendiciarum & Curtis ejuſdem Caſtri & finium atque ejus diſtricti; & inſuper quidquid juris habeo, & habui, & poſſideo, & poſſedi in ſupradicto Caſtro & per Caſtrum, & in Curte & per Curtem, & in finibus & per fines, & in diſtricto & per diſtrictum. Et item vendo & trado tibi ſupraſcripto Archiepiſcopo, quidquid juris habeo in Curte de Maſtina & per Curtem, ſive jure proprietatis vel jure pingnoris vel alio jure, excepto Feudo Teudicingo, quod ibidem, videlicet in Maſtina, habeo per Curtem Stridi. Preterea vendo & trado tibi ſupraſcripto Archiepiſcopo, quidquid juris habeo, ſive jure proprietatis vel alio jure, in Caſtro & Curte & diſtricto de Montevaſo & ejus finibus. Et inſuper de is omnibus finem & refutationem & pactionem, dattionem & tranſactionem ttibi facio, ut dictum eſt, in integrum, una cum inferioribus & ſuperioribus ſuis, ſeu cum finibus & ingreſſibus ſuis, cum omni jure & actione ttibi, ut dictum eſt, vendo & trado. Pro qua mea vendictione & tradictione recepi meritum a ſupraſcripto Archiepiſcopo anulum unum aureum per Libras argenti optimi quadraginta & tres in prefinito. Quam meam vendictionem & tradictionem ſi ego, qui ſupra, Gualfredus, vel meus heres, ſeu cui nos eam dediſſemus aut dederimus, retollere vel minuere queſierimus per aliquod ingenium ttibi, qui ſupra, Archiepiſcopo, vel ttuis ſucceſſoribus, aut cui vos eam dederitis vel habere decreveritis, & ſi nos exinde auctores dare volueritis, & eam vobis ab omni homine defendere non potuerimus & non defenſaverimus, ſpondemus nos vobis componere ſupraſcriptam meam vendictionem & tradictionem in duplum in ferquido loco ſub extimatione, qualis tunc fuerit. Quia in tali ordine hec ſcribere rogavi Gualfredum Nottarium Domni Regis.*

Actum Piſis in Curia ſupraſcripti Archiepiſcopi.

Signa ✠ manuum ſupraſcripti Gualfredi, qui hanc cartam fieri rogavit.

Signa manuum ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ Octaviani filii quondam Benni, & Urſelli filii quondam Guidi, & Ranerii filii quondam Teugrimi, & Corcioni filii quondam Guidi, & Joſeppi filii quondam Bernardi, rogatorum teſtium.

Ego Gualfredus Notarius Domni Regis poſt tradita complevi & dedi.

Sententi:

Sententia Piſanorum Judicum pro Villano, Archiepiſcopo Piſano contra Conſules Vicanos. Anno 1156.

IN eterni Dei nomine. Amen. Nos Carpinus, & Ildebrandus, publici Piſanorum Judices, ad cauſas publicas ſeu privatas diffiniendas, a Conſulibus & univerſo Populo electi, reclamationem factam a Domno Villano Piſane matris Eccleſie Archiepiſcopo *adversùs Conſules Vicanos & ſuum Populum, ſic diffinimus. Siquidem predictus Archiepiſcopus petebat a ſupraſcriptis Placitum de Vico, quod habebat a Domno C . . . . . Roma . . . . precept . . . . ejus cognovimus . . . . . . predicti . . . . . . & pro ſe &* Populo, *& Populus ad ſonum campane coadunatus per Conſulem Piſanum, ut ad juſtitiam faciendam predicto Archiepiſcopo venirent, vocati eſſent, contumaciter perſiſtentes venire noluerunt. Unde nos Judices causá cognitá pronuntiamus, ut predictus Donnus Archiepiſcopus mittatur in poſſeſſionem totius juris ſupraſcripti Placiti de Vico, & ſit in ea poſſeſſione, ut homines de Vico ſub Donno Archiepiſcopo placitari debeant, & noſtro jure civili in poſſeſſorio* A *judicio ſemper adversùs eos potior exiſtat.*

Data & recitata in Conſiſtorio noſtro apud Sanctum Fridianum, preſentia Villani Conſulis, Opithonis Judicis, & Bulgarini, & Sikerii, & Marignani, & Guidonis Caſti, & Bernardi de Ciſcina Cauſidicorum, & Marignani de Barba, & Porcelli quondam Sickerii Albertini, & Lamberti quondam Uguicionis de Curte, & Guerriſii Merollaris, & Grilli de Ciſanello, & aliorum.

Dominice Incarnationis Anno Milleſimo Centeſimo Quinquageſimo Septimo, Pridie Kalendas Januarii, Indictione Quinta.

Ego Aſcienſis Domni Frederici Romanorum Imperatoris Judex Ordinarius & Notarius hanc B *ſententiam, ſicut in Actis ſupraſcriptorum Judicum inveni, Alberti Bulici & Nigelli atque Rodulfi, publicorum Piſanorum Judicum exiſtens Cancellarius, hìc eam exemplans, fideliter ſcripſi & firmavi.*

Ceſſio Eccleſiæ S. Chriſtophori de Colignola, facta Villano Archiepiſcopo Piſano ab Uberto Abbate Monaſterii S. Michaëlis. Anno 1158.

IN nomine ſummi & eterni Dei. Amen. Cum ſcriptum ſit, ſervos Dei litigare non debere, congruumque ſit magis ea, que ad pacem ſunt, utiliaque univerſos locorum venerabilium Rectores providere; ideoque ego Ubertus Sancti Michaëlis humilis Abbas, *comunicato conſilio noſtrorum Fratrum, cum lis de Eccleſia, que eſt in loco, qui Colignola dicitur, cui vocabulum eſt Sancti Chriſtophani, verteretur, ex eaque animi illorum adeo in nos impii efficerentur, qui fere anime eorum periclitarentur, & ob ceſſationem illorum non domus orationis, ſed ad ſecularem ſtatum redacta videretur, eaque lis, & diſcordia, ſi illi Eccleſie preſidemus, minime poſſet ſopiri: tibi omnipotenti Deo, & beato Sancto Chriſtophoro, atque* Donno Villano Dei gratia Piſane Eccleſie venerabili Archiepiſcopo, *do & concedo per fuſtem, quam in manu teneo, omnia jura & actiones, & jus Patronatus, & omnia ſpiritualia, que nobis aliquo modo pertinent vel pertinere poterant de prenominata Eccleſia Sancti Chriſtophori, ejuſque Cimiterio, & utenſilibus. Que ab hac hora in antea nec ego nec mei ſucceſſores, qui pro tempore predicte Eccleſie Sancti Michaëlis preerunt, neque aliqua perſona a nobis ſummiſſa, non agemus neque moleſtabimus ſive* C *intentionabimus, nec aliquo modo inquietabimus te prefatum Donnum Archiepiſcopum, vel Rectores, qui pro tempore erunt, de ſupraſcripta Eccleſia Sancti Chriſtophori ejuſque Cimiterio. Et inſuper ego prememoratus Ubertus Abbas ſpondeo & obligo, me, meoſque ſucceſſores debere componere vobis prefato Donno Archiepiſcopo, & Rectoribus, qui pro tempore erunt de ſupraſcripta Eccleſia Sancti Chriſtophori, penam argenti optimi Librarum ducentarum, ſi umquam aliquo tempore contra hanc dationem & conceſſionem venire temptaverimus, & eam rumpere vel evacuare queſierimus quolibet ingenio. Et ad futuri temporis memoriam pro hujus rei confirmatione hoc ſcriptum ſcribere rogavi* D *Uguicionem Judicem & Notarium ſacri Palatii.*

Actum in Camera Curie jam dicti Donni Archiepiſcopi, preſentibus Donno . . . . . . Priore Sancti Pauli de Orto, & Paulo Diacono, & Ildebrando Subdiacono, & Martino de Travalda, & Folle, & Ildebrando quondam Johannis.

Dominice Incarnationis Anno Milleſimo Centeſimo Quinquageſimo Octavo, Decimo Kalendas Aprilis, Indictione Sexta.

Ceſſio multorum Caſtellorum & bonorum, facta Villano Archiepiſcopo Piſano a Guidone Abbate Monaſterii S. Mariæ de Serena. Anno 1158.

IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Dei eterni. Anno ab Incarnatione ejus Milleſimo Centeſimo Quinquageſimo Octavo, Indictione Sexta, Undecimo Kalendas Februarii. Manifeſtus ſum ego Guido Abbas Monaſterii Sancte Marie de Serena, quia de comuni concordia meorum confratrum & Monacorum preſentia & Anſaldi Monaci mei, & Domni Presbiteri Rolandi Capellani noſtri Sancti Blaſii de Biboni, pro melioratione & utilitate ſupraſcripti noſtri Monaſterii, per hanc cartulam do, concedo & trado tibi Donno Villano venerabili Piſano Archiepiſcopo ad opus Eccleſie & Archiepiſcopatus Sancte Marie de Piſa, medietatem integram omnium rerum inmobilium & poſſeſſionum ad ſupraſcriptum Monaſterium pertinentium, cum Caſtellis & ...... & vineis & pratis & paſcuis & ſilvis & ſalinis, & cum omni eorum jure a Cecina uſque ad Ombrone, ſicut in mare derivantur. Videlicet medietatem de hoc, quod ſupraſcripto Monaſterio pertinet in Biboni & ejus confinibus, & in confinibus de Caſale, & in Montealto & ejus confinibus, & in Paratino, & Canpo Magiore, & in Curia de Bolgari ad Sanctum Victorem, & in finibus Rivo-Gualdi, que eſt inter Caſtagnetum & Segalare. Et de hoc quod ſupraſcripto Monaſterio pertinet in Rocca de Biſcino & ejus confinibus, & Curia, que eſt medietas Rocce & ejus Curie; & de hoc quod eidem pertinet in Aquaviva & ejus confinibus, & in Canpilia, que eſt medietas ...... Caſtello & Curia; & in Finoketo, & in Curia de Suvereto, & in Caſtilione Bernardi & ejus Curia & confinibus ...... rte de Monte-ritondo, ſcilicet Villa de Cangna, & Villa de Paterno, & Villa de Burriano, & in Curti de Marciliana, & in Curte de Tapaſio ſuper Caſtellina, & in Caſalaſſci, & in Burgugnano, & in Aqua-nigra, & in Aquilaja, & infra Plebe de Noni, & in Cornino, ſcilicet Curia de Sancto Vito, que tenet caput in Cerro-ſuvera, & aliud caput in Piſcina Presbiteri Lei, & aliud ad murum longum, & aliud in Petra-ficta, & uno latere tenet in Via Lamaca-dul .... aliud caput tenet in Piſcina de Selice; & a Pero-gebulo, & ſic redit per Silicem uſque ad Corniam, & aliud caput tenet ad Foſſam Lupajam, & ſic vadit per Prunetam uſque ad Varicum, & vadit per Arniſanum uſque ad Foſſam ...... unici. Et in Curte de Caſalappi, & in Curte de Sanbuketa, & in Villa de Burgo, & in Curte de Montioni. Et ut generaliter dicam, medietatem omnium ſupraſcriptorum & ceterorum inmobilium ad ſupraſcriptum Monaſterium pertinentium infra predictos terminos Cecine, & Ombrone uſque ad mare, jura & actiones mihi & ſupraſcripto Monaſterio inde adverſus omnem perſonam competentes, ſicut dictum eſt, tibi Villano Piſano Archiepiſcopo do, cedo, & inrevocabiliter trado ad opus Eccleſie & Archiepiſcopatus Sancte Marie quas actiones & tibi tuiſque ſucceſſoribus mando. Et hoc facio pro melioratione & utilitate ſupraſcripti Monaſterii, & pro defenſione rationabili, quam vos, veſtrique ſucceſſores mihi & meis ſucceſſoribus preſtare debetis in alia medietate, que ibi nobis re-

A manet, ſicut in veſtra parte, quam vobis nunc do, preſtabitis, & pro una Domo poſita infra Civitatis Piſane muros, in Ponte trium Scalarum, & pro uno Orto duorum ſtariorum in Catallo, & pro una Domo duarum Scalarum in Caſtello de Piombini, & una Vinea ibi prope, decem ſtariorum, poſita inter Caſtellum & Monaſterium, vel in Perticaja, vel inde uſque ad Caſtellum, quod mihi proprio jure ad proprietatem Monaſterii datis, & ut poſſeſſionem integre percipiatis, & pro uno Orto ibi quatuor ſtariorum, ſicut deſignabuntur, pro decem Libris denariorum, quas inſuper pro merito a vobis nunc recipio. Et ſic conſtituo, me ..... de veſtro & veſtri Archiepiſcopatus nomine ſu-

B praſcriptam medietatem, quam vobis, donec vobis placuerit, faciendo nos poſſeſſores meo miniſterio. Et do vobis licentiam intrandi poſſeſſionem omnium per vos vel per veſtrum procuratorem. Quam meam dationem & conceſſionem atque traditionem ſi ego, qui ſupra Guido Abbas, vel mei ſucceſſores, ſive cui nos eam dediſſemus aut dederimus, retollere vel minuere queſierimus per aliquod ingenium tibi qui ſupra Villano Archiepiſcopo, vel tuis ſucceſſoribus, aut cui vos eam dederitis, vel habere decreveritis; & ſi nos exinde auctores dare volueritis, & eam vobis ab omni homine defendere non potuerimus, & non defenſaverimus, ſpondemus nos vobis componere ſupraſcriptam meam da-

C tionem & conceſſionem & traditionem in duplum in ferquido loco ſub eſtimatione, qualis tunc fuerit. Et in tali ordine hec ſcribere rogavi Opithonem Notarium Apoſtolice Sedis. Fuit & conventum inter ſupraſcriptum Abatem, & Donnum Archiepiſcopum, quod ſi ipſe Abbas vel ejus ſucceſſores venerint ad vendendum vel pignorandum ſuam partem, que ei remanet, vel quam modo ab Archiepiſcopo recipit, vel alias poſſeſſiones Monaſterii, quod vendet, vel in pignore dabit ei, vel ejus ſucceſſori, antequam alicui alteri, ſicut debet dare alteri, ſi voluerit emere, vel pignori accipere. Quod ſi non obſervaverit, promiſit per ſtipulationem componere penam ei centum Librarum optimi argenti, &

D ejus ſucceſſoribus.

Actum Piſis.

Signum ✠ manus ſupraſcripti Abatis, qui hanc cartulam fieri rogavit in preſentia ſupraſcriptorum, & Leonis Archipresbiteri, & Rolandi Canonici Sancte Marie.

Signum ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ manus Lamberti quondam Lanfranci, & Lamberti quondam Ranucini, & Lamberti quondam Lamberti Bononis, & Janni de Berno, & Tolle quondam Bonithi, & Ultramonte .... Ranucini. teſtium.

✠ Ego Guido Abbas Sancte Marie de Sere-

E na in hanc cartulam rogavi fieri & ſubſcripſi.

✠ Ego Vivianus Sacerdos & Monaco ejuſdem Monaſterii ſubſcripſi.

✠ Ego Anſaldus ejuſdem Monaſterii Diaconus & Monachus ſubſcripſi.

✠ Ego Rolandus Sacerdos ſubſcripſi.

Ego Opitho Judex & Notarius Apoſtolice Sedis poſt traditam complevi & dedi.

Sententia

Sententia Piſanorum Judicum in controverſia inter Ubaldum Archiepiſcopum Piſanum, atque Attonem Abbatem S. Salvatoris de Sexto. Fortaſſis Anno 1174.

IN eterni Dei nomine . Amen . Nos Magiſter Rubertus, Gaietanus, & Ugo Rolandi, arbitri electi a digniſſimo Archiepiſcopo Donno Ubaldo , *& a venerabili* Abbate Attone . . . . . Sancti Salvatoris de Sexto, *pro Archiepiſcopatu & Abbatia , ad diffiniendas eorum lites & controverſias , ad penam trecentarum Librarum , ſtipulatione ad invicem premiſſa, ſic diffinimus . Siquidem prefatus Abbas & ejus Sindicus Rainerius pro ipſo Monaſterio , agunt contra Ubaldum Piſanum Archiepiſcopum pro ipſo Archiepiſcopatu , & contra Presbiterum Amatum ejus Sindicum , de uno petio terre poſito in confinibus Blentine , in loco dicto Pergamo , tenente ambo capita cum uno latere in terra predicte Eccleſie Sancti Salvatoris , aliud verò latus partim in terra predicti Monaſterii , & partim in terra , quam tenet Pinus & Burdone & Gener Rolandini de Blentina , & Pennatus , & filiorum Cibeccule , actione in factum relicta loco interdicti , unde vi & condictione ex Lege* Si quis intentata , *& ex Libris Sabinianis , & in rem directa & utili . Inſuper agunt , ut non cogat homines Abbatie , qui habitant in Blentina & ejus confinibus in terris Abbatie , neque per Placitum , neque per Bannum , neque per Albergariam, neque aliquo modo , neque impediat , Abbatem cogere eos per placitum & bannum & juriſdictionem in eos exercere , actione in factum ex moribus & ex privilegio & conceſſione Imperiali & ex conſuetudine Regni . Hidem reſpondent ,* quod non credunt ſui juris eſſe , nec inter eos ſubeſt obligationis ſubſtantia , quare in factum detur , vel Judicis officium locum habeat , vel ſupraſcriptarum actionum aliqua locum habeat . Et hec omnia dicimus ſalvo , quod non offerimus nos petitioni in his , que non poſſidemus . *Preterea & ſi poſſiderent , dicebant , ſe ipſe tueri preſcriptione quadraginta annorum. Abbas ſuam intentionem fundare contendit ex publico Inſtrumento , quo continetur , Ghiſiam filiam Farolfi obtuliſſe Deo & Monaſterio Sancti Salvatoris unum petium terre , ubi dicitur Pergamum prope Blentinam , cujus caput cum uno latere jungitur terre Sancti Salvatoris de Sexto , aliud verò caput copulatur terre Gerardi Judicis, latus verò aliud adheret terre Johannis filii Petri , & partim terre de filiis quondam Junii , & Vitalis quondam Alberti , & aliquantulum terre predicti Monaſterii, & eſt modiorum quatuor & medium . Et ſive ſit relictum vel donatio causâ mortis , vel inter vivos per in rem competit per Legem* Ut inter divinum . *Archiepiſcopus negat de corpore conſtare ; nam latus viæ adheret, non terre Abbatis. De ceteris non conſtat, niſi per auditum . Nec videtur hec terra illa eſſe , cum ibi dicitur eſſe quatuor modiora & medium , ſed hec videtur eſſe minus uno & dimidio . Quo ſalvo dicitur non eſſe legatum vel donationem cauſa mortis , ſed inter vivos . Nam obligando ſe de evictione , & de non auferendo , inrevocabiliter donaſſe videtur & ſine traditione , & ita in rem ex eo contentu*

A *non competit . Nam ſi verba Legis ita large intelligeremus , non referendo ſingula ſingulis , jam ex contentu competeret ipothecaria non ſolùm Locis Religioſis , ſed & publico , quod videtur abſurdum . Preterea non eſt probatum , terram fuiſſe donantis , quod licèt preſumeretur, per poſſidentem . . . . . . preſumendum pro petente ; & maxime quod numquam poſſeſſionem probatus eſt habere . Abbas autem dicit de corpore conſtare , cum nulla loci pertinentia uſque inveniatur , que in loco . . . . . . comprehendatur adherens predictis terris , niſi illa , que nunc petitur. Que demonſtratio loco proprii nominis videtur . Et licèt minor inveniatur quantitas , non vitiat contentum tamen , ſed . . . .*
B *Item ſi ſubtilitatem prefatam attendamus , non eſſet verùm , quod Lex dicit , damus , cum dudum antea perſonalis ex contentu data fuerit , nec etiam privilegium eſſet . Archiepiſcopus . . . . . . qui maxima quantitas proprietate ibi aſſigna . . . . . ibi non invenitur, nec adaptari poteſt , cum ultra Viam non dicatur Pergamus. Itaque licèt hec terra habeat quaſdam proprietates in Inſtrumento . . . . . . cum una principalis eis deſit , non videtur hec illa eſſe , quamvis predicta Via privati juris eſſe tunc probaretur ex eo , quod exitum niſi a parvo tempore non habuerit . Super actionem in factum , & officium Judicis , & ex moribus , & ex privilegio & conceſſione Imperiali , & ex conſuetudine*
C *Regni , Abbas fundat ſuam intentionem per privilegia Imperatorum , & Comitis Ugolini refutationem . In quibus privilegiis continetur, quod nullus Marchio vel Comes , vel alia perſona impediat homines habitatores in terra Abbatie Sancti Salvatoris de Sexto neque per Placitum , neque per Bannum , neque per Albergariam , vel alio modo . De quibus omnibus ipſe Comes Ugolinus refutationis inſtrumentum prefate Abbatie rogari fecit . Archiepiſcopus negat ei competere ullam actionem , cum ſint liberi homines , licèt & in terris ejus habitent , pro quibus agere ſine mandato Lex non permittit . Abbas verò ex conſuetudine Regni ſibi hoc jus competere dicit . Niſi enim jus inde acquireretur , fruſtra*
D *Imperatores talia indulgere per privilegia conſueviſſent . Nos itaque predicti Arbitri ratione cognita , Archiepiſcopum Ubaldum Piſanum, & ejus Sindicum Presbiterum Amatum pro ipſo Archiepiſcopatus a prefata petitione actoris Abbatis de Sexto & ejus Sindici Rainerii, de campo petito ab ei , poſito in loco dicto Pergamo , noſtro laudamento abſolvimus ; ſed eumdem Archiepiſcopum & ejus Sindicum pro ipſo Archiepiſcopatu , ut non impediat homines Abbatie , qui habitant in Blentina & ejus confinibus, & in terris ipſius Abbatie , neque per placitum , neque per bannum , neque per albergariam , neque aliquo alio modo , neque impediat Abbatem cogere eos per placitum & banna , & juriſdi-*
E *ctionem in eos exercere, prefato Abbati pro ipſo Monaſterio Sancti Salvatoris , noſtro laudamento condonamus .*

Ab Anno verò Dominice Incarnationis Mille-

ſimo Centeſimo Septuageſimo Octavo (1), *Indictione Octava, Quarto Kalendas Octobris.*

Data & recitata ſunt hec Piſis in balatorio Donni Ubaldi digniſſimi Archiepiſcopi Piſani, preſentibus Ildebrando de Mercato, Opithone Judice, Henrico Gualterii, Ugone Familiari, Advocatis, Perignone, Lambertuccio quondam Uberti de Montemagno, & me Hugone tunc Notario, & modò Judice, quondam Bernardi Marignani filio, qui predictorum Arbitrorum mandato predicta . . . . . . & omnibus predictis interfui.

Ego Ugo Domni Imperatoris Frederici Judex ordinarius, atque Notarius, quondam Bernardi Marignani filius, predictis omnibus interfui, & mandato predictorum Arbitrorum ſupradicta ſcripſi, atque firmavi & complevi, eorum vice & parabola.

Alexandri III. Papæ Bulla pro Hugone Priore S. Mariæ ad Fine. Anno 1178.

ALexander *Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis* Ugoni Priori (2) Plebis Sancte Marie Virginis ad Fine, *ejuſque Fratribus tam preſentibus quàm futuris, regularem vitam profeſſis, in perpetuum. Apoſtolici moderaminis . . . . convenit Religioſos diligere, & eorum Loca pia protectione munire. Dignum namque, & honeſtati congruum eſſe cognoſcimus, ut qui ad Eccleſiarum regimen aſſumpti ſumus . . . . . . hominum nequitiá tueamur, & Apoſtolice Sedis patrocinio foveamus. Ea propter, dilecti in Domino filii, veſtris juſtis poſtulationibus clementer annuimus . . . . . . in qua divino mancipati eſtis obſequio, ad exemplar felicis recordationis predeceſſoris noſtri Anaſtaſii Pape, ſub beati Petri, & noſtra protectione, & preſentis ſcripti privilegio communimus. Statuentes, ut quaſcumque poſſeſſiones, quecunque bona eadem Eccleſia in preſentiarum juſte & canonice poſſidet, aut in futurum conceſſione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione Fidelium, ſeu aliis juſtis modis, Deo propitio poterit adipiſci, firma, integra, & illibata permaneant. In quibus hec proprie duximus exprimenda vocabulis. Eccleſiam videlicet de Peneto, & quidquid in eadem Villa juſte tenetis. Eccleſiam de Gualtiperga, & poſſeſſiones . . . . quas in eodem loco habetis. Quidquid in Curte de Colle, in Curte Sancti Reguli, in Caſtello Veteri, & in Curte ejuſdem Caſtri, in Caſtello & Curte de Parrana juſte ac legittime poſſidetis, eidem Eccleſie confirmamus. Terram verò, & Decimationem mortuorum, donationem, oblationem, & quidquid* Opitho bone memorie Piſanus Archiepiſcopus *rationabiliter vobis conceſſit, per preſentis ſcripti paginam roboramus. Quod ſi quis de circum adjacentibus Plebibus in vita, ſicut in morte, de jure ſuo, devotionis intuitu, vobis aliquid dederit, ſeu propter religionem apud eamdem Eccleſiam ſepeliri deliberaverit, nullus obſiſtat, ſalvá juſtitiá Eccleſiarum, a quibus mortuorum corpora aſſumuntur. Ad indicium autem hujus a Sede Apoſtolica percepte protectionis, ſex Denariorum Lucenſis monete nobis noſtriſque ſucceſſoribus, annis ſingulis perſolvetis. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat jam dictam Eccleſiam temere perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, ſeu quibuslibet moleſtiis fatigare, ſed omnia integra conſerventur eorum, pro quorum gubernatione & ſuſtentatione conceſſa ſunt, uſibus omnimodis profutura. Salva in omnibus Apoſtolice Sedis auctoritate, & Piſani Archiepiſcopi canonica juſtitia. Si qua igitur in futurum Eccleſiaſtica, Seculariſve perſona, hanc noſtre conſtitutionis paginam ſciens, contra eam venire temptaverit; ſecundo, tertiove commonita, ſi non ſatisfactione congrua emendarit, poteſtatis, honoriſve dignitate careat, reamque divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & a ſacratiſſimo Corpore ac Sanguine Dei & Domini Redemptoris noſtri Jeſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtricte ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem loco juſta ſervantibus ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti, quatenus hìc fructum bone actionis percipiant, & apud diſtrictum Judicem premia eterne pacis inveniant. Amen.*

✠ *Ego Johannes Presbiter Cardinalis Sanctorum . . . . . Pamachii ſubſcripſi.*

✠ *Ego Johannes Presbiter Cardinalis . . . . .*

✠ *Ego Theodinus Presbiter Cardinalis . . . . .*

✠ *Ego Vivianus Presbiter Cardinalis titulo Sancti Stephani in Celio Monte, ſubſcripſi.*

✠ *Ego Ugo Presbiter Cardinalis titulo Sancti Clementis ſubſcripſi.*

✠ *Ego Arduinus Presbiter Cardinalis titulo Sancte Cruci Jeruſalem ſubſcripſi.*

✠ *Ego Jacobus Diaconus Cardinalis Sancte Marie in Coſmidin ſubſcripſi.*

✠ *Ego L . . . .*

✠ *Ego R . . . . ad Velum aureum ſubſcripſi.*

✠ *Ego Johannes Diaconus Cardinalis Sancti Angeli ſubſcripſi.*

✠ *Ego Rainerius Diaconus Cardinalis Sancti Adriani ſubſcripſi.*

✠ *Ego Mattheus Sancte Marie Nove Diaconus Cardinalis ſubſcripſi.*

Datum Lateranenſe per manum Alberti Sancte Romane Eccleſie Presbiteri Cardinalis & Cancellarii, VIIII. Octubris, Indictione . . . . . Incarnationis Dominicæ Milleſimo Centeſimo Septuageſimo Nono, Pontificatus verò Domni Alexandri Pape Tertii Anno XX.

(1) Aut in Anno vitium eſt, aut in Indictione.

(2) Quo nomine deſignatur Collegium Canonicorum Regularium.

Lucii III. Papæ Bulla pro Rectore Eccleſiæ de Capite Urſuli. Fortaſſis Anno 1182.

LUcius Epiſcopus , ſervus ſervorum Dei , dilecto filio Petro Presbitero , Rectore Eccleſie de Capite Urſuli, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Apoſtolice Sedis benignitate inducimur , & ſuſcepte adminiſtrationis debito provocamur , venerabilia Loca paternâ caritate diligere , & contra malignorum incurſus protectionis eis Apoſtolice preſidium impertiri . Eapropter ad exemplar felicis recordationis Paſchalis Pape predeceſſoris noſtri, domum, cui Deo auctore preeſſe dinoſceris , cum omnibus , que in preſentiarum rationabiliter poſſides , ſub beati Petri, & noſtra protectione ſuſcipimus , & preſentis ſcripti patrocinio communimus . Statuentes , ut quecunque bona a Gualandi filiis Theodorico & Groſſolello , vel a Ranerio & Gottolo Gotti filiis , ſeu a Benni filiis Htigone & Theo- A *dorico, vel a Bernardo & Henrico Benni filiis, & a Rodulfo & Ildebrandino Ildebrandi filiis , vel a quibuſcunque fidelibus in eamdem domum oblata ſunt , vel in poſterum offerri contigerit , quieta & integra in ejuſdem domus poſſeſſione permaneant illibata, peregrinorum & pauperum uſibus profutura . Prohibemus etiam , ne quis in eamdem domum aſſultum facere, vel eam temere perturbare , aut ejus bona diripere , vel modis quibuslibet alienare preſumat. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtre protectionis infringere , vel ei auſu temerario contraire . Si quis autem hec attemptare preſumpſerit , indignationem omnipotentis Dei , & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum .*

Datum Verulis , Quarto Nonas Madii .

Cæleſtini III. Papæ Bulla pro Plebano S. Johannis de Calcinaja. Anno 1193.

CElestinus Epiſcopus , ſervus ſervorum Dei, dilecto filio Guidoni, Eccleſie Sancti Johannis de Calcinaja Plebano , ejuſque ſucceſſoribus canonice inſtituendis in perpetuum. Quotiens illud a nobis petitur , quod religioni & honeſtati convenire dinoſcitur, animo nos decet libenti concedere, & petentium deſideriis congruum impertiri conſenſum . Eapropter , dilecte in Domino fili , Guido Plebane , tuis juſtis poſtulationibus clementer annuimus , & ad exemplar felicis memorie Adriani, & Alexandri Romanorum Pontificum predeceſſorum noſtrorum prefatam Eccleſiam , cui Deo auctore preeſſe dinoſceris, ſub beati Petri & noſtra protectione ſuſcipimus , & preſentis ſcripti privilegio communimus . Statuentes , ut quaſcunque poſſeſſiones , quecunque bona eadem Eccleſia in preſentiarum juſte & canonice poſſidet , aut in futurum conceſſione Pontificum , largitione Regum vel Principum , oblatione Fidelium , ſeu aliis juſtis modis, preſtante Domino , poterit adipiſci, firma tibi , tuiſque ſucceſſoribus & illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis . Eccleſias Sancte Marie , & Sancti Michaelis de Monteclo : Eccleſiam Sancti Leonardi de Cerbaria, & Eccleſiam Sancti Proſperi in Blentina : Eccleſiam Sancti Petri de Curte , & Sancti Juſti : Eccleſiam Sancti Andree de Sala , & Parrocchiam de Baſſiliano : Eccleſiam Sancti Fridiani de loco , qui Tredecim dicitur : In Villa , que vocatur Rapida , Eccleſiam Sancti Laurentii , & Sancti Chriſtofori : Eccleſiam Sancti Martini de Ponte-Era : Eccleſiam Sancti Michaelis de Travalda , & Sancti Thome : In Villa , que Calcinaria dicitur , Eccleſiam Sancti Quirici , Sancti Georgii, Sancti Fridiani, Sancti Andree, Sancti Laurentii , Sancti Stephani , & Eccleſiam Sancti Michaelis. Preterea ſententiam , quam bone memorie Villanus quondam Piſanus Archiepiſcopus *inter te & Vicedominum Piſane Eccleſie ac Plebanum de Vico, canonice tulit, ſicut in ejus au-* B *tentico continetur, auctoritate Apoſtolica confirmamus . Ad majorem autem hujus rei firmitatem , eandem ſententiam huic noſtre pagine de verbo ad verbum duximum inſerendam .*

„ CUm vigilanti animo , diligentique ſtudio omnibus , & his maxime , quibus Epiſcopalis eſt cura injuncta, conveniat , ea , que ſunt diſcordie , quieta & pacifica reddere , & amicabilem finem inter litigantes imponere, precipue inter Eccleſiaſticos viros & ſervos Dei , quos litigare non oportet , quibus quidem nulla fere ratione conceditur, ut in Foro ſecularis Magiſtratus diſceptare preſumant : ego *Villanus* , *Dei gratia Piſa-* C *ne Eccleſie Archiepiſcopus* , cum diligenter audiſſem queſtiones litis & controverſie , que vertebatur , inter Homicium venerabilem Vicedominum Piſane Eccleſie , Plebanum de Vico, & Plebanum de Calcinaria nomine Gerardum , de quadam Capella, & ejus Parochia in honore Sancti Fridiani conſtructa in loco, qui dicitur Tredecim , quas prefatus Vicedominus Plebanus de Vico ſui juris eſſe contendebat , & jam dicte Plebis Plebanus de Calcinaria ex adverſo ſui juris nichilominus aſſerebat , causâ hinc inde in preſentia noſtra diu multumque protractâ , & tandem in laudatione veſtra conſenſu utrarumque partium poſitâ , conſilio diſertiſſimo- D rum aſſeſſorum noſtrorum Magiſtri Benencaſe , & Manfredi Judicis , atque Carpini , taliter noſtro arbitrio ſeu laudatione diffinivimus , videlicet . Ut baptiſmalis Eccleſia de Vico pacifice & quiete habeat Parrocchiali jure tres domos precipuas , que de Tredecim illuc habitare venerunt , & hoc nullo modo minuent territorium predicte Eccleſie . His ita precipuis , perpetuo jure concedimus inſuper eidem Plebi de integram medietatem totius territorii Capelle : Eccleſiam verò liberam

„ omni-

„ omnino & abſolutam perpetuo jure concedi-
„ mus & confirmamus Plebi de Calcinaria , &
„ aliam medietatem totius territorii ejuſdem
„ Eccleſie Sancti Fridiani cum medietate Maſ-
„ ſaritiarum preter tres ſupradictas. Ad ſedan-
„ dam igitur diſcordiam utriuſque partis , &
„ ut pax inter eas amodo ſit atque concordia ,
„ conſilium habuimus , ut taliter cauſam Par-
„ rocchiarum , velut dictum eſt, diſtinguamus,
„ & hanc diffinitionem ſtatuimus ſervari illi-
„ batam , & ut nulla perſona Secularis vel Ec-
„ cleſiaſtica licentiam habeat contra eam ve-
„ niendi . Si qua verò partium , ſciens hanc
„ noſtri arbitrii , ſeu laudationis paginam ,
„ contra eam temere venire temptaverit , ſe-
„ cundo tertiove commonita , ſi non ſatisfece-
„ rit , a Corpore & Sanguine Domini aliena
„ fiat . Servanti eam ſit ſalus , pax , & bene-
„ dictio Chriſti . Ut autem firmum hoc no-
„ ſtrum arbitrium ſeu laudatio in perpetuum
„ permaneat , noſtri Sigilli annotatione impreſ-
„ ſimus .

Sepulturam quoque ipſius Loci liberam eſſe concedimus , ut eorum devotioni & extreme voluntati , qui ſe illic ſepeliri deliberaverint , niſi fortè excomunicati vel interdicti ſint , nullus obſiſtat , ſalvâ tamen canonicâ juſtitiâ illarum Eccleſiarum , a quibus aſſumpti fuerint. Decernimus ergo , ut nulli omnino hominum liceat ſupradictam Eccleſiam temere perturbare , aut ejus poſſeſſiones auferre , vel ablatas retinere , minuere , ſeu quibuslibet vexationibus fatigare , ſed illibata omnia & integra conſerventur eorum , pro quorum gubernatione ac ſuſtentatione conceſſa ſunt , uſibus omnimodis profutura , ſalva Sedis Apoſtolice auctoritate , & Piſani Archiepiſcopi juſtitia & debita reverentia. Si qua igitur in futurum Eccleſiaſtica , Seculariſve perſona , hanc noſtre conſtitutionis paginam ſciens , contra eam temere venire temptaverit , ſecundo tertiove commonita , niſi reatum ſuum congrua ſatisfactione correxerit , poteſtatis , honoriſque careat dignitate , reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat , & a ſacratiſſimo Corpore ac Sanguine Dei & Domini Redemptoris noſtri Jeſu Chriſti aliena fiat , atque in extremo examine diſtricte ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem Loco ſua jura ſervantibus ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti , quatenus & hic fructum bone actionis percipiant , & apud diſtrictum Judicem premia eterne pacis inveniant . Amen. Amen.

A *Ego Celeſtinus Catholice Eccleſie Epiſcopus ſubſcripſi .*

✠ *Ego Albinus Albanenſis Epiſcopus ſubſcripſi .*

✠ *Ego Octavianus Hoſtienſis & Velletrenſis Epiſcopus ſubſcripſi .*

✠ *Ego Johannes Preneſtinus Epiſcopus ſubſcripſi .*

✠ *Ego Pandulfus Baſilicæ Duodecim Apoſtolorum Presbiter Cardinalis ſubſcripſi .*

✠ *Ego Petrus titulo Sancte Cecilie Presbiter Cardinalis ſubſcripſi .*

✠ *Ego Johannes titulo Sancti Clementis , Tuſcanus Epiſcopus ſubſcripſi .*

✠ *Ego Johannes Felix titulo Sancte Suſanne Presbiter Cardinalis ſubſcripſi .* B

✠ *Ego Romanus titulo Sancte Anaſtaſie Presbiter Cardinalis ſubſcripſi .*

✠ *Ego Guido Presbiter Cardinalis Sancte Marie TransTiberim , titulo Calixti , ſubſcripſi.*

✠ *Ego Johannes titulo Sancti Stephani in Celio Monte Presbiter Cardinalis ſubſcripſi .*

✠ *Ego Centius titulo Sancti Laurentii in Lucina Presbiter Cardinalis ſubſcripſi .*

✠ *Ego Soffredus titulo Sancte Praxedis Presbiter Cardinalis ſubſcripſi .*

✠ *Ego Bernardus Sancti Petri ad Vincula Presbiter Cardinalis titulo Sancte Eudoxie ſubſcripſi .*

✠ *Ego Gratianus Sanctorum Coſme & Damiani Diaconus Cardinalis ſubſcripſi .* C

✠ *Ego Gregorius Sancte Marie in Porticu Diaconus Cardinalis ſubſcripſi .*

✠ *Ego Gregorius Sancte Marie in Aquiro Diaconus Cardinalis ſubſcripſi .*

✠ *Ego Gregorius Sancti Georgii ad Velum Aureum Diaconus Cardinalis ſubſcripſi .*

✠ *Ego Lotarius Sanctorum Sergii & Bacchi Diaconus Cardinalis ſubſcripſi .*

✠ *Ego Nicolaus Sancte Marie in Coſmidin Diaconus Cardinalis ſubſcripſi .*

✠ *Ego Bobo Sancti Theodori Diaconus Cardinalis ſubſcripſi .*

✠ *Ego Petrus Sancte Marie in Vialata Diaconus Cardinalis ſubſcripſi .*

D ✠ *Ego Cencius Sancte Lucie in Orchea Diaconus Cardinalis ſubſcripſi .*

Datum Laterani per manum Egidii , Sancti Nicolai in Carcere Tulliano Diaconus Cardinalis , Idus Novembris , Indictione Duodecima , Incarnationis Dominice Anno MCX III. Pontificatus verò Donni Celeſtini Pape Tertii , Anno Tertio .

Præceptum

Præceptum Hubaldi Archiepiſcopi Piſani Conſulibus de Morrona. Anno 1199.

IN eterni Dei nomine . Amen . Ego Hubaldus Dei gratia Piſane Eccleſie Archiepiſcopus precipio tibi Montanino, & Carboni, & Guilichello , & Foreſtano , Conſulibus de Morrona , pro vobis , & pro ipſo Conſulatu, & pro Comuni totius Caſtri de Morrona , & omnibus vobis , qui eſtis de Populo de Morrona , ſub ſacramento , quod mihi de preceptis meis obſervandis tenemini , ut ab hac ora in antea nullo tempore vite veſtre faciatis , vel aliquis veſtrum faciat contra honorem Hubaldi Piſani Archiepiſcopi , vel ejus in Archiepiſcopatu ſucceſſorem vel ſucceſſores , neque contra Archiepiſcopatum vel honorem Archiepiſcopatus ſtudioſe . Item precipio vobis ſub eodem ſacramento , ut nulli meo Nuntio , vel mei ſucceſſoris , vel Archiepiſcopatus Piſani , offendatis vel offendi conſentiatis in perſona vel in havere in Morrona vel ejus confinibus ſive diſtrictu , toto tempore vite veſtre , & ut predicto tempore non minuatis ſcienter neque minui conſentiatis in perſona vel in havere honorem vel honores , neque poſſeſſiones vel jura Archiepiſcopatus ſupraſcripti . Et ſi aliquo tempore noveritis , quod aliqua perſona velit inminuere aliquod de predictis , & non poteritis diſtornare , precipio vobis , ut quamcitius poteritis , ſine fraude mihi , vel qui tunc erit Archiepiſcopus , vel certo meo Nuntio nuntietis . Inſuper ſub ſacramento ſupraſcripto precipio vobis Conſulibus ſupraſcriptis pro Communi de Morrona, & cuique veſtrum de Populo & de Terra de Morrona, & Villarum , & ejus diſtrictu , ut vos , vel aliquis veſtrum non incidatis vel incidere faciatis ligna de boſco de aq . . . . & ejus Curte de Montanino , & ejus Curte de Sanctaluce & ejus Curte ; neque intretis vos , vel aliquis veſtrum pro incidendo ligna ſtudioſe aliquem boſcum de ſupraſcriptis ; ut nihil ſupraſcriptorum faciatis ſine voluntate mea vobis nota parabola mea , vel per meas litteras , vel certum meum Nuntium . Inſuper precipio vobis ſupraſcriptis Conſulibus , ut ſub ſacramento omnibus aliis de veſtro Populo & de Terra de Morrona precipiatis , ut ſupraſcripta precepta obſervent , & ea precepta eis & parte mea , & pro me faciatis .

Actum Piſis in balatorio dicti Archiepiſcopatus , preſentibus Domno Tedicio Piſanorum Poteſtate , & Bulſo Juriſ-docto , & Ugone Sigerii , & Bonacurſo quondam Lamberti majoris , & Heldithbo Vic. comite , & Henrico Malpilii , & Ormannino filio Ugonis de Bella , me quoque Uguicione Judice & Notario preſente .

Anno Dominice Incarnationis Milleſimo Centeſimo Nonageſimo Nono , Indictione Secunda , Sextodecimo Kalendas Aprilis .

Ego Uguicio quondam Ildebrandini de Curia Gualandingorum filius , Domni Henrici Romanorum Imperatoris Judex ordinarius atque Notarius , predictis omnibus interfui , & ideo ad memoriam futuri temporis habendam ſcripſi , firmavi , atque complevi .

HISTORIA
BELLI FOROJULIENSIS,

NUNC PRIMUM EDITA,

CONSCRIPTA

A JOHANNE NOTARIO
QUONDAM AYLINI DE MANIACO,

AUCTORE SYNCHRONO,

Ab Anno Ch. MCCCLXVI. uſque ad MCCCLXXXVIII.

IN HISTORIAM FOROJULIENSEM JOHANNIS AYLINI DE MANIACO

PRAEFATIO

LUDOVICI ANTONII MURATORII.

JAm dedi in poſtremo Tomo *Rerum Italicarum* Fragmenta quaedam Hiſtoriae Forojulienſis Auctore *Juliano Canonico Cividatenſi* ab Anno MCCLII. uſque ad Annum MCCCXV. Alia nunc addere mihi licet, non contemnenda ſane, ab Anno MCCCLXVI. uſque ad Annum MCCCLXXXVIII. Auctore *Johanne Notario quondam Aylini de Maniaco*. Et quidem profiteri antea juvat, me omnia haec debere diligentiae atque benevolentiae erga me ſingulari praeclariſſimi viri Franciſci Berettae Comitis ac Patricii Utinenſis, in quo non facile decernas, Humanitaſne, an Patriae ac Literarum amor, ſtudiumque praeſertim antiquae ac barbaricae Eruditionis plus emineat. Fragmentum Hiſtoricum Aylini jamdiu memoraverat Voſſius in Lib. de Hiſtoric. Lat. uti & Du-Cangius in Indice Auctor. Gloſs. Latini. Memoraverant etiam Auctores Ephemeridum Italic. Literar. Tomo IX. artic. 3. Nulli labori pepercit indefeſſus Comes Beretta, ut hocce fragmentum ſibi conquireret. Geminum illius exemplum obtulerunt generoſi viri Nicolaus & Fabius Comites dominantes Caſtello Maniaci, qui generis Nobilitatem Eruditionis antiquae cultura exornant. Sed utrumque lacunis & mendis ſcatere deprehenſum fuit. Satis jam conſtabat apud Cl. V. Juſtum Fontaninium Archiepiſcopum Ancyranum ejuſmodi Fragmentum non adſervari tantum, ſed rigidiſſimo carceri commendatum fuiſſe, ita ut nulla ſpes lucis ſupereſſet. At eo e vivis ſublato, ope doctiſſimi viri Joſephi Liruti ab humaniſſimo Fontaninii Nepote ac Herede illud Beretta impetravit. Exaratum autem erat manu Camillij Maninii Utinenſis, cui pater fuit Bernardinus Maninius, Doctor & Eques, olim Sabellici diſcipulus. Atque hoc tantummodo Aylianae Hiſtoriae fragmentum notum antea erat. Verum minime quieſcente diligentiâ praelaudati Comitis Berettae, alterum tamdem Fragmentum emerſit, hucuſque latens inter papyros Canonici Aquilejenſis Ectorei, viri ob congeſtos MStos Codices, atque ob Antiquitatis ſtudium apud ſuos commendati. Antonii Bellonii celebris Antiquitatum Forojulienſium venatoris ſcriptum hoc erat. Integrum ſane Aylini foetum neque propterea habemus, quum illius dumtaxat principium & finem gemina haec Fragmenta complectantur. Dicere tamen liceat, levis momenti fuiſſe, quae intermedia exciderunt, uti ex aliis Hiſtoriis rite deduci poteſt. Reliquum proinde eſt, ut Forojulienſi Provinciae, cujus Hiſtoria hactenus perquam jejuna viſa fuit, ob novam hanc Aylini acceſſionem gratulemur.

Sed quis hic Scriptor? percontetur aliquis. Id unum novimus monente ſupralaudato Comite Fabio, rerum ſuarum peritiſſimo, Aylinorum Familiam Saeculo XIV. floruiſſe in nobili Caſtello Maniaci, ſito, ut creditur, in finibus antiquae Celinae a Plinio memoratae, ac jamdiu exciſae. Ibi Notarium agebat Aylinus ſenior proavus Johannis Hiſtorici circiter Annum Chriſti 1277. Ex iſto natus Antonius itidem Notarius, qui Aylinum juniorem, pariter Notarium, & Johannis noſtri patrem, genuit. Notariae quoque Arti operam dedit Johannes Hiſtoricus. Reperitur etiam Johannes Canonicus Utinenſis, junioris Antonii Filius, atque ipſius Hiſtorici Nepos circiter Annum 1447. Haec omnia ex antiquis Maniaci tabulis depromta fuere. Quo tempore vitam egerit, reſque Fori Julii literis conſignarit Johannes noſter, Hiſtoria ipſa ſatis prodit.

Ceterum ſi quis delicatulus exſurgens, dum in humilem, immo plebejum Chronographi hujus ſtilum incurrit, naſum corruget, hoc ſibi reſponſum habeat. Si praeſto tibi eſt quiſpiam coaevus rerum iſtarum Scriptor, in quo Charites & elegantia Latini Sermonis abundent: auctor tibi ſum, ut neglecto, immo exſibilato Johanne Aylini, ad cincinnatum illum legendum accedas. Verum, ubi deſit, quid Aylinum faſtidis, pedeſtri quidem, ſed veraci ſermone ea narrantem, quae fruſtra ab aliis expectes? Quod praecipue Hiſtoriam conſtituit, rerum geſtarum veritas eſt. Hanc tibi in rudi candore ſuae dictionis exhibet Aylinus. Ei gratias debes, quod iſta tibi unus ſcripſit atque ſervavit. Si vero Hiſtoricum ſimul elegantem optas, Salluſtium, Livium, Vellejum, atque horum ſimiles pete. At Forojulienſia Saeculi XIV. minime ex eorum Libris exſculpes. Denique poſt Opuſculum iſtud ſuccedent Acta quaedam publica a ſaepe laudato Comite Beretta in uſum ſuum olim congeſta. Quum & iſta pertineant ad ejuſdem temporis Hiſtoriam, Eruditos Viros, & Forojulienſes potiſſimum, haec etiam lubenter excepturos confido.

HISTO-

HISTORIA BELLI FOROJULIENSIS.

IN guerris ortis ſub Domino Patriarcha Lodoico della Turre multi Nobiles de Patria Aquilejenſis Eccleſiæ ſubmiſſi erant Ducibus Auſtriæ etiam contra ipſam Aquilejenſem Eccleſiam, ejuſque fideles reſiſtentes, & guerram facientes. In qua quidem guerra rebelles erant Domini de Spegnimbergo cum omnibus eorum locis, & cum Turri ſitâ prope Terram Portus Naonis, Dominus Andreas de Pulcinico Plebanus de Straſſoldo, Dominus Facina de Portiſtagno, Dominus Johannes de Vururſpergo. Hi tenebantur de fidelitate Aquilejenſis Eccleſiæ. Terra Avenzoni, & Nobiles de Ragonea erant fideles dictorum Dominorum Ducum Auſtriæ. Dominus verò Dux Auſtriæ, nomine Rodulphus gravem animum habebat contra Dominum Franciſcum de Carraria, eum intendens de dominio Paduæ ejicere. Et eo modo potentiſſimus & Magnificus Dominus Barnabos Vicecomes, & Dominus Mediolani, mirabiliter animum graviſſimum habebat ad deſtructionem dicti Domini Franciſci de Carrara Domini Paduæ; ita quod ipſe Dominus Rodulphus Dux Auſtriæ ivit Mediolanum, tractaturus cum ipſo Domino Barnabove tam finalem deſtructionem dicti Domini Franciſci, quàm hujus Patriæ Forijulii, quia Dominus Lodoicus della Turre erat Patriarcha, & contrarius dicti Domini Barnabovis. Et Dominus Franciſcus confœderationem fecit cum ipſo Domino Patriarcha. In ipſo tractatu placuit Deo, & ejus Beatiſſimæ Virgini Mariæ, ut pravi & impii infideles ipſius Aquilejenſis Eccleſiæ corrigerentur. Quia idem Dominus Dux Rodulphus in Mediolano mortis tranſitum conſummavit, & ſic ejus tractatus nocere non potuit huic beatiſſimæ Patriæ. Tamen Dominus Franciſcus de Carraria miſit ſuas gentes in Foro Julii Domino Patriarchæ Aquilejenſi. Et obſedit Spegnimbergum, ibique ſtetit per plures dies ante Terram. Et hæc fuerunt in MCCCLXVI. In vigiliis Sancti Michaëlis fuit inſultatio guerræ ipſius.

Et non poſt longum tempus inde Dominus Lodoicus Patriarcha mortis tranſitum conſummavit. Et nobilis & egregius Franciſcus de Savorgnano Miles, factus fuit Vicedominus Aquilejenſis Eccleſiæ. Et proceſſit bellicoſe ad guerram contra prædictos infideles, & alios ſubditos Dominorum Ducum Auſtriæ. Et per gentes Aquilejenſis Eccleſiæ, & Domini Paduæ, multæ afflictiones & damna data fuerunt gentibus ipſorum Dominorum Ducum Auſtriæ. Et illo Anno receperunt Civitatenſes Dominis de Spelimbergo Zucolam, & Domino Johanni de Villalta Vuruſpergum, quæ Caſtra illico deruperunt. Et dum ſeptemcentum lanceæ intrarent Patriam cum potenti Milite Domino Walterpertoldo de Spegnimbergo, ad deſtructionem hujus Patriæ, per dictas gentes Eccleſiæ Aquilejenſis conflictæ fuerunt omnes ſub Faganea, & vix, quod ipſe Dominus de Spegnimbergo cum aliquibus fugam cepit in Spegnimbergo, & alias graviſſimas afflictio-

A nes habuerunt. Tamen gratiâ Jeſu Chriſti, & ejus Virginis Mariæ, ipſi de Spegnimbergo perdiderunt Caſtrum Truſſi, & Caſtrum Zuculæ, quod ad terram dejectum fuit per Civitatenſes, & ipſi tunc ſe reddiderunt Aquilejenſi Eccleſiæ. Dominus Johannes de Villalta perdidit Caſtrum Vuruſpergi, & per Civitatenſes fuit deſtructum & deruptum. Illi de Straſſoldo, & Dominus Facina, ſe dederunt Aquilejenſi Eccleſiæ. Illi de Avenzono ſubjugati fuerunt, deducti ad ultima, nihil habentes veſcere, propter quod ſe dictæ Aquilejenſi Eccleſiæ dederunt. Et Terra Portus Naonis ad ultima fuerat reducta, & niſi fuiſſet adventus Domini Marquardi Patriarchæ, qui venit B in MCCCLXVI. in vigiliis Nativitatis, ſi per ſolum menſem ſtetiſſet, ſe Aquilejenſi Eccleſiæ dediſſent. In cujus adventu tractata fuit pax per Dominum Nichilum de Maniaco inter prædictos de Portu Naone, & dictum Dominum Patriarcham Aquilejenſem. Et iſto modo correcti fuerunt iſti rebelles, & ſub ipſo Domino Patriarcha omnes de contrata in fidelitate permanſerunt.

In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, amen. Anno à Nativitate Domini noſtri Jeſu Chriſti MCCCLXXXI. Indictione IV. die Jovis III. menſis Januarii, horâ quartâ noctis, exſpiravit Reverendiſſimus in Chriſto Pater & Dominus, pius Dominus Marquardus, ſanctæ C Aquilejenſis Eccleſiæ digniſſimus Patriarcha, bonus rector Patriæ Forijulii. Et die Lunæ ſequenti VIII. Januarii ductus fuit, & ſepultus in Aquileja. Qui omnibus nobilibus, pauperibus, viduis, orfanis, & pupillis ſemper fuit benignus, pius, miſericors. Fuit natione Teutonicus Bavarus de Auſpurg, Epiſcopus ſanctæ ac beatiſſimæ Virginis Mariæ de Auſpurg, poſtmodum vocatus ad Patriarchatum Aquilejenſem. Ad quem nobilis & circumſpectus Dominus Nichil de Maniaco miſſus fuit per totam Patriam, ut inſtaret ei, quod Patriarchatum deberet acceptare, quia recuſabat eum velle acceptare propter magnas guerras & ſcandala, quæ erant in Patria cum Dominis Ducibus Au- D ſtriæ; cujus anima ſemper requieſcat in pace, amen. Poſt verò dicti Reverendiſſimi Domini Marquardi digniſſimi Patriarchæ Aquilejenſis obitum, Reverendiſſimus in Chriſto Pater & Dominus, Dominus Philippus de Alenconio, miſeratione divinâ Epiſcopus Sabinenſis, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, in Patriarcham Aquilejenſem in Commendâ per ſanctiſſimum in Chriſto Patrem & Dominum, Dominum Urbanum Papam miſſus & acceptatus fuit, & receptus per Civitatenſes, & alios quamplures de Patria, cum quibus erant Domini de Spegnimbergo, de Sacilo, de Canipa, de Aviano, de Pulcinico, de Miduna, de Tulmetio, & cum parte Carneæ, ſed non E omnes unanimes, & illi de Cadubrio, quia Dominus Philipponus de Turre erat Capitaneus ibi, illi de Glemona, de Valvaſono, Dominus Ambroſius Epiſcopus Concordienſis

ſis, de Cucanea, de Sancto Daniele, & multi alii. Terra verò Utini ipſum Dominum Philippum Cardinalem in Commenda acceptare recuſavit. Propterea prædictus Cardinalis literas miſit per totam Patriam. Et fecerunt eorum colloquium in Civitate Auſtriæ, ubi prædicti omnes, videlicet Civitas Auſtriæ cum ſuis adhærentibus ipſum habere decreverunt in eorum Dominum & Paſtorem. Utinenſes verò cum eorum etiam ſequacibus, eum in Commendam habere recuſaverunt, cum quibus & nos de Maniaco. Videlicet ad principium miſſus fuit per ejus fratres & conſortes prædictus Dominus Nichil de Maniaco Utinum, qui ibi intravit, & promiſit cum Utinenſibus eum nolle habere in Rectorem ac Dominum, niſi eſſet creatus verus Dominus, & Patriarcha, vel quod pileum Cardinalatus abjiceret, & per conſequens per futura tempora tamquam Patriarcha verus in Patria poſſet habitare; & ſic libertas Patriæ totaliter foret perdita; dicentes: *melius eſt, quod Patria deſtruatur, quàm Libertas amittatur*.

Et hoc modo in quacumque Civitate, Caſtro, & Villa partes magnæ ortæ ſunt de fratre ad fratrem, de conſorte ad conſortem, de patre cum filio, & non ſolùm inter homines, verùm etiam inter mulieres tam civiles, quàm rurales, tam parvas, quàm majores. Nec erat Civitas, Caſtrum, Villa aliqua, in qua non eſſet pars, ut dictum eſt, inter ipſos. Et ſuper his per Utinenſes, & eorum partem miſſi fuerunt ambaſciatores ſæpius ad ſummum Pontificem, ut verum Dominum Patriarcham deberet mittere in Patriâ, more antiquitus obſervato; vel quod iſte Dominus Cardinalis ejiceret Cappellum Cardinalatus. Et Dominus Papa ſcripſit in contra, ut eum deberent acceptare, & quod intitulatus erat in ſuo ſigillo iſto modo: PHILIPPVS DE ALENCONIO EP*iſcop*VS SABINENSIS S. R. E. CARD*inalis* PATr*iarc*HA AQUIL*ejenſis*. De hoc dicti Utinenſes, & ejus pars, non fuerunt contenti; & ſæpius miſerunt ad Dominum Ludovicum Regem Hungarorum, recipientes pro eorum Capitaneis quamplures de fidelibus dicti Domini Regis. Et ſic finaliter orta fuit lis & diſcordia inter ipſos Civitatenſes & Utinenſes, & eorum complices. Tunc mortuo Domino Rege Utinenſes tractaverunt ligam habere cum Ducali Dominio Venetorum, & cum Domino Antonio de la Scala, Domino Veronæ. Quâ ligâ factâ, tunc Utinenſes ſentire voluerunt ab omnibus de contrata, qui cum eis vellent eſſe, pro manutenendo libertatem Patriæ; & quod iſte Cardinalis non foret receptus in Commendam, niſi ejiceret Cappellum, vel quod alter verus Patriarcha detur Aquilejenſi Eccleſiæ, ut libertas non amitteretur. Cum quibus Utinenſibus illi de Sacillo, de Canipa, de Aviano, de Cordevato, de Spegnimbergo, de Valvaſono, de Sancto Daniele, ſe volventes promiſerunt contra ipſum Dominum Cardinalem cum Utinenſibus. Qui Cardinalis continue moram trahebat in Civitate Auſtriæ. Tunc lites & diſcordiæ oriri cœperunt in contrata. Et Ducale dominium Venetiarum incœpit ſcribere gentes, & mittere unum de Venetiis probatiſſimum, deputatum ad regimen Terræ Utini, & eorum partis, & guerræ. Et Dominus Veronæ unum miſit, qui pro eo gentes faciebat, & ſcribebat. Civitatenſes verò ligam & unionem fecerunt cum Domino Franciſco de Carraria, Domino Paduæ, Tarviſii,

A &c. Et ipſe Dominus Paduæ ligam fecit cum Domino Comite Virtutum, Domino Mediolani contra ipſum Dominum Veronæ, & ad ejus deſtructionem. Et in contrata Fori Julii Utinenſes cum eorum gentibus iverunt ante Glemonam cum exercitu, & Terram depugnantes, domos comburentes, vites detruncantes, & finaliter deſtruentes, ſe parti Utinenſium dederunt Glemonenſes. Et ſic proceſſum fuit contra Tulmeſinos, qui ſe parti dederunt, quia in Terra multi erant amantes partem Utinenſium. Et ſic tota Carnea lætanter ſe cum parte Utinenſium poſuerunt.

Dominus autem Philipponus de la Turre uno die, dum Caſtrum Plebis exiviſſet, volens B ire ad alium locum, captus fuit, & præſentatus Utinenſibus, propter quod Loca dare eum oportuit Utinenſibus. Et iſto modo guerra inſultavit graviſſima inter ipſos Civitatenſes, & eorum partem ex una, & inter Utinenſes, & eorum complices ex altera; ita quod Utinenſes multoties ibant cum eorum campo, & gentibus Cividatum Auſtriæ, eos fortiſſime deſtruentes. Et ſic magna ſcandala, & interemtiones hominum, incendia domorum, captiones hominum ortæ fuerunt, & ſubſequuta alia graviſſima, quæ omnia poſſe narrare, longum quidem eſſet. Et verè Utinenſes ſæpiſſime Civitatenſes cum eorum potentia ſuperaſſent; ſed durè procedebat pro poſſe eorum & aliorum C de contrata deſtructio, ut bene poterant, & potuerunt ſæpius. Civitatenſes ſemper cum blandimentis, & variis voluntatibus, & verbis blandis, quum videbant ſe ſuperari, mittebant ad Utinenſes eorum Ambaſciatores. dicendo unum, & aliud, quum videbant ſibi tempus faciendo, & de inlatis pro poſſe vindicando. Et dum Dominus Rizzardus de Valvaſono poſitus eſſet Capitaneus in Terra Portus Gruarii, abjecto nobili Domino Albertino de Spegnimbergo, qui ibi fuerat Capitaneus per dictum Dominum Philippum de Alenconio, Dominus Franciſcus de Carraria oſtendens ſe huic liti velle interponere, tractatum fuit inter Utinenſes, & ipſum Cardinalem, & D Civitatenſes, quod partes ſe in eum compromiſerunt. Et ſententiavit, quod ſub pœna decem millium Ducatorum quilibet obedientiam faceret ipſi Domino Cardinali inter ſpatium dierum ſex, & daret omnia loca & fortilitia ipſi Domino Cardinali. Et occulte ipſe Cardinalis promiſit, ſe daturum ipſi Domino Paduæ, Sacillum, Portum Gruarium, Montemfalconem, Scluſam, & certa alia fortilitia. Et facta eſt illico eidem obedientia tam per Utinenſes, quàm per omnes eorum colligatos, & per nos de Maniaco, cum verbo & conſenſu dictorum de Utino. Tunc ipſe Dominus Paduæ poſuit Utini pænes ipſum Cardinalem, Michaëlem de Rebatta ſuum familiarem in E Mareſcallum, quemdam Fratrem de Padua in Vicarium, & omnes Officiales ad ſui beneplacitum, & in Utino retinendo ſuos familiares, & Cavalarios taliter, quod in Utino multi erant ei inſtantes. Et finaliter Utinenſes, qui videbant, libertatem Patriæ fore quaſi in totum ammiſſam, nolentes ulterius tolerare, diſcordiam habere cœperunt cum ipſo Cardinali, non videntes ipſum Dominum, ſed potius Dominum Paduæ.

Tunc iterum cum eorum ſequacibus eſt liga facta. Ad guerram ſe poſuerunt, & Nos de Maniaco cum eis. Propter quod ipſe Dominus Paduæ ſuum habuit tractatum cum Domino

no Rizzardo de Valvaſono, & Dominus Cardinalis fugam de nocte dederat, & iverat Paduam. Et dum ipſi de Utino dubitarent de Domino Rizzardo, quod, ut fecit, non ſtaret conſtans parti, in uno die Proviſor Venetiarum equitavit cum Domino Doimo de Caſtello, & aliis Nobilibus ad Terram Portus Gruarii. Et vocari fecerunt ipſum Dominum Rizzardum, ut ad eos veniret. Qui quum veniſſet, ei requiſiverunt Caſtrum Portus Gruarii. Tunc dixit: *Vos, Domini, bene veneritis. Non diſpliceat vobis. De mane vobis reſponſum dabo*. Et reverſus in Caſtrum, ſubitò nequam ille equitavit in la Motta, quæ erat tunc Domini Paduæ. Et Johannes de Barbiano Capitaneus magnæ gentis peditum & equitum tunc venit in Portu Gruario tam tacite, quod iſti exſpectantes reſponſum vix fugam capere potuerunt, nec Cives Terræ nihil ſenſerunt. Et Terram ipſam ſic proditorie receperunt. Cum quibus gentibus idem Dominus Cardinalis erat. Veneruntque dictæ gentes cum magno furore contra Patriam cum magnis bombardis, & pluribus diverſis artificialibus. Qui inde redeuntes, venientes Sanctum Vitum, ibi Caſtrum inſultantes una die ipſum devicerunt; & ſe parti dederunt iniquæ, non obſiſtentibus gentibus, videlicet Lanceis L., quæ ibi per Utinenſes in eorum occurſum miſſæ fuerant, & quas illico abunde expulerunt, & venerunt Utinum. Exinde recedentes dictæ gentes, poſitis ibi eorum Capitaneo & Officialibus aliis, venientes ante Terram Spegnimbergi cum eorum infinitis gentibus peditum & equitum, curribus, bombardis, lapidibus, victualibus, & aliis neceſſariis. Qui de Spegnimbergo illico ſe parti dederunt ſine mora, ob timorem inducti, & exterriti, non tollerantes ictum ſolum lapidis, nec tractum unius baleſtræ. Sed priuſquam ad Terram applicuiſſent, concordium cum ipſis habuerunt ſatis verecundum. In qua Terra erant ultra LXX. Lanceæ partis Utinenſis, & pedites in ſufficienti numero pro eorum defenſione. Et his non obſtantibus, ſe, ut dictum eſt, ſtatim reddiderunt adverſæ parti Utinenſium. Ad quod concordium fuit nobilis Dominus Nicolaus de Fanna, pro quo miſerant; oſtendens nolle ſe impedire de prædicta guerra, fortificando Roccam Mizzæ, & foveas cum bertoneſſis faciendo, & totam Villam Fannæ fortificando, licèt finaliter tota fuerit deſtructa. Et excluſis ipſis gentibus de parte Utinenſi in Terra Spilimbergi, pro eorum defenſione miſſis, nobilis Dominus Nicolaus de Spegnimbergo, qui multum dilectus, amatus, & honoratus fuerat per Utinenſes, & eorum partem, & quaſi caput illius partis, quum reverſus fuit Utinum, quia concordio facto cum ipſis gentibus, & ipſis de Spegnimbergo, reverſus eſt Utinum, & ibi moram aſſidue trahebat, quum introivit Terram Utini, in furore Populi interfectus fuit, & ductus fuit ſuper Plateam Utini, & ibi ſtetit quaſi per totam diem.

Tunc gentes prædictæ Domini Paduæ, cum quibus erat Dominus Philippus de Alenconio Cardinalis, continuò videntes ſe habere citra Tulmentum, ut dictum eſt, omnia fortilitia & loca, præterquam Caſtrum nobile Montis Zaudinii, antiquitus ſic nominatum, hodie verò nominatur Maniacum & Sacillum; verùm quia dictæ gentes Sacillo non offendebant, ſed bene agebant cum nobis de Maniaco, putan-

A tes, nos de Maniaco ſtatim reddi debere parti eorum, Tulmentum tranſiverunt. Et iverunt ſubitò ante Caſtrum Savorgnani, ipſumque ſtatim habuerunt non potenter, ſed fraudulenter, quia Caſtrum ſubitò ob timorem ruſticorum, qui in multitudine magna in eo intraverant, ſe parti dederunt. Propter quod durante guerrâ multi in eo ſtantes, Terram Utini damnificaverunt cum aliis locis circumſtantibus. Et venerunt ipſæ gentes ante Terram Utini, & videntes, eis nihil poſſe facere, exinde recedentes ipſæ gentes venerunt ante Caſtrum Sancti Danielis. Ibi quindecim diebus ſteterunt cum magnis bombardis die noctuque intus trahentes. Et ad eorum defen- B ſionem dicti Utinenſes, pedites & equites miſerunt. Qui de Sancto Daniele potenter ſe defendentes, unâ nocte ignem in dicto loco jactaverunt, per quem multæ domus combuſtæ ſunt illâ nocte. Et pro certo, niſi a Deo, ejuſque glorioſa Virgine Maria, a quibus omnia bona procedunt, & ſancta Aquilejenſis Eccleſia defenſatur, auxilium ipſis de Sancto Daniele miſſum fuiſſet, ipſe locus perditus foret; quia quum dictæ gentes ante locum ipſum venerunt de menſe Octobris, pluviæ magnæ a Deo miſſæ tam copioſæ & infinitæ fuerunt, quod omnes aquæ tam mirabiliter creverunt ſic, ut a memoria antiquorum numquam feciſſent, & per omnes dicebatur, quod C Tulmentum & omnes lecti aquarum numquam in tanta altitudine fuiſſent. Propter quod exercitus ipſe non poterat alicubi mittere pro victualibus aliquibus, & in campo tantam famem patiebantur, quod pro pane ſolo dediſſent Ducatum unum, & niſi fuiſſet, quia ſuper campis rapas in magna quantitate reperiebant, quas comedebant, penitus ex ipſis multi ex fame mortui fuiſſent. Domini de Colloreto potenter ſe habuerunt contra ipſas gentes cum parte Utinenſi inimicos ſæpius lædentes. Dominus Candidus, Zuttus, & Leonardus de Ragonea ob timorem inducti, invito Domino Johannino, ſe parti iſti dederunt, eique miniſtrabant victualia pro poſſe. Qui Dominus Johanninus domum ſuperiorem tenebat olim D Ser Zoppi, & multam partem Utinenſium amabat. Lachrymabiliter plorando, oportuit finaliter feciſſe, ſicut fecerunt ſui Conſortes, quia inter ipſos Conſortes non erat verus amor. Et ſentientes ipſæ gentes ipſum male contentum, niſi fuiſſet Dominus Morandus de Brugnera, & Michaël de Rabatha, qui inter ipſas gentes Domini Paduæ magni erant, quia Dominus Morandus erat Mareſcallus, ipſe Dominus Johanninus miſſus foret Paduam, tamquam carceratus. Et ſtatim recedens de ipſo exercitu cum tacito & ſecreto conſilio prædictorum, venit Ragoneam domum ſuam.

Et ceſſavit interim pluvia, & aquæ quoque E diminutæ factæ ſunt. Et prædictæ gentes Tulmentum tranſiverunt cum magno periculo, in quo multi ſunt ſubmerſi. Et venerunt in Zoppola, & Cevraja, & Caſtigliono, in quibus Villis per plures dies moram duxerunt, nos de Maniaco ſæpiſſime invadentes. Et non ſolùm ipſi de exercitu, verùm etiam gentes de Turri, de Valvaſono, de Spegnimbergo, ſæpiſſime nos de Maniaco inſultabant. Nos autem de Maniaco ab omnibus nos invadentibus bellicoſe & potenter cum fortiſſimis noſtris fidelibus vicinis defendentes, ipſos & ex ipſis ſæpiſſime, quum ad nos perveniebant, deſtructione offendentes. Uno die quum de dicto exer-

exercitu ad noſtram læſionem veniſſent circa ducenti equites, de quibus circa ſexaginta venerunt in Civitellam, totidem in plateam, & tertia, & major pars ad plateam Maniaci, famuli horâ meridiei de noſtris ſexdecim ſocii euntes in Civitella, præfatos adverſarios de Villa expulerunt, ipſos extra Villam & ſuper via Colvaræ viriliter perſequentes. Et ibi duo boni equi eis mortui fuerunt. Et finaliter noſtros verecunde reliquerunt. Ad pontem verò, ſive ad plateam, fortè quatuor ſocii invaſerunt prædictos, qui intus de fortilitio intrare ſatagebant, & ab equis jam deſcenderant. Qui ſubito vix in equis aſcendentes, fugam in plateam receperunt. Tunc major comitiva de noſtris, velociter in juvamine noſtrorum venientes, præfatos inimicos de platea cum ſagittis, baliſtris, & eorum armatis viliſſime depulerunt. Et per ſimilem modum tertia ſocietas de noſtris perſequens prædictos adverſarios ad plateam Maniaci, famuli turpiter ipſos extra ipſam Villam expulerunt. Et ipſo die certi ex ipſis inimicis euntes Maniaco Livri, commoti ex nimia triſtitia, quia contra noſtros triumphum non obtinuerant, ſed damnum & verecundiam receperant, ipſam villam Maniaci Livri combuſſerunt. Et ſic reverſi ad campum verecundantur, modum dederunt. Et de mane reverſi ſunt ad nos in crepuſculo diei, quia totus exercitus peditum & equitum furtive nocte euntes per lectum Colvaræ in Vorada, & exinde venientes per colles & montes pars ipſorum, quos tamen de nocte ſenſimus, & per quaſdam mulieres de Baſalgella, habitantes in domibus mei Johannis Notarii, quondam Aylini, quæ ad Villam ipſam iverant pro factis earum. Quæ dum eſſent in ipſa Villa auditis tubis & ſonitibus ipſarum gentium, ipſiſque gentibus viſis, illico venientes Maniacum nobis dixerunt horâ mediæ noctis, videlicet nobili & circumſpecto juveni Domino Luchino, quondam nobilis & egregii viri Domini Nichili de Maniaco, quia Dominus Odoricus ejus frater nimiâ vexabatur infirmitate, taliter quod a thoro ſe volvere non valebat. Dominus Balthaſſar moram trahebat Utini cum filiis ſuis, tunc temporis Jacobum Laidam de Aviano cum Laurenzotto quondam Johannis Motta in domo ſua habens. Ser Bartholomæus quondam Domini Odorici erat ſuper Comitatum Tirolis. Qui verò Dominus Luchinus illico habito novo a dictis feminis de adventu ipſarum gentium, convocatis vicinis, & a ſomno excitatis, effecit, ut quilibet eſſet proviſus ad obviandum inſulto adverſariorum; quia Villam totam reliquimus, & relictam habebamus, & omnia noſtra reduxeramus in Caſtro, dum ipſæ gentes ſteterant ultra Tulmentum. Et recolligentes minuta & blada ac vinum, ipſum Caſtrum nobiliſſime divitiis implevimus, & in tanta copia, quod per annos quinque & ultra Caſtrum bene erat fulcitum omnibus neceſſariis.

Vicini verò dum ſurrexiſſent, & per horam ante Portam loci ſtetiſſent, nihil ſentientes, dormitioni ſe poſuerunt. De mane verò, ut dictum eſt, in crepuſculo diei, dum noſtri Caſtrum exirent, & ad Villam jam aliqui iviſſent, rumor apparuit, ita quod in Villa & in montibus inſultatio nobis data fuit. Venerunt ſuper collem Griſellum cum baliſtris groſſis de molinellis & arganellis, rocchetas in Caſtro trahentes in tanta copia, quod aër videbatur accenſus. At propterea nullum damnum nobis intulerunt, licèt multas ſuper tectis jactaverint; tamen gratiâ Domini, ex defenſione bonorum vicinorum nihil nobis nocuerunt. Et ipſo die Villam totam combuſſerunt; pauca tamen fuerunt lucrati. Et illo die mortui fuerunt de noſtris Candidus Baſini cum uno telo in capite, & de eis multi percuſſi. Et ſic reverſi ſunt ad eorum campum in Caſtigliono, & Zevraja. Nos autem de Maniaco non exterriti propter conſummationem domorum combuſtarum, animum robuſte ſumentes, & ad nocumentum inimicorum procedentes contra homines Meduni, qui ad noſtram læſionem cum ipſis inimicis venire præſumſerunt, cum felici pinello domus Maniaci, ſæpiſſime ante portas Meduni ivimus, locum exterminando, & villicos capiendo, bona ipſorum derobando. Ad tantum devenerunt ipſi de Meduno, quod ſe uno die parti noſtræ dare voluerunt. Sed nullus fuit, qui ſignum concordii & pactum recipere voluiſſet. Dum uno die ipſi de Meduno ex timore nimio Caputium unum circum circa ducerent, pacta requirentes, noſtri verò animum voluntarium habentes, non attendentes ad eorum requiſitionem, putabant eos illo die ſuperaſſe. Et extra muros Villam totam cremaverunt & campaneas, & graviſſimum damnum illis intulerunt, & de eorum animalibus & vicinis captivantes, Maniacum conduxerunt. Et ſic quaſi omni die noſtri ipſos inſultabant, & damnum graviſſimum eis inferebant. Et uno die dum Ser Bartholomæus quondam Domini Odorici veniſſet de Comitatu Tirolis, ipſos de Meduno inſultavit, & ex ipſis quatuordecim cepit de menſe Martii in MCCCLXXXVI. Qui dati & præſentati fuerunt prædictis Dominis Luchino & Odorico fratribus. Et quibus impoſita fuit talea Ducatorum ducentorum; & duos alios habebant dicti Domini in carceribus. Qui omnes dicti de Meduno ſolverunt mille libras Soldorum, quas ego Johannes Notarius quondam Domini Aylini de Maniaco recepi in Caſtro Mizzæ, præſente Domino Nicolao de Fanna, & duxi in Maniaco. Nobilis Dominus Balthaſſar ante principium ipſius guerræ moram trahens Utini, duci fecit filios ſuos Utinum.

Guerra ipſa incœpit in MCCCLXXXV. in feſto Sanctæ Crucis, ſive in vigiliis ipſius feſti. Gentes Domini Paduæ ſtantes in Turri, nos de Maniaco invaſerunt, nullam ab eis cuſtodiam habentes de mane, quum vicini exirent ad opus & ad vindemiam. Et in ipſo die captus fuit Olvrandinus de Utino Prior prope domum Zaniti della Centa. Sed per Brandiliſium ejus filium & alios vicinos illico fuit de manibus ipſorum redemtus. Et erant equites & pedites numero ſexaginta cum uno Tamburino. Tamen animalia aliqua ſecum duxerunt, & quemdam Intrigutium pauperem noſtrum vicinum, qui tamen de eorum manibus fugam cepit, & venit Maniacum. Bartholomæus quondam Domini Odorici venit de Comitatu Tirolis poſt ipſum inſultum nobis datum, & reperiit nos de Maniaco in gravibus guerris & diſcordiis, ſpecialiter nos de Maniaco cum prædictis de Meduno. Et Arbæ campanile ad terram deieceramus, & Villam cremari feceramus. Poſt verò dicti Bartholomæi adventum, ipſe potenter & animoſe procedens ad guerram ſæpiſſime cum ſociis tam de contrata, quàm forenſibus, ipſos de Meduno invadens, eos bellicoſe deſtruxit. Et quaſi omni die noſtri per montes & per planum eos infeſtabant & deſtruebant, & eos ad tantum deduxerunt no-

noſtri prædicti , quod contentio gravis inter ipſos conſortes de Meduno facta eſt . In qua diſcordia Johannes Grandis quondam Domini Franciſci , & Johannes Parvus , ejus nepos expulerunt Ser Jacobuccium quondam Ser Nicoluſii ; quia iſte Jacobuccius , & Thomaſcuttus quondam Ser Philippi, ejus conſanguineus condolebant eſſe cum hominibus Maniaci in diſcordia , videntes contra nos nihil poſſe , niſi pati ultimam deſtructionem , ut eis apparuit in poſterum . Tunc tractatum habuerunt ipſi Jacobuccius & conſanguineus de menſe Julii cum eorum villicis, & ipſos Johannem Grandem & Parvum expulerunt , & Caſtrum in ſe ſervarunt ad honorem Ligæ Utinenſium . Et miſerunt in Maniaco per ſuccurſum ſociorum, quibus nos de Maniaco ad ſufficientiam miſimus ſocios , qui cum eis habitabant ; habuerunt enim continuo Caſtrum noſtri ſocii in cuſtodia. Et in prædicta guerra noſtri de Maniaco finaliter deſtructionem dederunt villæ Arbæ , arcas , arcilia , vaſa , brentas , & alia ſuppellectilia Maniacum ducentes , & quod ducere non poterant, cremabant , nihil penitus dimittentes .

Et nota , quod regnante guerra inter nos de Maniaco & ipſos de Meduno, homines Fannæ ſatis apertè ſicut nos de Maniaco ſentiebant ire contra ipſos , ſive per villam Fannæ, ſive a parte inferiori , vel per montes , ſicut nos ire ſentiebant, per ſigna fumi, vel nuncios eis nota faciebant. Et in hoc magna inimicitia regnabat inter nos de Maniaco cum ipſis de Fanna, ac ipſos de Meduno . Certi de Fanna, ſpecialiter Articus Boſdrani, & Conradus Palmæ , qui tamen per noſtros adverſarios fuit interfectus , & ductus cum uno altero in Fanna , nomine Vignudiſſius , per gentes Domini Paduæ verſus Turrim , & ſuper via , vel extra , mortuus fuit & abſconſus, quod de eo penitus ſui nihil ſentire potuerunt , & ſicut meruit , ſic mercedem ſuſcepit . Prædicti verò Articus , & Conradus , & alii circa Baſtiam ipſos de Meduno retinebant abſconſos, ut horâ aliquâ dicti noſtros , euntes Fannam , poſſent capere , & deprædari . Et conſentiebant , & conſenſerunt, quod quidam Uvricus Bohemus, familiaris Domini Luchini & fratrum , fuit in villa Fannæ captus , vadens loquutum Domino Nicolao . Et ſic per ipſos de Fanna nos de Maniaco male tractabamur . Et multoties noſtri capientes captivos prope villam Arbæ , & ſuper dominio ipſius villæ , vel multoties animalia groſſa & minuta , Dominus Nicolaus , habitans Mizzæ , Maniacum ſuos nuntios mittebat rogando , ut relaxarent , cum blandis verbis . Cui ſæpius complacuimus , non propter pavorem ipſius tamen , ſed quia gentes Domini Paduæ ſtantes in Turri, Meduni , in Valvaſono, & in aliis locis , non requireret ad noſtram læſionem, ſicut bene doctus in maleficiis facere ſciebat. Et pænes ſe habebat quemdam Fratrem Chriſtophorum , Abbatem Fannæ , genere Romagnolum , nequiter contra nos de Maniaco laborantem conſiliis. pænes ipſum Dominum Nicolaum ad omnia noſtra nocumenta , invigilantem cum certis aliis ruſticis de Fanna , quos ipſe Dominus Nicolaus deputavit ad regimen villæ Fannæ , ſicut fuit quidam Panta Nicoluſius de Miello; quibus eorum prava animoſitas ad regimen male ſucceſſit , ut inferius de veritate narrabitur . Iſte Dominus Nicolaus de conſilio ipſius Abbatis & Deputatorum fecit ultra annum continue fieri foveas circa locum , ſpinatas, ſpaltos , domunculas , & etiam quod omnes de Fanna conducerent res ſuas in Mizza , oſtendens ſe de ipſa guerra nihil velle impedire, & cum aliqua partium ad læſionem alterius nolle ſe immiſcere , dicens : *Volo ſtare pacifice , & cum nulli partium partem capere . Sed ſi quis me offendet , me ab eis defendam . Et pro mei defenſione me fulcio , ſed non ad læſionem alicujus.* Et tamen conſentiebat , quod quidam Thias filius Leonardi Pagniti ſtabat in Turri , & veniebat in Fanna, & tamquam fur de nocte veniens contra nos de Maniaco , ſi poterat , recipiebat . Oſtendebat Dominus Nicolaus condolere , licèt nihil erat , dicens , *ſi contingat, eum ad manus meas pervenire, ipſum ſtatim ſuſpendam.* Quem uno die cepit , eumque poſuit in carceribus . Et venit ipſo die Maniacum , dicens : *Habeo in carceribus meis Thiam . Verè manibus meis ipſum ſuſpendam* . Et ipſo die receſſit , & ivit Fannam , & eum illæſum abire permiſit . Et videntes noſtri de Maniaco ſic feciſſe buffas de nobis , & quod quotidie procedebat plus ad damna noſtra, quam primò, uno ſero, dum ipſe Thias veniſſet ad domum patris , certi noſtri ſocii , ipſum ſtantem in trabeato patris ſuper fœnum invaſerunt , & percuſſerunt fortiſſime , & fratrem ejus , qui ad rumorem venire voluit , & plus fratrem , quàm ipſum percuſſerunt , & putabant ipſum interfectum dimiſiſſe. Tamen liberatus ipſe & frater , ſed exterritus, ſe ad alienas partes tranſmeavit, noſque quiete poſtmodum permiſit . Itaque tacite & aperte nos prædicti de Maniaco multum lædebamur . Et verè noſtri juvenes paſtores ibant prope locum Meduni , & receperunt capita groſſa bovorum & vaccarum vigintinovem de pulcrioribus, quæ ipſi haberent; ita quod ipſi de Meduno ſe videntes contra nos de Maniaco nihil poſſe facere , tunc cœperunt tractatum habere antedictum inter ſe ipſos dicti Domini de Meduno . Propter quod , ut inferius deſcribetur, per guerram a nobis deſtructi ſunt dicti Domini de Meduno .

Et in MCCCLXXXVII. in fine Octobris, Verona fuit recepta Domino Antonio de la Scala per Dominum Comitem Virtutum Dominum Mediolani , colligatum Domini Paduæ. Et in ipſo Milleſimo die Jovis , V. Septembris gentes Domini Franciſci de Carraria , Domini Paduæ, Tarviſii &c. venerunt ante Terram Sacilli in obſeſſione ipſius . Et ſubitò fieri fecerunt Pontes ſuper aquam , taliter quod circum circa ipſam Terram unus ad alium ibat per ipſos Pontes , jactantes cum bombardis in ipſis Turribus & domibus . Et ſubitò fuerunt in tanto timore inducti terrigenæ , quod die Mercurii ibi poſt ſequenti , XI. dicti menſis Septembris, ipſi de Sacillo ipſi Domino Paduæ ſe dederunt , & non conſtricti, quia in numero gentium exiſtentium in obſeſſione ipſius Terræ non erant numero ultra duo millia perſonarum inter homines armatos , pedites , equites , & bubulcos . Et in Terra erat major pars hominum , animum habens cum Domino Paduæ . Minor pars non potuit obtinere . Dominus Johannes de Colloreto erat tunc Capitaneus ipſius Loci , & requiſivit Cives ad defenſionem Terræ , qui contra ipſius velle Terram exeuntes ſuper Campo tractaverunt cum inimicis , & ſe parti dederunt contra ipſius velle , quia non habebat gentes pænes ſe , ut Cives poſſet conſtringere . Et vix quod ipſe pactum habere potuit exeundi Caſtrum Sacilli

cum ſua familia . Eo verò tempore per Summum Pontificem in Rectorem & Gubernatorem Aquilejenſis Eccleſiæ miſſus erat Dominus Ferdinandus Patriarcha Hieroſolymitanus . Et ſteterat circa annum in regimine. Cui pars Utinenſium obediebat , & nos de Maniaco , & collegati ejus . In craſtino verò die, videlicet XII. dicti menſis , homines Canipæ & Aviani portaverunt claves locorum Sacillum , ſeque viliter Domino Paduæ reddiderunt . Nam in Aviano erat Ser Corſetus cum ſuis nepotibus, filiis olim naturalibus olim Ser Roſſii , ac Nicolao & Marco fratribus quondam Ingeroſſii , inſtantes Populo , ut ſe parti darent . Et ſic invitis Gaſpardo a Porta , Melchiore quondam Domini Pidruſii , Franculino de Cantono , & Simone quondam Muſini , non audentibus contrarium dicere , ſe parti adverſæ dederunt. In quibus locis modum & ordinem dantes, pervenerunt dictæ gentes. Die verò Mercurii XVIII. dicti menſis Septembris , dictæ gentes cum majori numero , & cum gentibus ipſorum locorum , ſcilicet de Brugnaria , & de totis locis & villis Tarviſini diſtrictus , putantes cetera loca vincere poſſe , & fortunam proſperam eis non deficere , cum infinitis curribus oneratis , bombardis , lapidibus jactandis, baliſtris, malleis ferri , victualibus , & aliis ingeniis artificialibus nocivis , de conſilio , ut ſenſimus , ipſius Ser Gaſpardi , & ſuorum de Aviano , & aliorum de Contrata , qui volebant , nos de Maniaco ſuos fore ſimiles in verecundia ipſis , putantes nos pavidos & tremulos eſſe , cum potenti manu dictæ gentes venerunt ante nobiliſſimum Caſtrum prædicti Montis , Tardinei antiquitus nominati , hodie verò Maniacum.

Inter quas gentes Dominus Jacobus naturalis dicti Domini Franciſci Domini Paduæ, qui dicebatur Comes Carrariæ, erat caput ſeu Capitaneus , & cum eo multi boni homines periti in armis ; & de Forojulio nequiſſimus & infeſtiſſimus Dominus Rizzardus de Valvaſono. Et poſito eorum infelici campo, quidam Trombetta tubam ſonavit, petens affidam. Cui data fuit per nos de Maniaco . Et eo modo Dominus Rizzardus , & cum eo quidam Antonius de Verona , qui fuit , & erat Capitaneus Sancti Viti , affidam petentes , dataque fuit , venerunt uſque ad raſtellum ſub porta Caſtri a latere verſùs Occidentem . Tunc requiſivit, ut aliquis de domo Maniaci eum & ſocium audirent. Tunc ex deliberatione facta inter Dominos Bartholomæum , Galvanum Domini Balthaſſaris filium , & Odorici fratrum , Olvradinum quondam Bartholomæi , & aliorum fidelium vicinorum de Maniaco , ipſe Dominus Luchinus intimidus & amabilis toti Populo , ipſum Caſtrum cum honorabili comitatu ſuorum fidelium aſſociatus exiens , ad ipſius Domini Rizzardi præſentiam venit, & aliorum . Qui cum eo ibi venerant pro parte dicti infeliciſſimi Domini Comitis naturalis , ipſum Caſtrum requiſierunt ex parte dicti Domini Comitis filii dicti Domini Paduæ , dari in ejus manibus , non tentatâ ipſius vi & potentiâ . Quod Caſtrum nomine Domini Philippi de Alenconio Cardinalis in ſe cuſtodiendum & ſalvandum erat nomine dicti Domini Philippi . Quod ſi eidem darent , multa promittebant ſe operari velle pro ipſo Domino Luchino fratre, & conſortibus ſuis pænes ipſum Dominum Paduæ , & quod eos benigne haberet recommiſſos . Quibus dictis , ipſe Dominus Luchinus juvenis , ſapiens , & proviſus præfatis reſpon-

A ſum fecit : *Domini , vos bene veneritis ex parte veſtri ſuperioris & veſtræ . Et volo quòd bibamus inſimul lætanter .* Eiſque propinari fecit, & honorem reddidit . Qui hilares , ſuam intentionem putantes illico obtinuiſſe , gaudenter ſumſerunt præſtitum honorem eis. Et ſtantibus in his verbis, multi de exercitu cum fallacibus animis ſimulantes , per rivum inter Caſtrum & Collem Griſollum , armati cum palis ferreis , zapponibus, & malleis , aſcenderunt uſque prope muros , ſub domo olim Domini Luiſini , ubi dicitur Abbatia . Ibi Ser Bartholomæus ædificari fecerat ſtallam equorum unam ſub domo prædicta , neſciente Domino Luchino , & eis , qui cum eo erant . Sed B cuſtodes noſtri ſtantes ſuper muris bene viderant , & nihil dixerunt , quia tregua data erat inter partes , videlicet nos de Caſtro prædicto cum ipſis de exercitu , non conſiderantes malitiam ipſorum , & eos fallaciter venire , immo putantes , concordium ſequi inter partes .

Finaliter ipſe Dominus Luchinus , tamquam juvenis ſagax , & providus , multâ providentiâ refulgens , conſtantique & robuſto animo loquens , ipſi Domino infeliciſſimo Rizzardo , & ejus ſociis , his verbis alloquutus eſt , & reſponſum eis fecit : *Domini , vos nuntii , per veſtrum Comitem & Capitaneum miſſi, una cum ipſo noſtro Capitaneo , & aliis ſequacibus ſuis, latère non credimus , nos de Maniaco fore con-* C *fœderatos cum Ducali dominio Venetiarùm , & Utinenſibus, & cum eis præſtitiſſe noſtrum ſacramentum , noſtro poſſe partes eorum obtinere debere & velle. Noſtræ intentionis eſt, præſtitum ſacramentum noſtrum & promiſſionem noſtram potenter velle obtinere , nec verbis nos permittere terreri . Ite ad Utinenſes , vel mittite nuntios veſtros . Hæc eis nota facite . Quidquid , & ſicut ipſi per vos coacti facere facient, & diſponent nos facere debere, ſic vobis promittimus indifferenter, & ſtatim velle facere & faciemus . Si ſecus vos cum potentia veſtra contra nos fideles partis noſtræ facere tentabitis , potenter nos tueri volemus , & paratos nos reperietis . Fidem noſtram datam prædictæ noſtræ* D *parti animo conſtanti ſervare robuſtos nos invenietis & non trepidos . Et pro nunc a vobis non creditis nos pavidos eſſe , nec aliud reſponſum poſſe de nobis habere , quàm quod iſtud . Feliciſſimum noſtrum Caſtrum pro nobis intendimus ſervare , ipſumque contra veſtram potentiam tueri ac defendere velle . Quod ſi a manibus noſtris ipſum ſurripere volueritis, non verbis , ſed factis ipſum vos in caro pretio habere expedit. Et vos ſcire volumus , quod omnes in noſtro Caſtro incluſi ſumus unanimes , non claudicantes, & diſpoſiti potenter ipſum Caſtrum obtinere velle ad honorem & ſtatum Sanctæ Aquilejenſis Eccleſiæ , & partis noſtræ prædictæ, & noſtrorum .* Et his verbis quamvis affida data E eſſet inter partes , tamen ipſi de exercitu, tamquam homines infidi non ceſſabant foveas facere pro eorum bombardis aptandis ad muros , ut ante ſcriptum eſt . Sed quia vir honeſtus & valens , in armis peritus , nomine Johannes , natione Utinenſis , Conteſtabilis ſociorum XXV. miſſus fuerat in ſuccurſu terræ infidelium Sacillenſium per Utinenſes & Rectorem Venetorum , qui in Utino moram trahebat pro Ducali dominio Venetorum , vadens per ſubmontes , quum applicuit ipſe Johannes cum ejus comitivâ Avianum, reperiit Sacillum fore datum parti adverſæ . Et ipſi de Aviano claves ipſius loci Aviani miſerant pro eorum nun-

nuntiis Sacillum ipſi Domino infeliciſſimo Comiti. Illico ipſi de Aviano eumdem Johannem cum ſociis ſuis prædictis a ſe licentiaverunt. Qui ſtatim venientes per ſubmontes, ob timorem inducti, videntes ipſas gentes talia loca fortiſſima verbo tantùm vincere, venerunt in ipſo conſtanti & fortiſſimo Caſtro Maniaci, referentes geſta per infideles ipſorum locorum. Admirati multum fuimus nos de Maniaco, non tamen pavidi facti, nec noſtro bono animo ac propoſito aliqualiter moti. Immo animum quiſque noſtrûm ſumſit fortiorem in obtinendo velle ipſum Caſtrum, & promiſſionem ipſam factam noſtræ parti. Rogavimus ipſum Johannem, ut pro noſtra & loci noſtri prædicti defenſione, nobiſcum eſſe vellet, ut ſi gentes ipſæ ad nos venirent, juvamine ipſarum nos potenter tueri poſſemus. Nec intendebamus facere velle, ut prædicti fecerant, & nobis acquirere infidelium famam. Eiſque promiſimus ſolvere pro ratâ temporis, in qua nobis ſervirent, eoſque benigne tractare. Qui videntes, nos tali bono animo eſſe velle, lætanter ſteterunt nobiſcum. Et reperti ſunt omnes boni & viriles ad defenſionem noſtram. Et quæ eis promiſimus, fecimus, & a nobis lætanter receſſerunt.

Sed ut redeamus ad factum, iſte honeſtus Johannes Conteſtabilis, loquente Domino Luchino cum Domino Rizzardo, & ejus ſociis, tamquam proviſus, & in talibus peritus, ſubitò hortatus eſt in Caſtro tam homines quàm mulieres repedare, & ut quilibet ponat aquam ſuper ignem cum cinere intus, & lapides ad muros pro noſtra defenſione. Animum ſumant fortiſſimum, & ſe in pavore non inducant pro jactamine bombardarum, quia audito rumore duarum, vel trium, nullus ulteriùs curaret. *Eſtote* (ajebat) *fortes animo, quia Virgo Maria, Mater Domini noſtri Jeſu Chriſti nobiſcum eſt, pro qua nobis nituntur iſtæ malæ gentes nos offendere. Ipſa Domina noſtra nobis juvamen porriget, & ſuffragium tale, quod nullus noſtrûm læſionem patietur, nec ipſi nos vincere poterunt*. Per dictum cujus viſum eſt unicuique, nihil de ipſis gentibus curare. Et redeundo ad verba ipſius Domini Luchini cum ipſo Domino Rizzardo, obtentâ licentiâ inter ipſos, tunc quilibet revertens ad ſuam partem receſſit, & ſe reduxit ad ſuam partem, dicentes qui miſſi erant: *Citò vobis mittemus in Caſtrum, unum de noſtris Narancis*. Quibus fuit reſponſum: *Et nos mittemus vobis de noſtris Pomellis, quia ſufficienter habemus in dando vobis. Si quid de noſtro volueritis, & contingat, nos ad vos venire, nos paratos vos velle recipere videbitis, non pavidos, ſed voluntarios*. Et in receſſu dicti Domini Luchini vix cum ſua felici & fideli comitiva ſuorum vicinorum, portas intrare potuit illæſus. Ipſum enim, & ſuos ſubditos baliſtrarunt, qui ſub muris venerant. Et in ſtalla prædicta habentes palos ferreos, maglios, zapponos, murum domus prædictæ olim Domini Luiſini incipientes fodere, cum infinitis bombardis & baliſtris copioſis tela trahentes, lanceas longas ultra altitudinem tectorum tranſeuntes, ipſum Caſtrum ſategerunt, & putarunt illico habuiſſe, quia ſuper domo illa nulla defenſio facta erat contra ipſos, niſi ad feneſtras, ad quas nullus poterat ibi ſtare propter multitudinem telorum, pilotorum, & lancearum. Et noſtri non propterea exterriti, animum ut eis expediebat, capientes fervidum in defenſione ipſorum, ſubitò

A murum & tectum fregerunt. Et iſti adverſarii jam feneſtræ unam ferream ipſius domus, quæ erat quaſi ad terram, de una cruce ferri evulſerant. Tunc noſtri fracto muro & tecto, aquam calidiſſimam cum magnis ſaxis a muris jactantes, de ipſis talem fecerunt ultionem, quod ad fugam ſe per riparum expoſuerunt, unus alterum non expectando, nec per viam, vel tramitem euntes aliqui, ſocios per pedes trahentes mortuos & vulneratos, & ex ipſis multi propter aquam calidam decapillati, & cum lapidibus cruentati. Ipſe verò Dominus Comes nequiter bene cum XL. ex notabilibus ſuis hominibus armigeris, & ipſe Dominus Rizzardus, ut poſtmodum retulit ore proprio,
B fuerunt percuſſi. Ac ipſe Antonius de Verona fuit percuſſus cum lapidibus tantùm, quòd in percuſſione lapidis habuit dicere *Ohimè!* audientibus ſuis. Et jam totus exercitus venerat contra ipſum Caſtrum, putantes ipſum viciſſe, eo quod viderant illos fodientes murum. Et unus venit ad Portam cum una haſta, ſuper quam erat una laméra ferrea cum ſagittis accenſis, putans ignem in Porta infigere. Sed unus de illis dicti Ser Bartholomæi lapidem jactans, & in capite percutiens, ibi dormitionem eum capere fecit. Alter ejus ſocius, cupiens ipſum dormientem ad ſe trahere, cum uno paveſio in brachio, permiſſus fuit a noſtris ad dormientem venire, & quum hora
C fuit, cum pomellis ipſum, ut meruit, honorarunt. Et in ipſa hora tantus in exercitu fuit mugitus equorum & hominum, quod tonitrua magna tonantia in aëre non potuiſſent audiri. Et in ipſo Caſtro tot & tanta jacula, ſeu pilotti baliſtrarum & arcorum fuerunt, quod de cœlo videbantur cadere non minus, quàm facit pluvia. In quo conflictu mortui fuerunt numero octodecim, & portati in curribus in Portu Naone, & alibi. De quibus dicebantur mortui fuiſſe ultra octoginta. Eorum verò, qui ſe ad ſua tentoria reduxerunt, numquam aliquis ad ipſum Caſtrum venire auſus fuit. Nos verò de Caſtro ſæpiſſime ipſos vocantes, ut ad nos vellent venire, quia ſi
D non bene eos honoravimus in principio, ipſos intendebamus melius honorare. Ipſi verò graviter indignabantur, ſed non quod vellent reverti ad pugnam loci, cum bombardis jactabant lapides. Uno die jactaverunt lapides LXXIV. ex quibus, nec ex telis ipſorum nullus noſtrûm umquam læſus fuit, ſubveniente nobis Virgine Maria. Tunc iverunt per Montem Griſollum, & alios Montes circum circa ipſum Caſtrum omnes magiſtrati in armis, ſi poſſent ponere bombardas in noſtra majori læſione. Et deſcenderunt per Woveda, & nihil videntes contra nos poſſe operari, de mane die Sabbati XXI. dicti menſis Septembris, cum omni eorum potentia iverunt ante Terram
E Spegnimbergi, & ut dicebant, ipſi Domini de Spegnimbergo parti ſe illico dari parati erant. Sed unus habuit dicere. *Non potuerunt Maniacum recipere, quia potenter ſe defenderunt. Nos ſemper erimus verecundati, nos tamen citò reddere*. Et iſto verbo ſe abſtinuerunt. Et ante Terram ipſam Spegnimbergi ſteterunt diebus undecim, trahentes cum bombardis; qui multoties ſe parti dare voluerunt. Sed Dominus Venceſlaus Miles, qui dubitabat venire ad manus Domini Paduæ, quia eum non amabat multùm, operatus eſt, ut ſui conſortes & vicini ſe non redderent. Et niſi fuiſſent ſocii forenſes, miſſi per Utinenſes & Recto-

ctorem Venetorum, ſe ſine dubio reddidiſſent parti adverſæ.

Interim verò apparuit gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti, & ejus glorioſiſſimæ Virginis Matris Mariæ, ſub cujus alis iſta ſancta Aquilejenſis Eccleſia defenſatur. Quidam nomine Anderlinus Trottus, qui ad modum Societatis ſteterat ad damna ipſius ſanctæ Aquilejenſis Eccleſiæ, miſſus fuit per ipſum Dominum Paduæ, per Villas ſtratæ alius ſub Utino eundo, ne ipſi Utinenſes cum ſuis gentibus ſe movere auderent in ſuccurſum ſuæ partis contra alias gentes, quæ erant ante Spegnimbergum, ut eo melius poſſet vincere loca. Cum quo Anderlino erant Civitatenſes Auſtrianales. In qua Societate erant ultra mille equites, & pedites multi. Et fuerunt in Aquileja, ibi rubbantes Eccleſias, ſanctiſſimas figuras, & Cruces. Apparuerunt ex hoc multa miracula. Nam quidam de Tulmino ferens Reliquias ibi receptas, totâ nocte equitavit, putans iviſſe versùs domum, quia viam bene cognoſcebat. De mane reperiit, ſe eſſe ante Portas Aquilejæ, & ſic reverſus ad Altare, ibi eas repoſuit. Apparuit, quod quædam figura Virginis Mariæ, ſuper quâ recepta fuerant ornamenta ejus, ſe inclinavit cum capite; & ſic hodie ſtat, ubi cum elevato capite ſtabat. Apparuit etiam, quod unus Conteſtabilis, qui Crucem unam in dicta Aquilejenſi Eccleſia receperat argenteam, quam ex ejus ſuperbia, in Valvaſono habitans, ſuper humeris ferebat, rabie captus, illa infirmitate mortuus eſt. Apparuit, quod quidam Italicus, qui ſimiliter Crucem unam in Eccleſia prædicta argenteam receperat, ipſam vendidit, & emit equos, & ſe ipſum induit cum argento. Qui habens ſeptem equos, vermis eos omnes equos, qui erant ſeptem, intrans occidit & mortui ſunt, & ipſe poſt puſillum tempus malâ morte clauſus eſt. Et publica vox & fama erat, quod Paduæ, Tarviſii, & in alienis Civitatibus multi, qui fuerunt ad derobationem ipſius Eccleſiæ, aut morte ſubitaneâ moriebantur, aut rabie, aut in divitiis pœnam patiebantur. Et ſic vox erat aperta, quod ex peccato in ipſa Eccleſia commiſſo, iſta divinitus eis occurrebant. Et pro ipſo peccato Dominus Paduæ expulſus fuit, ut inferiùs deſcribetur, de omni ſua potentia. Prædictus Anderlinus venit de ſupra Utinum, non dubitans, gentes Utinenſes . . . . Et ſuper aqua, nominata *la Tor*, erant ipſæ gentes in Villis, prope quas illi de Utino habentes eorum exploratores foris, ſenſerunt, ipſos nullam cuſtodiam habere de potentiâ Utinenſium. Et quia tempus erat multum pluviale, & aquæ magnæ, & erant prope Caſtrum Savorgnani, quod ipſi de Padua habebant in eorum potentia & cuſtodia, in quo erant multi pedites & bellicoſi homines, multum offendentes Utinenſes & alios circumſtantes, ideo gentes iſtius Anderlini Trotti in majori ſecuritate ſtabant in ipſis Villis. Tunc Utinenſes in Capitaneum ipſarum gentium habebant quemdam nobilem Comitem Theutonicum, nomine Dominum Conradum de . . . . hominem antiquum in armis, multum ſagacem & expertum rationibus ordinem imponere magiſtratuum. Intellectoque de inordinatis modis retentis per ipſas gentes inimicorum, modum dedit & ordinem dandi eis conflictum. Quare invitis Utinenſibus & Rectore Venetorum, omnes gentes Utinenſium tam forenſes, quàm terrigenas, in equis & equabus portas Utini fecit exire, ipſorumque inimicos reperiens in domibus, eos invaſit. Et finaliter die primo Octobris in præſcripto Milleſimo eos debellavit; & vix, quod ipſe Anderlinus cum Civitatenſibus tranſiens aquam, nominatam *la Tor*, cum aliquibus ſuis gentibus Savorgnanum fugam rapuerunt.

Et ſic ipſæ gentes iniquæ per partem Utinenſium fuerunt conflictæ ex peccato, ut dictum eſt, commiſſo contra ipſam Aquilejenſem Eccleſiam. In quo conflictu mortui ſunt & capti ultra quingentæ perſonæ. Et Utinenſes, qui multum in minori numero erant, redeuntes ad Civitatem Utini cum ingenti gaudio, & copioſis divitiis, equis, armis, arneſiis, carceratis, victoriam, & triumphum lætabundum porrexerunt. Et ex ipſis gentibus in tranſitu ipſius aquæ, quæ magna erat, non reſpicientes propter impetum inſultus, & nimium timorem, in ipſa aqua ſubmerſi ſunt. Et cognito toto novo iſtæ gentes, quæ erant ante Spegnimbergum, ob nimium timorem inducti, de mane relictis omnibus eorum domiciliis, gradiciis in magna quantitate factis, lapidibus bombardarum fractis, fugam rapuerunt, & in campo panem, vinum, & alia victualia multa permiſerunt, euntes versùs Sacillum. Et niſi fuiſſet conflictio prædicta data ipſis gentibus, dicti de Spegnimbergo in craſtinum firmiter ſe dediſſent. Iſte Dominus Anderlinus Trotti cum ſuis gentibus, quæ ei remanſerant, clandeſtine Tulmentum tranſivit, & venit per ſub Valvaſonum, & hoſpitatus fuit in Cuſano. Et venit cum aliis gentibus versùs montes, & venit ad damna Dominorum de Spegnimbergo ſuper Villam Sequalſi, & Sonimbergi, & quod remanſerat combuſſit. Exinde venit ante Caſtrum Maniaci in Villa tamen, & ad plateam relictis equis, deſcendentes cum pluribus baliſtreriis & arceriis Engleſiis, venerunt currentes uſque ad bivium olim Antonii a Porta. Contra quos glomeroſa & laudabilis comitiva nobilium Maniaci, videlicet Dominus Bartholomæus, Galvanus, Dominus Balthaſſar & Odericus quondam Domini Nichili, conſanguinei & fratres, venerunt, relicto Domino Luchino prudenti & ſagaci ad cuſtodiam portæ Caſtri prædicti, cum aliquibus eis deputatis. Ad invaſionem prædictorum inimicorum hoſtiliter, ſagaciter & potenter ſe extendentes cum honorabili comitiva ſuorum fidelium vicinorum, ipſos inimicos, quos jam veniſſe præſenſerunt ad portam muri . . . . filiorum prædicti olim Domini Nichili, ſuper rivum taliter cum gravi clamore ſuorum, & bellicoſo inſultu invadentes, quod ipſi inimici, qui ad portas ipſius Caſtri veniſſe putabant, relictis eorum falſis cogitationibus, coacti & non voluntarie terga dare noſtris, uſque ad bivium prædictum ſe reduxerunt. Ibique fuit conflictio inter partes ipſas gravis. Modò una pars extendens ſe contra aliam, & altera prævalens aliam, finaliter noſtri ferventi animo cum baliſtreriis noſtris, arcubus, mazzafruſtis, frandegulis, lapidibus ipſis taliter infeſtantes, quod ab inde recedere ſunt coacti, eoſque duxere potenter uſque ad medium burgum & ultra. Qui verò videntes noſtrorum potentiam prævalere cum eorum ſagittariis, equos ſuos aſcendentes, viliter receſſerunt a nobis. Poſt hæc verò gentes Domini Paduæ poſitæ in locis ſuis, videlicet in Sacillo, Canipa, Aviano, Turri, Meduno, & Baſtia Montis regalis, pedites, & equites, nos de Maniaco ſæpiſſime inſultabant, ac in Valvaſono,

ſio. Portu Gruario, in Sancto Vito contra locum Cordevati, in quo Rodulphus quondam Domini Vidoli de Faganea erat Capitaneus. Qui Rodulphus potenter & bellicoſe multa fecit contra inimicos noſtræ partis cum ſua comitiva, ante quem locum ultra quinque vicibus inimici cum bombardis & omnibus nocivis inſtrumentis eos inſultarunt, intrantes in foveas & ſpaltos . . . .

Camillus Maninius Hiſtoriæ Studioſis:

Hæc ego e veteri quodam manuſcripto Libro ad literam deſcripſi. Si quædam errata male ſignata, & parum (ut ita dicam) ortographice ſcripta inveniſti, amice Lector, precor negligentiæ meæ ne adſcribito, & aliquid incomtæ illius temporis & corruptæ antiquitati condonato.

ALTERUM FRAGMENTUM
HISTORIÆ FOROJULIENSIS
EX EODEM AUCTORE.

. . . .
. . . .
. . . .
. . . .
. . . . non ſolùm ipſe, verùm & ex ſua comitiva quamplures carcerati, vulnerati, & mortui remanſiſſent. Sed ſui in juvamine ipſius eorum Domini ad terram proſtrati ipſum elevaverunt. Et ſic ipſis exiſtentibus in quadam domo Agnetis ſutricis, quidam juvenis Lombardus, pulcher homo, longus ſtaturæ, putahs aliqua lucrari, ſequutus eſt eum. Quidam nomine Venutus, juvenis, & parvæ ſtaturæ nimium, & ſine lancea, vel aliquid in manu, qui a ſomno excitatus dormiens in ipſo Burgo, cum pugnis ſe expoſuit contra iſtum magnum. Homo ille longus ipſum parvum cepit in ſuis ulnis, ipſum velit nolit portans extra domum ipſam. Sed videns ſe ſic portari, & carens omni potentia & defenſione, ſe erexit contra Lombardum. Et illico ore aperto ipſum cum dentibus acutiſſimis per naſum capiens, potenter ipſum laniando & ſtringendo, taliter ipſum duxit & induxit, quod extenſis manibus ipſum illæſum a ſe libenter aliò abire permiſiſſet. Sed ipſe priuſquam ab eodem relaxaretur, totus in (*) cerabulis ex gravi dolore deturpatus, & ut ita loquar deteriùs, permerdatus eſt, & ſe reddidit eidem. Qui Venetus, poſtmodum per ora vicinorum vocatus *Facin-Can*, illum Lombardum ſecum carceratum duxit permerdatum in Caſtro taliter, quod omnibus magnus fœtor erat, qualis numquam fuerit de tali putredine. Quem pænes per tres dies ob ejus verecundiam in Maniaco ſervavit, ut eo modo cognitus foret & truffatus cum naſo toto lacerato. Et præteritis ipſis tribus diebus, tunc receptis ſibi armis, non libenter, quia taleam ab eo noluit, per multos rogatus, eum abire permiſit, qui pro talea paſſus fuit dedecus & damnum. De cujus captivitate ipſis de Fanna, ſuiſque gentibus ſatis fuit dolor & triſtitia in illa hora, in qua ignem impoſuerunt in Burgo prædicto, videntibus noſtris quadraginta ſociis. Qui ſtabant in cuſtodia curruum ignem poſitum in dicto Burgo fore accenſum videntes, triſtitiâ maximâ commoti, eo quod non aderant, conſiderantes ſolummodo inſultum fore datum, illico velociſſime venientes versùs Caſtrum ipſum, quum fuerunt in Magredo Colveræ ſub Centa Eccleſiæ B. Mauri, Patroni Maniaci, ſenſerunt gentes ipſas exeuntes Fannam, & venientes ſuperius prope ſtrettam campi. Et obviaverunt certis portantibus unum puerum ætatis annorum quinque. Dixerunt: *Qui eſtis?* Et illi quoque: *Qui eſtis vos? Quis vivat? Dominus Paduæ*. Et noſtri dixerunt: *Vivat felix Lega Utinenſium, & moriatur Currus* (**). Et ſic noſtri invaſerunt eos, & illi pauci erant. Tamen puerum filium Andreæ Merleræ, qui præſens iſtis erat, & conductorem pueri cum tribus aliis ceperunt, eoſque quatuor captivos habuerunt. Et in his verbis noſtri audientes rumorem in Villa dubitaverunt ulterius contra iſtos procedere, putantes: *Nos erimus conflicti, ſi majorem diſſenſionem incipimus contra iſtos, quia major pars gentium eſt in Villa*. Et niſi hoc fuiſſet, multos ex ipſis de Fanna læſiſſent. Et ſic ipſi de Fanna viliter, & cum triſtitia receſſerunt a nobis. Noſtri verò venientes in Villa invenerunt Petrum Pilonum, Conteſtabilem ſociorum XXV. in Baſtia poſitum contra nos de Maniaco ad noſtram læſionem, hominem fortem, intimidum, & audacem. Qui cum ſuis gentibus villicis ſtantibus in ipſa Baſtia, & aliis contra nos ab alio latere versùs Occidentem, inſultum dederat, & noſtri cum ipſis mixti erant. Et ſupervenientibus noſtris, quia foras exſtiterant, potenter contra iſtos de Baſtia bellum acerrimum incœptum eſt. Tamen ipſi de Baſtia dare terga noſtris coacti ſunt. Et præſertim ex vulnere gravi facto uni Conteſtabili ex ſuis. Et ex aliis plures de ſuis læſi ſunt, aliqui cum telis, aliqui cum lapidibus. Qui, ſicut fecerant illæ gentes de Fanna, verecundanter a nobis receſſerunt. Ex noſtris verò nullus gratiâ Domini læſus eſt. Ipſi verò quum fuerunt in eorum Baſtia poſt puſillum, ipſe probus eorum ſocius mortis tranſitum conſummavit, & ex ipſis multi reperti ſunt vulnerati. Et ſæpiſſime noſtri euntes ad Baſtiam contra ipſas gentes, quæ ibi ſtabant, ſæpiſſime inimicos lædebant, & ex ipſis

(*) Hoc eſt *in femoralibus*, Italicè *ne' Calzoni*, aut *nelle brache*.

(**) Stemma gentilicium Carrarenſium.

ipſis capti ducebantur in Maniaco, ac de ipſis animalibus multa ducebantur in Maniaco.

Sed redeundo ad primum, illico in receſſu Domini Nicolai & ejus gentium de Fanna, certi ex noſtris ſociis in ſuo receſſu de Maniaco ſe in duabus partibus dividentes iverunt in Villa Aunedi, & ſubito ipſam cremaverunt in ea hora, in qua Dominus Nicolaus arma exuebat. Et ſtatim altera pars ſimiliter Villam Urneſii invadentes, talem lucem ipſi fecerunt, taliter quod ad deponenda eis arma ipſe cum tota familia viſum habere potuit ſatis lucidum & ſplendidum. Quod videns Dominus Nicolaus fremuit intra ſe, dicens: *Illi de Maniaco nos multum ſuperſederunt in faciendo eorum vindictam de offenſa eis facta*. Et non ſolùm ipſe, ſed & omnes ruſtici ejus pavidi facti ſunt. Et videntes noſtri, ſe fore in guerra cum ipſis de Fanna, qui nos de Maniaco pro nihilo habebant, & nos reputabant pavidos contra ipſos fore, putantes, nos ſtatim facere declinare parti ipſorum, quilibet de noſtris animum ferventem aſſumens & lætabundum contra ipſos de Fanna & gentes ipſorum, & ad eorum deſtructionem invigilantes, potenter intraverunt ipſam Villam Fannæ ad viſitationem iniqui conſultoris Domni Chriſtophori Abbatis, aſſidue invigilantis pænes ipſum Nicolaum, & gentes ipſius, & qui, ut nobis oſtenſum fuit, ignem in Caſtagneto majori de nocte impoſuerat pro læſione noſtra, quia aliter non poterat nos plus offendere. Ejus verò & ceterorum domos de Fanna circa ipſam Abbatiam & ultra, totaliter cremaverunt ſine aliquo obſtaculo alicujus perſonæ de ſuis, ipſamque Abbatiam taliter fumigantes, & liquore thuris non impoſito nec mirrhæ, quod fumus non ſolùm ad cœlum coram Deo aſcendens, verùm & ſe per terram exſtendens, ex ipſius odore multi lætitiam ſumſerunt. Altera autem die noſtri prædicti modum imponentes inter ſe ipſos ad offenſionem prædictorum noſtrorum inimicorum, ut decet in talibus bonos homines, ad Caſtellum Micæ euntes, ibi plura animalia derobaverunt, & unam pulcram mulam Presbyteri Blaſii, & certos de Fanna captivaverunt, quos ſecum duxerunt cum ipſis animalibus. Et a Caſtello ipſo inferius Villam integraliter cremaverunt. Contra quos pavidi facti ipſi de Fanna, nullus ſe contra noſtros extendere auſus fuit. Et ſic ſecum noſtri de Maniaco oneraverunt de maſſericia ipſorum per canipas, quia ſufficienter reperiebant in eis, & domum lætanter venerunt. Uno altero die noſtri intrarunt montes, ſentientes ipſos de Fanna cum eorum gentibus prope Hunedum, & domum ſolùm pro fœno iviſſe. Dum noſtri in nemore in traveſtito contra prædictos poſuiſſent, & illi de Fanna, ſed non omnes fœno equos & perſonas oneraſſent, noſtri ex nimia ardoris voluntate impetum contra prædictos facientes, & inſultum nimis ſubitum, & ante debitam horam, quadraginta tres ex ipſis ceperunt. Tredecim cum equis, reliqui verò ex ipſis inſultum facientes, & clamorem ſuorum audientes, relictis ſomis & fœno, & faſcibus fœni, ac aliqui relictis equis ibidem, velociter ex equis deſcendentes, fugam per nemora & colles capientes, tali timore inducti fuerunt, quod non audentes ad ſubſidium ſuorum concurrere, immo nec retroſpicere auſi ſunt, qui eos perſequebantur. Et ſic fugam arripere timore nimio inducti ſunt inimici noſtri versùs Fannam, dicentes, omnes colles eſſe munitos gen-

A tibus infinitis, *& copioſâ inimicorum multitudo nos eſt perſequuta uſque ad Villam*; ubi eorum multitudo major erat, quàm noſtrorum eos invadentium. Et ut dicebatur, ſi ex noſtris viginti cum clamore de ſupra Villam Fannæ iviſſent, vix extra ipſam Villam qui non fuiſſent incluſi in fortilitio, non cepiſſent fugam, in tanto timore fuerunt inducti. Et ſic noſtri domum ſuam lætanter cum triumpho felici & victoria reverſi ſunt, ducentes ſecum captivos vicinos de Fanna, & equos, a quibus taleam bonam habuerunt.

Poſt hæc verò in brevi tempore ipſe Dominus Nicolaus ſuorum vicinorum ultionem anhelans facere, fulcimentum magnum fecit, & B apparatum peditum & equitum; & venit in Burgo Maniaci uſque ad domum Bartholomæi barbitonſoris. Contra quem noſtri audaces ſocii & vicini animoſe, & cum gravi impetu ipſos invadentes, baliſtrerii ſagittantes cum arcubus ſagittas potenter, & lapides ejicientes, ipſos terga dare coacti ſunt. Et tanta erat eorum multitudo, quod Dominus Nicolaus, qui primus erat ad inſultum, non valens acies ſuorum pertranſire, ſicut libenter conabatur facere, tunc noſtri ad tergum ipſius quatuor erant ipſum pungentes, & ab equo eum vivum ejicere ſatagentes cum eorum lanceis longis. Et jam caput ipſius collum equi tangebat. Interim unus ex ſuis ſub lanceis prædictis & poſt C ipſius equum cum equo ad terram cecidit. Propter quod ipſi quatuor, relicto ipſo Domino Nicolao cum lanceis, quiſque ipſorum equum ipſum cupiens capere, eum ceperunt. Itaque percuſſus fuit honeſtus & fortis vir Guidottus de Fontanellis cum telo uno, & mortuus fuit. Et ex aliis multi devaſtati & percuſſi, & equi interfecti, & percuſſi multi fuerunt, ita quod tota via erat madida ſanguine multo, & verè nullus de noſtris damnum aliquod paſſus eſt. Ipſo die de ipſis in Valvaſono & alibi multi vulnerati ſunt. Et illo die Carduſſius quondam Federici Teſſii ſuam lanceam de manu foris jactavit ipſi Domino Nicolao, ſed eum non punxit, quia ſi tetigiſſet, D procul dubio morti eum ſubdidiſſet. Et illo die bene vidit & cognovit ipſe Dominus Nicolaus ſuam & ſuorum potentiam contra nos de Maniaco nihil prævalere. Ipſoque tumultu ſic facto dictæ gentes inimicorum ſe in Aviano congregaverunt ad bucium calcinæ prope fabricam, & ſteterunt per ſpatium magnum. Et lætabantur de reditu ipſorum, cognoſcentes, eos factos fore timidos; putantes ex ipſis & equis, equorum partem habuiſſe bonam. Et ſic dictæ gentes facto eorum conſilio receſſerunt verecundoſe, & ſine lucro. Altero autem die dum ipſi de Fanna cum ſcorta, ſeu in cuſtodia ipſorum multi pedites Fannæ ſtarent circa Abbatiam, & rivum, qui eſt ultra, ex E noſtris cucurrerunt forte in equis X. contra ipſos, qui in numero ultra quàm LX. erant inter ſtipendiarios, & operarios vites putantes; noſtri verò pedites ipſos ſequebantur noſtros equites. Ipſi verò de Fanna audito noſtrorum equitum curſorum adventu, ex nimio terrore ducti, qui in arboribus erant, ſe ex ipſis eruere permittentes, ſaltantes paludes, foveas, & cluſas, non dubitantes in ſpinis cadere, nec ſe pungere. Stipendiarii noſtros non offendentes nec arma ſua ceperunt in manibus, tam cito fuerunt noſtri contra eos, & dicebant noſtris: *Sumus ſtipendiarii*. Eoſque eis oſtendendo cum digitis. Et ſic pedites noſtri ſuper-

pervenientes , ex ipſis de Fanna quamplures ceperunt . Et euntes per canipas ſine obſtaculo alicujus , ſe onerantes rebus & maſſericiis , & ſecum vaſa, arcas, & brentas ducentes, Maniacum cum captivis lætanter venerunt . Et ipſi de Fanna tam pividi facti ſunt contra noſtros, quod unus nomine Guilla de Cadubrio, qui omni die, & ſi non omni die, ſæpe tamen ducens quandoque puerum unum ætatis annorum quatuordecim vel quindecim, ibat ad Abbatiam, vel in Turri , & trahendo per terram ante ſe uſque Maniacum modò vaſa , modò brentas ducebat , & multoties ſolus tantùm ibat , & ducebat ſecum vaſa duo ſæpe trahens per grados modò unum , poſtmodum redibat pro altero , & per iſtum modum pro ſolidis 24. vel 28. dabat vas unum capax urnarum quinque vel ſex , vel unam magnam brentam pro ſolidis 32. Et iſto modo multos replevit de brentis & vaſibus, & multa vaſa & brentas ſecum duxit . Quod videntes ipſi de Fanna , qui in collibus ſtabant , ex ipſis nullus contra eum venire auſus eſt . Et verè quæ & quanta noſtri de Maniaco contra ipſos fecerunt , & in eorum fortiliciis ; & ſuper montibus ipſorum ipſos captivando , animalia recipiendo . Omnia poſſe reſcribere , qui non vidiſſet , credere non poſſet , & longum quidem eſſet omnia poſſe reſcribere . Et de iis , quæ eis per nos de Maniaco fiebant , homines Meduni fortiſſime lætabantur , quia quum contra ipſos de Meduno procedebamus , dicti de Fanna de ipſis multum truffabantur , dicentes : *Si iſti de Maniaco nobiſcum guerram facerent , aliter contra ipſos procederent* . Itaque ipſi de Meduno multum læti erant de noſtro triumpho contra prædictos de Fanna . Uno autem die ipſe Dominus Nicolaus ſuos pedites numero centum miſit Maniacum versùs Colveram , ut noſtri numero XX. & minus , qui fuerunt ad molendinum Nicoluccii contra Pitte in cuſtodia ſuorum vicinorum , qui macinabant , auditis cuſtodibus Turris & parte Caſtri campanæ ſonantis , audaci animo contra iſtos veniente . Et fuerunt audacter ad manus unus contra alium in ſtretta poſt domum Pauli quondam Rainardi . Ibi noſtri viriliter irruentes contra illos , eoſque acerrime ducentes , Maroldum ceperunt quondam Fornerii de Fanna . Ipſos de Fanna terga ipſis dare mirabiliter coëgerunt, & eos retrocedere fecerunt, putantibus noſtris victoriam ipſos poſſe contra eos de Fanna obtinere .

Tunc ipſe Dominus Nicolaus ſuperveniens cum LX equis in ſpatulis noſtrorum , iſti noſtri ſe reduxerunt in Centa mei Johannis Notarii Aylini poſt domum filiorum olim Petri Agathæ . Ibi quidam nomine Jangillus de Bavaria , familiaris Dominorum Luſini & fratrum , honeſtus juvenis XXIV. annorum , ſtaturæ parvæ , bellicus juvenis , qui multa fecerat contra adverſarios noſtros , partem ſuam mirabiliter exercendo , fuit per quemdam Hungarum captus . Quem quum vidit Dominus Nicolaus , ipſum violenter ei recepit de manibus ſuis , eumque fecit exuere diploidem , panceriam , & quælibet alia arma , ipſumque dedit in manibus ſuorum ſervitorum Johannis quondam Galani , Petri filii Fornerii , & Magni quondam Henriguccii de Fanna . Ipſumque ſuper camicia exuta ſic nequiter a ſuis juſſit ibidem interfici . Et ſic per ipſos factum fuit . Et quidam Bertheus nomine juvenis annorum XX ipſo die per ſuos fuit interfectus . Et hoc factum eſt eis ſine honore , quia &

A iſtum . . . . noluerunt recipere , quum ſe ipſis reddidit ; & putans ſibi & ſuis famam debere de verecundiis habitis per nos de Maniaco . Iidem interfecti fuerunt , & de ſuis per noſtros mortuus fuit Mazzola . Et ſi noſtri voluiſſent de ſuis tam viriliter interfeciſſe , ſæpius facere poterant . Noſtri aſcenderunt in eorum colle de Regula , & ibi boves plures conduxerunt Maniacum . . . . noſtri intraverunt in eorum montibus & villis , & ex ipſis carceratos duxerunt . Adveniente verò tempore meſſis, Domini de Spegnimbergo omnes eorum ſegetes recollegerunt, & nos a parte noſtra . Itaque nequitia ipſorum per nos de Maniaco , & per partem noſtram valde fuit B correcta . Et quamquam duobus annis pacifice & quiete ſteterint , tamen poſtquam guerram habere voluerunt cum parte noſtra , non minus damnum paſſi ſunt , quàm quod quum ad principium guerræ intraverunt . Et ubi fuerant reputati ſapientes, ſic poſtmodum fuerunt reputati inſipientes , eo quia non ſapienter ſteterunt quieti de Baſtita Montiſregalis . Multa poſſent dici , quæ inter ipſos & nos occurrerunt . Tamen multoties eos noſtri juvenes , Domini videlicet Bartholomæus , Galvanus , Luſinus , Odericus fratres , & Victor quondam Domini Oſvaldi , cum conſiliis ſuorum fidelium vicinorum contra ipſos , in dicta Baſtita exiſtentes , & ad derobationes eorum C animalium , captiones hominum , & alia , ut in guerris fit & fieri ſolet , iverunt . Et finaliter voluntarie dicti villici ſe dederunt in manibus dicti Domini Luſini . Quod ſi non feciſſent , eumque in eorum conſilium non elegiſſent , ordo datus erat , recipiendi ipſis omnia eorum blada . Et quum gentes noſtræ veniſſent ſuper campo , animo recipiendi eis blada eorum , illo die præcedenti dicti Villici ſe dicto Domino Luſino reddiderunt , & in eorum Dominum & Capitaneum elegerunt . Propter quod ipſe exivit de Baſtita prædicta , & ivit ad Capitaneum gentium partis noſtræ, rogans, ut ipſos non deberent damnificare , quia fortilitium in ſe habebat . Et ei ſacramentum fecerunt D omnes fideles partis noſtræ,& ipſi eidem. Et iis dictis dictæ gentes noſtræ partis inde recedentes nullum damnum eis fecerunt .

Item in Anno MCCCLXXXVI. Caſtrum Maniaci die VII. Menſis Septembris combuſtum eſt per uxorem Moraſſii de Roga , quia totus Populus Maniaci . . . . erant in eo incluſi propter guerram . Itaque ipſâ die prædicta femina faciens tortas , & calſonos ſuis compatribus , ut iniquus modus eſt in contrata , non obſtante quod ſibi fuit inhibitum , & mandatum , ne ignem ibi facere deberet ſuper uno ſolare ſub tecto, habens faſcem fœni unum, ignis intravit in fœno in tecto domus , & ea non poſuit ſe ad extinguendum fœnum accen- E ſum , ſed ſubito ad fugam . Et ſic in momento totum Caſtrum accenſum eſt , & in parva hora combuſtum . Et mulier ipſa cum viro fugam rapuerunt in Fanna , ibique ſtant , nec poſtmodum auſi fuerunt venire in Maniaco ex gravi perditione noſtra ,& bonorum hominum, & perſonarum . Combuſtæ ſunt octo canipæ cum Somaſis , & ſuper Somaſis homines non habentes canipas in Caſtro poſuerant eorum arcas, blada in eis, carnes , pannos , maſſericias . Et certi prope murum Caſtri fecerunt canipas , in quibus habitabant , eorum bona in eis retinentes . Quæ omnia combuſta ſunt. Et niſi fuiſſet ignis de guerra , quæ duravit

annis quatuor, nos de Maniaco penitus de igne Caſtri nihil curabamus. Eramus bene fulciti victualibus annis quinque pro defenſione loci. Propterea potenter ſervavimus noſtram promiſſionem & fidem datam parti noſtræ uſque in finem, ita quod citra Tulmentum nullus fuit qui tanta diſcrimina non toleraverit, præterquam locus Cordovati. Et poſt combuſtionem loci ſupervenit peſtis inter animalia, quæ moriebantur, taliter, quod ſi unus decem habuiſſet, vix unum ei remanebat. Et iis duabus de cauſis fuimus paſſi deſtructionem. Sed inimici tamen nobis de animalibus pauca receperunt, ac de vicinis ſimiliter. Per inimicos multum fuimus inſultati & ſæpe, paucas tamen taleas a nobis habuerunt. Sed nos deſtruximus circa duodecim Villas, & à multis hominibus & perſonis taleas nos de Maniaco ſæpiſſime habuimus. Et in ipſa guerra, per noſtros bonos Dominos & vicinos fideles, & voluntati eorum Dominorum ſemper conſtantes, & numquam diſcrepantes fuimus. Domini Luſinus & Odoricus fratres multum ſe in dicta guerra exercuerunt familiares bonos retinentes, magnaſque expenſas paſſi ſunt, & a ſuis vicinis multum amati, dilecti, & honorati. Et ipſi multum honorabant Populum. Dominus Bartholomæus bellicoſe ſe habuit in ipſa guerra, poſt ſui adventum de Comitatu Tirolis ſe multum exercens in armis, & hortans ſocios, ac inducens ipſos ad nocumenta inimicorum, & de perſona valens, fortis & audax, non magnæ ſtaturæ homo, dilectus per ſocios fortiſſime. Dominus Galvanus filius Domini Balthaſſaris, juvenis longæ ſtaturæ, ætatis decem & octo annorum, voluntarie ſe oſtendens contra inimicos, tamen non permiſſus foras per ſuos prædictos conſanguineos exire, hortatus eſt juvenes ad pugnam contra inimicos. Olvrandinus quondam Ser Berthei uſque ad bivium exiens, vel ſæpiſſime ad portam ſtans, habuit filium ejus, Brandiliſium nomine, qui libenter contra inimicos cum baleſtra ſua ſe viriliter extendebat. Multum fuit ipſe Olvrandinus ad partem butinorum proviſus. Girardus frater Olvrandini portans arcum unum continue cum una corrigia, multum vexabat . . . . uſque ad plateam vel ultra parum, inimicorum veſtigia conſequens, fidus homo. Victor quondam Domini Oſvaldi ferens baleſtram bonam, eamque bene ſciens exercere, ferociſſime & ſæpiſſime inimicos lædens, pulcher juvenis, annorum XXIV. amatus per Populum. Zuttus quondam Ser Nicolai, habens proviſionem a Domino Paduæ, numquam præſumſit, arma induere contra inimicos die, quo gentes Domini Paduæ ſtantes in Zevraja, venerunt combuſtum Villam Maniaci. Ipſe, nec Galvanus ejus frater cum eorum vicinis contra inimicos nullam fecerunt defenſionem, & odio erant toti Populo, quia animus eorum declinabat ad Dominum Paduæ.

Ivere congregati omnes vicini boni una nocte in unum coram Domino Luſino, quia Ser Bertheus erat tunc temporis ſuper Comitatu Tirolis, & Dominus Galvanus cum patre in Utino. Habuerunt dicti vicini dicere: *Nos ſenſimus de veritate, & nobis relatum eſt, quod iſtæ gentes Domini Paduæ ſtantes in Zevraja, tractatum habent cum Zutto, quia eis promiſit dare iſtud Caſtrum. Unde nos debemus taliter de eo providere, quod habeamus pacem ab eo & non ſtemus in tali cuſtodia, quia inter nos omnes alios ſumus unanimes*. Et hæc verba erant

A de nocte ſuper palatio Domini Luſini & fratrum. Et nos decem ſocios habebamus extra portas Caſtri omni nocte pro tutiori cuſtodia, eo quod irent circa Caſtrum. Et loquentibus contra Zuttum in iis verbis, unus de decem cuſtodibus de foris ſupervenit feſtinanter dicens: *Domini & vicini, vidimus de præſenti in campo Domini Paduæ ſigna facta, elevando & declinando. Et vidimus in domo Zutti eis intendendo ad ejus feneſtram versùs rivum fontis. Itaque dubitamus, quæ ſigna ſint iſta, & vobis monſtramus*. Tunc vicini una voce dixerunt: *Eamus ad domum ipſorum, & ipſos tamquam proditores occidamus, & nos ſemus in his verbis*. Et ipſis euntibus, ego Johan-
B nes Aylini ob honorem filiorum olim Domini . . . . prædicti Domini Nihili, habui dicere: *O vicini, conſulo, quod tali modo non procedatur, ne diſcordia inter nos oriri videatur, quia habemus æmulos vicinos. Sed ponatur perſona cum decem bonis perſonis ſuper Turri portæ, & nos omnes ſtemus in bona cuſtodia in muris, & ſimus conſtantes ad noſtram defenſionem, ne ad manus inimicorum perveniamus. Et ordo detur inter nos de præſenti, ut ſi de mane inimici contra nos veniant, quod ſint deputati aliqui, qui illico vadant ad iſtos proditores, ipſoſque capiant, & captivos retineant pœnes ſe. Gratiâ Domini ſumus bene ſufficientes ad defenſionem hujus loci. Tunc in-*
C *quiremus ab iſtis cum torturâ, & talia poterimus ab eis habere, propter quæ cum ſententiâ punientur & corrigentur. Et iſto modo nullus contra nos poterit dicere, quod male & voluntarie fecerimus*. Et ſic omnes contenti de verbo per me alloquuto quieverunt ab eorum voluntate. Et ordo dictus de præſenti poſitus fuit. Et ſic de mane ipſæ gentes non venerunt. De ſuſpicationibus ipſorum fratrum multa poſſent ſcribi de veritate, quæ taceo in ſcriptura mea, quia ſufficit, quod prædixi, quod numquam contra inimicos ſe cum eorum vicinis expoſuerunt ad defenſionem noſtram, niſi ſemel Zuttus ipſe ad equum aſcendit in via, qua Nicolaus Caval, & quidam alter
D fuerunt per nos & noſtros capti. Et niſi fuiſſet Canduſſius quondam Federici, ipſe Zuttus fuiſſet ipſo die per inimicos captus. Aſcendit equum die illa, qua Bertheus quondam Leonardi fuit captus, & hoc, quia clare in ejus vultu ſæpius dicebatur, quod partem Domini Paduæ contra ſuos vicinos maligne tenebat, & multa mala verba ei ſæpius objiciebantur, quibus contrarium dicere non eſt auſus. Et inter vicinos de vicinis ad Villam ſtantibus magna & perfecta conſtantia dilectionis & fidelitatis regnavit, ita quod de nullo dici potuit oppoſitum. Ego enim Johannes Aylini nolo, dicta, geſta, & operata per me in guerra ſcribere, quia facerem contra manda-
E tum ſapientiſſimi Catonis, dicentis:

Nec te collaudes, nec te laudaveris ipſe.

Tamen aliqua & minima tangam, quia per nobiles & vicinos fui deputatus Proviſor cum meis affinibus . . . . Feci fieri ſuper Portam inferiorem defenſionem bonam, quia nulla ibi erat ſuper olivariis; aliam prope domum Oluvrandi; unam inter Eccleſiam Sancti Jacobi & domum, quæ eſt ibi prope; pro baliſtamento unum mantellum, ubi de Colle Griſono noſtri in Caſtro baliſtrarent. Portas inferiores Caſtri novas fieri feci. In Sacillo ſeram

ram magnam fieri feci ; ſub olivariis duas oſſenſibiles poſtas inimicis ſuper porta muri ſuper rivo , & alibi ſpinatas , & die nocteque vigilando pro ſuſtentatione noſtra , literas infinitas ſcribendo , cum perſonâ cum arcu vel baliſtra in Villa tamen cum vicinis meis , eundo , arma mea , ſcuta , paveſios concedendo non habentibus, vicinos contra inimicos ad eorum nocumentum inducendo . Et Antonius nepos meus cum ſua perſonâ , juvenis ætatis XIV. annorum in principio guerræ voluntarie ſe exercendo , ultra ſuum debitum & contra meum velle , propter ipſius juventutem , voluntarie contra inimicos ſe cum vicinis miſcuit.

In MCCCLXXXVIII. die XXVII. Novembris, Reverendiſſimus in Chriſto pater & Dominus , Dominus Johannes Marchio Moraviæ electus fuit & provocatus in Patriarcam ſanctæ Aquilejenſis Eccleſiæ . De cujus provocatione pars Utini libentiſſime audivit. Et ex lætitia magni facti ſunt per eos & parte ipſorum pagnaroli in Civitate die noctuque inter omnes Cives cum igne , & cum haſtiludio ; magnum gaudium putantes , ſe fore exemtos de tanto dolore & triſtitia habita & habiturâ , quia in hyeme Dominus Paduæ multum ſe fulciebat , volens recuperare partem , quam non poterat viciſſe. Et infinitos lapides bombardarum fieri fecerat & conduci in Aviano in magno numero de diverſis maneriebus , videlicet de groſſis & parvis , qui hodie ibi ſunt . Utinenſes verò ſæpiſſime nuntios & ambaſciatores ipſorum ſæpius & ſæpiſſime ad ipſum Dominum Patriarcham miſerunt , ut celeriter ad ejus Patriarchatum venire deberet in eorum & totius Patriæ ſuccurſum , dubitantes , Dominum Paduæ venire in futura æſtate contra Patriam , quæ totaliter erat depauperata . Et pro nuntiis ſæpius miſſis dicti Utinenſes expenderunt ultra mille Ducatos , quia de melioribus eorum Civibus miſerunt ; quibus mandatum fecerunt , ut nullo modo redirent ſine Domino Patriarcha. Qui ibi moram traxerunt ultra quatuor menſes , ipſius adventum exſpectando . Et ſic finaliter ipſe Dominus noſter Dominus Patriarcha per totam illam æſtatem non venit . Interim verò ſuccurrente glorioſiſſima Virgine Maria , Domina & Advocata omnium in ea ſperantium , ſub cujus alis iſta ſancta Aquilejæ Eccleſia defenſatur , Magnificus & Excellentiſſimus Dominus , Dominus Comes Virtutum , qui confœderatus extiterat cum Domino Franciſco de Carraria , ſentiens ipſe Dominus Comes ipſius Domini Paduæ iniquos tractatus, & pravam ejus voluntatem contra eum tractari per eumdem , eidem Domino Franciſco ſuas literas diffidationis miſit, & ſcripſit in hac forma , quarum tenor talis eſt . *Fallimini , Magnifice Vir , ſi quæ in depreſſionem noſtri ſtatus non in Italia ſolùm ſed in Germania & Gallia , pluribus jam menſibus , non uno tantùm , ſed pluribus diverſis , calidis , & exquiſitis modis accuratiſſime procuraſtis . Nec minus , ſi quæ in læſionem noſtri honoris protuliſtis imprudenter convicia ad noſtram non creditis notitiam perveniſſe . Senſimus quidem , & ſi non omnia , de pluribus tamen horrenda & exſecranda nimis , quæ niſi manu palpaſſemus , necdum per Vos fieri vel proferri debere , verùm nec excogitari debuiſſe minime putaſſemus : quum talia ſint , qualia hoſtis in hoſtem , nec niſi inſupportabilis laceſſitus in furiis moliri , ſeu meditari deberet . Nos autem quales injurias vel offenſas vobis intulerimus , ignoramus , niſi quod*

A *libentem , corruentemque in præcipitium Statum veſtrum tempore illo , quo cum Domino Antonio de la Scala concurrebatis acerrimo bello , dum prorſus omni ſpe alia deſtitutus , ruinam veſtram apertis oculis cernebatis , ſervaſſe , protexiſſe, & multiplici favore guerræ diſcimus ſublevaſſe , veſtras offenſas & injurias vindicando . Satis Magnifice Vir , nec nos ignoramus quotquot & qualia inter Nos & Vos agitata fuerint iſtis temporibus retroactis , quæ ſub breviloquio conſtringi non poſſent , cum prolixâ ſcripturâ , quod non res agitur , reddere , in hoc reſervatis reliquis ſuo loco & tempore concludendi in brevitate duximus , quod tutius arbitramur , apertum & publicum , quàm ſimulatum & inſidioſum ſub amici nomine hoſtem*
B *habere , & guerram patentem præferre paci fictæ & ſimulatæ, nec aliud quàm dolos , fraudes , vim, & inſidias parituræ . Proinde bellum vobis lapſâ die XXX. hujus Menſis Junii , per præſentes indicimus in Deo , & concurrente ad hoc illuſtri Dominio Venetiarum , cum quibus nuper confœderati ſumus , contra inſperatam & indebitam ingratitudinem veſtram . . . . juſtitiæ favorem noſtrorum favebit & clamantium ad cœlum oppreſſorum ſubditorum veſtrorum , quibus non compati certe non poſſumus , voces exaudiet . Datum* &c.

Verum eſt tamen , quod præſcripta Litera diffidationis ſcripta fuit in MCCCLXXXVIII. Et ante præſcriptionem ipſius idem Dominus
C Comes Virtutum Dominus Mediolani confœderatus erat cum Ducali Dominio Venetiarum . Qui Veneti jam ad principium noſtræ guerræ confœderati erant cum Utinenſibus & eorum Collegatis , & Nos de Maniaco cum ipſis . Et antequam confœderationem fecerunt cum ipſo Domino Comite Virtutum , fecerunt cum certis pactis pro Utinenſibus & eorum Collegatis, ſicut inferius in tenore Literarum ipſarum Utinenſibus miſſarum deſcribetur in fine . Poſt ipſius verò diffidationis terminum ipſe Dominus Comes Virtutum ſuas gentes miſit contra ipſius Domini Paduæ potentiam . Tunc dimiſſo Domino Franciſco Novello ejus filio in Civi-
D tatæ Paduæ , idem Dominus Franciſcus ſenior ivit in Tarviſio , ibique moram ducens , & ſubveniente Virgine Maria Domino Comiti prædicto , qui bonum animum habebat Eccleſiæ Aquilejenſi & habuit , quæ per potentiam ipſius Domini Paduæ fuerat deſtructa , derobata , & diſpoliata , & monumenta Dominorum Patriarcharum , præteritorum Paſtorum ipſius benedictæ Eccleſiæ , ſuffragio ipſius Dominæ noſtræ gratioſiſſimæ , quæ non relinquit ſperantes in ea , miraculum ob . . . . . . ipſius Domini Paduæ in brevi ſermone concludens . Paduam cum ſuis terris , Caſtris , Oppidis , fortilitiis , Villis , & juriſdictionibus perdidit, ac etiam Tarviſium ſimiliter cum ſuis Caſtris
E & Fortilitiis perdidit , de Menſe Octobris , die . . . . . . Ibi poſt . . . . Et nota , quod ipſe Dominus Franciſcus , receptâ ei Civitate Tarviſii per Cives Terræ, ſtipendiarii ſe cum ipſo Domino introduxerunt in Caſtro , quod eſt in Civitate Tarviſii , & Cives fecerunt . . . . . . nomine Ducalis Dominii . Ipſe verò in contemtum Venetorum dedit ipſum Caſtrum cum omnibus aliis Caſtris & fortilitiis Domino Comiti , & poſuit ſe gratiæ Domini Comitis. Et eo modo ejus filius Dominus Franciſcus Novellus ſe reddidit gratiæ Domini Comitis . Quos duci fecit in ſua Civitate , quæ nominatur Comum, pulcra Civitas ſupra Mediolanum,

quos in eadem Civitate captivatos retinuit. Et de ſuis carceribus exivit ipſe Dominus Franciſcus Novellus, qui poſtmodum Paduam recepit in MCCCXC. in fine Junii. Sed redeundo ad Dominum noſtrum, Reverendiſſimum Dominum Johannem Patriarcham prædictum, is miſit in Patriam Forijulii de Menſe Maji quemdam ſuum Militem, magnificum virum, magnum hominem ſtaturæ, in ætate bene annorum LX. in ſuum Mareſcalcum. Et applicuit in Glemonam, & noluit intrare Utinum, nec aliam Terram Patriæ, ibique moram trahens habitavit uſque ad dicti Domini Patriarchæ adventum. Cui Domino Mareſcalco, nomine Dominus Nicoláus Buch Bohemus, nomine ipſius Domini Patriarchæ ipſe Dominus Paduæ dari fecit omnia fortilitia, quæ recuperaverat in Foro Julii, & in ſe habebat. In quibus poſuit ſuos Capitaneum, & Officiales. Et in Savorgnanum intravit Franciſcus Naſcinguerra de Civitate Auſtria, dicens illum locum ſuum eſſe, & fuiſſe ſuorum anteceſſorum. Dominus Patriarcha male informatus contra Utinenſes, & ſpecialiter contra Dominum Federicum de Savorgnano, partem Civitatenſium cepit. Finaliter venit in Utino, & oſtendit ſe velle Conſilium Utini tranſmutare. Et ſic fecit, & deputavit quoſdam ribaldos Artifices numero duodecim ad regimen Terræ Utini. Partes erant inter Cives Terræ magnæ, unde ipſum Dominum Federicum Militem multum cœpit odio habere. Hoc totum dicebatur facere inductu Domini Paduæ, qui nondum Terras perdiderat, & inductu Civitatenſium. Domina Eliſabeth, relicta olim nobilis Domini Franciſci patris ipſius Domini Federici, ejus noverca, lamentabatur Domini Patriarchæ contra ipſum Federicum. Ex quo ipſe Dominus Federicus receſſit in Caſtro ſuo Pinzani, non audens in Utino moram ducere. Domina Eliſabeth prædicta habebat in Curia Domini Patriarchæ quemdam Militem ſuum conſanguineum, una cum eâ inſtantem Domino Patriarchæ. Eidem Domino contra ipſum Dominum Federicum petebat ipſa Domina ipſi Domino Federico tamquam heredi Dominorum Franciſci & Hectoris ejus filiorum & dicti olim Domini Franciſci Militis patris dicti Domini Federici, partem eorum tangentem de hereditate paterna dicti olim Domini Franciſci ejus viri,

Dominus Federicus videns Dominum Patriarcham indignatum contra ſe, contentus erat, ut ipſa quæſtio terminaret per modum judicii & in terminis coram ſuo Vicario, & in judicio vel in Bononia, aut Pariſio, in puncto Juris. Si in aliquo eidem teneretur ſecundùm determinationem judicii ſui vel Sapientum, ſic facere non recuſabat. Contra quem Dominus Patriarcha prædictus ſæpe in Terra Utini arrengum fieri fecit. Finaliter uno die fecit capi quemdam Civem, nomine Dethalamum de Andreottis de Utino, hominem antiquum, ætatis annorum fere LXX. qui ſemper amator & defenſator extiterat Domus Savorgnanorum, nunc autem contrarius ipſius Domini Federici qui quemdam nomine . . . . . . ſuum inimicum interfecerat de Soldoneriis ſuper dominio Dominorum Ducum Auſtriæ, prope Villam Curiæ Naonis. Erant circumcirca XXX. anni, de cujus obitu literas abſolutionis habebat a Dominis Ducibus Auſtriæ, a Dominis præteritis Patriarchis, & pacem cum ejus inimicis habebat. His omni-

A bus non obſtantibus poni eum juſſit in manibus novorum Rectorum iniquorum, inter quos erant Platuſius Speronarius, & Chriſtophorus Miſulinus Notarius, inimici Dethalami. Ipſumque acerrime tormentantes, duci fecerunt ſubitò ad judiciariam in Platea Utini. Et crida facta fuit, ut in pœna Ducatorum ducentorum nullus ſua verba facere auſus eſſet. Et Domino ſtante ad feneſtras Caſtri, & gentibus ſuis in Platea armatis, Martinus Thomaſſini ſententiam protulit contra eum, debere decapitari. Sed Nicolaus quondam Ser Gabrielis ſententiam protulit, quod nec eum condemnabat, nec eum abſolvebat. Ipſe verò Dethalamus propter torturam ſibi datam non poterat pede ſtare, ſed portabatur ſuper una
B cathedra. Ibique ſtans nullus auſus fuit ſuum verbum facere. Sed ipſe ſolus, vir loqui potens, ex nimia tortura petebat & requirebat, ſua jura abſolutionis audiri debere. Nihil ei valebant jura ejus, nec valuerunt, quia portatus ſuper cathedra, illico fuit decapitatus. Qui ſi ſtetiſſet in dilectione ipſius Federici, non ſic factum foret de eo. Immo factus erat de familia dicti Domini Patriarchæ duobus diebus ante, habens ejus Literas familiaritatis. Et detruncato ei capite, ultra horam ſtetit in capſa. Quare Dominus Patriarcha habere voluit ab eodem pro incertis Libras mille Solidorum, quas habuit. Poſt hæc dum Domi-
C nus Patriarcha eſſet in cœnis, miſit in Civitate Utini pro quodam Advocato divite, nomine Nicolaus Manini, qui totus erat intimus amicus, ſervitor, & dilectus Domini Federici. Qui ſubito aſcendens Caſtrum ivit ad præſentiam ipſius Domini, & ſic juſſit retineri eum, uſquequo cœnaſſet. Exivit unus, & venit in Plateam, dicens Populo: *Nicolaus Manini retentus eſt per Dominum carceratus*. Hoc audito totus Populus aſcendens Caſtrum, petierunt Nicolaum, eorum vicinum, ſibi dari. Pro quo ſecuritatem facere intendentes, ſi quid fecerat, quod ipſum cum terminis ducere deberent; quia non erat uſus Dominorum præteritorum, ſic Cives capere, & quod no-
D lebant hoc eis innovari. Viſoque furore Civium Dominus ipſum Nicolaum eis dedit, & ſubitò de Terra receſſit cum quatuor ſociis furibunde & cum iniquis verbis contra Cives, & ivit tunc in Suffumbergo.

Poſt hæc ira major crevit inter ipſum & Cives. Adhuc ſui Rectores regebant, & Dominus Federicus requiſitus per Populares venit in Utino. Qui aſſumtus eſt per omnes Cives, ac ſi Deus veniſſet, ſalvo quod aliqui tenentes partem Domini erant in Terra. Sed omnia, ut apparuerunt, deſcribere longum eſſet. Sed adveniente carniſprivio, in domo Domini Federici erat magnum ſolatium. Choreizantes & juvenes Utini ordinaverunt haſtiludium in
E Terra Utini. Et in ipſa Terra venerunt Seneſcalcus Domini Patriarchæ Bohemus Miles, conſanguineus Dominæ Eliſabethæ, Franciſcus, & Andreas fratres, filii Naſcinguerræ de Civitate, Henricus Bleon quondam Ser Petri de Faganea, tunc Mareſcalcus dicti Domini Patriarchæ, ut dicebatur, factus, & quidam Marchus de Faganea cum eorum famulis, oſtendentes ſe cauſsâ feſti & haſtiludii, qui intraverunt ad choream in domo ipſius Domini Federici. Quos ſurgens a ſcamno lætanter ſuſcepit, & in eorum receſſu eos ſecum in cœna voluit ſtetiſſe, & eis honorem intulit, rogans, ut in craſtino cum eo eſſent in prandio.

dio. Ipſi obtentâ licentiâ receſſerunt. De mane verò die Lunæ XV. Februarii ipſe Dominus Federicus intravit ſuam Cappellam, & audivit Miſſam. Et cum eo erant ſolùm de ejus familia tres. Et obtinebat familiam bonorum ſociorum in aſpectu, qui multùm fuerunt triſtes, & nondum a lecto ſurrexerant. Et dicta die prædicti Seneſcalcus Miles Bohemus, Franciſcus & Andreas fratres cum uno altero, per ſuum nuntium ſentientes, ipſum eſſe quaſi ſolum in Eccleſia, atque cum Henrico, & Marco & aliis familiaribus numero quatuordecim, & non pluribus, ipſis ad ejus Cappellam venientibus, unus Cuſtos portæ ipſius Domini Federici, nomine Paulus, illico videns iſtos ſic venire, feſtinanter ivit ad ipſum Dominum ſuum & clauſit oſtium Cappellæ, dicens: *Domine, velociter veniunt versùs vos, familiares Domini Patriarchæ. Dubito, quod non veniant in nocumento veſtræ perſonæ*. Cui Dominus Federicus reſpondens, dixit: *Aperi oſtium. Non dubito familiam Domni mei*. Et confeſtim aperuit oſtium. Aperto oſtio iſti applicuerunt prope oſtium, & Dominus Federicus erigens ſe, dicto Euangelio Sancti Johannis, ad aquam ſanctam, quæ eſt in medio Eccleſiæ, ſe ſignavit. Iſtis intrantibus, videlicet Franciſco & Andrea fratribus, Seneſcalco, & duobus aliis, Miles non deſcendit, nec illi de Faganea. Ipſi ante Eccleſiam cum baliſtris extenſis, & gladiis evaginatis ſtabant. Et quum Dominus Federicus eos vidit, non dubitans, eos ipſum lædere velle, obviam eis immo fuit, & elevans caputium, eos humiliter ſuſcepit. Ipſi autem evaginatis gladiis ipſum inter Templum & Altare crudeliter & proditorie ibi mortuum permiſerunt. Quidam nomine Deſertus de Glemona familiaris dicti Domini Federici, fugam poſt Altare ſe abſcondens rapuit. Quidam nomine Milunus audito clamore Eccleſiam cum ſolo enſe velociter intrans contra ipſos, & iſti contra eum, ejus enſis fractus eſt ad merlas, & illico ſe & ipſum percuſſerunt. Qui quaſi mortuus ad ter-

A ram cadens ibi remanſit, & niſi ejus enſis fractus foret, aliquem vel aliquos interemiſſet. Sed tamen liberatus eſt a vulneribus ſibi factis. Quo audito clamore vix ad equum aſcendere potuerunt, & ob hoc iſtum percuſſum dimittentes ibi, ipſum non interfecerunt. Et ſubitò Miles equitavit ad domum Dominæ Eliſabethæ, ſecum duci faciens unum palafrenum, volens eam ſecum ducere extra Terram. Et non inventâ Dominâ domum, quia erat & iverat ad Eccleſiam, ſubitò ſequens prædictos malefactores, portas Civitatis Utini exiverunt. Et clamor maximus in Populo intonuit, & factus eſt valde. Voluerunt aliqui portas claudere, ſed ii exiverant. Tunc Populus ſubitò

B fuit congregatus. Et ceperunt Chriſtophorum Miſulini, & Platuſium, ac ipſam Dominam Eliſabetham, & ipſi in furore Populi, & ſuper ipſa Platea Utini in inſtanti crudeliter ſunt jugulati ob mortem ipſius Domini Federici. Poſt hæc verò quidam Notarius, nomine Hieronymus, de nece ipſius Domini Federici conſcius & culpatus, in alto ſuſpenſus eſt per Rectores Utini. Et tunc Rectores ipſius Domini Patriarchæ expulſi & excluſi ab omni eorum regimine, Conſiliarios & Rectores inter ſe fecerunt. Poſt hæc Ser Nicolaus magiſtri Gregorii, qui nominatus erat Ser Nicolaus A Dominabus, advocatus, homo iniquus, qui ex nihilo factus erat ditiſſimus cum Dominis de

C Savorgnano, & in diem hodiernum bene amatus fuit & tractatus per ipſum Dominum Federicum, tenens partem Domini Patriarchæ prædicti, lætuſque de nece prædicti olim Domini Federici, per quemdam Dominicum Cialium Pelliparium, prope Sanctum Lazarum, Utini interfectus eſt. Poſt hæc Martinus Thomaſini partem ipſius Domini tenens, & lætus de morte ipſius Domini Federici, uno die de mane in Terra Utini per Johannem de Andreotis, fratrem dicti olim Dethalami decapitati, & per Petrum de Trieſto, & per Pititam de Meduno familiarem dicti olim Domini Federici Militis interfectus eſt.

Deſcripta per Antonium Bellonum Notarium.

F I N I S.

Donatio aliquot Caſtrorum & Villarum, facta Wolderico Patriarchæ a Wolderico olim Marchione Tuſciæ, & Diemura ejus Conjuge. Anno 1170.

IN nomine Domini. Anno a Nativitate Domini MCLXX. Indictione Tertia, die Lune, Secundo, intrante menſe Februario, in preſentia infraſcriptorum teſtium, Vuldaricus quondam Marchio Tuſcie, & Diemur quondam Marchiſana ejus Uxor, pro remedio animarum ſuarum, & predeceſſorum ſuorum, contulerunt puram & meram donationem ſuper Altare beatiſſime Marie Virginis, & in manu VV. Aquilejenſis Ecleſie Patriarche, & Apoſtolice Sedis Legati; de Caſtro de Attens, uti nunc poſſidet, in integrum, & Villa ſub Caſtro conſtituta, cum omni jure ſibi pertinente, ſervis & ancillis ibidem manentibus, & peculio ipſorum, & bonis cultis & incultis, montibus, nemoribus, vallibus, campis, pratis, vineis, piſcationibus, venationibus, molendinis, aquis, aquarumque decurſibus; & de Caſtro Perthenſtene, cum omnibus ſuis pertinentiis; & de Villa Porcil, & de Villa Subid, & de Villa Perſciniech; & de hoc toto, quod habet in Vergin & Lugre, cum Villa, & omnibus ſuis pertinentiis; & de Villa Cerneu, & de Villa Calmines, & de aliquo, quod habet apud Namach; & de Curia Hage conſtituta; & de Villa, que vocatur Predegoi, & de Villa, que vocatur Laſina; & de Villa Rechelach, & de Villa Wipelſach, *& de Villa* Wolfsch l, *cum omnibus pertinentiis predictorum locorum, vineis, pratis, cultis & incultis, nemoribus, piſcationibus, aquis, aquarumque ductibus, & cum omni diſtrictu & jure predictorum locorum, & cum omnibus ſervis & ancillis, & peculiis, & rebus eorum, in ſupraſcriptis locis habitantibus. Inſuper prefati Jugales donavere prefato Altari Aquilejenſis Eccleſie, & prefato VV. Aquilejenſi Patriarche, & Apoſtolice Sedis Legato, Miniſteriales ſuos Diſnimannos, videlicet Sifridum cum filiis, quos habuit de Domna Deddi, Conradum & fratrem cum omnibus filiis & filiabus ſuis, Conradum de Milano cum filiis & filiabus ſuis, preter filiam ejus Diemur, Engelmanum fratrem dicti Conradi, Henricum de Straz, Rubertum de Bamach, Albertum Cleſtar,* Wernandum *de Gudig cum filiis & filiabus, Herardum fratrem ejus, Pertoldum de Ruztvim, Otilium de Ruztvim cum filiis & filiabus preter unum, quem .... Bertadin de Pul........ cum filiis & filiabus ejus, preter Octonem & ſororem ejus, que eſt apud Celchan, Pelegrinum de Lubidrach cum omnibus ſororibus, Henricum de Funber cum duabus ſororibus, Henricum de Hag cum uxore & filiis & filiabus eorum, Pertoldum de Hage, Henricum de* Wipelſach *cum filiis ſuis, Domna Mactidi de Predegoc cum filiis & filiabus ſuis, Otacum de Foido cum ſorore ejus Margareta, Hirmindeim de Attens cum filiis & filiabus, Henricum de Attens cum filia, Arponem de Attens,* Wdalricum *Gaſtaldionem de Attens, Joannem de Sancto Vito,* Wdalricum *de Sancto Vito, Joannem de Verſa. Quibus Miniſterialibus idem Marchio Vuldaricus omnia, de quibus prius ſe violenter immiſerat, reddidit, & tenutam ejus reſtituit. Confirmatum eſt ſtatim, ut nullus Caſtellanus in eodem* A *Caſtro, videlicet Attens, locetur, niſi quem voluntas & conſilium Miniſterialium, ad idem Caſtrum pertinentium, elegerit. Supradictus quoque Marchio Vuldaricus ibidem antequam prefatam donationem faceret, juravit ſuper Altare beatiſſime Virginis, quod expedierat omnia ſupraſcripta a filiabus & a nepote per refutationem, quam in eum fecerant, & quod libere poſſet tradere de jure cuicumque voluerit. Et promiſit ea defenſare,* warentare *ſupraſcriptam donationem legitimo jurejurando ſupraſcripte Eccleſie, & Domino Patriarche in integrum ab omni homine, & quod firmam & ratam perpetuo ſupraſcriptam donationem habebit. Item Domna Diemura quondam Marchioniſſa Tuſciæ* B *juravit per Nuncium ſuum, cui ipſa dedit parabulam jurandi, quod ipſa nulla occaſione nec dotis, nec donationis, vel cujuslibet alterius, veniet contra ſupraſcriptam donationem, ſed ſemper firmam & inviolatam habebit. Nuncius verò jurandi fuit* Artuwicus *de Curia veteri, & major pars Diſnimanorum & Miniſterialium illorum Feudum, quod habebant a ſupraſcripto Marchione; præſente eo venerunt, & ei fidelitatem ſuper Altare juraverunt. Nomina illorum, qui juraverunt infraſcriptam fidelitatem, ſunt hæc: Conradus de Cinpica, Sifridus, filius fratris ejuſdem, Conradus de Niagei, Herogolmarius ejus frater, Henricus de Strecha, Rodopertus de Nimes, Adalpertus* C *Kleſtes,* Wariendus *de Gudig, Henricus de Frata, Pertoldus de Frata, Henricus de* Wipelſach, Wodolricus *ejus filius, Joannes de Verſa,* Wolaricus *de Sancto Vito,* Wdolricus *de Flaguga, Odolricus de Zumpita, Ottacus de Faedeſo.*

Actum eſt hoc in Civitate Aquilejenſi, ante Altare beatiſſime Marie Virginis, preſente Clero & Populo.

Signa teſtium: Wdolricus *Abbas de Muſinih, Magiſter Adelbertus de Friſac, Lumpidus Decanus Aquilejenſis, Jonatus Prepoſitus Sancti Felicis, Odeſcalcus de Piſine, Piligrinus Prepoſitus Eccleſie Civitatis, Comes* Wolfredus, *Comes Henricus ejus gener de Lexenmunt, Con-* D *radus de Fontanabona, Fridericus & Artwicus de Cauriag, Otto de Puch,* Wilterius *de Luſtriago, Raginardus de Artigna, Reginhardus de Frata, Nappus de Civitate,* Walcherius *de Vendoy, Fraſhau de Muruh, Erhardus de Fagedes,* Warnerius *de Pinhano,* Warnerius *de Clemona, & alii plures teſtes rogati fuere, ſcilicet a ſupraſcripto Marchione & Marchiſana. Et prædictus Marchio & Marchiſana rogaverunt ſupraſcriptam donationem, ut in ſcriptis redigeretur.*

Poſtea die Mercurii Marchio Vuldaricus tradidit poſſeſſionem de Curia de Hage predicto Domno Patriarche apud Hage, pro omnibus prediis ſupradictis & Caſtris, & confeſſus eſt E *Hechardus feciſſe fidelitatem Domno Patriarche, preſente Comite* Wolfrado, Wdalſcalcho, *Jonatha,* Waltherio *de Pinhano, & Cunone Purgnif de Uſono, qui & ſuperiori donationi affuit, & Cono ejus filio. Et hoc fuit in Hage in ſtrata juxta Eccleſiam.*

Sequen-

Sequenti verò die Veneris ſupradictus Marchio & Marchioniſſa in Caſtro de Attens tradiderunt claves ejuſdem Caſtri in manu VV. Aquilejenſis Eccleſie Patriarche, & miſerunt eum per Turrim & Portam in tenutam pro Caſtro, & omnibus poſſeſſionibus ſuperius dictis & datis, preſentibus his teſtibus, quorum nomina hec ſunt: Comes Wolfridus, Comes Henricus de Lexmunt, & Fridericus & Artwicus de Cauriach, Wdolricus Abbas de Moſinib, Jonatas Prepoſitus, Romolus, Otto de Puch, Walterius de Pinchano, Gotſalcus, Hermanus Prepoſitus Sancti Wdalrici, Cuno de Uſono, Reginbardus de Piſima, Ofredus de Suſano, Wul-

A *conus de Vendoy. Et eodem die ſuprſcriptus Marchio & Marchioniſſa exiverunt de ſupradicto Caſtro, & poſſeſſionem ejuſdem Caſtri, & totius predominii ſupraſcripto Patriarche relinquerunt in preſentia ſupraſcriptorum teſtium. Et ibidem Arbo & Henricus de Atens juravere fidelitatem Domno Patriarche, ſicut Diemſermanni, & Feudum, quod habebant a Marchione, ab eo receperunt. Sanctus ſacratiſſime Aule Judex omnibus ſupraſcriptis interfuit teſtis, & vidit, & audivit.*

Ego Johannes Bonus Tabellio rogatus a ſupraſcriptis Jugalibus & Diniſmannis, ut ſuperius, hec ſcripſi & complevi.

Charta Fœderis initi inter Ludovicum Hungariæ Regem, & Marquardum Patriarcham Aquilejenſem. Anno 1376.

LUdovicus, Dei gratiâ, Rex Hungariæ, Poloniæ, Dalmatiæ, Ramæ, Serviæ, Galetiæ, Rodomeriæ, Bulgariæ, Comaniæque Rex, Princeps Salernitanus, & honoris Montis Sancti Angeli Dominus, notum facimus univerſis preſentes has inſpecturis: quod tanto celebrius famæ noſtræ præconium culmini noſtro regalis ſerenitas non dubitet ampliare, quanto Prædeceſſorum noſtrorum notabili ritu, & præcipue noſtri excellentiſſimi Genitoris, Eccleſiarum cauſas & commoda, in quibus noſtræ Chriſtianiſſimæ Religionis potentiſſima vis conſiſtit, amplioribus nititur favoribus confovere, & regalibus munificentiis præmunire. Sane ad ſanctam Aquilegienſem Eccleſiam multorum æmulorum, patre diſcordiæ miniſtrante, retroactis temporibus oppreſſionibus laceſſitam, cujus Paſtores & incolæ univerſi ad culminis noſtri augmentum innatas devotiones fidelem animum habuerunt, mentis noſtræ ſerenitatis aciem dirigentes, modis & conventionibus infraſcriptis, more filiorum, heredum, & ſucceſſorum noſtrorum in Regno, & ipſius Regni noſtri una voce cum Miniſtris noſtris, & Regni noſtri Prælatis & Baronibus, de eorumque conſenſu, ſcitu, & voluntate, ac matura deliberatione, & de certa ſcientia, & infra omnia ſe, ſucceſſores, filios, & heredes, & bona omnia, vice etiam & nomine dictorum Regni obligationibus, cum eorum juramentis & ſigillis inferius denotatis, recipimus, & nunc Reverendiſſimum in Chriſto Patrem Domnum Marquardum Patriarcham Aquilegienſem, & ipſius ſucceſſores, & ſanctam Eccleſiam Aquilegienſem, Prælatos, Capitula, & ſucceſſores ſuos, & Communitatis Forojulienſis Civitates, Terras, Caſtra, & Territoria jam dicti Patriarchatus, & dictorum Prælatorum, Capitulorum, Nobilium, & Communitatum prædictarum, quas, quæ, & quod ad præſens tenent & poſſident, & in futurum acquirent, ſeu ad eos devenerint, ſub noſtra, filiorum, heredum, & ſucceſſorum noſtrorum, nec non Regni noſtri, Prælatorum, & Baronum ipſius, protectione, & defenſione plena & gratuita. Et ipſas Terras, Caſtra, & Civitates præſcriptas, & territorium præſcriptum defendere promittimus, quibus ſupra, nominibus, manutenere, defendere & conſervare contra & adverſus quoſcumque Principes, Duces, Comites, Barones, ac Dominos, & quaſcumque Communitates, ad requiſitionem ipſius Patriarchæ & ſucceſſorum ſuorum, & majoris partis ſui Conſilii, Parlamenti, & Sede Patriarchale vacante ad requiſitionem Vicedomini, & Capituli Aquilegienſis,

B *& majoris partis Conſilii, Parlamenti, excepto videlicet contra Papam & ſuos ſucceſſores, & Imperatorem & ſucceſſores Imperio.*

Inſuper volumus & decernimus, quod Magnificus Dominus Franciſcus de Cararia, Dominus Paduæ, quem nunc pro noſtro, & Regni noſtri Colligato declaramus, obliget ſe, & bona ſua nobis, filiis, heredibus, & ſucceſſoribus noſtris, & Regno noſtro, Prælatis, & principalioribus Baronibus Regni noſtri, ad noſtræ ſerenitatis, heredum, & ſucceſſorum noſtrorum, & Regni noſtri mandatum, facere guerram in territorio ſuo, & in partibus circumſtantibus, apud territorium ipſius, contra inimicos dicti Patriarchæ & ſucceſſorum ſuorum,
C *& Patriarchatus, & Eccleſiæ Aquilegienſis, & Patriæ Fori Julii. Verſa vice ipſe Domnus Patriarcha pro ſe, Eccleſia Aquilegienſi, & Patriarchatu ſuo, & ſucceſſoribus ſuis, Prælatis, & Capitulis dicti Patriarchatus pro ſe & ſucceſſoribus, & Nobiles Fori Julii pro ſe, heredibus & ſucceſſoribus ſuis, & Communitates Patriarchatus prædicti, ſub fide ipſorum, & cum eorum juramento, & cum obligationibus bonorum ſuorum, pro ut ipſorum . . . . & privilegiis Celſitudini noſtræ porrectis, & eorum Communitatibus ſuper iis confectis, plenius inde patet, erint, & ſint de cetero cum Celſitudine noſtra, filiis, heredibus, ſucceſſoribus noſtris, & cum Regno noſtro, &*
D *Baronibus dicti Regni, & heredibus, & ſucceſſoribus eorum, & cum ipſo Domino de Padua Colligato noſtro, & heredibus ſuis, in quibuſcumque bellis, guerris, & inimicitiis, & diſcordiis, contra & adverſus quoſcumque Principes, Duces, Comites, Marchiones, Barones, & Dominos, & quaſcumque Communitates, ad petitionem & mandatum noſtræ ſerenitatis, filiorum, heredum, ac ſucceſſorum noſtrorum, & dicti Regni, in Patria Fori Julii, & in territorio Patriarchatus Aquilegienſis, & in partibus circumſtantibus apud dictam Patriam Fori Julii, & territorium dicti Patriarchatus; faciendo & exeundo contra inimicos de Civitatibus, Locis, Terris, Caſtris, Paſſibus,*
E *& Fortilitiis dicti Patriarchatus, excepto videlicet contra Papam & ſucceſſores ipſius, & Imperatorem & ſucceſſores Imperii, quantum eſt pro facto Eccleſiæ Romanæ, & Imperii tantùm. Excepto quoque contra Duces Auſtriæ, durantibus treguis præſentibus inter ipſum Dominum Patriarcham Aquilegienſem & prædictos Duces, & contra ſolam perſonam Marquardi Comitis Goritiæ. Claudentque etiam paſſus & ſtratas Fori Julii & Territorii Patriarchatus ad petitionem*

tionem & mandatum Celſitudinis noſtræ, filiorum, heredum, & ſucceſſorum noſtrorum, tempore guerrarum contra quoſcumque, contra quos eſſet guerra. Quod etiam faciet, & facere permittet & claudere Serenitas noſtra versâ vice, ac etiam facient noſtri filii, heredes, & ſucceſſores, ac Regnum noſtrum ad requiſitionem dicti Patriarchæ & ſucceſſorum ſuorum, & Sede vacante ad requiſitionem Vicedomini Patriarchatus Aquilegienſis, & ipſius Capituli. Et ad Serenitatis noſtræ mandatum, & filiorum, heredum, & ſucceſſorum noſtrorum, ac Regni, ſimiliter faciat & claudat ſtractas & paſſus ſuos, & claudere tenebuntur dictus Dominus Paduanus noſter Colligatus, filii, & heredes ſui.

Vult inſuper noſtra Majeſtas, quod ſi contingeret durantibus præſentibus conventionibus, ut acquirerentur aliqua Caſtra, Terræ, Villæ, aut Civitates, per nos, filios, & heredes noſtros, ac ſucceſſores, & Regnum noſtrum, & partes prædictas, videlicet dictos Patriarcham, & ſucceſſores ſuos, Prælatos, Nobiles, heredes, & ſucceſſores ſuos, & Communitates Fori Julii, & Dominum Paduæ præſcriptum, filios, & heredes ſuos, communiter, vel diviſim; & illa Caſtra, Terræ, Villæ, aut Civitates ſpectarent & pertinerent, ſeu retroactis temporibus quovis modo pertinuiſſent ad Patriarchatum Aquilegienſem de jure, quod debeant eſſe dicti Patriarchatus, & remanere dicto Patriarchatui. Si verò non ſpectarent, nec pertinerent, ſeu retroactis temporibus quovis modo non pertinuiſſent ad Patriarchatum prædictum de jure acquirendo, Communitates per partes dividantur ſecundùm determinationem noſtrorum heredum, filiorum, & ſucceſſorum noſtrorum, & dicti Regni noſtri. Si verò acquirerentur per aliquam partium, ſint & eſſe debeant acquirentis; & quod captivi, & bona mobilia ſint capientium. Non poſſint inſuper dictus Domnus Patriarcha, & ſucceſſores ſui in Patriarchatu, & Prælati, & ſucceſſores eorum dicti Patriarchatus, & Nobiles, heredes, & ſucceſſores ſui dictæ Patriæ Fori Julii, & Communitates Patriarchatus, nec debeant incipere novam guerram, niſi ad defenſionem & offenſionem contra occupare volentes manu armata, vel alio modo inlicito & manifeſto aliqua Caſtra, Terras, & Civitates dicti Patriarchatus, quæ ad preſens tenentur, & poſſidentur per dictos Patriarchatum, Prælatos, Nobiles, & Communitates, & in futurum quovis modo acquirentur per eos; ac etiam ad defenſionem & offenſionem contra invadere volentes manu armata, vel alio modo inlicito & manifeſto, territorium dicti Patriarchatus. Et dictus Patriarcha, & ſucceſſores ſui in Patriarchatu, & Prælati, & ſucceſſores eorum, Nobiles, heredes, & ſucceſſores eorum, & Communitates dicti Patriarchatus, non faciant, nec poſſint facere pacem aut treguas de aliqua guerra, in qua noſtra Majeſtas, filii, & heredes, ac ſucceſſores noſtri, & Regnum noſtrum debeat eſſe, & fuerint cum eis, ſine conſenſu expreſſo noſtro, filiorum, heredum, & ſucceſſorum noſtrorum. Nos inſuper, filii, heredes, & ſucceſſores noſtri, & Regnum noſtrum, poſſimus, & poſſint & valeant facere pacem, aut treguas ſine conſenſu & voluntate dictorum Patriarchæ, & ſucceſſorum ſuorum, & dictorum Prælatorum, & ſucceſſorum ſuorum, Nobilium, heredum, ac ſucceſſorum ſuorum, & Communitatum prædictarum, dummodo noſtra

A Serenitas, filii, heredes, & ſucceſſores noſtri, & Regnum noſtrum, includant in pace, aut treguis dictum Patriarcham, & ſucceſſores ſuos, Prælatos, & Capitula, & ſucceſſores ſuos, Nobiles heredes, & ſucceſſores ſuos, & Communitates Patriarchatus, & Eccleſiam Aquilegienſem. Et in caſu prædicto noſtra Majeſtas, filii, & heredes, & ſucceſſores noſtri, & ipſum Regnum, non poſſint facere pacem, aut treguas ſine conſenſu & voluntate prædictorum, niſi reſtituantur in eo ſtatu, in quo erant tempore guerræ incœptæ. Et ſi prædictus Domnus Patriarcha, & ſucceſſores ſui, Nobiles, heredes, & ſucceſſores ſui, & Communitates prædictæ, durante dicta guerra acqui-
B ſiſſent aliquod, quod de jure ſpectaret & pertineret, ſeu retroactis temporibus pertinuiſſet ad Patriarchatum Aquilegienſem, quod illud acquiſitum tempore guerræ, per pacem, aut treguas finiendas per nos, filios, heredes, & ſucceſſores noſtros, & dictum Regnum, non teneatur reſtituere.

Quas quidem conventiones, & omnia ſupradicta vult, & decrevit noſtra Majeſtas, firmas eſſe ac duraturas uſque ad Annos quinquaginta proxime futuros. Nos Dei gratia Joannes Strigonienſis; Stephanus Colocenſis, Archiepiſcopi; Demetrius Zagobrientſis; Ladislaus Viſperamienſis; Michaël Agrienſis; Emericus Waldienſis; Petrus Faurienſis; & Dominicus Bor-
C zuinenſis, Eccleſiarum Epiſcopi, Prelati ſupradicti Regni; Nicolaus de Garta Palatinus; Ladislaus Wajola Tranſilvanus; Petrus Zudar Sclavonic; Joannes Treucel Zeuranenſis; Joannes Magzomenſis; Bauc Comes; Jacobus Judex Curiæ Regis; Gregorius Sebek Tavernicorum regalium; Gregorius Zudar Curiæ Regis, & Pincernarum; Paulus de Diſerleo Dapiferorum; Michaël Zudar Janitorum regalium, Magiſtri; Franco Comes Sopſomenſis, Joannes Oſcil Comes Zaugurienſis, & Tomelinus Comes de Sancto Georgio, Barones Regni, Hungariæ principaliores pro nobis, ſucceſſoribus, heredibus, & filiis noſtris, ac vice & nomine totius Regni Hungariæ, ſub fide noſtra, & cum obligationi-
D bus bonorum noſtrorum, & dicti Regni, jurantes corporaliter ad ſancta Dei Evangelia, promittimus, & nos, ſucceſſores, heredes, & filios noſtros, & dictum Regnum, ac bona noſtra, ſuceſſorum noſtrorum, heredum, ac filiorum, & Regni prædicti, obligamus fideliter attendere, obſervare, & in omnibus adimplere protectionem, & omnes conventiones factas, & promiſſas ſuperius per glorioſiſſimum & invictiſſimum Dominum noſtrum Dominum Ludovicum excellentiſſimum Regem Hungariæ, &c. Reverendo in Chriſto Patri Domno Marquardo, Dei gratiâ ſanctæ Sedis Aquilegienſis Patriarchæ, & ipſius ſucceſſoribus, Prælatis, & Capitulis Patriarchatus Aquilegienſis, & eorum
E ſucceſſoribus, Nobilibus Fori Julii, heredibus, & ſucceſſoribus eorum, nec non Communitatibus Patriarchatus Aquilegienſis. Et ea omnia durante termino, in ipſis protectione, & conventionibus per ipſum Dominum noſtrum Regem appoſito, rata & grata habere, & inviolabiliter obſervare, jure ſupradictarum Literarum dicti Domini Regis, continentiâ & tenore. Præſentes etenim ipſius Domini Regis, & noſtras Literas, ſigillis ipſius Domini Regis, ac noſtris communitas damus in teſtimonium præmiſſorum.

Datum in Wiſegrad, die XXI. menſis Junii, Anno Domini MCCCLXXVI.

Literæ

Literæ Apoſtolicæ Urbani Papæ VI. de adminiſtratione Aquilejenſis Eccleſiæ conlatâ Philippo de Alenconio Cardinali, exhibitæ Capitulo, & Canonicis Aquilejenſibus, Anno Chriſti 1381.

Ex membranâ exiſtente penes Patrem Agricolam Agricola, Presbyterum Oratorii Utinenſis.

A *IN Chriſti nomine, Amen. Anno Nativitatis ejuſdem MCCCLXXXI. Indictione IV. die III. Menſis Auguſti. Actum in Terra Sacilli, Aquilejenſis diœceſis in Sacriſtia Eccleſiæ ſeu Plebis Sancti Nicolai. Præſentibus nobilibus & potentibus viris Dominis Andrea Milite Marchione de Cavalcabobus de Cremona Legum Doctore, ac Jacomutio & Johanne Furlano Comitibus de Porcileis, & Zifriolino della Turre, teſtibus, & aliis pluribus ad infraſcripta vocatis ſpecialiter & rogatis. Ibique convocato & congregato Capitulo Eccleſiæ Aquilejenſis, die & loco ſupraſcriptis, de mane poſt Miſſam, per venerabiles viros Dominos Federi-* B *cum Comitem de Porcileis, Johannem juniorem della Turre, & Ottobonum de Ceneta, dictæ Aquilejenſis Eccleſiæ Canonicos, habentes facultatem, commiſſionem, & poteſtatem ipſum Capitulum convocandi & congregandi pro infraſcriptis agendis & expediendis, a venerabili viro Domino Johanne de Spintellis de Civitate Belluni Vice-Decano, Canonicis, & Capitulo Aquilejenſi, prout de prædicta facultatis, commiſſionis, & poteſtatis conceſſione conſtat publico inſtrumento, ſcripto manu Johannis Lancellotti de Cucanea Notarii Clerici Aquilejenſis diœceſis, ſub inſtantibus Milleſimo & Indictione, die verò penultimo Menſis Julii, a me Alexandro Notario infraſcripto viſo & lecto.* C *In quo quidem Capitulo interfuerunt venerabiles viri Domini Federicus, Johannes, & Ottobonus ſupradicti, & Johannes Senior quondam Domini Phœbuſini della Turre, Thomaſinus de Pontirolis de Forlivio, Odoricus de Ragonea, Antonius de Ronchonis, & Johannes, ambo de Utino, Bartholomæus de Bobio, & Onuphrius de Zantis de Regio, Eccleſiæ Aquilejenſis Canonici præbendati, & ad Capitulum, ut præmittitur, vocati & congregati, pro ut ibidem omnes & ſinguli ſupradicti ſe ad Capitulum vocatos ad diem, locum, & horam præſentes publice dixerunt & confeſſi fuerunt. Coram præ-* D *dictis Dominis Canonicis & Capitulo, ut præmittitur, capitulariter congregatis, comparuit venerabilis vir Magiſter Hugo de Hunorſt, in artibus Magiſter, & Baccalaureus in Theologia, Decanus Eccleſiæ Sanctorum Apoſtolorum Colonienſis, Procurator, & procuratorio nomine Reverendiſſimi in Chriſto patris & ſereniſſimi Principis Domini Philippi de Alenconio, miſeratione divina, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Sabinenſis Epiſcopi Cardinalis, Eccleſiæ Patriarchalis Aquilejenſis tam in ſpiritualibus, quàm in temporalibus adminiſtratoris per ſanctiſſimum in Chriſto Patrem & Dominum noſtrum, Dominum Urbanum, divinâ providentiâ Papam* E *VI. deputati, & commiſſionem plenæ adminiſtrationis habentis. Habens idem Dominus Hugo ad infraſcripta, & nonnulla alia plenum, legitimum & ſufficiens mandatum, prout de dicto mandato, ſive procuratorio conſtat publico inſtrumento ſuperinde confecto, ſcripto manu Ægidii de Doullie de Rotomago, publici Apoſtolica & Imperiali auctoritate Notarii in MCCCLXXXI. Indictione IV. die II. Menſis Maji, Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri, Domini Urbani divinâ providentiâ Papæ Sexti Anno IV. a me Notario viſo & lecto, eiſdem Dominis Canonicis & Capitulo exhibuit & præſentavit Literas Apoſtolicas ſupradicti Domini noſtri Papæ, integras & illæſas, non abraſas vel cancellatas, neque corruptas, vel in aliqua earum parte ſuſpectas, ſed omni prorſus vitio & ſuſpicione carentes, ipſius Domini noſtri Papæ verâ Bullâ plumbeâ ad chordulam canapis pendente more Romanæ Curiæ bullatas, ſuper commiſſione adminiſtrationis præfatæ Patriarchalis Eccleſiæ Aquilejenſis confectas. Quarum Literarum tenor de verbo ad verbum ſequitur, & eſt talis.*

„ *URbanus Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri Philippo Epiſcopo Sabinenſi, Adminiſtratori in ſpiritualibus & temporalibus Eccleſiæ Aquilejenſis per Sedem Apoſtolicam deputato, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Regimini univerſalis Eccleſiæ quamquam inſufficientibus meritis, diſponente Domino, præſidentes, de univerſis Orbis Eccleſiis, ac ipſarum Paſtoribus, pro earum ſtatu ſalubriter dirigendo, ſolicite, quantùm nobis ex alto conceditur, cogitamus. Sed illa propenſius ſolicitudo nos urget, ut Eccleſiis illis, quæ ſunt ſuis deſtitutæ Paſtoribus, ne Eccleſiæ ipſæ in ſpiritualibus & temporalibus detrimenta ſuſtineant, de ſalubri remedio, pro ut ipſarum Eccleſiarum neceſſitas & temporum qualitas exigunt, conſulamus. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Marquardo Patriarchâ Aquilejenſi regimini Aquilejenſis Eccleſiæ præſidente, nos cupientes eidem Eccleſiæ quum eamdem vacare contingeret, per Apoſtolicæ Sedis providentiam, utilem & idoneam præeſſe perſonam, proviſionem ejuſdem Eccleſiæ ordinationi & diſpoſitioni noſtræ eâ vice duximus ſpecialiter reſervandam, decernendo ex tunc irritum & inane, ſi ſecus ſuper his per quoſcumque quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contingeret attentari. Poſtmodum verò eadem Eccleſia per ipſius Marquardi Patriarchæ obitum, qui extra Reverendam Curiam debitum naturæ perſolvit, vacante, Nos ex certis rationabilibus cauſſis, ad id noſtrum moventibus animum, Eccleſiam ipſam ad manus noſtras duximus retinendam, donec de ipſa duceremus aliter ordinandum. Volentes igitur dictæ Eccleſiæ de Gubernatore ſecundùm cor noſtrum utili & idoneo, per quem Eccleſia ipſa utiliter regi & ſalubriter gubernari valeat, providere, ac ſperantes, quod Tu eidem Eccleſiæ eſſe poteris admodum utilis, & multipliciter fru-*

„ fructuoſus , ipſamque Eccleſiam ſcies & po-
„ teris a perverſorum conatibus viriliter defen-
„ ſare , Te Adminiſtratorem ejuſdem Eccleſiæ
„ ſic vacantis , ac omnium jurium & pertinen-
„ tiarum ipſius uſque ad noſtrum beneplacitum
„ tam in ſpiritualibus quàm in temporalibus ,
„ de fratrum noſtrorum conſilio , auctoritate
„ Apoſtolicâ conſtituimus , & etiam deputamus ,
„ curam , regimen , gubernationem , & admini-
„ ſtrationem plenam & liberam ejuſdem Aquile-
„ jenſis Eccleſiæ Tibi in eiſdem ſpiritualibus &
„ temporalibus plenarie committentes , aliena-
„ tionem tamen bonorum immobilium & præci-
„ ſorum mobilium ipſius Eccleſiæ tibi penitus
„ interdictam . Volumus autem quod (debitis ,
„ conſuetiſque ipſius Eccleſiæ oneribus ſuppor-
„ tatis) de reſiduis fructibus , redditibus , & pro-
„ ventibus , ad menſam Patriarchalem Aquile-
„ jenſem ſpectantibus, hujuſmodi beneplacito du-
„ rante , libere diſponere valeas , ſicuti de illis
„ Patriarchæ Aquilejenſes , qui fuerunt pro
„ tempore diſponere potuerunt , ſeu etiam debue-
„ runt . Quocirca Fraternitati tuæ per Apoſto-
„ lica ſcripta mandamus , quatenus curam , re-
„ gimen , gubernationem , & adminiſtrationem
„ prædictam (durante hujuſmodi beneplacito)
„ per Te , vel alium , ſeu alios ſic geras ſolici-
A „ te , fideliter , & prudenter , quod Aquilejen-
„ ſis Eccleſia utili & fructuoſo Gubernatori
„ gaudeat ſe commiſſam , Tuque præter retri-
„ butionis æternæ præmium , & humanæ lau-
„ dis præconium , quod proinde mereberis , no-
„ ſtram , & dictæ Sedis benedictionem & gra-
„ tiam uberius exinde conſequi merearis .
„ Datum Romæ apud Sanctum Petrum ,
„ Quarto Idus Februarii , Pontificatus noſtri
„ Anno Tertio .

Quas quidem Literas Apoſtolicas præfati Domini Canonici & Capitulum reverenter & humiliter receperunt , offerentes ſe mandatis Apoſtolicis in omnibus, in quibus poterunt , reverenter & humiliter parituros .

B Et ego Alexander natus Ser Bartholomæi Notarii de Ceneta , publicus Apoſtolica & Imperiali auctoritate Notarius , ſupraſcriptis Literarum Apoſtolicarum præſentationi & receptioni , aliiſque omnibus & ſingulis ſupraſcriptis , dum , ut præmittitur , agerentur & fierent, una cum prænominatis teſtibus præſens fui , & requiſitus propria manu ſcripſi , & in hanc publicam formam redegi , meumque ſignum conſuetum & nomen appoſui in fidem & teſtimonium omnium præmiſſorum .

Conſilia ac deliberationes Communis Civitatenſis favore Philippi de Alenconio Patriarchæ Aquilejenſis adversùs Utinenſes & confœderatos, eidem Philippo obedire nolentes. Anno Chriſti 1382.

Ex MSto Codice Definitionum Communis Civitatenſis .

C *MCCCLXXXII. Die Veneris VII. Februarii, in Civitate Auſtriæ, in ſtupha Conſilii , in pleno Conſilio juxta morem . Super eo , quod Dominus noſter Dominus Philippus de Alenconio Epiſcopus Sabinenſis, Cardinalis , & Patriarcha Aquilejenſis petiit ſibi conſilium dari per Commune Civitatenſe de modo tenendo & viâ , per quam contra Utinenſes & Colligatos , ſibi recuſantes obedire tamquam eorum proprio Domino , ut debent , & tenentur : idem Dominus noſter debeat ambulare, poſtquam manſuetudines in reducendo illos ad debitam obedientiam nullatenus proficiunt ; deliberatum & definitum fuit , quod idem Dominus noſter ex parte Communis conſulatur , quod ipſe ſupplicet Domino noſtro Papæ , ut contra ipſos* D *Utinenſes , & alios recuſantes obedire præfato Domino noſtro Patriarchæ & Cardinali , mittat proceſſus ſuos gravatos , ſicut Curia Romana ſciverit gravare ; & quod etiam ipſe Dominus noſter Cardinalis & Patriarcha petat , & inducat Prælatos , Nobiles , & Communitates , qui ſunt ſibi audientes in præſenti , ut ad ipſum Dominum noſtrum Papam ſuper hoc mittant Nuntios ſuos . Et quod Communitas facere intendit & vult libenter ex latere ſuo quod poteſt. Et quod idem Dominus noſter utatur proceſſibus Papalibus , & etiam guerrâ utrimque , ſi fuerit opportunum . Verùm antequam ad guerram procedat , poſſe ſuum , & quantum poteſt , inqui-* E *rat diligenter tam a ſuis fidelibus quàm ab amicis , quo ſuo poſſe tunc penſato tunc novum factum , novum conſilium . Præterea dicatur etiam ipſi Domino Patriarchæ , ut factum ſuum oſtendat aliis ſuis fidelibus , & conſilium petat ab eis , ſicut petiit a Communi , de via , & modo tenendo contra ipſos Utinenſes . Præterea deliberatum fuit , quod ſi Dominus noſter prædictus peteret, cum quanto ſibi velit in guerra ſervire, ſuper hoc fiet generalis reſponſio & non ſpecialis . Et quod interim illi Deputati inquirant cum quanto Commune poteſt ſervire , & tunc relationem dent in Conſilio ſuo facto , novum conſilium &c.*

Anno Domini MCCCLXXXII. die Jovis XIII. Menſis Februarii , in pleno Conſilio poſt prandium , definitum fuit , quod ex parte Communis Domino noſtro conſulatur . Primo ſuper eo, quod Dominus requiſivit, utrum debeat proponi in Parlamento de facienda unione inter fideles & ſubditos ſuos inſimul , & ſuper unione facienda cum aliquo Domino & amico , definitum fuit , quod dicatur Domino , quod aliqua Liga inter ſuos ſubditos & fideles non fiat de præſenti pro honore ſuo , & pro meliori , ſed bene debeat requirere fideles ſuos , ut iterum debeant ſibi præſtare fidelitatem . De facta, aut unione facienda cum aliquo extra Patriam, deliberatum fuit , quod dicatur Domino & conſulatur , ut debeat declarare cum quo debeat fieri iſta unio . Illâ declaratione facta , nova tunc fiat deliberatio . Secundo ſuper ambaſciata mittenda ad Dominum Papam in facto Domini . . . . & ſuper ambaſciata ad Dominum Ducem Auſtriæ in facto prorogandarum treguarum , definitum fuit , quod conſulatur . Et hæc non proponatur in Parlamento , ſed in Conſilio Parlamenti , & quod omnino dictæ ambaſciatæ mittantur . Præterea deliberatum fuit , quod de expenſis Ambaſciatorum cauſâ omnis Civitatis

vel

vel Civitatis non fiat aliqua difficultas. Tertio ſuper eo, ut deputentur per Parlamentum aliqui, qui habeant plenum arbitrium ſuper omnibus occurrentibus & tangentibus, ſtatutum & definitum fuit, quod conſulatur Domino noſtro, quod in Parlamento non proponat hujuſmodi deputationem, & quod hæc deputatio non fiat pro A *nunc, ſalvo ſi guerra eſſet penitus ventura, tunc poterit idem Dominus noſter convocare Parlamentum, & illud proponere. Ultimo, quod in Parlamento audiantur relationes Ambaſciatorum Domini Regis Hungariæ, & Dominæ Reginæ.*

Epiſtola Caroli III. Regis Siciliæ, quâ Cives & Commune Civitatis Utinenſis hortatur, ut obedientiam impendant Philippo de Alenconio Patriarchæ. Anno Ch. 1382.

Ex MSto Codice Communis Utinenſis.

Viri Nobiles, devoti cariſſimi. Reverend. in Chriſto patrem Dominum Patriarcham, Dei gratiâ Epiſcopum Sabinenſem, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalem, dictum de Langonio, conſanguineum noſtrum cariſſimum, ex dignis conſiderationibus proſequentes ſinceræ dilectionis affectu, adeo quod ipſius procuraremus honores & commoda, & evitaremus libenter quælibet noxia detrimenta, propterea devotionem veſtram requirimus & hortamur, quatenus (conſiderantes, quod obedientiæ virtus maximum donum conditionis humanæ deſcribitur, ſicut inobedientia ab omnibus deteſtatur) velitis a quibuslibet inobedientiæ & contradictionis actibus erga dictum Dominum Car- B *dinalem deſiſtere, & ſibi & Officialibus ſuis tamquam Domino Civitatis ipſius, ut ponitur in his, in quibus rationabiliter tenemini & debetis, intendere & obedire velitis, quum vobis id erit ad profectum & commodum, nobiſque ad ſpeciale obſequium adſcribemus.*

Datum Neapoli ſub annulo noſtro ſecreto, die XIV. Maji, Indictione V.

Poſt datum adjicimus, quod quidquid favoris & adſiſtentiæ, ſeu forſitan in contrarium per Vos eidem Domino Cardinali impenſum fuerit, nobis proprie reputabimus factum fore.

(a tergo.) *Nobilibus & prudentibus viris, Communi Civitatis Utinenſis, devotis noſtris cariſſimis, Karolus Rex Hieruſalem & Siciliæ.*

Epiſtola Populi & Communis Florentiæ, quâ hortatur Utinenſes, ut res & bona Johannis de Bardis Florentini ab Utinenſibus ablata & divendita, quòd partes Philippi de Alenconio ſequeretur, eidem Johanni reſtituant. Anno Ch. 1384.

Ex MSto Communis Utinenſis.

Amici cariſſimi. Jamdudum audivimus, vos malis, ut putamus, ſuggeſtionibus informati, propter diſcordiam, quam cum Reverendiſſimo patre noſtro, Domino de Alenconio Patriarcha Aquilejenſi &c. multa bona mobilia & immobilia Johannis olim Caſtronis de Bardis, dilectiſſimi Civis noſtri & fratrum, auctoritate publica diſtraxiſſe, ex eo quod prædicti Domini Patriarchæ fautoribus adhæret. Quo quidem audito ſumus multis reſpectibus admirati. Nam quod ipſe veſtrum Patrem & verum Antiſtitem ſequeretur, ſibi non C *debuit ad culpam vel aliquod facinus imputari. Placeat igitur, hujuſmodi bona tam ei, quàm fratribus, quæ ſine juſtâ cauſâ, ut videmus, ablata ſunt, quæ reperiuntur, facere reſtitui, & quæ conſumta forent, reſtauratione debitâ reſarciri. Nam quum dictus Johannes & fratres Cives noſtri ſint, non poſſemus eis in tam manifeſta injuria juſtitiæ debitum denegare.*

Datum Florentiæ die XVIII. Februarii, VI. Indictione MCCCLXXXIV. Priores Artium, & Vexillifer Juſtitiæ, Populi & Communis Florentiæ.

Charta procurationis Nobilium de Ragonea ad ſacramentum fidelitatis præſtandum Philippo de Alenconio Patriarchæ. Anno Ch. 1385.

Ex autographo Johannis Aylini de Maniaco.

DIe XIII. Menſis Auguſti. Præſentibus Nobilibus Dominis Johannino quondam Domini Nicoluſſii de Ragonea, Luchino quondam Domini Nibili de Maniaco, Bartholomæo quondam Ser Thomaſii de Forgaria, Andrea dicto Andreino quondam Domini Floriti de Oſopio, Utini habitante, Johanne quondam Petri de Portu Naonis, Joſepho quondam Pellegrini de Tulmetio, teſtibus, & aliis pluribus; Nobiles Domini Zuttus quondam Domini Jacomuccii, Candidus quondam Domini Antii, Leonardus quondam Domini Nichili Prividucii, & Nicolaus Barboſſus quondam Ser Johannuti de Ragonea, omnibus modis, via, jure & formâ, quibus melius & efficacius potuerunt, fecerunt & conſtituerunt, creaverunt & ordinaverunt Dominum Luſſium filium prædicti Ser Leonardi, ibidem præſentem, & hoc mandatum ſponte in ſe ſuſcipientem, eorum certum Nuntium, actorem, factorem, ſyndicum & Procuratorem legitimum, pro ut melius & utilius de jure dici debet & poteſt, ad promittendum cum ſacramento, promiſſionibus, clauſulis, & ſolemnitatibus quibuſcumque opportunis obedientiam, & debitam fidelitatem Reverendiſſimo in Chriſto patri, ac ſereniſſimo Principi & Domino, Domino Philippo de Alenconio, divina miſeratione Epiſcopo Sabinenſi, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinali, ſanctæque Sedis Aquilejenſis Eccleſiæ Patriarchæ digniſſimo. Et ad promittendum nominibus, ut ſupra, facere & exhibere præfato Domino noſtro, Domino Cardinali & Patriarchæ honores debitos & reverentias, pro ut ſolitum eſt fieri & exhiberi anterioribus Aquilejenſis Eccleſiæ Patriarchis, & pro ut & ſicut præfati conſtituentes obedire, facere & exhibere tenentur & debent. Item ad conſentiendum, firmandum, ratificandum, & approbandum, ſic & in quantum continet, ſeu continere poſſit præfatos, conſtituentes prædictos in omnibus & per totum, & in qualibet ſui parte ſententiam arbitrariam, latam & promulgatam per magnificum, illuſtrem, & excelſum Dominum, Dominum Franciſcum de Carraria, Paduæ, Tarviſii &c. Dominum generalem, tamquam arbitrum, arbitratorem, & amicabilem compoſitorem, & concordialem amicum aſſumtum per partes inter præfatum Reverendiſſimum in Chriſto patrem, & ſereniſſimum Principem, & Dominum Cardinalem & Patriarcham prædictum, & Civitatem pro ſe & ſuis fidelibus, ſeu ipſius Domini noſtri Cardinalis & Patriarchæ Syndicos & Procuratores ex parte una, & Utinenſes & eorum Collegatos, ſeu ipſorum Utinenſium & Collegatorum ſuorum Syndicos, Nuntios, & Procuratores parte ex altera, die Dominico ultimo Menſis Julii, proxime præteriti, ſub Anno & Indictione prædictis, cum omnibus promiſſionibus bonorum ipſorum conſtituentium, & Communitatis prædictæ obligationibus, pœnarum adjectionibus, clauſulis, capitulis, particulis, & juris & facti ſolemnitabus quibuſcumque ad hoc neceſſariis & opportunis. Et ad recipiendum, ſic & in quantum fuerit expediens, & dicto Procuratori viſum fuerit expedire, promiſſionem a prædicto Domino noſtro Cardinali & Patriarcha, quod ſervabit præfatos conſtituentes in ſuis juribus & conſuetudinibus, in quibus ceteri Domini Patriarchæ prædeceſſores ſui eoſdem conſtituentes conſervare conſueverint. Et generaliter ad faciendum omnia & ſingula, quæ prædicti conſtituentes facere poſſent, ſi præſentialiter intereſſent, & quæ in præmiſſis & circa præmiſſa viſa fuerint utilia, neceſſaria, ſeu quomodolibet opportuna. Dantes de præſenti dicti conſtituentes anteſcripto Syndico & Procuratori plenum & generale mandatum, plenam, liberam, & generalem adminiſtrationem cum plenaria poteſtate in omnibus & ſingulis ſupradictis adhærentibus, emergentibus, dependentibus, & connexis. Promittentes mihi Notario infraſcripto, tamquam publicæ perſonæ ſtipulanti & recipienti &c. vel poſſit intereſſe ad præſens & quomodolibet in futurum, ratum & gratum habere, tenere, adimplere, & obſervare omne totum & quidquid per ipſum Syndicum & Procuratorem in præmiſſis & circa præmiſſa, ac in dependentibus & connexis ab eodem actum fuerit, vel quomodolibet procuratum tam in damno quàm in lucro, ad hoc obligantes omnia ſua bona præſentia & futura.

Actum in Burgo Caſtri Ragoneæ in Platea.

Philippus

Philippus de Alenconio Patriarcha Aquilejenſis concedit in feudum Oſcalco de Pulcinico quoſdam Manſos ſeu fundos emphyteuticos in Villa Fannæ, ablatos Balthaſſari de Maniaco, rebelli ſuo. Anno Chriſti 1386.

PHilippus de Alenconio, miſeratione divina Epiſcopus Sabinenſis, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, Patriarcha Aquilejenſis, Nobili Oſcalco, nato nobilis Andreæ de Pulcinico, fideli noſtro dilecto ſalutem & gratiam noſtram. Attendentes grata & laudabilia ſervitia, quæ progenitores tui temporibus retroactis, & Tu etiam Prædeceſſoribus noſtris Patriarchis, ac Nobis, & Eccleſiæ noſtræ Aquilejenſi impendiſtis, & quæ per te & ſucceſſores tuos nobis, & ipſi Eccleſiæ, ac Succeſſoribus noſtris impendi ſperamus in futurum, inducimur, ut tibi reddamur in exhibitione gratiæ liberales. Sane rebellantibus nobis Utinenſibus cum eorum complicibus & ſequacibus, ac nobis obedientiam recuſantibus, contra eorum fidem & proprium juramentum de fidelitate & obedientia nobis . . . . eos, qui omnes Vaſſalli ipſius noſtræ Eccleſiæ exiſtunt obſervandis temere veniendo poſt debitam admonitionem antea per nos factam, quia in eorum malitiâ & obſtinatiâ permanebant, prout adhuc permanent, certos proceſſus noſtros contra omnes & ſingulos ſic nobis rebellantes & inobedientes poſt maturam deliberationem duximus promulgandos, per quos omnes & ſingulos hujuſmodi nobis rebellantes & inobedientes, eorumque complices, ſequaces, fautores, & auxiliatores, ultra alias pœnas in ipſis noſtris proceſſibus contentas, omnibus & ſingulis Feudis, habitantiis, miniſteriis, bonis, prærogativis, honoribus, & officiis, in quibuſcumque rebus conſiſtant, & quocumque nomine cenſeantur, quæ a nobis, & Prædeceſſoribus noſtris, ac Aquilejenſi Eccleſia noſtra prædicta obtinebant, ipſo jure fore privatos declaravimus & privavimus eiſdem, prout hæc, & alia in ipſis noſtris proceſſibus latius continentur. Quum itaque, ſicut accepimus, Balthaſſarius de Maniaco, qui cum ipſis noſtris rebellibus ſe colligavit, & nobis etiam rebellavit, ab ipſa noſtra Eccleſia & Prædeceſſoribus noſtris tam ex ſe, quàm ex ſucceſſione Gaſparis fratris ſui in Villa de Fanna, & intra territorium dictæ Villæ, Manſos infraſcriptos, videlicet unum manſum, rectum per Nuncium Jacobi de Marcheta, item unum manſum, rectum per heredes Jacobi de Marcheta, item unum manſum, rectum per Periſinum, item unum manſum, rectum per Pantha, item unum manſum, rectum per Nicolaum del Bon, item unum manſum, rectum per Zanonem, item unum manſum, rectum per Laurentium de la Anglata, item unum manſum, rectum per Bortholuſſium Johannis Deſder, & quædam alia Livella & territoria, ſita in dicta Villa de Fanna, in feudum teneret, ex quibus per proceſſus noſtros hujuſmodi propter ejus rebellionem & felloniam privatus exſtitit, & ad ipſa obtinenda in poſterum ſe reddidit inhabilem & indignum: Nos præmiſſorum gratorum ſervitiorum & meritorum tuorum intuitu volentes tibi gratiam facere ſpecialem, hujuſmodi Manſos, ſuperius declaratos, cum livellis & territoriis quibuſcumque, quæ idem Balthaſſarius intra territorium Villæ de Fanna ab ipſa noſtra Eccleſia tam ex ſe, quàm ex ſucceſſione dicti Fratris ſui quovis modo obtinebat, de quibus privatus exſtitit, ut præfertur, Tibi pro te & heredibus tuis, a te ex recta linea in maſculo ſexu deſcendentibus, donamus & concedimus in Feudum, ac Te pro te, & heredibus tuis, ut præfertur, per fimbriam veſtimenti noſtri inveſtimus præſentialiter de eiſdem cum ſuis juribus, & pertinentiis univerſis, noſtro & Eccleſiæ noſtræ prædictæ jure in omnibus ſemper ſalvo. Dantes tibi & concedentes tenore præſentium, licentiam, auctoritatem, & poteſtatem hujuſmodi Manſos, livella, & territoria intrandi, & eorum poſſeſſionem & tenutam adipiſcendi & conſervandi, recognoſcendique & gubernandi, ac in feudum ab Eccleſia noſtra prædicta, & nobis, ac Succeſſoribus noſtris tenendi, & de ipſis omnimodam tuam voluntatem, abſque tamen alienatione ipſorum, a nobis, & Eccleſia, ac Succeſſoribus prædictis faciendâ; ita tamen quod ſervitia, aut Cenſus, quæ aut qui pro ipſis Manſis & territoriis, nobis & Eccleſiæ noſtræ debentur, facere & ſolvere teneantur, prout hoc per fidem tuam facere promiſiſti. Quum verò de fidelitate & obedientia, quas Vaſſallus Domino ſuo facere tenetur, nobis præſtitiſti debitum ſacramentum, idcirco univerſis & ſingulis Maſſariis, colonis, & inquilinis dictorum Manſorum & territorii, ac omnibus aliis & ſingulis, quorum intereſt, præcipimus & mandamus, quatenus de fructibus, cenſibus, reditibus, & proventibus Manſorum & territorii hujuſmodi Tibi, & a te deputato, ac tuis heredibus, ut præfertur, reſpondeantur integraliter & complete, harum ſub noſtri appenſione ſigilli teſtimonio Literarum.

Datum Montisſilicis Paduanæ diœceſis, die V. Februarii, Anno Domini Milleſimo Trecenteſimo Octuageſimo Sexto, Indictione IX.

Charta Induciarum inter Franciſcum de Carraria, ejuſque Confœderatos, & Civitatenſes ex una parte, & Nobiles de Pertiſtagno ac de Atens ſuperiori ex altera. Anno Ch. 1388.

Ex apographo authentico penes Patrem Agricolam Agricola, Presbyterum Oratorii Utinenſis.

NOs Bartholomæus de Zambonis, gentium Magnifici & excelſi Domini mei, Domini Franciſci de Carraria, Paduæ &c. in Foro Julio exiſtentium Capitaneus generalis, Leo de Turrino Licentiatus in jure civili, Gaſtaldio, Proviſores, & Conſilium de Civitate Auſtriæ, notum facimus univerſis, has literas inſpecturis, quod quum honorabilis vir Brunettus de Parma, habitans Savorgnani, nomine & vice Magnifici & excelſi Domini, Domini Franciſci de Carraria ſupradicti, nec non vice, & nomine omnium & ſingulorum eiuſdem Magnifici Domini Colligatorum & adhærentium, treguas feciſſent Nobilibus Viris Brunetto, Fr ſco, & Simone de Pertiſtagno, Petro Domini Benedicti, & Nicolao Domini Andreæ de Atens ſuperiori, pro eis, eorum conſortibus, ſubditis & ſervitoribus, in prædictis locis de Atens & de Pertiſtagno habitantibus uſque ad primam diem proxime futuri Menſis Julii incluſive, firmiter duraturas. Et verſa vice prædicti Nobiles Brunettus, Freſcus, & Simon de Pertiſtagno, Petrus & Nicolaus de Atens ſuperiori, per eos, eorumque Conſortes, habitantes in præfatis locis de Atens ſuperiori & de Pertiſtagno, & per eorum ſervitores & ſubditos quoſcumque, ſimiliter treguas feciſſent honorabili viro Brunetto de Parma, recipienti nomine & vice ipſius Magnifici Domini, ejuſque quorumcumque adhærentium & colligatorum uſque ad ipſam primam diem proxime futuri Menſis Julii incluſive duraturas, conventionibus & pactis ſub his, videlicet. Quod non receptent, nec debeant receptare ipſi Nobiles Brunettus, Freſcus, & Simon de Pertiſtagno, Petrus & Nicolaus de Atens ſuperiori, eorumque conſortes prædicti, eiſdem treguis durantibus, aliquas perſonas in loca & in domos eorum, ubi ipſi Nobiles habent poteſtatem, quæ damnificent aliquas gentes præfati Magnifici Domini, Communitatis Civitatis Auſtriæ, & quorumcumque adhærentium & colligatorum, ſeu colligatos & adhærentes ejuſdem Magnifici Domini, & Communitatis Civitatis Auſtriæ prædictæ. Et quod ipſi omnes & ſinguli adhærentes & colligati ipſius Magnifici Domini, & Communitatis prædictæ Civitatis Auſtriæ, ſuorumque Collegatorum & adhærentium ab eiſdem Nobilibus, ſuiſque conſortibus ſupradictis de Pertiſtagno, & de Atens ſuperiori, & a ſuis ſubditis & ſervitoribus, in perſonis & bonis debeant, ipſis treguis durantibus, tuti eſſe & ſecuri. Verſa vice præfati Nobiles Brunettus, Freſcus, & Simon de Pertiſtagno, Petrus & Nicolaus de Atens ſuperiori, eorumque conſortes in præfatis locis de Atens ſuperiori & de Pertiſtagno commorantes, & ipſorum ſervitores & ſubditi a gentibus ejuſdem Magnifici Domini, Communitatis Civitatis A Auſtriæ prædictæ, & ſuorum collegatorum & adhærentium, & ab ipſis collegatis & adhærentibus debeant, ipſarum termino treguarum durante, ſimiliter tuti eſſe. Item quod ſi caſus daret, videlicet quod unus & plures de gentibus ejuſdem Magnifici Domini, Communitatis Civitatis Auſtriæ prædictæ, & quorumlibet ſuorum adhærentium & colligatorum, & etiam aliqui ex colligatis & adhærentibus prædictis, fortè fortunâ ſiniſtrante, fugarentur per aliquos æmulos, ſeu per aliquas gentes aliquorum æmulorum præfati Magnifici Domini & Communitatis prædictæ Civitatis Auſtriæ, & ſe ad loca, & in domos præfatorum Nobilium de Pertiſtagno, & de Atens ſuperiori vellent B reducere, illum & illos tunc teneantur & debeant præfati Nobiles de Pertiſtagno, & de Atens ſuperiori ad loca & ad domum eorum acceptare ſemel & pluries, quoties fuerit opportunum, ita quod tuti & indemnes permaneant ipſi receptati & exiſtentes in fugâ, totis ipſorum Nobilium de Pertiſtagno & de Atens ſuperiori viribus atque poſſe. Item quod ipſi Nobiles, eorumque conſortes, ſervitores, ſubditi, familiares, Maſſarii, & mulieres non vadant, nec tranſeant, ipſis treguis durantibus, hos terminos & confines. Versùs partes ſuperiores de Sclavons ultra Natiſſam versùs Tulminum, nec versùs Deraut, & Maſarvalis ultra Crucem, & a Cruce de Guaſa, & versùs Civitatem C Auſtriæ versùs Campileum & Lacaſſinam, & Rivum Hilari, nec ultra Eccleſiam Sancti Donati versùs Civitatem Auſtriæ, nec ultra Villam de Gruyatto versùs eamdem Civitatem Auſtriæ, nec versùs Utinum tranſire alveum Turris Savorgnanum infra, deſuper verò Savorgnanum tranſire valeant Turrim, eundo Glemonam, & versùs Venzonum. Salvo tamen quod ipſorum Nobilium mulieres ire valeant, quò volunt, non portantes victualia maritis, cum hoc tamen, quod ipſæ eorum mulieres portare poſſint Utinum ferrum, paleas, carbones, & corticem piſtam, & de Utino referre poſſint ipſæ mulieres quæcumque victualia ad Pertiſtagnum & ad Atens ſuperius. Nos itaque Capitaneus, Gaſtaldio, Proviſores, Conſilium, & Commune D prædicti attendentes & conſiderantes treguas ipſas factas fore bono zelo, eaſdem treguas tenore præſentium approbamus & firmamus. Promittentes eaſdem treguas per nos & noſtros firmiter obſervare, nolentes ipſos Nobiles, eorumque ſervitores, famulos, & ſubditos alicubi ultra confines & terminos ſupraſcriptos tutos fore; harum, quas fieri juſſimus, ſub noſtrorum impreſſione ſigillorum teſtimonio literarum.

Datum in Civitate Auſtriæ die XXVIII. Menſis Aprilis ſub Anno Domini MCCCLXXXVIII. Indictione XI.

Charta pactorum & conventionum concordiæ initæ inter Johannem Patriarcham Aquilejæ & Utinenſes. Anno Chriſti 1389.

Ex authentico apographo apud Patrem Agricolam.

A

IN Chriſti nomine. Amen. Anno Nativitatis ejuſdem MCCCLXXXIX. Indictione XII. die X. Menſis Martii. Infraſcripta ſunt pacta & conventiones tractata & concluſa per generoſum Militem Dominum Gabrielem Aymo, inclitæ Ducalis Dominationis Venetiarum ſolemnem Ambaſciatorem ad Reverendiſſimum in Chriſto Patrem & Dominum, Dominum Johannem, Dei gratiâ ſanctæ Sedis Aquilejenſis digniſſimum Patriarcham, & ad Patriam Fori Julii, ſuper differentiis & controverſiis, quæ erant inter præfatum Reverendiſſimum Dominum Patriarcham ex una parte, & Communitatem Terræ ſuæ Utini per ſe & convicinos ſuos ex parte altera, prout per infraſcripta capitula evidenter continetur.

B

Primo, quod dicti Cives, ſeu Syndici Communitatis Terræ Utini, per ſe & convicinos ſuos veniant ad præſentiam præfati Reverendiſſimi Domini Patriarchæ. Ubi flexis genibus poſtulent & requirant veniam & remiſſionem, ſi contra Paternitatem ſuam & honorem fecerunt, commiſerunt, aut tractaverunt aliquid dicto vel facto, per quod putet ſe injuriatum, aut ſervitores ſuos ullo modo, forma, vel ingenio uſque in præſentem diem. Et factâ dictâ reverentiâ & ſupplicatione per dictos Cives ſeu Syndicos nomine dictæ Communitatis Utini, ex tunc ipſe Reverendiſſimus Dominus Patriarcha remittat dictæ ſuæ Communitati Utini, ac C *convicinis ſuis omnem injuriam & offenſionem, in quibus & de quibus ipſe reputat ſe injuriatum quomodocumque uſque in præſentem diem tam in ſe, quàm in ſervitores ſuos.*

Quod, quum Communitas Terræ ſuæ Utini tam pro ſe, quàm pro convicinis ſuis ſupplicaverit ſupradicto Reverendiſſimo Domino Patriarchæ, Paternitas ſua dignetur fieri facere jus & juſtitiam contra & adversùs omnes & ſingulos, quibuſcumque nominibus nuncupentur, qui fuerunt & erant in Societate, aut dederunt auxilium, conſilium, & favorem tempore perpetrationis homicidii commiſſi ita vituperoſe, crudeliter, & enormè in perſonam egregii & ſtrenui Militis Domini Federici de Savorgnano D *in Utino. Ad quam petitionem reſpondetur per præfatum Dominum Patriarcham, quod in hoc & circa hoc ex defectu & culpâ eorum petitio hujuſmodi non eſt audienda. Sed quum ſereniſſima & excelſa Dominatio Venetiarum requiſierit præfatum Dominum Patriarcham, quod de morte prælibati Domini Federici, civis ſui dilectiſſimi, placeat ſuæ reverendiſſimæ Paternitati fieri facere jus & juſtitiam plenariam contra omnes & ſingulos culpabiles dictæ mortis & exceſſus, reſpondet idem Dominus Patriarcha, & ſic promittit, quod ob reverentiam & amorem ſinceriſſimum, quem Ducalis Dominatio Venetiarum gerit ſuæ Paternitati, paratus eſt facere jus & juſtitiam contra prædictos homicidas,* E *quemlibet eorum, & mandare ſuo Mareſchalco aut Vicegerenti, aut aliis Officialibus ſuis, quod contra omnes & ſingulos culpabiles procedant, ſecundùm juſtitiæ debitum, & conſuetudines Patriæ Fori Julii.*

Quod, quum idem Dominus Patriarcha teneat Caſtrum Savorgnani, & certa alia bona præfati olim Domini Federici, & conſortum ſuorum convicinorum dictæ Communitatis, quæ nunc ſpectant heredibus & filiis antedicti Domini Federici, & conſortibus ſuis, ſupplicetur reverenter, & devote ex parte dictæ Communitatis prædicto Reverendiſſimo Domino Patriarchæ, quatenus Paternitas ſua dignetur reſtituere præfatum Caſtrum Savorgnani, & omnia alia bona ei pertinentia & ſpectantia, quæ per omnem modum tenet, præfatis heredibus & conſortibus olim dicti Federici. Ad quam verò ſupplicationem idem Reverendiſſimus Dominus Patriarcha reſpondet, quod paratus eſt ob reverentiam & contemplationem Ducalis Dominii Venetiarum, quod ſuper hoc Paternitatem ſuam rogavit, reſtituere heredibus præfatis & conſortibus olim dicti Domini Federici Caſtrum Savorgnani cum omnibus pertinentiis ſuis, & omnibus bonis dicto Caſtro ſpectantibus, & omnia alia bona ſua, & ipſos heredes inveſtire de novo de feudis bonorum de Sacillo. Verùm ad factum Galayti de Venzono contentatur ſimiliter reſtituere heredibus quondam Domini Federici, reſervato tamen jure ipſius Galayti ſuæ Paternitati, & unicuique alteri perſonæ, habenti jus in ipſo Galayto. Quod jus, quandocumque cognoſcatur, cognoſci debeat per laudum & ſententiam, & ſecundùm conſuetudines Patriæ Fori Julii. Dummodo præfati heredes & conſortes quondam Domini Federici faciant promiſſionem Reverendo Patri Domino Fratri Auguſtino Ordinis Eremitarum, Electo Concordienſi, & provido viro Ser Johanni Antonio de Civitate Auſtriæ de Ducatis duobus millibus auri, quos idem Reverendiſſimus Dominus Patriarcha expendidit pro recuperatione dicti Caſtri Savorgnani, vel dent bonas & ſufficientes fidejuſſiones præfatis Dominis Electo Concordienſi & Johanni Antonio, de ſolvendo dictos duo mille Ducatos in infraſcriptis terminis, videlicet Ducatos mille auri amodo uſque ad octavam diem Menſis Junii proximi venturi, & alios Ducatos mille pro completa & integra ſolutione dictorum duorum millium Ducatorum, uſque ad octavam diem Menſis Septembris proximi tunc venturi. Et ſic heredes & conſortes ſupradicti Domini Federici dederunt & præſtiterunt bonas & ſufficientes plezarias & fidejuſſiones de ſolutione dictorum duorum millia Ducatorum, ut dictum eſt.

Quod ſua Reverendiſſima Paternitas dignetur accipere præfatam Communitatem ſuæ Terræ Utini, & uxorem, filios, heredes, atque attinentes, & conſortes dicti Domini Federici & convicinos dictæ Communitatis, ad gratiam ſuam, & habere ipſos in juribus ſuis & antiquis conſuetudinibus Patriæ, non compellendo aliquem de facto, ſed procedendo contra eos & quemlibet eorum per laudum & ſententiam, juxta ordines & mores Patriæ Fori Julii. Ad quam petitionem præfatus Reverendiſſimus Dominus Patriarcha reſpondet, quod ſemper intentionis ſuæ fuit & eſt, obſervare, ut ſuperius

dictum eſt, & ita de novo obſervare promittit, ut ſupra ſupplicatur.

A

Communitas præfata Terræ Utini promittit ſuæ Reverendiſſimæ Paternitati, eſſe fideles & obedientes, ut tenentur, & conſervare præfatum Reverendiſſimum Dominum Patriarcham circa honores, jura, & juriſdictiones ſuas juxta ritum, ordinem, & mandatum ſanctæ Aquilejenſis Eccleſiæ, & in aliquo non contrafacere vel venire ullo modo vel ingenio.

Quod illi, qui ſunt extra Terram Utini, qui inculpati fuerunt per manifeſtationem & confeſſionem Hieronymi quondam Albricci de Utino, ſciviſſe de tractatu mortis præfati Domini Federici, poſſint reverti Utinum, quandocumque placebit ſuæ Reverendiſſimæ Paternitati. Ad quæ prælibata Communitas Utini reſpondet, quod de hoc ſunt contenti, quod ad beneplacitum præfati Domini Patriarchæ revertantur, & poſſint reverti, recommendando Reverendiſſimæ Paternitati ſuæ tranquillum, quietum, & bonum ſtatum dictæ Communitatis ſuæ Utini.

Et ultimo quod illi de numero illorum viginti quatuor, qui creati fuerunt per ipſum Dominum Patriarcham, & deputati ad Conſilium Terræ Utini, qui ad præſens ſunt in dicto Conſilio, remaneant ad dictum Conſilium, cum additione & electione facta dicto Conſilio per ipſam Communitatem Utini uſque ad Feſtum Sancti Michaëlis proximi venturi, & ab inde in antea dicta Communitas Utini eligat & faciat Conſilium juxta mores & antiquas eorum conſuetudines.

Quæ omnia & ſingula in ſupraſcriptis capitulis contenta, & quælibet ipſorum lecta, publicata, & per præfatum Reverendiſſimum Patriarcham confirmata, & conceſſa fuerunt ſupraſcriptis Milleſimo, Indictione, & Die in Patriarchali Palatio Civitatis Auſtriæ, præſentibus Reverendo patre Domino Fratre Auguſtino Ordinis Eremitarum Sancti Auguſtini, nunc Electo Concordienſi, ſtrenuo Milite Domino Ludovico Comite de Porcileis, venerabili viro Domino Marquardo Decretorum Doctore, Reverendiſſimi Domini Patriarchæ Vicario in ſpiritualibus deputato, Nicolao Zontini quondam Bencivegni de Venetiis, Jacobo de Cornea Notario Communitatis Utini, & aliis pluribus audientibus, & ſupraſcripta omnia & ſingula intelligentibus. Quæ omnia & ſingula, in ſupradictis capitulis contenta, prælibatus Reverendiſſimus Dominus Patriarcha promiſit firmiter obſervare & adimplere; & e converſo prælibata Communitas Terræ Utini promiſerunt inviolabiliter obſervare, tenere, & adimplere.

B

Et ego Odoricus de Robabellis quondam Ser Johannis, incliti Ducalis Dominii Venetiarum Notarius ac Civis, habitator Venetiarum, his omnibus & ſingulis interfui, & de mandato præfati Reverendiſſimi Domini Patriarchæ, ac de conſenſu & voluntate prælibatæ Communitatis Utini ſcripſi, legi, & publicavi.

F I N I S.

FINITO DI STAMPARE IN BOLOGNA NEL LUGLIO 1966
PRESSO LA CASA EDITRICE ARNALDO FORNI

tiquitates 29461

Muratori, L.A. - Antiquitates
italicae medii aevi.

v. 3

PONTIFICAL INSTITUTE
OF MEDIAEVAL STUDIES
59 QUEEN'S PARK
TORONTO 5. CANADA

29461